ULg Library
http://lib.ulg.ac.be
DONum
http://donum.ulg.ac.be

Ioan. Goropii Becani Origines Antwerpianae, sive cimmeriorum becceselana novem libros complexa: Atuatica I. Gigantomachia II. Niloscopium III. Cronia IV. Indoscythica V. Saxsonica VI. Gotodanica VII. Amazonica VIII. Venetica & Hyperborea IX.

Auteurs, créateurs, collaborateurs : Goropius Becanus, Johannes (1519-1573)
Type d'objet représenté : Livre, monographie
Lieu de création de l'objet original : Anvers (Belgique)
Accès ouvert - Domaine public
URL permanente : https://hdl.handle.net/2268.1/14974

Les reproductions numériques disponibles sur DONum sont en faible résolution, facilitant le téléchargement. Des fichiers de haute qualité peuvent être obtenus sur conditions, via notre formulaire de contact (feedback).
Certaines de ces reproductions peuvent être payantes. Un devis vous sera envoyé par courriel.

Les documents disponibles sur DONum peuvent être protégés par le droit d'auteur. Ils sont soumis aux règles habituelles de bon usage.

4°

IOAN. GOROPII BECANI

ORIGINES ANTWERPIANAE,

SIVE

CIMMERIORVM BECCESELANA

NOVEM LIBROS COMPLEXA.

ATVATICA,	I.	SAXSONICA,	VI.
GIGANTOMACHIA,	II.	GOTODANICA,	VII.
NILOSCOPIVM,	III.	AMAZONICA,	VIII.
CRONIA,	IV.	VENETICA, &	
INDOSCYTHICA,	V.	HYPERBOREA,	IX.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

Habes hîc, candide Lector, Gentium origines, longè aliter, quàm à quoquam hactenus scriptæ sunt, explicatas; & infinitos errores ex Historiæ scriptoribus, tum vetustis, tum recentioribus sublatos: totam denique Historiam & Poësim ad Mosem, & Orpheum reuocatam. Vale, & fruere.



ANTVERPIAE,

Ex officina Christophori Plantini.

cIↃ IↃ LXIX.

Université de Liége.

AD PHILIPPVM II.
HISPANIARVM, &c.
REGEM CATHOLICVM,

IOANNIS GOROPII BECANI
PRÆFATIO.

VT AVDEREM, REX POTENTISSIME, hunc abortiuum fœtum meum Maiestati tuæ dedicare, multę me rationes impulerunt; & inter eas in primis comis ista tua & humanissima affabilitas, hereditario iure à patre, auo, proauo, & ceteris maioribus tuis Regibus vt maximis, ita omnibus, quos orbis tulit, laudatissimis, ad ingenium moresque tuos deriuata, maximam dedit fidentiam ad omnem metũ deponendum. Alij ab Artaxerxe huius virtutis exempla ducant, & aquam Cyri fluminis cauis rustici volis oblatam, aut pomum granatũ magno Persarum Regi gratissimũ munus fuisse commemorent: nobis nihil opus est, ab exteris vnum hoc & nimis omnium ore tritum Regiæ comitatis specimen mutuari; cùm & Carolus pater tuus, Imperator maximus, hac laude ita celebretur, vt nisi Philippum, à quo nomen tuũ ducitur, patrẽ habuisset, & Maximilianũ auum, & te filium, vix quisquam in omni memoria inueniretur, quicum posset in virtutis huius certamine conferri. Recordãtur Belgæ tui, recordantur, inquam, cum acerbissimo dolore absentiæ tuę, heu, nimium longæ, & totis lacrimarum fluminibus deplorandæ, quàm te humanũ Regem, quàm omnibus ad infimos vsque affabilem, quàm nemini difficilem te præstiteris, cùm hîc inter deuotissimos tibi homines sic populariter ciuiliterque versareris, vt nihil interim Regiæ Maiestatis decoro detraheretur. Huic igitur virtuti tuæ acceptum feres, si quid in

hoc munere meo offerendo peccaui, vtpote ei, à qua sim non solùm inuitatus, sed etiã impulsus. Cui verò potiùs hunc informem & rudem meum partum obtulissem, quàm ei, in cuius potestate est ocium mihi suppeditare, ad fœturam hãc tantisper lambendam, dum Regiis oculis digna euadat? Præstiti equidem non quantum possem, si tempus integrum datum fuisset, sed quantum res familiaris, & domestica negocia, & exercitationis medicæ discursus, & turbulenti Reip. motus permiserunt, à quibus non quas volui, sed quas potui succisiuas & quietas horas impetraui, satis illas quidem multas ad opus, quod moliebar, per aduersaria, qualia hęc mea haberi volo, inchoandum informandumque; sed nimium paucas & angustas ad id iusto rerum omnium ordine, & eleganti orationis contextu elaborandum. Quamobrem si eorum, quæ à me tractanda sunt, inuentio placebit; tuum erit imperare, vt eorum, quæ tempus excluſit, fiat accesio, & ornatus addatur, quantus ab eo exspectari potest, qui totos viginti quinque & eo amplius annos, quos victui ex medicina quęrendo impendere necessitas coëgit, ab omni ocio litterario exulauit. Quamuis autem cultus is desit, quem secunda cura, si relegere & corrigere, quę ex tẽpore effudi, vacasset, addidisset; materia tamen ipsa per se talis est, vt tibi vel nemini mortaliũ sit offerenda atque consecranda. Cùm enim historiam Antvverpianę ciuitatis, & totius patrimonij tui Belgici cogitarem, atque ad eam magnã siluam collegissem, ea subitò tempora ex inopinato inciderunt, vt rerum præterea ad integram scriptionem necessariarum inquisitione supersedendum tantisper mihi putarem, dum benigno & felici numinis tui splendore, tranquillitas rursus aliqua è tantis procellis, quantis regio nostra concuti cœpit, affulgeret; per quam res à maioribus tuis & olim & proximis ætatibus gestas, è diuersis monasteriorum bibliothecis, & publicis ciuitatum scrinijs, & priuatis doctorum hominum armarijs colligere liceret. Hanc tamen moram illud solabatur, quod per eam fore prospiciebam, vt libris meis eam coronidem

ronidem imponerem, quæ prudentiam felicitatemque tuam in his turbis per ducem Albanum, quem verè possum Nestorem tuum, id est, prudentissimi fortissimique Ducis & Imperatoris exemplar vocare, componendis contineret. Ne tamen interim, dum optata æstuantis Oceani huius nostratis Alcedonia solicitus exspecto, nihil agerē, quo animū à tristi spectaculo auocarem, statui mihi antiquitates Antvverpianas, & vetustissimam & Ogygiam planè gentis originem inuestigandā; partim quòd ea ad historiam, quam meditabar, conducere videretur; partim quòd nihil inuenirem, qua magis generosissimus tuus animus accendi posset ad vrbem hāc amandam, & periculosissimo hoc tempore sedulò tuendam. Limitanea enim hæc iurisdictio, quam Antvverpianum Marchionatum vocamus, clarissima generis tui dedit primordia, cùm in ea Pipinorum & Carolorum fuerint incunabula; Regum, quibus vix quicquam habent veterum scripta, quod possit comparari, nedum par videri. Summa ergo cura annitendum Maiestati tuæ, quò hęc ciuitas prima antiquissimæ nobilitatis tuæ sedes, & in his procellis cōseruetur, & post eas prudentia tua discussas, nouis ornamentis augeatur & increscat; ad quæ quantum fauoris benignitatisque contuleris, tantum putes te parētum tuorum pietati, honori & memoriæ sempiternæ contulisse. Quò verò & mea solicitudo aliqua parte cerneretur, putaui hanc mihi clarissimā stirpis tuę antiquitatem memoriæ tuę suggerēdam, quo eius intuitu amor diligētiaque ad vetustissimum hoc priscorum Regum, parentum tuorum domicilium seruandum, ornandumque magis magisque incitetur ac accendatur: quanquā haud nescius sum, nihil tibi magis in votis esse, quàm vt hic populus principibus suis ab omni æuo addictissimus, te patriæ suę patrem & experiatur & appellet. Si quod igitur in fatali hac totius Reipub. Christianæ calamitate cacodæmonum corporeorum, quos plurimos hæc sæcula ferunt, malitia vulnus huic vrbi inflixerit; prudentiæ clementiæque tuæ erit, misericordię balsamum citra longiorem

moram plagæ adhuc recenti inſtillare, ne extrema pernicies ſalutaria remedia præuertat, quæ fruſtra & quæruntur & adhibentur, cùm de ſalute actum eſt atque conclamatum. Video enim Deum, qui corda Regum emollit & indurat, in potenti manu tua collocaſſe, vt illuſtriſsimæ vetuſtiſsimęque maiorum tuorum ditioni priſcum decus non expurges modò, qua parte eſt contaminatum, ſed clarius etiam & ſplendidius, & magis auguſtum, quàm vnquam fuit, reddas; & totam hanc regionem, quam præ ceteris orbis partibus florentem à patre accepiſti, eam poſteris tuis relinquas multo ſplendidiorem felicioremque. Qua in re tantum mihi laudis contineri videtur, vt neſciam, an principes alio nomine magis debeant gloriari, quàm ſi ditionem ſuam beatiorem, quàm acceperint, ſucceſſori tradant. Quò porrò altiùs intelligas, quàm nobilem, quàm antiquam, quàm clariſsimis parentibus inſignem terræ partem ſis ornaturus, æqui bonique conſules, ſi hæc antiquitatum Commentaria memoriæ tuæ ſubſidio deſtinarim; in quibus quàm effuſo calami curſu ſum vſus, tam velim celeri feſtinatione Maieſtatem tuam labentibus rebus ſuppetias ferre. Eſt hęc quidem vna de præcipuis ratio, ob quam hos libros meos præcipitauerim, & non antè relegerim, quàm excuſos viderem; nō quòd eos multum ad id, quod opto, profore exiſtimarem, quandoquidem ab infimi ordinis homine ad ſummum Regem proficiſcerentur: ſed quò ciues mei, & totus orbis intelligeret, plus apud me flagrantem patriæ amorem, quàm Criticorum cenſuræ metum valuiſſe. Quamuis enim hęc commemoratio mea velut importuna, aut temeraria, aut inepta, etiam à duro aliquo tyranno eſſet reiicienda; nihil tamen dubitaui, quin ſingularis tua benignitas, & animus verè Regius, id eſt, paternus, & cum tyrannico ex diametro, ſi Platoni, & rationi rectæ credendum, pugnans; in bonam partem ſit hanc voluntatem meam acceptura; vtpote eam, quæ non tantùm huic regioni ſalutem quærat, ſed Regi etiam illud optet, vt ſe Deo quàm ſimillimum reddat; qui omnes, quantumuis

tumuis frequenter & enormiter peccauerint, se seruare velle clara voce profitetur, & nemini culpam suam agnoscenti,& veniam petenti, misericordiæ clementiæque suæ fores præcludit; quique semper tam bonorum hominum amans est, vt Zodoma & Gomorrha, propter decem homines pios,si in iis inuenti fuissent, non perdidisset; quamuis abominandis sceleribus ciuitates eæ apud Deum & eius ministros fœterent. Porrò licet in his, quæ modò à me exposita sunt, satis mihi causę esse videatur, vt Commentaria hęc mea ante maturitatẽ ad te legarem; fuêre tamen & aliæ rationes, ob quas ea, tametsi rudia adhuc & impolita, tibi potissimùm consecranda arbitrarer. Intellexi enim pridem, magna te cura hoc agere, vt sacrosancta Biblia, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè & Latinè quàm correctissimè, & quàm elegantisimis typis excudantur; atque ad eam rem Christophorum Plantinum ciuem Antvverpianum, iudicio tuo idoneum videri, eò quòd hac ętate omni characterum varietate non ferè superior videatur inueniri,ad quorum copiam comparandam me quoque nonnihil opis attulisse, honori mihi duco; quoniam elegantia varietasque typographiæ magnum adferat Reip. Christianæ ornamentum, si ab homine quidem Catholico, qualis Plantinus est, intra Ecclesiæ terminos & Orthodoxa scripta coërceatur. Audiui item beneficio tuo interpretationis Chaldaicæ eam partem, quæ in Complutensi editione desideratur, adiectum iri, atque omnem sumptum impresionis è liberalitate tua suppeditandum esse, qua tua in Christianos omnes insigni piaque beneficentia, non omnes modò prętentis ęui homines, sed omnem etiam posteritatem sic obligabis, vt multo magis te sint laudaturi, quàm si totã Asiam subiugasses. Extant admiranda potentię Ægyptiorum Regum monumenta in pyramidibus, & ingentibus obeliscis, & aliis immensi sumptus structuris, sed omnium eorum, qui hęc ad æternam sui memoriam fecerunt nomina,iam olim sunt vel prorsus obliterata,vel dubiis coniecturis controuersa. Quocirca Ptolemęus ille cognomento

Phila-

Philadelphus, Ægypti, Arabiæ & Syriæ Rex, optimis Stratonis Lampſaceni doctiſsimi prę̃ceptoris inſtitutis formatus, longè aliam famæ ad poſteros propagandæ viam rationemq́; ſibi ſequendam putauit; eam nimirum, qua omnes Heroës in Diuorum numerum relatos audiebat. Hi enim non ob aliud apud poſteros immortales honores ſunt aſſecuti, quàm bene de hominũ genere merendo, & omnes eos, quibus opus eſſet, adiuuando. Quocirca bonus hic philoſophi diſcipulus ingenti beneficio, & omnium ętatum illuſtriſsimo, regni ſui initia decorauit, dum centum & viginti millia Iudæorum per iniquos Satrapas, & auaros, crudelesq́ue belli ſub patre duces, in ſeruitutem redacta, ęre ſuo redemit & manumiſit. Quid, obſecro, maius à Rege dari potuiſſet, ſi ſeruitute homini ingenuo adeò nihil grauius eſt, vt mori mallet, quàm alterius iugum ferre? Infinito ſanè plus laudis in vniuerſo orbe, hac ſua diuina in Hebræos munificentia, adeptus eſt, quàm pater, quòd eos in ſeruitutem redegiſſet; immò filius, quàm diu Hiſtoriæ legentur, vti Deus quidam in animis doctorum hominum coletur; pater crudelitatis tantæ nomine perpetuo erit ab optimis quibuſque exſecrandus. Verùm cùm animaduerteret maximarum etiam rerum omnem memoriam interire, niſi ea litteris conſignetur, nec illuſtrius donum homini poſſe conferri, quàm ſapientiam, eiusq́ue omnem latitudinem, cùm tripartitò diſtinguatur, libris contineri; altera magnificentia multis modis luculentiore humanum genus ſibi voluit deuincire, qua nõ de præſentibus tantùm & poſteris, ſed de omnibus etiam ijs, qui mortales ſcriptis ſuis priùs adiuuiſſent, bene mereretur. Bibliothecam enim nobiliſsimam omnium earum, quæ vnquam ab orbe condito fuerunt, tot libris inſtruxit, quot vſquam gentium poſſent inueniri; opera ad id vſus Demetrij Phalerei hominis doctiſsimi, & ad miraculum vſque in bonis auctoribus inueſtigandis diligentis. Sed præ ceteris omnibus in eo maximè laudatiſſimum Regis ſtudium eluxit, quòd immenſis ſumptibus, & ingentibus donariis apud Eleazarum Iudæo-

rum

rum Pontificem maximum effecit, vt Biblia ſacra per ſeptuaginta duos ſeniores in linguam Græcam verterentur; quo id conſecutus eſt, vt quàm diu Chriſtiana religio vigebit (vigebit autẽ quàm diu vlli erunt mortales) ſummos & pluſquam heroicos honores ſit habiturus. Hunc itaque, Rex potentiſſime, vt regnis & potentia infinito ſuperas, ita credo te benefaciendi quoque ſtudio velle ſuperare, dum eadem Biblia, non in Græca tãtùm lingua, vt ipſe, ſed in Chaldaica, & Hebraica, & triplici Latina deſcribẽda curas; quo beneficio tuo tãto plus demereberis, quanto pluribus quàm Græcis ea communicabis. Age age, Rex maxime, hæc recta via eſt ad ſolidam & immortalem apud poſteros laudem conſequendam; hac cælũ ipſum conſcendes; hac in diuorum numerum es cooptandus. Non deſunt nec tibi Ægyptia talenta, nec huic ætati homines eruditiſſimi, à quibus tanto faciliùs potes iuuari, quòd typica ſcribendi ratio ad ſummum perfectionis ſuę culmen hoc tempore videatur pertigiſſe. Iam, vt ætas hæc tua hanc felicitatem à Deo accepit, quòd quàm plurimos habeat excellentes in omni diſciplinarum genere viros; ita admirabilis eſt iſta tua diligentia ad homines eos, qui magnam litterarum peritiam cum vitæ probitate coniunxerunt, conquirendos & in comitatum tuum aduocandos; inter quos eos potiſſimum quæris, qui ab aulica vita quàm longiſsimè ſe ſurripere nituntur. Quis vnquam putauiſſet, Ludouicum Menricum, illuſtriſsimi Comitis de Paredes filium, abs te cõſpectum iri? cùm procul in patriam ſuam ſeſe ab aula remouiſſet, non ille quidem, vt in ocio deliteſceret, ſed quò ab omni ambitione ſeclusus, populũ ſuum & verbo Dei paſceret, & claris virtutũ omnium exemplis ad pietatem inuitaret; in quo officio tãtum ſe præſtitit, vt vix inter veteres inuenias, quem diligentia ſua nõ ſuperarit. Nec eo contentus, quaſi non ſatis haberet laboris, pueros quoque educandos docendosque gratis ſuſcepit, nihil ducens in vita iucundius, quàm ſi quem videret cura ſtudioque ſuo ad frugem doctrinamque peruenire. Illud autem mi-

rum in eo videri poterat, quo modo inter tot diuersas curas Theologiæ philosophiæque, quibus in primis excellebat, vacare posset; nec interim tamen picturam sculpturamque, quibus vnicè oblectabatur, negligeret. Dum itaque in hoc genere vitæ consenescendum sibi putaret, nec crederet quicquam fore, quo auocari inde posset; ecce contra omnem exspectationem suam in aulam abs te vocatur, & inuitus ex altiore loco cogitur, claram eruditionis pietatisque suæ facem toti Hispaniæ præferre. Quid iam dicam de clarissimo viro Ioanne de Ouanda, homine, in quo dubitari queat, philosophiane an iurisprudentia habeat principatum. Neque hunc passus es in castro Cereris patria sua latêre, sed maximis grauissimisque & summæ dignationis muneribus voluisti præesse; adeò, vt eũ non solùm Academiæ Complutensi instaurandæ, optimisque ornandæ institutis præfeceris; sed supremo etiam Indiarum Senatui dederis Episcopum & Harmosten, vt voces has, à duabus præcipuis Græciæ ciuitatibus petitas, doctissimo viro applicemus. Taceo nunc de Saia homine vndequaque litteratissimo, qui vt ab ambitione omni longissimè abest, ita inter primos eorum haberi potest, qui Regi non ob priuatum lucrum, sed ob promptam Reip. bene consulendi voluntatem inseruiunt. Sed quid plures coner enumerare? quorum luminibus aula tua hoc tempore clarissima habetur; cùm ex his modò satis constet, quanta diligentia doctos viros vndique conquiras, quamque Maiestati tuæ facile sit, cùm omnes artes promouere, tũ hæc sacrosancta Biblia quàm correctissima & ornatissima toti orbi cõmunicare. Verùm vt nullos alios haberes id genus præclaros in omni disciplinarũ orbe viros, quos habes ferè infinitos; vnus tamen Benedictus Arias Montanus poterat esse instar plurimorum, qui in rupe Aracensi & solitudine illa saltuum Marianorum, dum sibi viuere, & Musis solis operari vellet, frustra sperauit se diu latêre posse, quasi quisquã omnino eiusmodi vir subterfugere posset perspicacem istam oculi regij aciem, qua singulas excellentiũ homi-

hominum dotes acutiſsimè intueris. Scilicet is in obſcutis ſe ſiluis & aſperis ſaxis occultaret, qui præter ſummam Philoſophiæ Theologiæque cognitionem,& ſingularem morum,totiusque vitæ caſtitatem & integritatem, tam multiplicem ſibi linguarum notitiam multo labore comparaſſet, vt Chaldæi, Hebræi, Syri, Arabes, & quotquot ſunt cognati ſermonis nationes, hoc poſſint vel ad loquendum, vel ad ſcribendum, vel ad intelligendum vti magiſtro; vt interim accuratam & abſolutam Græci & Latini ſermonis elegantiam, in qua cum eloquẽtiſſimo quoque certare queat, omittam. Hunc igitur adeò non neglexiſti, vt ad aulam tuam accerſitum, & in ordinem militiæ D. Iacobi cooptatum, inſigni iſti Bibliorum impreſsioni præfeceris. In quo tuo prudentiſsimo facto vtrumque miramur; & talem hominem in Hiſpania tota inueniri potuiſſe; & te tam acutum fuiſſe, vt hominem ſeſe ſtudiosè occultantem, emiſsitio iſto ſceptri tuo oculo potueris conſpicari.

Quocirca cùm te, Rex optime, hoc ſacras litteras adiuuandi promouendique ſtudio videam flagrare, & eiuſmodi hominum, quales plurimos habes, auxilio adiuuari, & indies magis magisque incendi; putaui nemini potius, quàm tibi, rudes hos meos labores eſſe offerendos; quandoquidem eos ad id perpetuò direxi, vt omnia & Hiſtoriæ primordia, & Poëtarum ſcripta, Moſi & ſacris litteris conuenire demonſtrarem, hoc omnis lectionis caput eſſe ratus, quo religio in nobis, & Chriſtiana fides pabulum capiat & incrementa. Cognoſcetur enim his libris, inter cetera, quæ primi nos in lucem eruimus, alia,quàm hactenus fuerint tradita, ratione, Arcæ cùm fabrica, tum magnitudo; ad quam Moſis verba accommodata, & lucem accipiunt, & plurimis Romanorum ceremoniis originem commonſtrant, nec ab Ouidio, nec ab alio quopiam vel veterum, vel recentiorum explicatam. Deinde locus indicabitur, in quo Adamum à Deo principio factum conſtitutumque aliter, quàm

ceteri, opinor, addita etiam arboris scientiæ boni & mali copiosa descriptione, nec illa quidem à quoquam ante me, quod equidem sciam, indicata. Iam locus & Arcæ fabricandæ à Noacho electus, & eius à nauigatione quiescentis ostensus, aliter quàm hactenus factum, iucundam fabularum è veteri Orphicorum Theologia manantium, dabit interpretationem. Verùm ne multis indicandis prolixus molestusque fiam, satis sit hoc vnum dixisse, totum scriptionis meæ scopum in eo constitutum esse, vt quicquid commemoro, id momenti aliquid adferat, vel ad vitam vtilibus præceptis ad religionis pietatisque studia formandam, vel, & id quidem præcipuè, ad Atheorum hominum, quorum numerus inter tam varias sectas indies magis atque magis crescere videtur, oppugnandam peruersitatem. Quamobrem cùm eò omnia mea tendant, quò Catholica fides crescat, & externis etiam quibusdam argumentis non quidem firmetur, sed ornetur; nusquam spero ea vel gratiora, vel tutiora fore, quàm apud eum, qui non solùm à maioribus, sed suo etiam merito Catholici cognomen habet, atque illud præterea molitur, quò Bibliorum lectio quàm correctissima, & quàm latissima per plurimas diuersi sermonis gentes porrigatur.

Porrò vt nihil esset eorum, ob quæ me dixi hæc obtulisse, vel illo tamen solo nomine tibi grata esse deberent, quòd vernaculus noster, maiorumque tuorum sermo Reges Coningos vocet; quo nomine primum indicatur, Regibus ante omnia scientiam, omnemque rerum cognitionem conuenire. Cùm enim quatuor hac vna voce Coning notentur, illud primum est, vt magnam multarum rerum notitiam requirat. Alterum vltra scientiam, potentiam tantam penes Regem esse vult, quanta necessaria est ad ciuitates, quibus præest, tuendas. Tertium deinde monet, non satis esse cognitionem bonæ sanæque gubernationis, vnà cum sufficienti potentia coniunctam, nisi fortis & imperterritus animus accedat.

Quar-

Quartum & postremum, quod secunda syllaba denotatur, postulat, vt Rex sic se & omnia sua comparet, vt omnes sui ex ipso solo, & non alio inferiore vllo salutem suam, & vniuersim & sigillatim pendere credant; in quo Hyperborei priora contineri fortasse credentes, Reges non Coningos, sed Ingos appellant, vt alibi fortasis annotabo.

Principio itaque, quia rerum omnium cognitionem Regi necessariam esse, nostrates nomine suo demonstrent; nec alia sit, quæ vtilior videri possit, quàm ea, quæ ex Historiis acquiritur; in quibus illæ optimè iudicentur, quibus prisca & simplex Principum sinceritas cum prudentia & breui sententiarum grauitate continetur; non video quid præstantius dare possim, quàm si illud dedero, quod, cùm Ogenias vetustissimasque primorum Regum antiquitates explicet, tum in iis eam adferat cognitionem, quæ in omnibus ferè priorum scriptis desideratur. Quamobrem quò simul & Saturniam eorum, quæ scripturus sum, vetustatem indicarem, & statim prima fronte Regibus horum cognitionem conuenire docerem, tum etiam, quorsum ea conducerent, exponerem; titulum Commentariis dedi, absurdum illum quidem, & fortasse deridendum; sed eum tamen, qui hæc omnia, cùm intelligetur, explicabit. Antiquissima enim Aristophanes Beccselana per Comicam & lepidam irrisionem ob id vocauit, quòd Phryges se primos mortalium iactarent, quia prima vox pueri panem poscentis βεκ esset, quam ipsi soli, & nulli alij mortalium intelligerent; Arcades verò tam impudentes essent, vt se ante Lunam natos fuisse dicerent, quæ Doricôs Selana nominatur; quamuis ille è communi dialecto compositionem fecerit. Quòd autem dico, hoc nomine indicari has antiquitates, ad Regum maximè notitiam pertinere; id inde palam est, quòd Herodotus referat Psamnitichum Ægypti Regem hanc curam suscepisse, vt intelligeret quorum hominum lingua prima dicenda esset; quod vt sciret, duos pueros apud pastorem quendam educandos curasse, graui addito

addito mandato, ne quis hominum coram eis loqueretur. Eos post bimatum Bec proclamasse, atq; id cùm pastor non intelligeret, crebrius iterasse, non apud nutritium tantùm, sed apud Regem etiam. Diligenter igitur per omnes gentes inquisitione facta, ecquis hominum Bec intelligeret, deprehensum esse, hoc nomine Phrygibus panem significari, quem pueri iam solius lactis pertæsi, dari sibi cupiebant: quam narrationem siue fabulã, qualis reuera est, quinto libro ad symbolicam significationem vocabo, & eius præfationi, quàm variè à diuersis referatur, fortasis addam. Quandoquidem igitur Rex ille tam fuit in prima lingua vestiganda curiosus, ac inuenerit Bec panem significare; multo magis hæc liberalis inquisitio te tangere debet, non solùm ob immensam linguarum varietatem, quibus alia & alia imperia & regna tua loquuntur, sed propterea etiam, quòd Brabanti tui, & ceteri plerique Germani, hactenus Bec panem è polline factum, nominare consueuerint, & inde Becker eum generatim, qui panem facit, appellent. Antiquissimo enim illius Regis experimento Antvverpianorum lingua antiquissima esset dicenda, atque idcirco nobilissima. Cùm igitur nobilissimorum tractatio nobilissima sit, eaque maximè deceat Reges; volui ea, quæ ad te scripsi, talia ex ipso titulo videri, vt & tibi, cuius imperio huius linguę homines subsunt, maximè conueniant, & eum sermonem, quem Ægyptius Rex quæsiuit, post tot sæculorum volumina, apud tuos in vsu hactenus esse commonstrẽt. Iam quòd addidi hoc ipso nomine Becceselanorum, vtilitatem & finem eorum, quæ his libris complector, indicari, id non facilè intelligetur, nisi quæ alibi traditurus sum, ea prius cognoscantur. Quamuis enim Aristophanes ad iocum & irrisionem sic vocem composuerit; Cimbris tamen & eorum posteris Antvverpianis longè aliud significat, quàm ille sit opinatus. Idem enim est Becselana, siue Beckeselana, quod panis numerationis æternitatis, siue sæculorum. Quocirca cùm libris his ea comprehẽderim, quæ verisimum pabu-

pabulum sunt eorum, qui ad ætates mundi dinumerandas ali volunt, non immeritò Becceselanorum titulus mihi placuit; & quia nostras sit vocabulum, & quia omnia ea indicet, quæ vel ad scribendi dedicandique occasionem, vel ad vtilitatem eorum, quæ traduntur, pertinebant. Cùm de Luna siue Selana inter cetera Orphicorum numina tractabo, clariùs, quæ sint Becceselana, ostendetur: quamuis & in his Commentariis nostris, vbi de Anaitide Dea agitur, & quo loco Athenarum etymologia explicatur, quiuis possit veram nominis rationem subodorari, si Θες quidem siue Τες idem esse sciat, quod numero Latini dicunt. Sic igitur cogitet Maiestas tua libris his viam strui, tum ad ætatum mundi dinumerationem, tum ad ipsius perennis Philosophiæ numeros, & eorum harmoniam de antiquissimæ linguæ arcanis inuestigandam; quos si gratos fuisse intellexero, mox ipsa illa diuiniora, quorũ hic proparasceue continetur, non coniecturis, sed solidis demonstrationibus ad principia sua prima vocabuntur; ad quæ, post occasionem è voce Bec arreptam, Cimbricis, siue nostratibus duodecim diuersis numerorum nominibus ab vno ad duodecim progressis, me fateor deductum fuisse; atque idcirco non mala ratione hæc historica præludia ita Cimbricè nominaui, vt solidum animorum alimentum ad dinumeranda temporum & æternitatis arcana continere significarentur.

Vellem equidem integrum mihi fuisset, quæ angusto, perturbato, & sæpius interrupto tempore effudi, ea vt relegerem & ruminarem, quò ad Maiestatem tuam politiora venirent; sed quò id minus mihi faciendum putarim, partim id, quod antè expossui, in causa fuit; partim hoc etiam, quòd ad Orphicam Theologiam longè aliter, quàm hactenus à quoquam memini vel scriptum vel excogitatum, exponendam, & ad veros germanosque suos fontes reuocandã, animus meus ita festinet, vt omnem his extemporaneis scriptis limam negarit.

Hanc

Hanc sanè meam culpam & agnoscere cogor, & iterum atque iterum deprecari, ad quam condonandam, nisi consueta tua benignitas se facilem præstet, Diuas tuas amitas, augustæ piæque memoriæ, Leonoram Franciæ, & Mariam Hungariæ, Reginas duas illustrissimas Heroinas, ad orandum allegabo, quibus viuis in Hispania ad vltimum vsque spiritum medicis consiliis seruiui, & mortuis aromatum omne genus, pro eo ac fieri consueuit, mœstus inieci, postremo in heras meas in condiendis corporibus munere perfungens.

Harum memoriæ non dubito, quin facile sis hoc concessurus, vt benigno, beneuoloque in me animo sis, qui iis ad extremum vitæ terminum sedulam operam nauaui; & à Maria altera earum hoc impetraram, vt ad illud seruitium Maiestati tuæ me commendaret, quo totius Hispaniæ, omniumque in ea nascentium, quorum permagna & varietas est & copia, naturalem Historiam contexerem: vt erat mulier tota Palladia, iis dotibus prædita, vt & omnium rerum cognitionem auidissimè sitiret, & summo animo, salutisque publicæ studiosissimo, nec minore prudentia & felicitate Rempublicam administraret, & omnes eos, qui litteris virtutem adiunxissent, maximis honoribus prosequeretur. Quòd si huic vitam Deus non abstulisset, ob id, quòd præsentiam eius Belgæ non mererentur, licèt summis votis optarent; non dubium est, quin illi operi, ad quod me propensa optimæ Reginæ voluntas destinauerat, vel nunc finem imposuissem, vel excolendo hactenus insudarem. Sed quia id fatum mihi denegauit, erit humanitatis tuæ in me & pietatis in illas, voluntatem meam perinde accipere, atque si in illa re tibi seruiissem; & hæc Commentaria, quæ ad maiora quædam tendunt, in illius laboris, cui eram potissimùm destinatus, compensationem deputare, atque non aliam de illis habere opinionem, quàm si ipsius amitæ tuæ, Heroinarum, quotquot vnquam

regna

regna & imperia cum laude gubernarunt, clarissimæ instigatione atque mandato, ea Maiestati tuæ obtulissem. Hæc enim, cùm tui amantissima semper fuisset, heredem te testamento suo scripsit; quo fit, vt cùm eius ego quamdiu viueret, essem, nec legato vllo alteri sim relictus, mancipij tui post mortem eius esse cœperim; eoque omnes labores meos tibi seruire oporteat. Quanquam porrò medicinam facere, ac ægrotis corporibus opem ferre, ac bene valentibus sanitatem tueri professionis meæ est; quia tamen hanc meam operam tibi tuisque, in tanta medicorum doctrina & experientia insignium, quot istic in aula tua habes, minimè necessariam esse scirem, ad illam meam supellectilem recurri, quam ante medicam exercitationem bonis vtriusque linguæ auctoribus legendis, in ocio litterario comparaueram.

Quod si per tot annos necessitas mea non interrupisset, plura fortassis & doctiora dare potuissem. Sed qui hecatombas non habet, mola litare potest, idque maximè apud optimum quemque Deorum; cui te simillimum vt præstes, diligenter vbique & semper laboras. Quamobrem, cùm hæc mea tibi tanquam vnico & splendidissimo orbis Soli consecrarim, & is radios suos omnibus, quæ eorum capacia sunt, citra inuidiam communicet; benignitatis tuæ erit, non ægrè ferre, si, quod vniuersim tuum est, scintillas aliquas ad alios etiam transmittat, quos docebo ex eisdem maioribus profectos, non solùm religionis vinculo vniri, sed ob cognationem etiam antiquissimam & illustrissimam perpetuam concordiam seruare debere, & omnibus viribus pariter anniti, vt Europam atque Asiam minorem Ianigenarum hereditatem è diris & sanguinariis Turcarum manibus extorqueant, sibi, quod Noachus in herciscunda familia adiudicauit, communi auxilio vindicantes. Cùm enim hîc Saxsones, Sueuos, Gotos, Dacos, Francos, Thraces, Danos, Britanos, Vandalos, Venetos, Cimbros, & pluri-

mos alios Europæ populos, ex eadem ſtirpe propagatos, & eadem lingua olim vſos eſſe demonſtro, quid aliud facio, quàm quòd hortor omnes, vt & religione, & ſalutari inter ſe pace concordent & vniantur, & vnum in vno Chriſto capite noſtro corpus fiant? quod Deum Optimum Maximũ rogo, vt, te principe, Chriſtianus orbis conſequatur. Vale Rex maxime, & nomen Regis Cimbricum vt ſemper tuearis, & tua diligentia & diuina voluntas tibi concedat.

AD SENATVM POPVLVMQ. ANTVVERPIENSEM,

IOANNIS GOROPII BECANI PRÆFATIO.



VM VESTRO, MAGNIFICI PRVdentißimiq; Senatores, iußu, res Antwerpianas ſcribẽdas ſuſcepiſſem, optimè mihi operam meam collocaturus videbar, ſi quæ ab aliis vel attacta non fuiſſent, vel frigidis fabulis inquinata, ea ab ipſius vrbis exordio, & altius etiam, ſi poſſem, è tenebris euocarem. Ne enim actum agerem, alienis inuentis nouam laruam, vt plerique faciunt, inducendo; diligenter equidem curaui, vt ea in lucem proferrem, quæ & plurimũ vtilitatis, cum cognoſcendi voluptate coniunctæ, continerent, & ab omnibus hactenus æquè fuiſſent ignorata. Per arduum ſanè propoſitum: ſed quanto quæque res difficilior, tanto dignior eſt, in qua generoſus animus vires ſuas experiatur; vt ſi ad optatum ſibi finem adſpiret, nihil plebeium, nihil vulgatum, nihil triuiale videatur aſſecutus: ſin ad eum peruenire nequeat, laudetur tamen egregius et dignus Hercule conatus. Antwerpianorum igitur primordia altiùs longè, quàm quiſquam hactenus mortalium, repetiui, & ad primam et ante & poſt diluuium ſtirpem, Iulio Cæſare viam præmonſtrante, deduxi. Qua in re, vt ob oculos ponam quis ordo ſit ſeruatus, breuiter omnem librorũ ſeriem mihi cenſeo explicandam. Primo itaque Atuaticos doceo, à Cimbris & Teuthonis genus ſuum duxiſſe; atque hos ipſos eſſe, qui Antwerpiam ſub Atuatici nomine condiderũt; quam aſſertionem meam vt omnibus probarem, nihil ferè eorum reliqui, quæ ad eam muniendam tuendamque facere viderentur

Arg. lib. 1.

facienda. Et quia hoc libro tempora & Cimmeriam antiquitatem ſupputo, & plurima, quæ ad Cronum ſiue Saturnum ſpectant, expono: Croniorum nomen maximè placuit, ad hæc omnia, quæ illa ætate contigerunt, denotanda. Iam poſtquam antiquiſſimos Cimbrorum parentes inueni, & quando vixerint expoſui; proximum fuit, vt vbi terrarum primùm habitarint, aperirem; quod quinto libro ſic facio, vt vna opera, vbi Arca facta ſit, & vbi poſt Diluuium quieuerit, clarius, &, ni fallor, verius, quàm quiſquam aliorum, tradam; quod vt magis confirmem, illud quoque oſtendo, quo Noachus & eius maiores à loco eo, in quo Adam creatus fuit, commigrarint; vbi arboris ſcientiæ boni & mali locus, forma, creſcendique peculiaris modus, tam clarè delineatur, vt nihil poſthac ad eius notitiam queat deſiderari; adiecta etiam ſymbolorum mirabili & diuina prorſus intelligentia. Multæ præterea Poëtarum fabulæ ad veram ſuam originem reducuntur, de quibus nihil ſani quiſquam hactenus cogitauit. Inuento loco, in quo Arcam quieuiſſe de Moſis ſententia, cõtra Beroſum & alios, demonſtro, vbi vinea coli cœperit; & quæ inde fabulæ ad Græcos & Latinos manarint, perſpicuum reddo; è quibus tota Dionyſiacorum figmenta intelligi, & ad originem vocari poſſunt. His addo quis ſit Scythiſmus, & qua lingua Noachus cum ſuis vſus ſit ante Babylonicam confuſionem, & penes quos prima lingua, ab Adamo facta, integra permanſerit, propterea quòd turris ſtructuræ non interfuiſſent; in quo omnium eorum, quæ his libris ſcripſi, maximum eſt momentum ad plurima veteris Theologiæ arcana, quæ vocibus Adamus ſubtexuit, in lucem eruenda; quorum non pauca exempla paſſim à me ſunt in his Commentarijs annotata. Sed ſtupendum huius ſermonis artificium, & maius quàm quiſquam adhuc poſſit ſuſpicari, vt ego primus poſt Scythiſmũ & Orphicos magiſtros inueni; ita breui, ſi Deus adſit, toti orbi citra inuidiam communicabo. Quia

verò

verò hoc libro partim Indicas, partim Scythicas antiquitates tracto, Indoscythicorum nomen ei putaui conuenire. Prima ergo post Diluuium Cimmeriorum sede constituta, & locis vicinis explicatis, ad colonias eorum descendo; quarum primæ sextum librum dedico, Saxsonica nuncupatum; quibus ea, quæ ad Sacarum filios pertinent, significantur, plurimum ad multarum rerum, necdum à quoquam animaduersarum, cognitionem conductura. His Daæ, siue Daci, siue Dani etiam adiunguntur, de quibus plura in sequenti libro necessariò fuerũt dicenda, propter Getarum & Dacorum confinia & cognationẽ. Septimo enim libro Getarum, siue Gotorũ origo longè alia traditur, quàm hactenus fuerit existimata, infinitis erroribus ex Historia sublatis, quibus Gentium primordia miserè fuêre perturbata. Vandelorum enim, Alanorum, Danorum, Suedanorum, Britanorum, Triballorum, Thracum, & plurimorum præter hos genus & lingua perdocetur; è quibus illud in lucem emergit, totam Orphicam Theologiam, & omnes priscas poëtarũ fabulas è Cimbrico sermone deriuatas esse, cùm Orpheum Thracem fuisse nemo nõ fateatur. Octauus liber propius ad eos nũc accedens, penes quos Cimmeriorũ nomen mansit, Amazonica exponit; in quibus æquè ac in ceteris, plurimi errores, præsertim Græcorum, refelluntur; & Athenæ & Sparta veros & primos suos conditores inueniunt, necdum à quoquam repertos. Amazonum enim, Sauromatarum, & Scytharum antiquitates omnes discutit, ad Poëtas & Historiographos intelligendos plurimum adferens vtilitatis, non citra voluptatem percipiendæ. Nonus à Themiscyra Amazonum vrbe, ad Venetos Asiaticos transit, & eos inde ad Troiam, & illinc rursus in Europam ad Adriam deducit infinito maiorem, ad nobilitatem eorum altissimè repetendam, cognitionem adferẽs, quàm vllus vnquam vel prodidit, vel cogitauit. His Venetos Gallos ad Oceanum, Venetos ad exordium Rheni adijcit; tandem

Vene-

Venedos ad mare Sarmaticum, ad vetustissimos natales deducit; atque inde cum Apolline ad Hyperboreos proficiscitur, omnem eorum regionem & regionis felicitatem perlustrans; qua peregrinatione absoluta, ad Cimbros redit, qui Cimbricam Cherronesum ad Oceanum condiderunt, & inde secundum eius litora ad Rhenum vsque promouêre sedes, quo tandem transmisso, in Thungrorum finibus Atuaticum condiderunt. Hoc igitur modo & hoc ordine ab Atuatico exorsus, ad primã Cimmeriorum habitationem ascẽdi, & ex ea rursus ad hanc vrbem per varias Cimmeriorum regiones, & eorum colonos deueni; circulari quodam ductu eò reuersus, vnde principio fueram pro-
negen. *gressus, in hoc circuitu nouenarij, qui libros numerat, naturam sequendo, cuius nomen sic nostrates & scribunt & pronunciãt, vt siue à fine, siue à principio vel legatur, vel audiatur, eiusdem maneat cùm soni, tum significationis. His enim libris non vlterius Antwerpianorum antiquitatem complector, quàm Atuaticorum exigat propago. Qui quamuis longa seruitute sub Romanorum iugo cum finitimis pressi fuissent; nunquam tamen linguam suam commutarunt; & idcirco à Tacito Germani Neruijs proximi sunt vocati. Ab his Franci, vt verisimile est, & inuitati, & contra Romanos strenuè adiuti, propterea quòd eiusdem & sermonis & generis Cimbrici essent, secundam nobilitatem huic regioni ex eadẽ stirpe intulerunt; à quibus Francorum regnum primordia sua ducit; licet alij perperam & contra veterum auctoritatem in Franconia primos clarissimæ gentis natales quærant, contra quos in ijs disputabo; quæ si ex aduersarijs meis, vt constitui, in lucem proferam, Francicæ gentis nobilitatem longè facient, quàm quisquam hactenus existimarit, & vetustiorem, & longiorem, vnà secum adductura ingens lumen, ad plurima Poëtarum & Historiographorum loca clarius & verius interpretanda, quàm quisquam Græcorum ad hanc vsque ætatem vel fecerit, vel attentarit. Atque hæc quidem*

dem omnia tum nouem his libris comprehensa, tum in Francicis pòst addenda, de Cimmerijs ijs solis traduntur, qui Fano in Italiam nauiganti, comites non fuêre. De his enim in Ogygia Romanorum et Gallorum antiquitate necdum à quoquam verè prodita, dicendum; si quis modò alacritatem meam hac temporum hominumque iniquitate ferè exstinctam, benignitate & fauore suo dignabitur nonnihil excitare. Quæsiuêre multi, & veteres & recentiores, Romanas origines; sed hos omnes, si reuiuiscerent, docerem, toto eos cælo aberrasse; nec plus in Gallicis à quoquam præstitum, in quibus perinde atque in ceteris, omnium antiquariorum oculi maiorẽ in modum hallucinantur, quamuis alij Celtopædias, alij Troianas nugas tanta nobis audacia obtrudant, vt se prius, quàm alios, videantur fefellisse, si quæ falsissima sunt, quæque pro veris venditant, sibi antè persuaserint. Quamobrem, Senatores Antwerpiani, vestrum erit, & ea, quæ modò à me offerũtur, grato animo suscipere, & ad illa, quæ restant, studia nostra inflamare; quo, quemadmodum vrbs vestra mercatu toti Europæ, immò toti orbi plurimũ adfert commoditatis, vel ad pecuniam faciendam, vel ad ea, quibus opus est, acquirenda; ita hoc etiam ei debeatur, quòd quamplurimis gentibus veros suos natales opera mea monstrauerit, quos alioqui fuissent perpetuò fortassis ignoraturi. Equidem cùm Antwerpiam florentẽ considero, totius orbis cõpendium mihi videor intueri. Nam cùm alibi alia sint in admiratione, vt singulis ferè ciuitatibus dotes quædam sint peculiares, hic omnium eorum, quæ toto orbe vel nascuntur, vel ab arte fiunt, spectaculum & copia offertur, adeò, vt quàm diu pax & bonæ leges viguerunt, nusquam gentium beatior iucundiorque vita potuerit inueniri. Et si comparatio ad reliquas ciuitates eximias fieret, possent illæ quidem aliæ ob aliud laudari & præferri; sed si ad honestam & liberam sine noxa vitæ suauitatem spectetur, hæc dici paradisus voluptatis suo iure posset.

Ea enim est ciuium simplicitas, is candor, ea in cõuictu hilaritas ad summam vsque senectam perdurans, vt Brabantorũ mores in prouerbiũ abiuerint, quo dici consueuit, eos tanto euadere stultiores; quanto fierent seniores; quod minimè ad insulsitatem referendũ, sed ad risum & iucunditatẽ & oblectamenta, quibus prudentissima quadam stultitia tanto lubentius indulgent, quãto ad ea minus temporis supereſſe credunt. Erga exteros nusquã gentium maior hospitalitas, nusquam frequentior, nusquã dulcior ciuium inter ipsos cõuersatio, in qua nec leporis, nec ioci, nec fabularum, nec cantionũ, nec chorearum etiam condimenta desiderantur. His accedit tanta vrbis elegantia, tantus vicorum splendor, tanta domorũ commoditas & ornatus, tanta supellectilis & copia & mundicies, tanta suburbanorũ amœnitas, & ædificiorũ in ijs magnificentia, vt regũ, nõ ciuiũ esse videantur; in quorũ hortis crescentium varietatẽ si describendam mihi sumerẽ, integrum naturalis Historiæ volumẽ esset implendũ, cùm nihil ferè vsquã sit herbarũ, quod hîc nõ studiosè, nõ à pharmacopolis modò, sed ab aliis etiã ciuibus cultũ reperiatur: nõ exiguo id quidẽ sumptu, nec ad aliud, quàm ad oblectamentũ è plantarum contemplatione percipiendũ. Sed tam insana propè est cognoscendi genti huic cupido, vt ea in parte omnes alias nationes superare videatur. Hinc & illud est, vt nullius regionis homines lubentius longas variasq; peregrinationes suscipiant, non ad aliud quàm ad regionum diuersitatẽ, & hominum mores coràm intuendos. Nam lubenter Italis par studium mercaturæ eiusq; cauſſa longinquas etiam profectiones concedimus; sed negamus eos longè euagari ad liberalem variarũ rerum cognitionẽ, quam priuato quodam inter gentes iure nostratibus vindicamus; apud quos, extra etiam numerum mercatorũ, nemo ferè ingenuus inuenitur, qui nõ tres, quatuor, quinque, & plures etiam diuersas linguas perdidicerit. qua in re id mirari sæpè soleo, tantam iis esse enunciandi dexteritatẽ, vt in peregrino sermone non solœcisent,

sent, sed germanam genuinamq; in ea seruent & dictionem & pronunciationem; quod in alia natione difficile sit inuenire. Sed hæc de ijs ab exteris malo prædicari, ne cæco nostri amore extra veritatẽ rapi videamur. Cùm igitur tales nostrates sint aliarum etiam gentium confessione, putaui me gratissimam ipsis rem facturum, si ea communicassem, quæ nouam eis generis sui adferrent cognitionem. Qui enim rerum peregrinarũ tam sunt auidi, quanta credemus siti teneri eorum, quæ cũ ad gentis vetustissima initia spectent, hactenus tamen à nemine sunt animaduersa, nedum explicata! Verùm quid? dicet quisquam vestrûm, an tu ea legisti, quæ nemo mortalium antea vidit? an fortassis somnia tua nobis venditabis? Equidẽ neque somnia, neque fabulas obtrudam, neq; ea legi, quæ ante me lecta non sunt; sed illud profiteor, me ipsis illis legendis, quæ doctorũ hominũ manibus passim teruntur, illa enucleasse, quæ nemo inde hactenus colligere quiuit. Neque id sanè mirandum, cùm multa hactenus in ipsis rebus lateant, quæ necdum sunt apertè cognita, tametsi obscuris quibusdam notis ab auctoribus sint indicata. Deinde non absurdum est, principia quidem sciri; illa verò, quæ ex iis necessaria collectione ducuntur, ignorari, ita vt idem quodammodo sciatur in vniuersali, & in particulari ignoretur; quod & Aristoteles in Analyticis suis tradit. Jam aurum & argentum plurimis inest venis, è quibus nunquam est eductum, vel quia impensa superaret vtilitatem, vel quia necdum eæ cognitæ fuerunt. Nos igitur ex eisdem auctoribus, quos classicos omnes habent, & idoneos testes, alia longè eruemus, quàm in ijs latêre quisquam hactenus sit suspicatus. Jn ea autem re præter reliquam diligentiam, quam spero vobis, quanta est; tantam visum iri, illud etiam adhibuimus adiumentum, quo omnes video priores caruisse. Vt enim nostrates peregrini sermonis sunt studiosissimi; ita suam linguam veluti plebeiam & vilem contempserunt; è qua tamen

ego veras Ianigenarum & Cimmeriorum omnium origines deduxi, ea non aliter vsus atque manu Mercuriali, quæ mihi ad secretissima Theologiæ etantiquitatum arcana viam ostendit, ab omnibus, quotquot post Orphicos fuerunt, ignoratam. Illius enim tam varium, tam multiplex est artificiū, tam admirabilis vis ad veritatem perspiciēdam, vt in ea sola id inueniatur obseruatū, in quo Plato dixit linguæ cōtineri perfectionem. Est enim ea omnis Magia, nō illa quidem vana ineptorum homuncionum, sed vera, quam diuinus ille vir quæsiuit, consignata è rerum omnium cognatione, ad ipsum vnum mentē nostram certissimis indiciis, & nunquam fallentibus perducens, in quo vltimus est finis cognitionis humanæ. Hoc itaque mihi videor consecutus, vt vrbi vestræ omnes hoc sint debituri, quòd posthac clarissimos suos natales extra fabulas & caliginem sint inspecturi; atque ita Antwerpia non venalium modò rerum & copia & varietate, & præterea vitæ dulcedine ceteris ciuitatibus sit anteferenda; sed sit etiam habitura eam antiquitatis suæ descriptionem, in qua omnes, tanquā in Panegyri quadam, nobilitatis suæ primordia sint reperturi. Inuito itaq; ad hunc mercatum vestrum omnes quotquot sunt vel Historiæ, vel Poëtices, vel sacrarum etiam litterarum studiosi, quo affatim & gratis ea domum reportent, quæ generosissimo cuique animo maximo in precio semper habita fuerunt.

LÆVI-

LÆVINI TORRENTII, IN IOANNIS GOROPII BECANI ORIGINVM LIBROS, CARMEN LYRICVM.

BECANE *noſtris Atuaticos docens*
Regnaſſe terris flumine nobili,
Qua Scaldis obluctatur ingens
Oceani violenter vndis:
Quaque illa iactis molibus arduis
Anuerſa litus promouet, vrbium
Regina, quas fors & beato
Mercurius locupletat auro:
Non quo priores Hiſtoriam ferè
Finxêre pacto, tu quoque ſomnias
Portenta, quæ narrante matre
Attoniti ſtupeant alumni:
Nec ſola noſti Pergama Achaicis
Vaſtata flammis: quò referunt genus,
Qui ſola peruulgata norunt,
Nec propriam meruêre laudem:
Priſcas ſed artes doctus, & ingeni
Prædiues, almæ Palladis in ſinu
Nutritus, Aſcræis ſub antris,
Threicio meditata vati,
Et ſacra Moſi tradita, dum pius
Seruas ab alto tanquam Helicen mari,
Das vela ventis, & ſecundo
Peruolitas vada ſalſa curſu.
Nec vaſta Syrtis, nec Breuia hic tibi,
Aut monſtra, firmæ quæ metuas rati,
Quam Caſtorum tutela fulgens
Omnibus eripiet periclis.

Viſenda tellus, quam vacuis ſibi
Delegit oris ille hominum parens,
Cùm Numinis placaſſet iram,
Fœdaque diluuies apertis
Ceſsiſſet agris. liber enim metu,
Formoſa quamuis arboribus iuga,
Qua Caucaſus conſurgit ingens,
Et ſcopuli minitantur aſtris,
Dilecta dudum, & parta quibus ſalus,
Mutare quærens mitibus aſpera,
Reliquit: ac ſubiecta cernens
Flumina, triticeosque campos,
His ſedit aruis, hæc coluit loca.
Hinc Bactra coctis inclyta frugibus,
Margusque, Iaxartesque, & ille
Vndiſono ferus Oxus amne,
Quem Tauriformis nomine conſecres:
Vallemque Parniſi ad ſuperos feras,
Nyſamque, felicemque Merum
Nectareo celebres liquore.
Occurret illic vitiſator ſenex,
Quem ritè multis indigetes modis
Tot nominum ſplendore clarum,
Quot variæ meruêre laudes.
Is te madentem muneribus ſuis,
Vinctumque ſacro tempora pampino
Admittet vmbroſis in antris,
Cum Satyris leuibusque Nymphis
Arcana rerum diſcere, nec bene
Digeſta priſci tempora ſæculi:
Quæ conditor narrabit ipſe,
Ipſe ſuos referet nepotes

Latè

Latè per orbem nomen in vltimas
Sparsisse terras: Ianigenas tamen
Virtute præstantes auita
Præcipuo recolens honore.
Quos inter Argiuûm inuidia graui
Cæco latentes Cimmerios specu
(Sic iussus) educes Auerno
Ad superas animosus auras.
Tu sacra genti tu solitum decus,
Ritusque reddes; nec sine numine,
Legesque, laudatosque mores,
Et veteres reuocabis artes.
Quid regna dicam condita, dum pijs
Nituntur armis Barbariam vt doment,
Et Marte freti, & Martis acrem
Harmonia moderante bilem?
Conside. quò non viuida te ferat
Virtus! sequentur Cimmerij ducem
Quacunque præcedes, malasque
Haud iterum metuent tenebras.
Iam Dacus asper, iam rigidus Geta,
Iam paret audax Sarmata. quid Sacæ?
Quid Saxsones? iam nota Thule
Nouerit, & genus, & parentes.
Ipsa illa tantis inclyta laudibus
Accedet vltro Græcia, originem
Spartæque Athenarumque iam nunc
Ad Scythicas referens pruinas.
Sed, heus, paterni te reuocant lares,
Ortique Cimbris Atuatici. ratem
Huc verte. quantumuis superbo
Materiæ satis est triumpho.

IN IOAN. GOROPII BECANI BECCESELANA.

Gerartus Falkenburgius Nouiomagus.

Ὁ φθόνος εἶπε χορῷ μουσάων· βεκκεσέληνα
Οὐκ ἄγαμαι πλήρη κιμμερίοιο ζόφου.
Κιμμερίου πίσυνος μανιώδεϊ δαίμονος οἴστρῳ
Παίγνια Βεκκανὸς βεκκεσέληνα κάμεν·
Αγρότεροι δὲ ἔασιν ὅσα ψεύδονται ὄνειροι,
Τῆς κεφαλῆς οἴνῳ ἄρτι βαρυνομένης·
Τῷ φθόνῳ αἱ μοῦσαι πολυμεμφέα μῦθον ἔειπον·
Ἐῤῥε κακῶς ἀρετῇ θηρίον ἀντίπαλον·
Οὐκ ἄρα κιμμερίου μελανίφρονι δαίμονος ὀμφῇ
Θέσφατα Βεκκανὸς βεκκεσέληνα γράφεν·
Αλλ' εὐθημοσύνῃ πινυτόφρονι πρῶτος ἔφῃνε
Μυελὸν ἀρχεγόνου κρήγυον ἱστορίης·
Εὗρε παλαιγενέων διζήμενος ἤθεα λαῶν,
Θρησκείην, γῆρυν, πλαγκτοσύνης τε στροφάς·
Καὶ ὡς γλῶσσ' ἀνδρῶν ἐμέμικτο ποτ' ἠδὲ γυναικῶν,
Ως τότε κιμμερίων οὐκ ἐμέμικτο θρόος·
Γραπτὰ καταυγάζει θεοπνεύστων δύσκολα βίβλων,
Αἶθ' ἑρμηνευτῶν οὐδ' ἐνόησεν εἷς·
Κρυπτά τ' ἀοιδοπόλων δνοφερῇ μυστήρια σιγῇ
Αμφί τε τοῦ θνητοῦ ἀθανάτου τε γένους·
Κιμβριακῆς πηγὴν δεῖξεν πολυθελγέα γλώσσης,
Αλλόθρο' ἧς ἔθνη πολλὰ ῥέεθρα λάχον·
Εν τέλει, ἥδε βίβλος φιλαληθέσι πᾶσιν ἐτύχθη
Λυδίη ἱστορικῆς πέτρη ἐτητυμίης·
Οὐδὲ τάδ' ἀλλοτρίοις μὲν ἐφεζόμενος καμάτοισιν,
Αὐτὰρ ἑοῦ τεῦξεν τῇ πινυτῇ τι νόου·
Ταῦτ' ἀπὸ κιμβρογενοῦς φιλομούσου ἀνέρος ἐσθλοῦ,
Ταῦτ' ἀπὸ κιμμερίων ἤλυθεν ἐς τὸ φάος·
Τοὔνεκεν ὑμμείων τροφίμῳ βέλγαι χάριν ἴστε,
Ιστε χάριν δολιχῆς ἔθνεα πάντα χθονός·

AD

AD CHRISTOPH. PLANTINVM, TYPOGRAPHVM.

Cvm Plantine typis tuis probatis
Excellas adeò; vt per orbis amplum
Orbem, sunt quot, erunt, quot aut fuêre,
Qui prælo aureolos dedêre libros
In lucem, superes, & arte vincas:
Mirè mi placuit, tuis quòd istis
Formis, tam nitidis, politulisque,
Charta tam nitida, politulaque,
Excudi celeberrimum viderem
Opus Goropij optimi, diserti,
Hinc vestrûm mihi gratulari vtrique
Est visum ex animo. tibi, quòd eius
Tam rarum edere contigit volumen:
Quo nil clarius, eruditiúsue
Quidquam, iudicio bonorum: at illi,
Hoc quòd prodijt ex tua officina
Præclara, omnibus atque præferenda.
Cunctis præterea bene eruditis
Multum gratulor: incidisse in ista
Illos tempora, turbulenta quamuis;
Fortunata tamen. datum quòd illis,
Raris deliciis frui his, simulque
Mirari ingenium, eruditionem
Raram Goropij, reconditamque.

A. Grapheus.

ARGVMENTA LIBRORVM ORIGINVM I. GOROPII BECANI.

I.

Primus agit Belgas omnes ad nomina priſca,
Atuatici quò ſint Antwerpi iudice quouis.
Hîc Cæſar Tacitusque capit lucemque decusque.
Hîc Mars & Pallas nomen templumq; reposcunt.

II.

Nobile Brabanti nomen tenet alter, & Arcam
Format, comminuensi mmania membra Gigantum,
Securumque iubet ſenij conſiſtere mundum,
Cùm tamen æthereis omnem neget ignibus eſcam.

III.

Atuaticum Ægyptumque negat vi fluminis ortam
Tertius, & cauſſam renouat, qua Nilus inundet,
Antiquumque decus, tenebris cedentibus, addit
Cimbris Oceanum ſolitis inuadere ferro.

IV.

Nec mundi ætatem, nec Saturnalia quartus
Negligit, antè nouem ſcriptorum nomina delens,
Priſcos Roma tibi ritus ad pilea priſca
Nunc reuocans dominis erroribus arte ſubactis.

V.

Quintus Adame tuos ortus, & amœna vireta
Frondoſasque ſpecus aperit, Noachoque parandæ
Arcæ deſignat ſiluas, eiusque quietem,
Poſtque abigit curas Nyſæis ebrius vuis.

VI.

Ortam è Cimmerijs gentem docet eſſe Sacarum
Sextus, Saxſonicos eadem ad primordia ducens,
Æternosque ignes repetens Anaitida iungit
Aſſeclis, redditque pijs bacchanda Sacæa.

Vanda-

VII.

Vandalicos, Gotos, Gepidas, Abaros, & Alanos
Septimus enumerat, fatalia nomina Romæ,
Quamuis Zamolxin colerent sanctum, & Gebeleizin,
Et pappare docet pueros, atque Atta vocare.

VIII.

Concitat octauus lunatis agmina peltis,
Quò sit Athenarum Spartanæque arcis origo
Nota, suumque iterum nunc Terea calculus ornet,
Atque Themis doceat sua per vestigia rectum.

IX.

Per Venetos nonus multum spatiatus, & vndas
Eridani varias, veros Diomedis honores
Inuenit, & frenos animi pelagique furentis
Castoribus tradit, resonant vbi fana Timauo.
Altera pars sedes demonstrat Hyperboreorum,
Symbolicasque notas, teque ô Silene magistrum
Auriti Regis, Satyris mirantibus almum
Sub stipula panem, quo pastus viuit in æuum.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

Primus agit Belgas omnes ad nomina priſca,
Atuatici quò ſint Antwerpi iudice quouis.
Hîc Cæſar Tacitusque capit lucemque decusque.
Hîc Mars & Pallas nomen templumq; reposcunt.

IOAN. GOROPII BECANI

ATVATICA.

LIBER I.

INVESTIGATVRO MIHI vetuſtiſsimos Antwerpiæ conditores, & gentis primordia, à ſitu nobiliſsimæ vrbis exordiendum videtur; qui talis eſt, vt dextram Scaldis ripam, longo tractu mœnibus & turribus coronans, ab Oceano ſecundum flumē quindecim circiter milliaribus noſtratibus diſtet; quorum ſingula in terra tantum ſpacij complectuntur, quantum ſi expeditus pedes, ſtato & ordinario gradu, intra horam vnam abſoluat, & laboris ſatis ſit habiturus, & non nimium difficultatis. Verùm quia hæc rudis eſt & pinguis delineatio; accuratiùs celeberrimi in toto orbe mercatus poſitio, ad eorum regulam deſcribatur, qui ex cæleſtium circulorum inclinatione, & ſiderum ortu terrarum interualla metiuntur. Gemma Phryſius, in Mathematum rudimentis mihi quondam præceptor, Antwerpiæ vltra vnum & quinquaginta latitudinis gradus ſcrupulos octo & viginti adſcripſit: longitudinem autem, ſex & viginti temporum partibus, ſex & triginta minutiis primis terminauit. Nos tamen diligētiſsimè linea meridiana in plano priùs deſcripta, ac crebriùs examinata, ex frequēti Solaris ſupra finitorem circulum altitudinis obſeruatione deprehendimus, vltra vnum & quinquaginta gradus, vix viginti ſcrupulos primos latitudini eſſe tribuendos. Porrò longitudinem necdum comperi aliam eſſe, quàm eam, quæ à Phryſio eſt annotata: quanquam deliquium illud Solis, quod anno à Chriſti natali quarto & quinquageſimo, vltra milleſimum & quingenteſimum, hora paulò plus minus dimidiata, ante ſideris occaſum, menſis Iunij, die viceſimo, hîc è mœnibus clariſsimè cōſpexi, nonnihil hæſitare compulerit, propterea quòd Ephemerides à Stadio ad Antwerpiæ meridianum computatæ, eius nullam fecerint mētionem: quod calculine an Copernicearum hypotheſeôn vitio acciderit, nunc non laboro, ipſi aliíve cui ocium ſuppetit, hoc ſupputandum relinquens; non ignarus interim, Alphonſi tabulas in hac eclipſi ad veritatem propiùs acceſsiſſe; de quarum ſuffragio idem vrbis noſtræ à fortuna-

tarum insularum meridiano interuallum tantisper tenebimus, dum quisquam aliud ipsum esse demonstrarit. Sic itaq; vrbs omnium hac ætate clarissima, de cæli terræque comparatione posita intelligatur: quam Geographicam, in dimetiendis terrarum locis, rationem, si historiæ scriptores vbiq; secuti fuissent, vehementer regionũ omnium antiquitates illustrassent, nec nobis de priscis gentium opidorumq; nominibus tantam ambigendi digladiandique reliquissent occasionem. Porrò, quæ ad loci huius nostri naturam, totiusque agri faciem oculis subiiciendam spectant, ea paulatim cognoscentur, dum sua quæq; loco pro eo atq; opportunitas feret, explicabuntur. Iam quia ab ipso primo vrbis exordio, certum est antiquitates omnes, quoad eius fieri potest, repetere, principio quærendũ videtur, quænam gens hæc loca olim habitarit. Cùm igitur bipartitò ferè homines distribuant, ij qui primordia gentium inuestigant, examinanda est eorum opinio. Indigenas toto quidem genere eos esse dicunt, quorũ primos maiores, vt longissimè recensеas, nõ aliunde in eam regionem quam colunt, aduenêre: quos αὐτόχθονας Græci, & nonnunquam γηγένεις, Latini terrigenas Aboriginésve vocauerunt; licet aliter quidam, vt Halicarnassæus indicauit, Aborigines interpretentur. Hic enim Siculos Italiæ indigenas facit; & post hos docet, Aborigines easdẽ sedes occupasse: eos autẽ minimè indigenas fuisse, sed à Græcis oriundos, testificatione Sempronij & Catonis. Halicarnassæus itaque auctoritate Antiochi Syracusani & Pherecydis Atheniẽsis, Aborigines Oenotros genere Arcadicos fuisse colligit; sic dictos, quòd mõtes more Arcadũ prisco habitarẽt. Festus Aborigines appellatos dicit, quòd errãtes cõuenerint in agrũ, qui nũc est populi Romani, eámq; gentẽ Italiæ esse antiquissimã. Nos, qui ab ipsa prima origine terrã, quam tenẽt, habitarũt, eos Aborigines cõmuni voce, perinde atq; terrigenas dici arbitramur. Athenienses igitur, terrigenas sese esse, & prima gẽtis suæ semina, è Terra & Vulcano, obstetrice Minerua, accepta fuisse contendũt: & quò fidẽ fabulæ faciãt, sacerdotes Ægyptios testes producũt, qui annorũ mundi tam prodigi sunt dispẽsatores, vt ante Solonem, Athenienſibus nouẽ annorũ millia largiantur. Aristides in Panathenaico sic Atheniẽsibus adulatur, vt non ipsorũ modò primos parẽtes ex Attica producat, sed asserat huic regioni deberi omne genus humanũ: πρώτη γὰρ, φησὶν, ἤνεγκεν ἄνθρωπον καὶ πρώτη πατρίς ἐστιν ἀνθρώπου, id est, Prima enim, inquit, hominẽ tulit, & prima est hominis patria. Arcades, quò Atheniẽses in hoc certamine inferiores esse conuincerẽt, se ante Lunã creatã fuisse fabulãtur: adeò vbi fabulis semel carceres remoueris, nulla inuenitur meta mẽtiendi. Pausanias in Arcadicis

tradit

tradit multis placuisse, homines de putri humore vi Solis animato, primum natos esse, quos inter Arabes quidam secuti videntur. Varro in Eumenidibus Empedoclem ridet, quòd asseruerit hominem è terra tanquam blitum prodijsse, sententia non magis blitea quàm Eumenidibus siue furijs digna. Insaniores tamẽ illi vidẽtur, qui λαᾶς vocis qua populus Græcis vocatur allusione ducti, è cautibus homines fecere, ipsa figmenti duritate parum à lapidibus differentes. Paulominus durum est os eorum qui ex arboribus hominum initia ducunt, quorum somnia Virgilius quoque celebrauit: *Hominis absurda origo.*

Hæc nemora indigenæ, Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virum truncis, & duro robore nata.

Haud tamen ignoro quæ de arborum saxorumque in homines, & rursus de hominum in arbores & saxa transformatione Poetæ fabulantur, ea ad mores viuendique rationes traduci. Aristoteli minimè fuit necessarium ad hoc certamen descendere; eò quòd æternitatem induxerit; quæ principium excludit non hominis modò, sed omniũ etiam animantium cęterorum. Verùm qui sic statuit, ei necesse est fateri, vel animos hominum mortales esse, vel ad Pythagorę confugere πάλιγγενεσίαν, id est, vnius animi in multa corpora transitum; vel dicere, quod quidam somniarunt, vnam omnibus ab æterno mentem fuisse, quæ vti Sol per vitreas fenestras lumen, ita rationis vsum per organa & corporis instrumenta transfundat; vel quod æquè absurdum est, infinitas animorũ infinitates inducere; quod sic Aristoteli ipsi aduersatur, vt ne in numeris quidem abstractis, infinitum secundum entelechiam admittat. His igitur & eiusmodi fabularum labyrinthis implicantur, qui origines gentium primas inuestigarunt: quos tam ambitiosè plærique sequuntur, vt ne Francos quidem vereantur asserere, Germaniæ aborigines indigenásve esse. Verùm omnium horum nugas, diuina Mosis oracula falsitatis conuincunt; è quibus didicimus vnicum Adamum cum vxore indigenam eius terræ fuisse, in qua est creatus: reliquas omnes regiones non ab indigenis, sed ab ijs habitari, quorum parentes primi aliunde commigrarunt. Reiectis igitur Aboriginibus vel ad Mori Vtopiam, vel ad eam ciuitatem, quam Aristophanes bonis auibus in nubibus construxit, dicemus in altero hominum genere qui aliunde immigrarunt, maiores nostros contineri, & nõ indigenas, sed aduenas esse, οὐδ' ἀπὸ δρυὸς ἐστὶ παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης: id est, vt Homero succinamus Latinè, *Nec genus à petra ducunt, nec robore prisco.* *Palingenesia.* *Aeternitas.*

Quærendum igitur, qui primi, & vnde aduenerint, quibus originem nostram acceptam ferre debemus.

IVLIVS Cæsar inter Latinos primus hanc oram cum armis suis aperuit, tum elegantissimis suis commentarijs illustrauit: aiens Galliam Belgicam hanc quidem Rheno terminari, sed maximam eius partem à Germanis multo ante flumen transgressis, & occupatam fuisse & habitari. Quamobrem qui paulò pòst limites Galliæ & Germaniæ scriptis mandarunt, longè aliter censuerunt. Plinius vt diligentissimus harum regionum examinator, ita præmonstrator futurus omnium optimus, si viginti eius libri de rebus Germanicis scripti, ad nos peruenire fata permisissent: dixit Galliam à Germania Scaldi separari, & ad hoc vsque flumen à Cimbrica Cherroneso secundum littus Germanos diuersis nominibus habitare. Vox ipsa qua nobilissimus amnis vocatur, indicio nobis est sequestrum eum limitum fuisse. Est enim in vernaculo gentis nostræ sermone, discrimẽ notat, qua voce nihil immutata flumẽ quoq; nominatur. Antiquiores quadrato magis sono Scast pronunciasse videntur, quem & nos in præterito imperfecto retinemus: vt cùm dicimus, Het ſcaſt Heet, id est, multum differebat. Frequens est alioquin hominibus nostræ linguæ primam vocalem ad secundam, & hanc ad tertiam soni lenioris gratia transferre; quæ variatio in illis duntaxat recipienda, in quibus consuetudo, penes quam loquendi arbitrium est, eam admisit. Cæterùm quo gemina appellationis ratio videatur, meritò & ea causa Scaldis dici queat; quòd circa eum frequentissimæ controuersiæ inter finitimos soleant exoriri, alteris limites proferre, alteris veteres tueri contendentibus. Non dissimili de causa vetustiores Stabutam nominarunt; quæ vox à nostratę facta est Sta buten, id est, maneto extra: quę monitio vtriusque ripę hominibus æquè conueniebat, dum aduersarijs iuberent extra fines suos manere. Ex hac voce Græci antiquiores, quos Ptolomæus est sequutus, Tabudam fecerunt, suo more peregrina nomina corrumpentes, eò quòd origines & significata ignorarent. Nec porrò mirũ est huic potius amni quàm Rheno earum Galliæ & Germaniæ partium quæ ad Oceanum vergerent discrimen adscribi: quum Rhenus parte sui Galliæ viciniore in Mosam, & nomen & aquas deponat, atque Mosa rursus priùs in Scaldim infundatur, quàm ad Oceanum pertingat. Hæc enim fuit antiqua horum fluminum exoneratio, à qua ne hactenus quidem longè recesserunt. Eius rei certissimum est argumentum Scaldia insula, quæ à Scaldi & nomen & insulæ naturam suscepit, non à Mosa. Potius igitur Iulio dicendum fuisset Mosam in Scaldim, quàm Scaldim in Mosam transfundi, quamuis in re ipsa non tantum sit discrimen, quantum in modo loquendi vsitato. Cùm igitur Cæsaris testimonio

Scaldis, Galliæ & Germaniæ limes.

Scaldis etymon.

Stabuta.

Scaldia.

monio liqueat, hæc tria flumina prius commiſceri quàm in Oceanũ fluant, conſtetque inſulam maximam communi oſtio compræhenſam Scaldiam non Moſiam dici: confitendum eſt illi amni & nomen & dignationem manſiſſe, à quo inſula ſortitur appellationem. Et vero & rectiſsimo & optimo iure, ita veteribus video placuiſſe, vt Scaldis princeps haberetur; propterea quòd quamuis Rhenus & Moſa curſus ſui longitudine Scaldim ſuperarent; hic tamen ad octoginta paulo plus minus paſſuum millia ab Oceano diſtans tantus attolleretur, vt non amni, ſed freto ſimilis videretur cum amplitudine, tum præſertim profunditate, & altiſsimo æſtu, quo ab vndis marinis repulſus intumeſcit. Ad ipſam enim Antwerpiam maximarum holcadum ſic capax eſt, vt ex ipſa ripa, onuſtam nauim fluitantem quiuis poſsit intrare, pede tantum ſublato; quod nuſquam alibi tanto à mari interuallo eſt videre. Strabo portum ad Pharum maiorem cùm deſcribit, tam profundum eſſe dicit, ὡς τὴν μεγίστην νᾶυν ἐπὶ πλίμακος ὁρμεῖν, id eſt, vt maxima nauis ad ipſos vſque gradus, quibus ad mare deſcendebatur, ſtationem habere poſsit: quod interpres Latinus ineptè vertit, vt maxima nauis ſarmento teneatur. Quod igitur Straboni mirabile videbatur in portu Phari maiore, tantam altitudinem aquarum eſſe, vt maxima nauis ad ſcalas ſtare poſſet; id Antwerpiæ quotidie licet videre, vbi maximæ naues ripam contingunt, ita vt manibus liceat onera in terram deponere. Scaldis ergo, ſiue vetuſtiore nomine Stabuta, è quo Græci Tabuda fecerunt, tum ſua ipſius nomenclatura, tum Plinij teſtificatione, Germanię, Galliæque ad Oceanum limes veriſsimus fuit: quem Cæſar idcirco videtur neglexiſſe, quo prouinciam ſibi decretam ad Rhenum vſque dilataret. Dion libro hiſtoriæ ſuæ quinquageſimo, ni fallor, tertio, tempore Auguſti, illam etiam regionem Germaniæ nomine vocatam fuiſſe dicit, quæ cis Rhenum ſecundùm fluminis ripas, ad Oceanum vſque pertineret: atque id quidem quoniam à Germanis habitaretur. Eam bipartitam rurſus facit, non admiſſa ad hanc diuiſionem Germania Tranſrhenana, ſuperiorem & inferiorem; hanc quidem Oceano, illam verò fontibus Rheni viciniorem. Quamuis igitur Iulio Cæſari concedamus Galliæ Belgicæ partem inter Rhenum & Scaldim olim contentam fuiſſe, illud tamen tanto ſeculorum interuallo factum fuiſſe cernimus apud ipſum etiam Cæſarem, vt nullorum meminerit Gallorum, qui à Germanis eiecti fuiſſent. Quod igitur ſepultum eſt iam olim, nõ mouebo: illud quęram, quinam Germanorum Rhenum primi tranſiuerint, & has ſedes occuparint. Hoc ſi veteres auctores interrogare velim, primus inter eos occurret Tacitus, diligens ſanè in Germaniæ deſcribenda, adeò vt

Oſtia trium fluminum.

Scaldis profunditas.

Portus Phari.

Germaniæ Ciſrhenanæ partitio.

peculiarem ei librum dedicarit. Et percõmodè accidit,quòd Thungros primos fuisse dicat,qui Rhenum transgressi, hic sedes fixerunt. Docebo enim non ita multò pòst Atuaticum in Thungrorum finibus fuisse structum,quod in Antwerpiæ nomen aliquot pòst sæculis est commutatum. Eius igitur verba apponam, à paucis, vel potius à nemine,quod sciam,hactenus intellecta. Cæterùm, inquit, Germaniæ vocabulum recens & nuper additum,quoniam qui primũ Rhenum transgressi Gallos expulerunt, nunc Thungri, nunc Germani vocati sint: ita nationis nomen,non gentis, eualuisse paulatim, vt omnes primum à victore ob metum, mox à seipsis inuento nomine, Germani vocarentur. Ad hunc Cornelij Taciti locum, Althamerus studiosè eorum sententias collegit,qui de Germani nominis ratione quicquam litteris prodiderunt: in quorum numero, Strabo primarius sentit, ita Germanos vocari,quasi fratres essent Gallorum, voce ad Romanam originem relegata. Huic accedit, quamuis non omnino, Chonratus Celtis,duobus versiculis suam explicans opinionem:

Tacitus de Germanorum & Thungrorum appellatione hactenus non intellectus.

De ratione nominis Germanorum.

Germanos vocitant Itali, Graij sed Adelphos,
Quòd fratrum soleant inter se viuere more.

Sed vanum est,& nullis auctoribus nixum,Germanos apud Græcos vocari Adelphos: cùm æquè Græci atque Latini vno nomine Germanos vocarint. Æneas Siluius à germinando nomen duxit, conuenienter quidem Solino,qui diuitem hominum terram, & populis immensis frequentem, Germaniam esse scripsit. Erasmo Roterodamo non absurdum videbatur, si Germanorum gens ita vocaretur, quòd tota germana sit, & illud quod Græci τὸ γνήσιον dicunt, præ cæteris nationibus omnibus possideat: quam si cum reliquis conferas,inuenies minimum fuci,plurimum antiquæ sinceritatis & fidei, & rusticanæ,vt dici solet,veritatis obtinere. Longiùs ille recessit,qui Clementinis adiecit,Germanos dici, quasi gerentes immania. Poterant omnes isti videri aliquid dixisse, nisi omnes absurdo & absono principio sumpto,rationem nominis quæsiuissent. Quid enim absurdius & incredibilius,quàm Teuthonas à Romanis nouum sibi nomen petiuisse, atque id eo tempore, quo vix qui Romani essent, Germani cognoscere potuissent? Attamen si à Romanis fuisset omnino nomen datum, ad proximos certè primum veniisset, non ad illos qui ad Oceanum longè ab Alpibus sunt remoti. Verùm quis populus tam sit barbarus, & ab omni ratione & communi sensu sic alienus,vt nomine vocari velit,quod ab exteris, atque ijs hostibus, inditum fuisset? Iam Romani prouincijs etiam suis prisca nomina reliquerunt, tantum abest vt genti, nec dum cognitæ, legem ferrent,

qua

qua ſanciretur, vt Teuthones, deſerto nomine patrio & gentili, Germanos ſe vocarent ſermone peregrino, & à nemine Germanorũ intelligendo. Explosis igitur hiſce coniecturis, vt ridiculis & ineptis, ex ipſis Germanis ſciſcitemur, qua de cauſa ſeſe ita nominarint, depoſita non citra piaculum, vt videtur, primi conditoris appellatione. Et quia Thungri dicuntur primi fuiſſe, qui nouum nomen vſurparunt; rogetur Hubertus Thomas Leodius, ita Thungrorum vernaculus, vt magis eſſe vix poſſit. Is reſpõdebit, ſi iis quæ de Thungris & Eburonibus ſcripſit, velit cõſentire, *Germay* ſiue *Garmay* Teuthonorum lingua non aliud eſſe quàm prorſus virum, cui *Almay* ſignificandi vi idem ſit. Eiuſdem ſententiæ ſunt plerique Germani ſuperiores, non parùm ſibi hac nominis ſui interpretatione blandientes. Althamerus partim ſubſcribit, partim ab opinione diſcedit. In Germani nomine conſentit, in Allemanni nomine in diuerſa abit. Nos igitur quid inter hæc potiſsimùm tenendum putemus, de vera & vſitata lingua, oſtendemus. Equidem confiteor apud Græcos & Latinos rationes nominum tam difficiles eſſe inuentu, vt Varronis in hoc campo labor, multis ridendus potiùs, quàm probandus videatur: nec feliciùs ille videtur operam ſuam collocaſſe, qui magnum nobis Græcarum vocum Etymologicon dedit. Vterque tamen iudicio quidem meo laudandus, vt qui maximè: quia licet non omnia ſint conſecuti, tantum tamen præſtiterunt, quantum ſumma induſtria & acumine inuentionis ſingulari, quiſquam in illis linguis ſeſe aſſequi poſſe ſperaret. Cùm tamen Varrone in antiquitatis arcanis nihil Roma vnquam tulerit doctius; non videbor mihi malum ducem ſequutus, ſi exiſtimem, nec in noſtra lingua infrugiferam eſſe hanc originum inquiſitionem. Nec ægrè feram, ſi à maioribus quibuſdam & diuinioribus ingeniis ex alto deridear, quoniam tam minutis rebus, vti ipſi volunt, laboris aliquid vel potius atramenti & chartæ impẽdam, propterea quòd videam non doctiſſimum modò quemque Germanorum, ſed præter ceteros omnes eruditione inſignes, in Græcia etiam Platonem ſingulare philoſophiæ lumen, ſic in vocum originatione laboraſſe, vt totum ei librum conſecrarit. Cum hoc igitur malim contemni, & ludibrio ab eiuſmodi ſuperciliis elatis haberi, quàm cum ipſis illis ſæuis cenſoribus in litterarum regno ſceptrum tenere. Tantum autem abeſt, vt cum illis faciam, vt arbitrer in antiquitatum inueſtigatione, earum præcipuè, de quibus aut nihil aut parum, veterum ſcriptis memoriæ traditum habemus, in primis rationem habendam verarum in nominibus rationum. In his tamen quærendis, ſummam religionem adhiberi velim, ne quo

noſtra

noſtra ſtabiliamus, priſca nomina commutemus. Eſt enim integritas dictionum, omnium conſenſu recepta, non temerè adulteranda, niſi quantū ratio & proprietas ſermonis, è quo ſumptæ ſunt, permittet. Germani igitur nomen extra controuerſiam tam apud Græcos, quàm Latinos ab omni memoria ſic ſcriptum eſt & pronuntiatum, vt ab ea voce qua frater ex vtroque parēte Latinis vocatur, nihil diſcrepet: quod ex illo clarum eſt, quoniam omnes, ab ipſo vſque Strabone, vt Latinam dictionem ſunt interpretati. Cùm igitur nuſquam Garmanus per primam in prima ſyllaba vocalem ſcriptum reperiatur; nihil mihi egiſſe videntur, qui etymon huius vocis quæſiuerunt. Hîc non dubito, quin ſtatim ſim auditurus magnam eſſe Teuthonibus inter Alpha & Epſilon vicinitatem & cognationem, & in Dialectorum varietate alterum pro altero in vſum venire. Nō ſum equidem inſcius, rem ita habere, & conuerſiones has litterarum diligenter obſeruandas eſſe: nego tamen has admittendas, niſi recta & vſitata nominis ſcriptura, omnem laborem noſtrum ludificetur. At hîc nihil tale contingit, eò quòd nullius apud Germanos linguæ vſus admittat, vt idem Ser & Sar ſignificare dicatur: & quamuis quis obſtinatè contenderet, eſſe forſan alicubi, vbi eadem ſit vtriuſque ſignificatio; id tamen ad præſens propoſitum nequit applicari, in quo de Thungrorum, non de aliorum Teuthonum lingua, vox eſt exponenda; à quibus Tacitus inuentam poſitámque dicit. Reiicio ergo arrogantem illorum interpretationem, qui putant Germaniam totum virum ſignificare. Maiores illi noſtri Ariſtotelem, ſat ſcio, non legerunt; ex eiſdem tamen naturæ principiis nomina de fine potiſſimum imponenda eſſe intelligebant, vt ſecūdo de Anima libro Peripateticorum pueri docētur. Quis autem Teuthonis finis fuerit propoſitus, dum Galliam inuaderent, Cerealis apud Tacitum docet; cauſam ipſis, aiens, in Galliam tranſcendendi, auaritiam atque libidinem ſemper fuiſſe, vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fæcundiſsimum ſolum & ipſius ſoli indigenas poſsiderent. Cæſar item ſexto libro Commentariorum de bello Gallico, teſtatur, latrocinia apud Germanos nullam habere infamiam, quæ extra fines cuiuſque ciuitatis fiunt: quod videri minimè debet mirum, cùm Ariſtoteles bellum venationis quoddam genus eſſe dicat, quo non modò res, ſed homines etiam acquiruntur. Differt autem à ceteris quærendi artibus, quòd non à volentibus, ſed inuitis, lucrum quærat, perinde atque venator. Frequentiſsimus ſanè belli finis hic fuit, vt eo aliquid acquireretur. Quamobrem multitudo illa Teuthonum Rhenum tranſgreſſa non alia cauſa in vnum collecta fuit, quàm ſtudio poſſeſ-

ſiones.

siones nouas hominesque sibi acquirendi congregandiq;. Et vt vera semper atque simplex gens ea fuit, minimè dissimulauit qua gratia in Galliam venisset. Interrogati enim fortè ab illis, vt par est, quorum finibus irrumpebant, quinam essent, & qua causa aliena inuaderent, raperent, abigerentque? responderunt se Germanos esse, id est, viros congregandi corradendiq; studiosos. Ger enim duo significat, desidero, & congrego siue accumulo: Man verò vir dicitur. Vir itaque corradēdi desiderio captus, German propriè dicetur: ob quod se domo profectos in Galliam nomine suo Germani palam præ se ferebant. Quòd verò ita nomen sit interpretandum, ex ipsius Taciti verbis bene intellectis quiuis perspiciet, modò linguæ nostræ non sit prorsus ignarus. Quid enim aliud hoc sibi vult, eos qui primi Rhenum transgressi sunt, nunc Thungros, nunc Germanos vocatos fuisse, si non hoc vult, sine discrimine modò Thungros, modò Germanos dictos esse? Quid est igitur Thungeren? Non aliud nempe quàm ad se congregare atque conuerrere. Ger enim cōgregandi significatum habet; Thun, ad se, Latinè vertitur, numero tamen plurium. Thungeren itaque homines sunt omnia ad se conuerrentes. Thun autē dicitur syncoptos & compositi more nostris vsitato. Integrè effertur Tot hun, id est, ad se, vel ipsos. Verùm quia Thungeren ad se congregandi studium duntaxat notat, alios omnes quasi secludens, angustioris & vilioris animi propriū videtur, propterea quòd non nobis solis, sed patriæ & amicis quærere debeamus. Idcirco nomen Thungrorum in illis solis hæsit, qui illud sibi dederunt: Germani verò appellatio, alijs quoque placuit, quamuis nec in bello, nec in expeditione contra Gallos fuissent, quippe quo corradendi studium illud omnibus commune notaretur quidem, sed hoc ad se omnia rapiendi desiderium non exprimeretur. Germani itaque appellatione, cùm quærendi tantùm appetitionem quandam significet, qua finis omnis belli à Teuthonis suscipi consueti indicatur, non potuit vox inueniri quæ magis propria ipsorum videretur. Omnes igitur qui pòst Rhenum transgressi sunt, Germanos se vocarunt, nomen illud à primis contra Gallos trans Rhenum victoria potitis mutuati; quo metum incuterent. Deinde postquam & ipsi acquirere & corradere aliena cœpissent, à seipsis nomē hoc inuenerunt, id est, nomen illud quod antea mutuo sumpserant, meruerunt reapse in se ipsis iam nacti satis causæ ob quam Germani vocarentur: atque hoc est quod dicitur, eos à seipsis post nomen inuenisse: quia videlicet inuenerunt occasionem in seipsis ob quam Germani & essent & dicerentur. Pòst verò, cùm omnibus hoc studium placeret, cœperūt promiscuè

Vera ratio nominis Germanorum.

Thungri.

miſcuè omnes Germanos ſe nominare, tametſi in bello nunquam fuiſſent: & non immeritò ſanè, quòd omnes pari libidine aliena rapiendi tenerentur. Hanc Thungrorum & Germanorum interpretationem noſtram qui cum Taciti verbis examinabit, perſpicuè cernet ipſum à Teuthono aliquo hæc didiciſſe. Equidem ſoleo Virgilium vnicè admirari, non illo vulgari Grammaticorum more, ſed vt diuinum quendam vatem, & vt eum qui ſemper plus haberet in receſſu, quàm verba prima fronte præ ſe ferrent. Hic inducta Latinorum perſona, ſic Germanos, vt nemo vnquã vel veriùs vel breuiùs, paucis hiſce verſibus deſcripſit.

Virgilij locus inſignis.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant;
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu:
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus,
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, verſaque iuuencùm
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

In his cum Iulio Cæſare Germanorum mores ſexto Commentariorum belli Gallici deſcribente, ita conſentit, vt vix credere poſſim quin ex ipſo hauſerit quod Latinis ſuis vetuſtis affingeret. Quod enim dixit de vndis quibus non ſecus atque faber ferrum, cùm tenelli in lucem prodierunt, indurant, id certiſsimum eſt indicium, de Germanorum moribus pigmenta ad Latinos Poëtam tranſtuliſſe. Id enim cùm plurimis aliorum teſtimonijs conſtet Germanorum proprium fuiſſe, tum vni Galeno ſatis credidiſſem, nõ magis, vt equidem opinor, in barbaram hanc, qualis ei viſa eſt, conſuetudinẽ, quàm in ipſum Ariſtotelem inuecto, qui libro Politicorum ſeptimo de prima infantium educatione tractans, eam videtur comprobaſſe, dicẽs, conferre ſtatim à pueritia frigori aſſueſcere, eò quòd & ad ſanitatem & ad rem militarem conducat; atque idcirco apud multos barbarorũ conſuetudinem habere; hos quidem, vt gelido flumini fœtus immergant; illos verò, vt exiguo & tenui veſtitu eos tegant, quemadmodũ apud Celtas licet videre: ad cuncta enim ea quæ fieri quidem poſſunt, ſatius eſt ab ipſo ſtatim principio aſſueſcere: eſſe autem eam puerorum naturam, vt propter innatum calorem apta ſit quæ ad frigus exerceatur. His ſi Galeni ſollicitam & delicatam & planè Aſianam ſententiam

tiam conferas, ſtatim eluceſcet, & Ariſtotelem Tacito & diſsimulato nomine verberari, & interpretem Latinum non ſatis rectè pro Celtis Gallos poſuiſſe. Loquatur igitur ſed Latinè & quidē Linacri verbis, ne ſi Grecè dicat, bis ſint eadem audienda. Apud Germanos enim, inquit, planè ne nutriri quidem infantes contenderim. Verùm nos neque Germanis, neque alijs agreſtibus, aut barbaris hominibus, hæc prodimus; non magis equidem quàm vrſis, apris, leonibus, aut alijs id genus; ſed Græcis & ijs, qui, tametſi genere ſunt barbari, Græcorū tamen æmulantur ſtudia. Nam quis quæſo noſtrum tulerit, modò editum infantulum etiam ab vtero calentem, ad flumen deferre, ibique ſicut Germanos aiunt, ceu candēs ſit ferrum in frigidum humorem mergendo, ſimul de naturæ vigore periculum facere, ſimul corpus ipſum roborare? Pluribus Galenus in hanc conſuetudinem inuehitur; quæ breuitatis gratia omittens, hoc vnum hic animaduertendum propono, ab Ariſtotelis vſq; ætate cognitum Græcis Germanorum hunc ritum fuiſſe. Sidonius Apollinaris Thracum regioni & Cimbris eandem pueros frigore indurandi rationem attribuit, Virgilium in hoc furto velut ſimius imitatus, dum ſic in Panegyrico Antemij cantat.

Thracum terra tua eſt heroum fertilis ora;
Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix Cimbrica durat.

Verùm cuicui tandem ritus hic affingatur, illud extra dubium eſt, Germanis hunc morem peculiarem fuiſſe, vt infantes frigidis amnibus vel experirentur vel indurarent, qui in Græcorum epigrammatis latiùs declaratur:

θαρσάλεοι κελτοὶ ποθεμῷ ζηλήμονι ῥήνῳ
τέκνα θελγαντεύουσι, καὶ οὐ παρός εἰσι θεαὶ
πρὶν παῖν ἀθρήσωσι λελούμενον ὕδατι σεμνῷ.

reliquis verſibus omiſsis, quibus huius examinis modus latiùs deſcribitur, hoc ſic reddam.

Zelotypo audaces Celtæ ſua pignora Rheno
Explorant, non antè rati ſe poſſe parentes
Dici, quàm videant diuino flumine lota.

Idem Claudianus Germanis tribuit:

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Meminit & Nazianzenus.

κελτοὶ μὲν κρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις,
καὶ χρυσοῦ καθαροῦ ἄνθρακές εἰσι κρίσις.

Quod vertebam:

Cernitur vt purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite sic Rheni pignora Celta probat.

Perspicuum igitur est, non aliunde Virgilium hæc sibi sumpsisse, quàm à Germanis, quorum moribus antiquos Latinos voluit honorare, quo fortasse præsentis sui temporis molliciem taxaret. Reliqua quæ adiecit, ad amussim ita cum Cęsaris descriptione quadrant, vt ab illo mutuatus esse videatur. Hic enim omnem ipsis vitam in venationibus esse dicit, atque in studijs rei militaris; ab paruulis duritię ac labori studere, agros colere non proprios nec perpetuos, sed quos post annum sint relicturi, atque ita illud quasi obiter agere, hasta versa pro stimulo vtentes: latrocinia nullam apud illos infamiam habere si extra fines cuiusque ciuitatis fiant. Quocirca illud Tacito non assentior, quòd Germanos extra bellum ocio magis quàm venationibus indulgere scribat. Sed quorsum hæc sumitur opera in declarando Virgilium Latinis Germanorum laruam dedisse? Illuc, vt ostendam postrema versuum clausula, veram Germanorum nominis rationem, quasi digito à Poëta esse indicatam.

——Semperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Quid enim aliud est Germanus, quàm vir prædas conuectans? Diuinus Poëta non mores melius descripsit, quàm veram nominis originationem versibus suis intexuit. Vix ausim dicere, suspicor tamen eum, vt diligens fuit ad curiositatē vsque, hanc à Germano quopiam didicisse; & quia in vulgus nota non esset, tanquam gemmulam reliquæ descriptioni addidisse. Erit igitur Germanus, sua ipsius lingua, is qui desiderio tenetur congregandi. Quia autem hæc opum collectio extra fines cuiusque, Cæsaris testimonio, fiebat; citra bellum fieri non poterat: quo factum est, vt bellum quod Cęsar latrocinium infami voce nominauit, à fine quoque suo vocaretur. Quod enim Latini bellum, Germani Ger nominarunt; quo nihil aliud significatur, quàm conquisitio, siue opum conuectatio. Hoc nomine quamuis nostrates vti desierint, omnes tamen ij hactenus vtuntur, quos Germani armis coegerunt; ad Romanam linguam permutandam, & Theutonicis tum vocibus tum phrasibus inquinandam. Verùm, vt Latinam linguam, ita & nostram corruperunt. Nam pro Ger Guerram dicunt. Causa verò, ob quam in desuetudinem apud nos abierit, sic explicanda. Cùm Germani nomen omnibus in vniuersum daretur, etiam illis qui domi desiderent, nec res bello quærerent; visum est nouum nomen inuenire, quo illi soli vocarentur, qui nomen suum militiæ dedissent. Nam Germanus reuera nihil aliud erat, quàm vir militiam

Bellum à fine Gerra dicitur.

exercens

exercens, ad acquirenda ea quæ desideraret. Quæ vox cùm omnibus placeret, omnesque gauderent Germani vocari, necesse fuit aliud nomen fabricari, quo milites ab aliis distinguerentur. Hoc igitur sic fecerunt, vt sono quidem à Germani nomine differret, re tamen ipsa & significationis vi conueniret. Qui igitur ad bellum egrediebantur, Crygmanni sunt vocati, ab eodem scopo à quo Germani primùm sunt nominati. Nam Cryg apud nos nihil aliud est, quàm apud Latinos acquiro; ita vt non malè pro eodem vsurpari queat, pro quo anteà Ger dixerunt. Et quia belli finis Germanis in acquirendo erat, bellum Cryg nominarunt, qua voce hactenus nostrates vtuntur. Germani igitur nomen commune factum est, Crygmanni ad solos illos pertinet, qui militiæ sunt adscripti: quæ duo, quamuis significatu parum differant; vsu tamen differre cœperunt, postea quã ita visum fuit iis, qui imposuerunt. Ger igitur pro bello antiquiores vsurparunt, vt ex Italico, Gallico & Hispanico sermone facilè quiuis agnoscit; cui voci ea, quam dixi, causa, alterum nomen successit; è quo vel solo perspicuum fit, me veram rationem nominis Germanorum explicare. Ger igitur tria potissimùm apud veteres notabat; desidero nimirum, colligo, & bellum gero; atque id quidem, si vti verbum in agendi notione interpretemur. Nam eadem vox vti nomen in vsum venit, quo modo desiderium, congregationem & bellum significaret. Longè ergo aliud est Gar, quo Thungris siue nostratibus significatur id, quod integrum est atque totum: aliquando etiam quod maturum est siue percoctum. Althamerus cùm dixisset Ger & Gar idem esse, addidit quo facilius crederemus, Ger antiquorũ esse, Gar recentiorum; quod vt stabiliret, exemplis interpretatur, Gerhardum totum durum, Gerbrechtum totum celebrem, Gerwicum planè strenuum, Gertrudem prorsus amabilem, Gerbaldum totum celerem: quæ interpretatio si vera esset, non malè colligeretur Germanum esse totum virum. Sed vereor ne linguæ nostræ imperitia sit deceptus, è qua Germani etymologia, Taciti auctoritate, fuit petenda, quoniam Thungri ea sint locuti. Nos veras harum vocum origines explicabimus, ne quis scrupulus in animo cuiusquam possit hærere. Ad veteres enim auias, vt cum Satyrico loquar, è pulmone reuellendas, diligentia magna opus est, & omni cautione, ne qua radicula, quæ repullulare queat, relinquatur. Prius tamen monendum, sicut triplex diximus esse ipsius Ger significatum; ita triplicé quoque in omnibus posse dari interpretationem. Iam igitur quid est Gerhardus? corrupta certè ab Allemannis dictio. Nam Gerardus dicendum citra aspirationem, non Gerhardus, vt illi magno spiritu efflant.

Cryg.

Crygman.

Ger significata.

Sed vt hoc illis elargiar vtrunque dici posse, vtrunque interpretabor.

Gerardus. Gerhardus ergo cum aspiratione, is est, qui desiderat vel congregat duriciem aut animum; vel is qui cor habet vel duritiem ad bellum. Hart enim durum significat, & præterea cor, & ab illo ad animum transfertur: vt cùm dicimus, Hy en heeft gheen hart, id est, non habet animum. Sed hæc Gerhardi à duricie interpretatio, dura mihi videtur. Nos citra aspirationem Gerardum dicimus, atque ita interpretamur, vt eum esse dicamus, qui natura procliuis est ad opes conuerrendas, quique naturali belli studio tenetur. Ard enim id apud nos notat, quod cuique vel à natura, vel à parentibus inest. Ger-

Gerbrechtus. brechtus quare à celebritate Althamero dicatur, ipse viderit. Equidē Brecht, siue Bracht, siue Pracht, vti nunc pronunciamus, non celebritatem, sed pompam & fastum notare scio; nec aliud Auentinus ea voce intellexit, tametsi sermone diuerso à nobis vteretur. Sed hîc obiter notandum, magno in errore eos versari, qui eiusdem significationis esse credunt Gerbertum, & Gerbrechtum, Albertum & Albrechtum, Robertum & Robrechtum, atque ita in simili compositione Brecht & Bert promiscuè ponunt. Bert enim idem est quod Wert, ita ab illis fortè primò scriptum, qui vim duplicis w ignorarent. Et ne quis hoc meum solius commentum putet, Auentinum consulat, qui eodem modo, quo ego, Bert, dignum, interpretatur. Gerbrechtus igitur is dicetur, qui auidus est pompæ & fastus:

Brecht aliud quàm Bert notat.

Gerwicus. vel in alio Ger significatu, pompa & fastus belli. Gerwicus qua de causa strennuum reddiderit, Allemani exponant: nos wic, vigiliam & locum vigiliarum significare scimus, de quo alibi fortè plura. Gerwicus ergo dicetur, qui desiderio tenetur vigiliarū, vel in altera Ger notione, vigilia belli; quasi eum dicas, qui sua vigilia in bello, alios

Gertrudis. metu vacuos reddit, siue qui in bello vigilias egregiè obit. In Gertrudis nomine nescio vnde didicerit Tru amabilem significare, cùm extra controuersiam Tru fidem notet. Gertrudis igitur nihil aliud est, quàm cupida fidei, vel si aliud mauis Ger significatum, Gertrudis fides erit belli: nomen feminis ex eo tributum, quòd quæ bello parta essent, apud feminas, quæ vnà proficiscebantur, deponerentur.

Gerbaldus. Gerbaldus celer ad bellum, vel auidus celeritatis, vel is qui celer est ad congregandum. Ex his liquêre potest, nihil esse quo cogamur fateri, Ger antiquis pro Gar dictum fuisse, cùm melius hæc nomina modò explicata, rationem originis suæ tueantur, si Ger diuersæ sit, & non eiusdem, cum Gar significationis. Laudo sanè hoc nomine Auentinum, quòd non alia modò vocabula, melius quàm Althamerus, sit interpretatus, sed quòd in Germani quoque nomine, à communi

muni receptaque ſententia diſceſſerit: notans Ger idem eſſe quod auidum, atque ita Germanum eum dici, qui auidus ſit viri, id eſt, qui deſideret viro congredi, ſiue cum viro pugnam inire. Quamuis enim ad veram originem non aſpirarit; illud tamen doctè animaduertit, aliud eſſe Ger, aliud Gar. Cùm igitur Germanus, perpetuò & apud Latinos, & apud Græcos ſcriptum ſit, omnes illi aberrarunt, qui ſic ſunt interpretati, quaſi primam in prima ſyllaba vocalem communem cum Carmania haberet. Is qui rei litterariæ in Saxonia ſupremam ſedem tenuit, Teuthonicæ, & ſi Tacito credimus, Thungricæ voci originem Hebraicam quæſiuit, nihilo rectius quàm Strabo Latinam, atque ſic aſſignauit, vt Germanos Gerim Ani, id eſt, aduenas miſeros ſiue pauperes fecerit. Et certè pauperes meritò vocarentur, ſi tam inopem linguam haberent, vt aliunde ſibi nomen emendicare cogerentur. Poſtellus peregrinum ab Hebræis nominis ortum petiuit, non ſecùs ac ille, ſed multò generoſiorem. Putauit enim à Gomer dictos eſſe Gomeranos, ac deinde eliſione vnius vocalis & metatheſi ſecundæ conſonantis, è Gomeranis factos eſſe Germanos. Sed cùm ratio apertiſſima in Teuthonico ſermone ſit inuenta, nulla facta vocis immutatione, fruſtra laborant qui nomen Germani peregrinitatis accuſant, ad quoſcunque tandem referant natales. Hebræi certè Germanos Aſcanazim, non Germanos vocant, vti ſuo loco latiùs docebo. Verùm obiicere quiſquam poſſet falſum illud eſſe, quod Tacitus dixit, Germani nomẽ recens eſſe, atque nuper additum. inueniri enim apud Herodotum, in iis quæ de Perſis ſcripſit, Germanorum nomen cum Dacis & Sacis enumeratum. Huic reſpondeo, à Tacito videri recens eſſe; quia recens eius eſſet apud Gallos notitia. Deinde hac tantùm vtebantur appellatione, tum cùm in bello verſarentur. Quamdiu igitur vltra Rhenum ſe continebant, Germanorum nomine minimè noti Gallis fuêre: ſed tum demum Germanos ſe vocarunt, cùm Gallis bellum inferrent, vti de vocis origine ſatis eſt declaratum. Reſtat adhuc illorum ratio conuellenda, qui Germanum ideò totum virum dici putant, quoniam Alman & eiuſdem gentis nomen ſit, & eadem de cauſa tributum. In eo in primis errant, quòd eiuſdem gentis nomen eſſe credant. Vopiſcus in vita Proculi recentius Almani nomẽ quàm Germani facit. Alemannos, inquit, qui tunc adhuc Germani dicebãtur, non ſine gloriæ ſplendore contriuit, nunquam aliter quàm latrocinandi pugnans modo. Alemanni igitur poſt Probi imperium nomen ſunt ſortiti, & ſi anteà nominentur, per temporis anticipationem id fieri cenſemus perinde atque illud; *Lauinaque venit littora*;

Aſcanazim.

Germanorum nominis antiquitas.

Almanus.

Gramma-

Grammatici interpretãtur. In Trebellio Pollione Alemania & Germania diſtinguuntur his Marij verbis: Denique vt omnis Alemania, omnisque Germania cum cæteris, quæ adiacent, gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, vt ſpecialiter in nobis ferrum timeant. Qui verò Almani fuerint, ipſa vox nobis indicat, quæ virum omnis generis notat, vel vulgus ignobile. Alf enim omne, non totum aut integrum ſignat. Vulgus igitur ſine nomine Almani vocãtur, cui ſententiæ meæ Agathias lib. primo de bello Gotthorum opitulatur: Almani, inquit, ſi Aſinio Quadrato viro Italicenſi fides præſtanda eſt, qui res Germanorum diligẽter perſcripſit, aduentitij ſunt, & ex varia colluuione hominum conflati, quod ſanè ipſorum cognomento præfertur. Quid hac teſtificatione clarius, qua aſſeritur ipſo nomine ſignificari Almanos colluuiem eſſe, ex omni hominum genere collectam? Sic enim dicimus Alle manß Hoer, id eſt, ſcortum vulgare & cuiuſuis. Miror itaque, quî Beatus Rhenanus, cùm Aſinium Quadratum de etymologia laudaſſet, ſic vocabulum explicet, quaſi eo indicaretur omnes viros fuiſſe, atque ſtrennuos bellatores. Neque enim dixerat Aſinius, quia ſtrennui viri eſſent, ſic vocatos, ſed quòd omnis generis viri eſſent, in vnam colluuiem è variis nationibus congregati. Titus Liuius quarto quintæ Decadis libro, vrbis meminit Allemanæ ad Axium ſitæ, ad quã Perſeus, Gallorum per Illyricum effuſorum copias inuitauit, & inſigni auaritia à ſe auertit. An ea ab Allemanis quondam & condita fuerit, & nominata, mihi incertum: abſurdum certè non ſit ita cogitare, quando varij Gallorum Germanorumque errores, & locorum intercapedo, parum repugnare videatur. Atque hæc ſatis ſint de Alemani & Germani vera interpretatione; è quibus diſcere licet nobis Germani nominis originem acceptam ferre debere, quotquot ſe Germanos appellant. Ridiculi igitur illi fuerunt, qui Bononiæ, rixis propè cruentis, conati ſunt Brabantos communione nominis Germanici excludere; digniores ipſi ad quos à Thungris ſiue Brabantis nomen hoc nõ tranſiret. Vt ergo tandem cõcludam de Taciti ſentẽtia, Thungri primi fuêre Germanici nominis in Gallia auctores, in quorũ finibus Ptolomæus Atuaticũ collocauit; quod in Antwerpiæ nomen poſteà tranſiuit. Nos igitur & veri Germani ſumus, & vetuſtiſſimo Germanorum ſermone vtimur, & ſi quæ voces Germanicæ ſint interpretandæ, earum origo à noſtris eſt petenda. Hoc tamen diligenter obſeruandum ex his regionibus communionem nominis tam latè ſparſam, non ita multò pòſt fuiſſe, vt ad ſuperiores etiam, & longè ab Oceano remotos, appellatio pertineret; quorũ tamen ſermo

Allemana.

Brabanti.

longè

longè erat, quàm Thungrorum, rudior & aſperior, ſimilis nimirum Hercinij ſaltus horrori. Hinc hactenus etiam eadem aſperitas linguæ remanſit, crebris ſibilis & aſpirationibus ita à ſimplicitate & puritate Germanica recedens, vt à Thungris, niſi diu multumque aſſueuerint, non intelligatur. Hac vſus eſt Ariouiſtus, vt pòſt ſuo loco latiùs declarabo: vbi oſtendam, priſcam Germanicam & Gallicam eandem omninò fuiſſe linguam, niſi quòd formulâ loquendi, quæuis ferè ciuitas ab altera differat, tametſi lingua tota eadem habeatur. Noſtra igitur Germanica nominetur, quia ea illi vſi ſint, quibus Germanici nominis primitiæ debentur. Non eſt igitur mirum ſuperiores Germanos ſiue Allemanos, in pluribus vocibus interpretandis aberraſſe, atque adeò nomen ipſum, quo ſe maximè iactant, nunquam vel intellexiſſe, vel ad originem veram potuiſſe reuocare.

VERVM enimuerò, quando iam mihi videor ſatis demonſtraſſe Thungros primos fuiſſe, qui, pulſis Gallis, ſedes has citra Rhenum occuparũt; optarem equidem me poſſe de veterum ſcriptis tempus annotare, quo hæc contigerit commigratio. Qui commentaria in Tacitũ edidit, confeſſus ſe illud ignorare, compenſatione quadam ſatisfacere voluit Lectori; credẽs è quinto Titi Liuij libro ſe inueniſſe, quo tempore Germani primùm in Italiam venerint. Verùm in eo ſupinus error animaduertitur, quòd loco Cenomannorum Germanos legerit. Alia enim manus Cenomannorum, fautore Bellouefo Gallo, Alpes tranſiuit, non Germanorum. Neque enim Bellouefus Germanis, ſed ſuis fauebat. Quamuis igitur non conſtet, quando Thungri Galliam intrarint; neceſſe tamen eſt fateri commigrationẽ eam inſigniter antiquã fuiſſe: propterea quòd videamus illos etiam Germanos, qui poſt Thungros Rhenum tranſierunt, tempore Cæſaris, in validiſſimas populoſiſſimasque nationes coaluiſſe. In quorum numero, vt reliquos taceamus, Neruij fuerunt. Hos Thungri, vt veriſimilia ſequamur, facilè paſſi ſunt per regionẽ ſuam in vlteriorem Galliam penetrare, quo medios inter ſe & hoſtes haberent; atque eadem ratione cæteris quoque ad interiora Galliæ iter liberum dediſſe credo. atque hac maximè cauſa factum eſſe, vt Thungri ab hoſtibus longius remoti, paulatim ocio torpeſcerent, & Germanicæ virtutis, decorumque vetuſtorum ſenſim obliuiſcerẽtur. Videtur igitur tandem & alia manus Rhenum tranſmiſiſſe; qui quòd proxima quæque occupata eſſent, hinc à Thungris, illinc à Neruiis, & aliis diuerſis, eos inuaſerunt, quos putarent minimè ſtrennuos eſſe. Cum Thungris igitur frequentes concurſus leuiaque certamina commiſerunt: quo-

rum quia Thungros, iam diuturnæ quieti assuetos, tæderet; fœdera inita sunt, quibus pars Thungrici agri horridior, nouis daretur colonis. Iuramento igitur astricti, in viciniam Thungrorum sunt admissi, atque ea de causa Eburen nominati: qua voce vicini iureiurando deuincti notantur. Verùm nulla fides regni sociis, & nullum iuramentum tam sanctè conceptum, quod non regnandi causa negligatur. Thungros ergo diuitiis ocioque longo tandem emollescentes, & à laboribus belli ad inertiam, vt fieri rebus secundis solet, prolapsos; Eburones imperio exuerunt, atque eos in tantam detruserunt seruitutem & abiectionem, vt tempore Iulij Cæsaris vix quisquam eorum aut rationem habuerit, aut fecerit mentionem. Ceterùm iustissimus Dei oculus, nulla periuria finit inulta, licet supplicia nonnunquam diutius differantur. Eburones enim fœdifragos, non multò pòst Cimbri Atuatici variis calamitatibus fregerũt, atque eò tandem deduxêre necessitatis, vt Reges ipsorum vectigales sibi redderent. Nec eo contenti, ætate Cęsaris, Regis liberos obsides sibi tenebant, ne quemadmodum Thungros, ita & Cimbros periuriis suis fallerent. Quando itaque ad Cimbros ventum est, quorum postremus ante Iuliũ in Galliam fuit aduentus; nihil fuerit proposito nostro cõuenientius, quàm principio ipsum Cæsarem audire, eo loco, quo originem Atuaticorum exponit. Ipsi, inquit, de Atuaticis loquens, erant ex Cimbris Teuthonisque procreati: qui cùm iter in prouinciam nostram & Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis ac præsidio sex millia hominum vnà reliquerunt. Hi post eorum abitum multis annis à finitimis exagitati, cùm aliâs bellum inferrent, aliâs illatum defenderent, consensu eorũ omnium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt. Necesse igitur est, locum inuenire citra Rhenum, qui satis defendi aduersus omnes Belgas potuerit sex millium præsidio; atque eum quidem inter Eburones & Neruios, quo loco à Cæsare collocantur. Et vt Cæsar citra Rhenum locum designat, ita Ptolomæus vltra Tabudam siue Scaldim, Atuaticum in Thungrorum finibus inuenit. Iam Cæsar libro quinto maximam partem Eburonum inter Mosam & Rhenum habitare dixit. Infra hos autem citra Rhenum Menapios etiam collocauit; in quorum finibus quadraginta millia Germanorum cecîdit. Post Menapios citra Mosam Ambiuaritos esse dixit; quorum regio ad minimum vnius aut alterius diei equitationem continebat, vt ex illis liquet, quæ de equitibus Germanis ad Ambiuaritos transgressis commemorauit. Deinde ex itinere Ambiorigis ab Atuaticis ad

Eburones.

Origo Atuaticorum.

Ambiuariti.

Neruios

Neruios constat vix vnius diei interuallum fuisse, eò quòd postero die peruenisse dicatur. Dicimus itaque primum initium Atuaticorum inter Ambiuaritos, Neruios & Eburones fuisse, ad ipsum Scaldim, eo ipso loco quo nunc Antwerpia cernitur; quæ tum Atuatici nomine à Cimbrorum reliquiis sit condita, atque idcirco vetus nomen Atuaticum, recens esse Antwerpiam. Hæc quò perspicua fiant, de confessione omnium veterum scriptorum sumimus, Cimbros ad mare Germanicum habitasse, ab ipso Cherroneso, quæ Cimbrica vocatur, secundum litus extensos. Hinc igitur in Galliam profecturis, rectum iter & commodissimum fuit per Rheni ostia & Ambiuaritos, qua & hactenus mercatores Antwerpia ad Cimbricam Cherronesum proficiscuntur. Porrò Cæsaris auctoritate cogimur fateri, sex millia hominum satis fuisse, ad impedimentorum, quæ hîc deposuerant, custodiam: quod fieri nulla ratione potuisset, nisi loci alicuius natura tuti ab hostium insultu fuissent. Esset enim vnum de absurdissimis, sex millia præsidio relicta, sat vi ium habere potuisse ad sua defendenda contra ciuitatem Neruiorum potentissimam, & Eburonum reges, nisi singulari naturæ munimento vsi fuisse cogitarentur: cùm vix totus Cæsar tot legionum & auxiliorum copiis Neruios potuerit superare. Neque est quod quisquam suspicetur, pactione aliqua cõueniisse, tutis vt esse finibus his liceret. Hoc enim quo minus credi possit, ex iis efficitur, quæ Cæsar adiecit; bellis eos à finitimis diu fuisse vexatos. Quid ergo dicemus? Séxne hominum millia Neruios Belgarum fortissimos infestis armis lacessent? Eburones, qui Thungrorum opida & nomen oppresserunt, nõ vincent solum, & parte agrorum expellent; sed facient etiam sibi vectigales, eoque deducent, vt suspectam fidem obsidibus, & illis non quibusuis, sed regum liberis sancire cogantur, vt Iulius in Commentariis suis Eburonibus exprobrauit. Nec illud porrò ad veri speciem prætexi potest, tam numerosa sobole gentem hanc breui auctam fuisse, vt non par tantum, sed superior etiam suis finitimis euaserit. Nam quî fieri queat, vt intra vnam atque alteram, vel ad summum tertiam ætatem, eo multitudinis excreuerint, vt id quisquam possit suspicari. Quàm verò pridem in Galliam venissent, ex altero Cæsaris loco intelligemus, vbi à Rhemis quærit, quæ ciuitates, quantæque in armis essent. Cùm ab his quæreret, inquit, quæ ciuitates, quantæque in armis essent, & quid in bello possent, sic reperiebat: Pleroſque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, solosque qui patrum nostrorum memoria, omni Gallia vexata, Teuthones Cimbrosque intra fines suos

ingredi prohibuissent; qua ex re fieri vti earum rerum memoria, magnam sibi auctoritatem, magnosque spiritus in re militari sumerēt. Hæc ille: quibus Rhemi indicarunt patrum suorū memoria, Cimbros à Neruiis cæterisque Belgis, origine Germanis, repulsos abercitosque fuisse, ne per fines ipsorū iter haberent. Velleius Paterculus testis est, Cimbros & Teutones Rhenum transcendisse, circa ea tempora quibus Minutij res florebant, annis circiter quinquaginta ante Cæsaris consulatum, ante Christi natiuitatē, annis ferè septem aut octo vltra centum. Si igitur hoc Atuatici fuit, siue Antwerpiæ exordium, non est verisimile, in tam paucis pòst annis tanta incrementa cepisse, vt finitimos hominum numero vincerent. Quid quòd ne tum quidem Neruiorum numerum æquauerunt, quando Cæsari infelice successu restiterunt. Quocirca si non est par credere, eos hominum numero tantum potuisse, vt statim ab initio conditæ gentis vicinos lacesserent, plurimos superarent, aliis æquo Marte resisterent, reges etiam sibi subiugarēt: haud equidem scio; vnde vera hæc, quæ Cæsar memoriæ prodidit, videri possint, nisi ad insignem aliquam referantur loci opportunitatem, & singulare munimentum. Qui verò locus cogitari queat, si non illum fuisse dicamus, à quo hostes insuperabili difficultate arcerentur, & ea omnia quæ ad vitam sunt necessaria importari possent, hostibus omnibus inuitis? Atqui in meditullio regionis nulla sylua, nulla palus, rupes nulla, arx nulla, quamuis munitissima, has duas simul commoditates habere potest. Sunt in mediterraneis sic quædam natura sua inaccessa, vt breui illa quidē tempore expugnari non possint, sed queant tamen longa obsidione ad inediam, & rerum omnium inopiam cogi, præsertim vbi tanta est hostium obsidentium multitudo, quantam Neruij & Eburones contra vnum oppidum in armis habere potuissent. Si enim cincti vndique Atuatici fuissent, qui, rogo, commeatus potuisset inferri, aut quicquam eorum omnino, quæ obsidione longa pressis sunt necessaria? Nec sanè credendum, tam imprudentes Cimbros, reique militaris tam imperitos fuisse, vt illis angustiis impedimenta præsidiumque includerent, in quibus, nisi ex hostico raperent, fame emoriendum esset. Si igitur accuratè totius huius regionis situm, quæ Eburonum, Neruiorum & Ambiuaritorum erat media, consideremus, nullum locum inueniemus, hoc in quo Antwerpia condita est, impedimentis custodiendis aptiorem. Ab occidente enim latissimo, profundissimo, & æstuoso flumine claudebatur, & vt tum temporis res erant, vndique à flumine paludes inuiæ, altū illud in quo Antwerpia stat, fœda vligine cingebāt.

Quando Cimbri in Galliam venerint.

His

His accedebat ſyluarum horror, quarum reliquiæ hactenus ad ipſa prope mœnia contingunt. Adde, vt tum loca erãt aggeribus fortaſſe parum munita, longa per Ambiuaritorum fines æſtuaria. Sed præcipua ad defenſionem vis, in paludibus fuit, quæ vrbem hactenus ambiunt, quamuis induſtria & labore hominum altiores factæ, nũc læta paſcua iumentis præbeant. Nec alius ab Oceano Scaldim aduerſum ſubeuntibus prius locus occurrit in fluminis ripa habitationi commodus, qui citra aggerum munimenta, vndas excludat; quàm ad hunc tumulum venias, qui ab Arce noſtra ſiue Burgo ad Kielam vſque ſuburbanum pagum, modicè leniterque è flumine conſurgit. Ad hunc igitur cùm Cimbrorum multitudo peruenisſet, videretque locum natura munitiſſimũ, & commeatui importando per flumen idoneum, continuerunt ſe nonnihil, quo vlteriora, qualia eſſent, explorarent. Deprehenſum itaque alterum duorum eligendum, vel per apertos Neruiorum & reliquorum Belgarũ campos iter habendum, vel per aſperrimas Arduennæ difficultates exercitum ducendum eſſe. Prius ne facerent, virtute & numero Belgarum ſunt prohibiti, vti de Cæſaris verbis apertum feci: alterum verò non difficile modò & arduũ, ſed impoſſibile etiam & deſperandũ videbatur, propter magnam impedimentorum copiam, & grandem multitudinem eorum, qui vel per ætatem, vel per morbum tantis laboribus & ærumnis impares eſſent. Quid igitur facerent? Conſilium è re nata, & præſenti neceſsitate capiunt, vt imbellem multitudinem, & impedimentorum partem, citra ſyluam deponerẽt, ipſi deinde expediti, medios ſaltus penetrarent. Ad hanc enim vſque ripam ſylua Arduenna pertinebat, vt multæ hactenus laciniæ demonſtrant, quarum nunc etiam Berghemum, Wiltrycum, Artſelarum, Bomum, & nomina & monumenta ſeruant; atque deinde trans Ripelam flumẽ, Wiltbrocum, Blaeſvelt, atque alia loca ſyluoſa ad Sonium vſque nemus, ſatis teſtantur, quæ olim regionis facies fuerit, cùm necdum ſyluæ eſſent, ad arua magno labore comparatæ. Hac igitur rectum iter fuit per Arduennam, dum in patentes Rhemorum agros venirent. Qui verò exercitus ſit per ſyluas citra periculum ducendus, Cæſar docet his verbis, de Morinis agens: Reliquis deinceps diebus Cæſar ſyluas cædere inſtituit, & ne quis inermibus imprudentibuſque militibus ab latere impetus fieri poſſet, omnẽ eam materiam, quæ erat cæſa, conuerſam ad hoſtem collocabat; & pro vallo ad vtrumque latus extruebat incredibili celeritate, magno ſpacio, paucis diebus confecto. Hac quoque muniendi ratione aduerſus potentiſsimos vtrinque hoſtes, veriſimile eſt Cimbros Teutho- *Iter per ſiluas.*

noſque vſos fuiſſe: qua ex ſolertia hoc conſecuti videntur, vt non ipſi modò tuti progrederẽtur, ſed Atuaticis etiam quos reliquerãt, viam munirent ad ſedes ſurſum in Galliam à Scaldi promouendas. Atque hoc illud eſt, quod longo tractu Atuatici inter Neruios & Eburones ad Rhemorũ vſque fines exporrigantur, & Cameraceno Epiſcopatui alligẽtur. Et quoniam ſuperiores illi Romanorum armis coacti ſunt linguam vernaculam immutare, atque eam ſonare, quam victor docuiſſet, eoque prius Chriſti religioni ſint initiati; non mirum, ſi Rhemorum metropoli fuerint contributi. Atque hac cauſa Antwerpia, quamuis priſcum ſermonẽ integrum ſeruaſſet, multoque pòſt Chriſtianiſmum ſuſcepiſſet, eiuſdem tamen habita eſt diœceſeos, cuius Atuatici ſuperiores fuiſſent. Chriſtiani enim ſumma prudentia, qua omnes mutationes in Rep. periculoſas eſſe intelligebant, nihil in Romanorum diſtributione immutare voluerunt: quod Anacletus, ad Epiſcopos Italiæ ſcribens, latè declarat. Quicquid igitur in Brabantia ad diœceſim Cameracenam refertur, ditionis Atuaticorum olim fuit; adeò vt ipſi etiam Ambiuariti ex eo deprehendantur Atuaticorum ditionis fuiſſe, propterea quòd Turnhout eidem Epiſcopatui ſubſit. Quæ enim alia ratio maiores noſtros commouiſſet, vt Antwerpos ei diœceſi adſcriberent, cuius linguam non intelligerẽt, quæque longius quàm Thungrorum vel Neruiorum ſedes Epiſcopalis abeſſet? Iam alia erat cauſa, ob quam præter vicinitatem & linguæ communionem, Thungris videretur hæc vrbs tribuenda; eò quòd antiquitus in Thungrorum finibus, ab Atuaticis fuerit conſtituta, & idcirco à Ptolomæo Thungris adſcripta. Ptolomæum vetuſtas Græcorum tabulas ſecutum fuiſſe, Tabuda antiquum Scaldis nomen docet: diœceſeon verò diſtributio multò pòſt à Romanis eſt inducta, quàm illi tabulas ſuas edidiſſent, quos Ptolomæus eſt ſecutus. Vnica igitur ea eſt ratio, ob quã Antwerpia Cameraco, & eius medio Rhemis alligetur; quod cõuenientiſsimum moribus maiorũ videretur, vt qui ſub Romanis eiuſdem fuiſſent diœceſeos, ij ſub Chriſtianis quoq; Epiſcopis eiuſdẽ eſſent ditionis. Verùm enimuerò quo certiſsimè conſtet, Atuaticum priſcorũ Antwerpiam eſſe, Ptolomæus diligentius examinãdus eſt. Hic enim Græcos ſecutus, quòd à Romanis nihil adiumẽti, ad Geographiã accuratius explicãdam, allatum eſſet, totum hunc noſtrum terrarum tractum, non paulò magis quàm oportet, ad Occidentem & Septentrionem remouit. Verùm partium inter ipſas interualla, & commenſum non malè annotauit. Nam Tabudæ fluminis oſtiis tres & viginti in lõgitudine gradus, cum triginta minutis ſiue ſcrupulis primis admenſus, quatuor

Atuatici cur ſint Cameracenæ diœceſeos.

Diœceſes.

Quare Atuaticum Thungris ſit attributum.

Oſtiorum longitudo & latitudo.

& vi-

& viginti gradus, cum triginta item graduum ſexageſimis Atuatico aſſignauit, ita vt gradus vnius interuallo oſtia eſſent, quàm ipſa vrbs occaſui viciniora. Hoc ſi in circulo parallelo ſiue æquè diſtante ab æquatore, qui ductus ſit per verticem eorum, quibus mundi polus ad duos & quinquaginta gradus viſionis terminos ſuperat, ſupputemus, & ad milliaria Germanica, quæ quatuor Latinorum comprehendant, referamus; deprehendemus paulò plus minùs nouem milliaria continere, ſcrupuloſo minutiarum calculo neglecto. Atqui hodie quoque idem omnino eſt diſcrimen: quoniam Weſtcapelum, quod extremum eſt litus, quà in Oceanum Scaldis euoluitur, noue milliaribus noſtratibus maiuſculis ad Occidentem magis, quàm Antwerpia vergit. Quia verò multa ſunt oſtia, de eo locutus eſſe intelligitur, quòd Occidentis cardini eſſet propinquiſsimum. Weſtcapelum autem ab Occidente nomen accepit, quia omnibus Zelandiæ reliquis locis ſit occaſui vicinius. In latitudine item non eſt aberratum, cùm oſtia fluminis Arcto faciat, quàm ciuitatem propinquiora graduum ſcrupulis quadraginta, qui in meridiano pro eo ac fieri debet, computati, plus dant in terra ſpacij, quàm ſexaginta ſcrupuli in longitudinis collatione reddiderunt. Et vt in longitudine, quod maximè ad Occidentem ſpectaret, accepit: ita in latitudine illud eſt delineatum, quod maximè tenderet ad Septentrionem. Illud autem eſt, quod ſupra Scaldiam, inter Brielam & Goeredam verſus Arctos exoneratur. Cùm enim Rheni pars Walis nomine in Moſam, Moſa in Scaldim fluat, ex antiquorum deſcriptione, & ratione ea quam antea indicaui, non abſurdum ſit huic aquarum confuſioni, Scaldis oſtiorum nomen accommodare. Maximę enim naues per hæc oſtia non aliud flumen intrare poſſunt, quàm Scaldim, qui ſolus holcades ingentes admittit. Reuera igitur oſtia ſunt, & quaſi ianuæ quædam ex Oceano ad Scaldim ſubeundum. Quamobrem bene Ptolomæus decem circiter milliaribus tantis, quanta dixi, ſupremũ oſtiorum ad Arctum eleuauit. Ceterùm per frequentes inundationes Moſa nonnihil diuertit à Scaldi ad Septentrionem, cùm olim inter Stryam & Seuenbergam in Scaldim funderetur. Reſtat tamen hactenus alueus eodem tramite profundior, vt ij qui illac nauigant, eius ignari eſſe non poſsint, quamuis ob vaſtum diluuium ripis careat. Propius enim Ambiuaritos Moſa lambebat, vt è nominibus Bergarum is intelliget, qui linguæ noſtræ non ſit imperitus. Berg vnum Belg. de illis quę conuerſa contrarium notãt, primo ſuo ſignificatu montẽ indicaret: verùm in illis locis, quibus vox hæc antiquitus eſt tributa, nulli montes videntur. A tranſlaticia igitur ſignificatione deducta

ſunt

sunt nomina horum, de quibus agimus oppidorum. A Berg enim siue Berch, (nam vtrumque dicitur) fit Bargen siue Bergen, quod est abscõdere & occultare. Et quia quæ conseruata volumus, maximè occultamus, transfertur vox ad cõseruationem. Hinc dicimus Scepen bergen, pro eo quod est naues in tuta statione collocare, atque ex eo nomen Berg, ad portum, stationemque nauium significandam, transiuit. Primi enim parentes à diluuio in montibus se seruarunt ab vndis: ad cuius rei memoriam sempiternam, omne genus conseruationis occultationisque, qua nos à periculis tuemur, à montis nomine appellarunt; non ob id tantùm, vti videtur, quo commemoratio gratum animum in nobis excitaret: verumetiam quo in omni vitæ fortunarumque discrimine, in mentem veniret, Deo fidendum esse, qui in extremis malis suos nouit conseruare. Hac itaque ratione Bergen op Zoom, Seuenbergen, Steenbergen, Sanctæ Gertrudis Bergen, nomina sortiuntur à nauiũ statione. Qua de re videre licet Mosam ad Ambiuaritorum has oras, propius olim euolutũ fuisse, siquidẽ tot nauiũ stationes hactenus nomina seruarũt, tametsi plurimùm perdiderint altitudinis & profunditatis, aquis nullo certo alueo constrictis. Cùm igitur idem sit commẽsus ostiorum Scaldis & Antwerpiæ, qui olim fuit Atuatici & ostiorum; dubitari non potest, quin nostra Antwerpia verum sit Atuaticum, à Cimbris Teuthonisque conditum: ita vt castra eorum sex millibus hominum defensa, & vrbi & maioribus nostris, primam dederint in his regionibus originẽ. Hos cùm Cimbri Teuthonesque, rebus iam ad expeditionem paratis, intra hostium fines relinquerent, cohortati sunt, vt quem locum occupassent atque muniissent, diligenter fortiterque tuerentur; quodque semel cepissent, nunquam sibi finerent de manibus extorqueri. Cuius præcepti vt essent perpetuò memores, castra sua eo nomine nuncuparunt æternitati, quo idem breuiter Laconicosque significaretur. Hatvat enim nihil aliud est, quàm si Latinè dicas, Tene quod cepisti. Quòd verò Latini Atuaticum citra aspirationem scripserint, id inde factum est, vel quia vicini, quorum relatu Atuatici Romanis primùm innotuerunt, eam neglexerint, perinde vti hactenus Flandris illis, qui Neruiorum loca tenent, familiare est, aspiranda non aspirare, vel quòd ipsi etiam Cimbri aspirationem in compositione vocum sic efferre soleant, vt nullam protulisse videantur, quo vocibus lenitatem, cuius sunt studiosissimi, conciliarent. Hat ergo idem est quod Tene: Vat dum nomen est, & longo tempore pronunciatur, significat capturam, siue id quod quis manibus compræhendit: breui accentu Vas significaturum. Nam Vat verbum, idem

Atuaticorum nominis ratio.

idem est quod capio siue apprehendo. Catuat ergo, siue, quò lenius efferatur, Atuat, egregiam habet ac singularem admonitionem iis semper præcipueque occinendam, qui in præsidiis collocantur: quanquam omnes curare debent, ne quæ parta sunt & quæsita, de manibus finant vel auferri, vel elabi. Hæc germana est nominis Atuaticorum & causa & scriptura; quo monemur, semel apprehẽsa firmiter tenere: & quia manibus & apprehendimus & tenemus, eandem sententiã symbolo quoq; videmus expressam in ipsius ciuitatis insignibus, siue, vt vulgus loquitur, armis, quæ duas manus habent super vallo castrorum appictas. Consentiunt enim insignia nomini, & nomen ipsum insignium explicat significationem. Qui à manibus proiectis Antwerpiam dici somniarunt, & hinc symboli manuũ originem quæsiuerunt, ij pòst loco suo à me repellentur. Quoniam ergo hæc est nominis formatura & originatio, bene apud Dionem Cassium Atuatici, Græcè per Tau tenuem litteram, non per Delta scribuntur: & ita apud veteres omnes vocem hanc scriptam fuisse, rationi est cõsentaneum. Cicero in opere epistolarum Attico inscriptarum, nescio an Atuas, an Atuaticos nominarit, nostri certè codices Atuas habent: corruptè illud quidẽ, vt opinor; sed non ita corruptè, quin vetus per Tau vocis huius scribendæ consuetudo inde doceatur. Idem de Cæsaris Cõmentariis docebo, non sine corollario, & loci corrupti emendatione. Is in exercitus, quem Belgæ coëgisse à Rhemis prodebantur, recensione, Catuacos post Viromanduos ponit, & iis vndetriginta millia adscribit. Orosius idem referens, post Viromanduos Atuaticos posuit; vt clarè quiuis videat, non Catuacos, sed Atuaticos apud Cæsarem legendum esse. Verùm hoc cõmodi mendũ attulit, quod tenuem litterã in principio nominis retinuerit, quam perperam & contra nominis originem posterior ætas in mediam mutauit. Ex eodem Orosio numerus Atuaticorum in minorem est transferendus: qua in re ne notas numerorum non emendatè scriptas, vt fieri crebrò solet, quisquã causetur, Adonem testem proferemus; qui Orosij verba transscribens, decem & octo millia Atuaticorum fuisse dicit, numero non notis, sed plena scriptione expresso. Et est sanè hic numerus, quàm ille, credibilior, quòd nec regionis angustia, nec temporis, ex quo sedes has tenuerant, breuitas, tot millia, quot in Cæsaris corrupto hoc loco enumerantur, admittere videretur.

Locus Ciceronis.

Locus Cæsaris castigatus.

PORRO quî factum sit, vt Atuaticum, prisco nomine velut inducto aut obliterato, Antwerpia cœperit nominari; id deinde explicandum. Principiò itaque in omnibus vetustis codicillis, quos ad

S. Michaëlis, & D. Virginis Mariæ antiquiſſimos vidi, Antwerpiam non Hantwerpiam inueni. Nec quiſquam eſt qui Hantwerpiam cum ſpiritu in primo elemento efferat, niſi à conſuetudine ab omnibus recepta diſcedat. De manibus igitur proiectis, pòſt agam, vbi Gigantem noſtrum oppugnabo: hîc poſtulo, vt communem tum ſcripturam, tum ſoni rationem liceat retinere, eiuſque veram quærere impoſitionis cauſam. Sunt qui à Latinis nomen ad noſtrates commigraſſe arbitrétur, & ex Aduerpia Antwerpiam ab indoctis cœpiſſe dici. vocari autē Aduerpiam quaſi ad Verpum diceretur: eo quòd in hac vrbe Verpo delubrum fuerit multò celeberrimum, ad quod omnes circum circa finitimæ gentes magna religione ſoleant ventitare. Indicio eſſe in porta carceri publico vicina, exiguam ſtatuam, cui ingens faſcinum prætentum, demonſtraret tum Priapo Verpi nomen eſſe, cùm eſſet Ithyphallus: propterea quòd hoc ſtatu glans nuda, qualis in apellis Iudæis ſemper eſt, videretur. Hinc illud eſt, quòd feminæ omnes ad quemuis ſubitum caſum, Priapum inuocent. Si teſta manibus elapſa rumpatur, ſi pedem offendant, ſi denique quicquam accidat, quod ne animaduerſione quidem dignum videatur, confeſtim Priapus, ab honeſtiſsimis etiam matronis, alta voce ad auxilium cietur; qui mos ne hactenus quidem penitus eſt abolitus, quamuis nōnihil inueteratus. Atque ita pertinacibus animis hæc ſuperſtitio olim tenebatur, vt Godefridus Bullionus, huius ciuitatis Marchio, nihil prius habuiſſe videatur, quàm vt eam vel radicitus euelleret, vel ad ritus Chriſtianos traduceret. Simulac igitur Hieroſolymis eſt potitus, præputium Chriſti, veluti ſummum munus, Antwerpis ſuis miſit, vt eius cogitatione à fœdo & ſpurco numine reuocarentur. Ceterùm parum profecit apud mulieres hoc donum, quòd ſacri faſcini non poſſent obliuiſci. Aſſentior equidem hanc Priapi inuocandi religionem, non olim tantùm in vſu fuiſſe, ſed hactenus etiamnum teneri: ſed illud non item iis aſſentior, qui nomen à Verpo deducunt, quòd Priapus ſub Verpi nomine inuocetur. Nemo enim vnquam Verpi nomen ex mulieris ore audiuit, nec ſi quis Verpum nominet, magis intelligetur, quàm ſi nihil dixiſſet. Faſcinum enim nobis Tere vocatur, ita vt vrbs Antterſa, non Antuerſa nominanda eſſet, ſi ab hoc numine ſumeret appellationem. Sed dicet quiſquam, Romanos primos nominis auctores fuiſſe, atque ab illis religionem ad nos dimanaſſe, Latina voce in Germanicam verſa. Huic propterea non credam, quòd videam apud Romanos Priapo nunquam ſub Verpi nomine honores habitos eſſe. Memini Mutuni vectoris ſponſarum, memini deæ Pertundæ, virginibus ad primos

Antwerpiæ nomen vnde.

Verpus.

mos impetus adfuturæ; memini & aliorum infamium nominum, quæ in ſacris Romanis celebrantur: vnius Verpi non memini legiſſe honores. Quid quòd nullus ſit propè Satyricus, qui Verpos non inſectetur, exagitet, atque conuiciis proſcindat. Et quamuis inter Romanos eſſent, qui præputia ritu Iudaico poſuiſſent, ij tamen non Verpum, ſed vnum Deum cæli & terræ opificem, adorabant; vt Iuuenalis teſtis eſt:

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant.
Nec diſtare putant humana à carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit, mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaicum ediſcunt & ſeruant, ac metuunt ius.
Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.

Quamobrem cùm apud Romanos Verpi numen nullum inueniatur; quî fieri poteſt, vt noſtrates illinc vbi nullum fuerit, accepiſſe dicantur: & ſi hunc deum inde non acceperunt; quid poteſt eſſe abſurdius, quàm fingere noſtros homines deum patrium atque tutelarem peregrino & hoſtico nomine indigetaſſe? Reiecto igitur hoc commento, breuiter veram nominis rationem in lucem vocabo. Verpen idem eſt quod Latinis proiicere: & quemadmodum in ædibus proiecta quædam Latinis ſunt, quæ vltra parietis perpendiculũ longius extãt: ita nobis verp dicitur in fluminibus & mari, id quod vltra natiuum ripæ, litoríſve ductum, in aquas ab hominibus eſt proiectum: vel ne naues vadi breuitate appellere prohibeantur; vel quo pontibus, geraniis, molis, mœnibus, aut id genus ſtructuris aliis locus detur; vel quod in frequentiſsimis eſt, quò vis fluminum coërceatur. Hoc vt noſtratibus à proiiciendo placuit nominare, ita Latini à magnitudine, pondere, & fortè etiam à difficultate conficiendi molem vocauerunt. Noſtri igitur ad iaciendum reſpexerunt, atque ita propius rei naturam ſunt conſecuti. Molis enim nomen latiùs patet, & non ita propriè id exprimit, quod peculiare eſt, & perpetuũ eius quod in flumen iacitur quacunque de cauſa. Cicero epiſtolam Cæſaris ad Q. Pedium recitat, in qua Cæſar ſic ſcribit: Pompeius ſe opido tenet. nos ad portas caſtra habemus: conamur opus magnum & multorum dierum, propter altitudinem maris; ſed tamen nihil eſt quod potius faciamus. Ab vtroque portus cornu moleis iacimus, vt

Proiecta. Moles.

illum quàm primùm traiicere quod habet Brunduſij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus. Cæſar item lib. primo belli ciuilis de eodem Brunduſino portu impediendo loquens, ſic habet: Qua fauces erant anguſtiſsimę portus, molem atque aggerem ab vtraque parte litoris iaciebat, quòd his locis erat mare vadoſum. Hîc bis videmus Cæſarem in eiuſdē ſtratagematis deſcriptione, iaciendi verbum molibus accommodaſſe: qui quòd ſermonis puritatē, & ſimplicem naturæ ductum ſequeretur, ſatis oſtendit propriè ad moles verbum hoc iaciendi pertinere. Optimè igitur noſtri à werp, quod idem nobis eſt, quod Romanis iacio, nomen werp fecerunt, ad molem eiuſmodi in aquas proiectam, notandam. Extant in Pomerania duo opidula è regione alterum alterius, ad lacum Friſchaft nominatum; quorum vtrumque molibus in aquas iactis factum eſt, relicto in medio ſinu in ſemicirculum quaſi reducto. Horum vni nomen eſt Oudenwerp, id eſt, vetus proiectum, alteri Neuwerp, quod eſt nouum proiectum. Ex his igitur ſatis liquet, quę tum Antwerpiæ, tum nominis ſit origo. Nam Ant idem nobis eſt quod Latinis, Ad ipſum; werp, vt expoſui, proiectum: ita vt Antwerp ad verbum ſignificet, ad ipſum proiectum, vbi ipſum loco articuli noſtratis collocaui. Eſt enim Ant, idem quod An het; vbi An, idem eſt quod ad vel apud; het verò articuli vim poſſidet: quod contractum in vnam vocem, more noſtratē, Ant facit. Hæc igitur eſt genuina nominis interpretatio, quod tū in vſum veniſſe credimus, cùm Atuatici nomen commune toti regioni eſſe cœpit. Exiſtimo tamen primùm dici ſolere Ant Atuate werp, id eſt, ad ipſum Atuaticorum in flumen proiectum, ac deinde breuitatis gratia, Antwerp, quaſi eo ſolo per excellentiam ſatis notaretur, non de alio, quàm de Atuaticorum proiecto, ſermonem haberi. Moles autem ea de qua agimus, hactenus Werf nominatur, poſtrema littera lenem quendam ſpiritum accipiente. Quia verò eiuſmodi in aquas proiectis, nō paruas rebus noſtris commoditates labore magno acquiſiimus, factum eſt vt wervey, & compoſitè Verwervey pro eo ponatur, quod Latinus diceret, cum labore ac moleſtia acquirere. Hinc etiam ſalicis ripariæ genus illud, quod foliis eſt, quàm ceteræ ſalices, albioribus, ad aquas duntaxat naſciturum, Werwenhout nominatur; eò quòd radicibus ſuis veluti ſiticuloſum, ſemper inhiet riuis & ſtagnis: qua de cauſa aptiſſimum eſt ad moles in flumina iaciendas firmandaſque. Idem enim nobis ſonat werwenhout, ac ſi Latinus dixiſſet, materiam proiectorum ſiue molis. Nam crates maximæ hoc frutice cōtexuntur: quæ fluminibus iectæ, ac ingenti terræ pondere depreſſę,

Oudenwerp.
Neuwerp.

ripis

ripis alligantur; in quibus, velut in optatissimo liquore, auidissimè crescunt, atque tandem molem totam densissimo radicũ complexu, egregiè confirmant. Hunc fruticem Theophrastus in fluitantibus lacus Orchomenij insulis inuenit, ac Elæagni nomine descripsit. Est enim folio agni: sed quod ad Oleæ folium propiùs accedat, mollius tamen & lanuginosum: & sicut folio, ita cortice quoque & modo nascendi partem ab Agno, partem ab Olea videtur accepisse, vt non immeritò Elæagnus, composita voce, nominetur. Flos ei Populi, sed minor; fructus nullus adscribitur. Agnus item siue vitex, non alio loco lubentiùs, quàm ad aquas, luxuriat; vt & hac nota similitudo inter vtrumque genus conseruetur. Florem autem hoc loco Theophrastus pro nucamento posuit, quod nucibus Populis & huic quoque generi pro flore censetur. Expositio itaque vernaculæ vocis Antwerp significatu, docebo quàm bona ratione vrbi nostræ sit tributa. Fuit olim Atuatici situs is, vt vndique aquis includeretur; hinc Scaldis, hinc paludum & Scaldulæ, quo nomine paruulus quidam riuus vrbem antiquam cingens, vocatur. Omnia igitur longè lateque quę circùm erant loca, stagnabant, aut cœno & paludibus fœda erant; ita vt nec pedibus, ob aquas & altam vliginem; nec nauibus, ob vadorum breuitatem, accessus hostibus daretur: insigne illud quidem ad muniendam arcem citra grandes impensas adiumentum, sed commerciis hominum, rebusque necessariis importandis, non exiguum impedimentum. Quamobrem vtrique accessui, & nauali & terrestri, tum cùm iam altis mœnibus, firmisque, necnõ fossis latis tuti essent; consulendum esse rati, ingentes primùm sublicas, magno fistucarum pondere stagnantibus paludosisque ripis impegerunt: quarum multas vidimus, dum fundamentis curiæ iaciendis, altè humus effoderetur. Stabant enim hactenus ingentes sub profunda terra trabes erectæ, quæ diuturno seculorum decursu, vi frigoris & imbibiti humoris, ab atro cœno, cui erant infixæ, Ebeni tum colorem, tum duritiem contraxerant: documento qui in hac regione Ebenum possimus imitari, quod illi nouerunt, qui vermiculata è lignorum diuersitate opera componunt. Inter has fistucas, multa omnis generis materia, qua ad aggeres ducendos muniendosque vti solemus, ingesta firmataque hoc consecuti sunt, vt ripam haberent solidam, & tam altè in flumen proiectam, vt naues commodè appellerent, quamuis essent vel maximè capaces. Hæc igitur ripa Arci adiecta, Werp; & posterius consuetudine molliùs indicante, Werf ex re ipsa vocabatur, eò quòd iacta mole constaret. Et quò Arx securior maneret, in hac illi cœperunt commorari, qui commerciis agitandis victitabant. Paulatim igitur

Situs Antuerpiæ.

creſcente hominum multitudine, neceſſe fuit ad hanc ripam, ita vt dixi, comparatam, pluſculum loci adiicere, quo hominibus ad habitandum extra arcem, locus daretur. E ſtagnis igitur & paludibus aquas in canales nauium capaces corriuarunt, quo humus deſiccata tum hominibus habitandi locũ ampliorem, tum pecori paſcua præberet ſicciora. Hinc factũ, vt quod arci erat adiectum, ad ripam Atuaticorum vocaretur, id eſt, Ant Atuats werp, ac deinde breuius Antwerp. Pòſt cùm acceſsio hæc magnitudine & numero hominum longè arcem ſuperaret, arcem quidem Zorgt, totam verò vrbem Antwerp nominarunt. Manet tamẽ hactenus arci ius primogenium, adeò vt nemo extra hanc, ciuitate donetur: nemo extra hanc, morti adiudicetur. Quare arx nobis Zorg vocetur, tũ exponam, cùm inſignia ciuitatis enucleabo. Porrò ſicut ſublicio opere, & nauali ingreſſui, & habitationi laxiori circa arcem conſuluerunt: ita terreſtri quoque itineri aggerem per paludes eduxerunt, cui ab vſu Aengaen-dyc nomen datum, id eſt, agger factus ad adeundum, quod deinde per conciſionem in Aen-dyc mutatum eſt, vt gens noſtra eſt longè, quàm ipſi Lacones, breuitatis in loquendo ſtudioſior. Solent enim ad hanc itinerum neceſſitatem, aggeres per paludes & fœdas camporum vligines duci, quos Tacitus pontes longos nominauit, definitione addita, anguſtos eos tramites eſſe inter vaſtas paludes, quod genus L. Domitius olim in finibus Cheruſcorũ exaggerauit. Ad hunc aggerem ad introeundum exeundumque, per infida pedibus loca congeſtum, vicus quidam ſuburbanus eſt enatus: qui quòd extra Scaldulam eſſet, quo tum riuo Antwerpia tota cingebatur, Kip-dorp eſt appellatus; id eſt, pagus ab ouo excluſus; eò quòd primus hic eſſet fœtus Antwerpię, è ſinu ciuitatis velut ex ouo emiſſus. Ducebat autem hæc via ad Ambiuaritos, quorũ primus pagus dictus eſt ab Atuaticis Zor-na, id eſt, ferè nimium propinquus, ſicut in Flandria arx quędam ſimili de cauſa vocata eſt Attena, id eſt, omnino nimium propinqua. Atque hæc quidem de Atuatici & Antwerpiæ, tum origine & ſitu, tum nomenclatura ſatis ſunto, ne in rebus minutis longa oratio fiat odioſa. Verùm ad ſitum vrbis noſtræ accuratiùs cognoſcendum, de veterum ſcriptis, neceſſarium mihi videtur explicare, quid Antwerpiæ ſiue Atuatico, cum regione Eyen nominata: quę vox ſic eſt mutilata, vt nemo hactenus impoſitionis cauſam potuerit inuenire; quamuis permulti in hac indagatione laborarint. Inter alios eſt videre, qui ab arundine deriuant, quæ Riet noſtris vocatur; cui commento egregiam veritatis laruam potuiſſent prætexere, ſi de ripa duntaxat Scaldis ageretur, totius

Pontes longi.

Kipdorp.

Zorna.

Rienſe territorium.

totius regionis corpore ſecluſo. Ab ericetis potius erat nominanda, quorum amplitudo vaſta & immanis, tantum ſpacij in hac regione occupauit, vt non paucis locis veluti magnum pelagus oculorum aciem terminet; qua cauſa quidam ſua lingua nigrum mare, per iocum ſolent nominare. Deinde Ryen ſic effertur, vt vocalis prior longa ſit, & duplici iota ſoni vi reſpondeat; cùm in Riet diphthongus ſit tenuiùs & leniùs, quàm duplex iota noſtratibus canenda. Quocirca propius ad vocem acceſſerunt, qui ab equitando nomen ducunt. Ryen enim equitare ſignificat, eodem ſono, quo regionis nomen pronunciatur. Verùm nec hoc arridet, eò quòd nihil in hac regione ſingulare ſit, quod ad equitationem referri poſſit. Planities eſt, at illa equorum pabulo minimè conueniens, niſi equos non paludapio, vt Homerus, ſed erica paſcendos exiſtimes. Deinde hoc quaſi peculiare eſt his latiſſimis campis, vt quos equos habēt, ij minimi ſint, & veluti nani, ſi Hollandis, Flandris, & Friſiis comparentur. Et tantum abeſt, vt indigenæ ab equitatione nomen ducere mereantur, vt vulgari prouerbio iactetur, Campanos, ſub quorū latitudine Rienſes comprehenduntur, tam eſſe à communi viuendi ratione alienos, vt cùm terram alibi colant, hi exurant; cùm alibi aurigis duris, & hiſpidis, & hircoſis vtantur; hi tam molles habeant, vt iis concumbant; & quod æquè aut magis etiam abſurdū, cùm alibi equis vehantur, hi equos ſuos non aſcendant, ſed comedant, & in ventres condant. Priores adagij partes alibi, hîc poſtremam explicabo. Loco equorum ad opera ruſtica bobus vtuntur, quibus pòſt veſcuntur: qua cauſa feruntur equis ſuis veſci. Longè igitur abeſt, vt ab equitatione ſint nominandi. Alia igitur expiſcanda ratio, quæ naturam regionis magis propiuſque aſſequatur. Ryten, vocali priore longa, & craſsè pronuntiata, ſignificat rūpere & dilacerare. Hinc Ryten Campanis canales dicuntur ab aquis ruptæ. Alij Reten longa item priore, pro eodem vtuntur, antiquo adhuc loquendi more gaudentes. Hinc Ret, rima ſiue fiſſura, & canalis etiam aquarum vi ruptus. Ret igitur ſiue Rit, rei ruſticæ peritis ea loca vocantur, quæ irrumpentibus aquis obnoxia ſunt, & frequenter merguntur: quibus in locis cùm flammula, ranunculi minimum & feruentiſsimum genus, vno foliolo in mucronem ad digiti longitudinem exeunte, prius quàm caulem agit, ferè ſoleat luxuriare; paſtores diligenter cauent, ne oues eò adducant. Hanc noſtri Echel coolen, id eſt, hirudinis Braſſicam vocāt; eò quòd ſanguinem, perinde ac hirudines, comeſta, ouibus educat, & dyſenteriam gignat; ea de cauſa Sanguinaria Latinis dicta: alia longè à ſanguinali, quæ Græcis Polygonon nominatur, à ſanguine ſiſtendo

Prouerbium vulgare.

Ryten.

Sanguinaria, Sanguinalis.

sistendo Latinum hoc nomen apud Celsum sortita. Sanguinariæ comestæ remedium, idem quod dysenteriæ sanguinis reuulsio & diuersio ab intestinis: quod Columella vt scribit, ita causam non addit, nec nominis quo herba vocatur. Siue igitur hæc sit, vt videtur Columellæ, Sanguinaria, siue alia; hoc saltem nomen meretur, & hoc in campis facit, vt læta Retarum, vt ita dicam, pascua, oues vitare cogãtur: alioquin eiusmodi depressi canales, cùm ab aquis sunt liberi, delicata gramina, & tenella, & ouibus gratissima producunt. Atque hic quidem huius vocis vsus apud pastores, quos ego saltem conuenerim: nec alius omnino apud eos, qui in litore & insulis Oceani degunt. Hi enim dum significare volunt terræ quampiam partem, æstibus adhuc patêre, nec aggeribus esse munitam, dicunt Τ'sant ryt, id est, terra illa hactenus naturam habet Retæ siue Ritæ, quod nihil aliud est, quàm inundationi & æstibus est exposita. Ritas hoc modo vsurpatas, Cæsar æstuaria nominauit: quorum nusquam maior, quàm in hac, de qua quæritur regione, copia; vbi maxima terrarum spacia æstibus exponuntur, immani regionis damno. Hic loquendi modus Strabonem in mentem mihi reducit, qui eiusmodi Ritarum inundationes ἀναχύσεις vocat, cuius hęc sunt verba de Tago: δύο δὲ ἀναχύσεις ἐν τοῖς ὑπερκειμένοις ποιεῖται πεδίοις ὅταν αἱ πλήμμαι γένωνται, ὥστε πελαγίζειν μὲν ἐπὶ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα σταδίους καὶ ποιεῖν πλωτὸν τὸ πεδίον, ἐν δὲ τῇ ἐπάνω ἀναχύσει καὶ νῆσον ἀπολαμβάνειν ὅσον τριάκοντα σταδίων τὸ μῆκος, πλάτος δὲ μικρὸν ἀπολεῖπον τοῦ μήκους εὐάλωτον καὶ εὐάμπελον. id est, Facit verò in superioribus campis, cùm mare intumescit, duo æstuaria, adeò vt ad centum & quinquaginta stadia pelagi faciem induant, & campi nauigari possint: in superiore etiam æstuario insulam complectatur, longitudine triginta stadiorum, latitudine paulò minore, pomariis & vitibus bene cultam. Cùm igitur tota hæc regio, quæ Ῥγεν vocatur, æstuariis plurimis abundet, nomen accepit à Ritis, id est, æstuariis. Hæc autem alibi latos campos occupant, alibi tenuioribus alueis inter altiora loca excurrunt, quibus plurimũ adferũt commoditatis ad nauigationẽ. Ceterùm quia Oceanus aggeribus magno sumptu ductis, nũc diligentiùs cõtinetur; deinde quia canales æstuariorũ paulatim sunt obstructi, tũ cura hominũ, tum cœno per aquas delapso, non ita longè nunc, vti olim, ad superiora loca aquæ offeruntur. Prisci illi Latini videntur & Retas agnouisse; sed quid ea voce significaretur, non perinde intellexisse. Si quæ pòst dicenda sunt, nunc aperta fecissem; facilè persuaderem hanc vnam esse de vetustissimæ linguæ Cimmeriæ vocibus, qua Latinos, multò antè quàm Italico sermone vsos fuisse, clarissimè suo loco demonstrabo. Audiamus

Anachyses.

Retæ.

mus igitur Aulum Gellium, si ita nobis hunc auctorem euocare Agellij permittent: Eius hęc sunt libro vndecimo verba: Edicta veterum prætorum, sedentibus fortè nobis in bibliotheca templi Traiani, & aliud quid requirentibus, cùm in manus incidissent, legere atque cognoscere libitum est. Tum in quodam edicto antiquiore ita scriptum inuenimus: Qui flumina retanda publicè redempta habent, si quis eorum ad me adductus fuerit, qui dicatur quod eum ex lege locationis facere oportuerit non fecisse. Retanda igitur quid esset, quęrebatur. Dixit ibi quispiam nobiscum sedens amicus meus, in lib. se Caij de origine vocabulorũ VII. legisse: retas vocari arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alueis eorum extarent: appellatasque esse à retibus, quòd prætereuntes naues impedirent, & quasi irretirent. Idcirco se arbitrari retanda flumina locari solita esse, id est, purganda, ne quid aut moræ, aut periculi, nauibus in ea virgulta incidentibus, fieret. Hæc ille, nec plura; vt facilè iudicari possit, nihil amplius potuisse adferre ad vocis explicationẽ. Si Caius de originibus verè dixisset, arbores è ripis pendentes, aut è flumine extantes Retas vocari, debuissent flumina locari eretanda, non retanda. Nam si Retæ ipsæ plantæ sunt, quid ni retare à retis, sicut plantare à plantis diceretur? A stirpe fit exstirpare, pro eo quod est stirpẽ eiicere: à radice eradicare, quod est radices euellere: quocirca si retę arbores & virgulta sunt nauigationẽ impedientia, formemus similiter conuenienter linguæ Latinæ, à retis eretare; pro eo quod esset retas eiicere, & à fluminibus tollere, atq; ita locẽtur flumina eretanda, non retanda; cùm ipsa per se retata sint, id est, retis impedita. Sed quid multis? Hæc Caij expositio se ipsa conuellere videtur, si vel vllus analogiæ & verborum formationi locus detur. Retas igitur eiusdem propè significationis apud priscos Latinos fuisse cerno, pro alueis nimirũ, per quos possit nauigari. Hi igitur si spurcitie, limo, virgultis, aliisque rebus opplerentur, vt aqua non sat haberet altitudinis ad nauigationem, locabãtur retandi, id est, excauandi, purgandique, vt fiant retæ nauigabiles. Retare igitur est retas facere, & sic canales rumpere siue excauare, vt aquæ tantum admittant, quantum satis sit nauigationi. Qua ratione & vox origini suæ vindicatur, & recta fit è nomine ad verbum commigratio, dum flumina dicuntur retari, id est, retis vbique patêre ad aquas suscipiendas. Neque enim satis fuisset virgulta demere, nisi cœnum etiam & alia altitudinis impedimenta tollerentur. Retæ itaque Latinis nauigabiles aluei vocabantur; quos qui in fluuiis faceret, is retare eos diceretur. A Ryten nostri fecere Ruyten, quo discrimen agnosceretur inter Ryten, quod

Retare flumina.

Ruyten.

eſt rumpere ſimpliciter, communi ad omnia rumpentia ſignificatu, & Eyten, quod eſt ritas facere ad nauigationem. Loco igitur Eytey dixerũt Euitey, quod eſt euellere, expurgare ab alueis, ad alia etiam euellenda tranſſumptum. Hinc Saxruitey, id eſt, omninò & perfectè canales expurgare erumpendo, euellendo, effodiendoque omnia quæ poſſunt aquæ altitudinem impedire. Hoc rurſus conciſius dicunt Gruiten. Gruitey, ſyncope nobis familiariſſima; quæ vox propriè foſſis expurgandis applicatur, ſimplicibus illis ad alia etiam tranſeuntibus. Maiores enim noſtri ſtudiosè ſemper declinarunt dubiam vocum ſignificationem; in iis præſertim, quorum ſingularis cura eſſe deberet, vt modò in Germani & Atuatici nominibus eſt oſtenſum. Retationis enim onus vnum apud nos eſt de præcipuis; propterea quòd non ſolùm multæ ſint retæ ad nauigationem conſeruandæ; ſed quòd opida etiam & arces aquis muniantur; quarum foſſas neceſſe eſt frequenter retare; nõ tam ad nauigationem, quàm ad profunditatẽ & puritatẽ aquarũ, quæ niſi diligenter cuſtodiantur, non ſolùm hoſtibus aditus, ſed peſtilentibus etiam morbis ex halitu limoſarũ aquarum occaſio daretur. Præterea omnes foſſæ, omnia emiſſaria, omnes elices, accuratiſſimè retari debent, ne aquę in pratis conſiſtere cogantur, & ex pratis fœdas facere paludes. Præ cæteris autẽ omnibus, clariſsima illa eſt retatio, quæ ad foſſas arcis & vrbis adhibetur, cuius oneri omnia opida, nõ modò Rienſia, ſed alia etiam quàm plurima ſunt obſtricta; adeò vt & ipſa Colonia Agrippina certum ad id pendat vectigal. Pecunia itaque ad hunc vſum collata, Gruitgeſt vocatur, id eſt, pecunia retationis. Regio igitur Atuatico adiacens, & antiquo iure obſtricta, nomen accepit à Ritis; in quo non mirandum, Tau eſſe omiſſum, cùm id noſtræ ſit conſuetudini Tau & Delta, dum inter duas ſint vocales citra aliam conſonantem omittere, tum in efferendo, tum in ſcribendo. Dicimus igitur Eiey, pro Eitey; quod cùm alij non animaduerterint, fruſtra ſe in quærenda nominis cauſa fatigarunt. Eodem modo in Euitey, quo pro Eitey poſterior ętas, diſtinctionis gratia, vti cœpit. Frequenter audimus Tau ablatum. Dicunt enim ferè Euiey pro Euiten: qua voce, & pro nomine, & pro verbo vtuntur; ita vt cùm nomen eſt, canales: dum verbum, canales facere ſignificet. Verùm cùm hoc libro antiquitates huius noſtræ regionis examinare ſtatuerim, non illa tradere, quæ præſentem rerum ſtatum ob oculos ponant, non poſſum cũ laude hoc munere defungi, niſi antiquum Rienſis regionis nomen declarem. Videndum igitur qui fuerint Ambiuariti, quos in hac regione quam Eiey vocamus, Cæſar videtur collocaſſe, & vnde nomẽ

Ambiuariti qui, & vnde dicti.

hoc

hoc Ambiuaritorum acceperint. Quod ſi expoſuero, & iis, quæ de regione Rienſi dixi, plus fidei habebitur, & vocem hactenus omnibus ignotam, ad veram ſuam originem vocabo. Ampt, vox eſt noſtras, poſita cuiuis magiſtratui ſignificando, cui ius aliquod ſit mandandi. Scriberetur autem conuenienter, & linguæ noſtræ, & ſuis fontibus Ambt; ſed quia difficilior eſt pronunciatio, media littera in tenuem mutatur: deinde quia Ni ante Pi in eadē ſyllaba, trāſit in Mi, Ampt, nō Apt, in vſum venit. Eſt enim vox compoſita ex Any & Biet. Anbiet igitur idem eſt, quod præcipit, ſiue alij quippiam mandat; & more loquendi noſtris vſitato, ad alios mandata dat. Any namque ad notat: Biet, mandat. Ex Anbiet conciditur Ampt, ea, qua dixi, ratione. Verùm in compoſitione ex Apt fit Any decurtatum. Sic dicimus Ammany, quam integrè, vti hactenus quamplurimi Amptmany vocaremus, in omni ſermone curiosè quæſita, tum breuitate, tum ſuauitate vocum. Hoc nomine alibi aliter vtuntur. Bruxellani, pro ſummo ſuo magiſtratu, Antwerpiani, pro eo duntaxat, qui ciuilibus cauſis præſidet, altero qui in crimina inquirit, Sculteto nominato: quæ vox in lingua vernacula integrè efferretur, Scultеis. Scult noxam ſignificat, & crimen, & quoduis debitum. Eis verò ſiue Eiſch, idem eſt quod exigo. Scultеis igitur is dicetur, qui debitum pro noxa exigit. Sed iam ad Ampt reuertor, ex quo in compoſitione Any fieri dixi. Hinc Ambactus vox, & à priſcis Latinis, & à recentioribus ad examen vocata, ſed à nemine ſcriptorum, quod equidem ſcio, vel bene explicata, vel ad germanos natales reducta. Feſtus Am Latinis circum notare docet, atque dici inde Ambactum, id eſt, ſeruum circumactum; qua voce Ennium vſum eſſe dicit, addens Gallicam eſſe. Cæſar libro ſexto Commentariorum de bello Gallico hæc habet: Alterum genus eſt equitum; ij cùm eſt vſus, atque aliquod bellum incidit (quod ante Cæſaris aduentum ferè quotannis accidere ſolebat, vti aut ipſi iniurias inferrent, aut illatas propulſarent) omnes in bello verſantur: atque eorum, vt quiſque eſt genere, copiisque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clienteſque habet: hāc vnam gratiam potentiamque nouerunt. Turnebus, vt hic quoque diligentiam eruditionemque ſuam mōſtraret, adducit ex neſcio quo Lexico, Ambactus δοῦλος μισωτὸς, ὡς Ἔννιος. Partim igitur ex hoc, partim ex Feſto, putat Iulium ab Ennio vocabulum hoc mutuatum eſſe. Equidem & Ennium & Cæſarem à Gallis accepiſſe credo, quorum mores & Remp. deſcribenti, fuit propè neceſſarium æquè Ambactorum atque Druidum meminiſſe. Verùm nec rectè Feſtus, nec rectè Lexicon; nec

Ampt. Amman. Sculteis. Ambactus.

ipse denique Turnebus Ambactum seruituti nobilium addixit. Melius Iulius, qui dicit equites hanc vnam gratiam potentiamque nouisse; quasi diceret, potentiam omnem equitũ pendêre ex gratia Ambactorum: quod si ita est, quam seruitutẽ somniamus, vbi gratia homines, non mercede, non emptione conciliandi videntur? Rhellicanus confessus, se nullam vocabuli Germanicam originem inuenire, ineptè perinde atque ceteri, Gallicam vocem de Latino sermone interpretatur; quasi Galli à Latinis eam emendicassent. Eruenda igitur vera ratio de Cimbrica siue nostrate lingua, cum qua priscam Gallorum eandem fuisse, pòst cùm locus erit, clarè copioseque demonstrabo. Quid sit Ampt siue Ambt, ostensum est: nunc quid sit Acht, enucleandum. Acht, idem est, quod dignum duco, vel in existimatione habeo: vt cùm dicitur, Ick acht hem, id est, ego magni eum facio, siue in existimatione habeo. Et contrà, Ick acht hem niet, id est, nihili eum facio; & similiter in aliis orationibus vsurpatur. Ex Ambt igitur & Acht, fit Ambacht, remoto Tau ad soni elegantiam, & de more nostrate, qui illam litteram è medio frequenter tollit; non in compositione modò, sed in simplicibus etiam enunciandis. Dicimus enim Vater & Vaer, Moter & Moer, & alia eius generis infinita. Est igitur Ambacht, corpus eorum, qui aliquem dignum ducunt, cuius iussis obtemperent. Ex hac ratione elucescit ad gratiam, non necessitatem pertinere Ambactos; & quantò quis plus gratiæ popularis inire potest, tantò esse in maiore existimatione, tantoque digniorem iudicari, cuius imperium vltrò sequãtur. Conuenientissimè igitur more Gallico, Cęsar ad gratiam Ambactos retulit, non ad seruitutem aut necessitatem: quam alij contra vim verbi, & liberam gentis consuetudinem perperam induxerunt. Ambacti igitur, vti Latini transformarunt, siue Ambachten nostrate lingua eiusmodi in ciuitatibus corpora dicuntur, quæ vnum sibi legunt, cuius auctoritatem perinde atque capitis sui venerantur. Hinc apud Flandros quatuor pagi sunt, aut potiùs vnus pagus in quatuor regiones diuisus, cuius singulæ partes Ambachten vocantur. Quod diligenter notandum, ne quis opinetur hoc vocabulo mechanicam artem significari; quod quidam, sermonis sui nimiũ rudes, arbitrantur. Quare verò ad artem eiusmodi signandam vulgus vsurparit, hæc est causa: Opidanorum, qui sacris non sunt addicti, & quorum ratio in Rep. haberi debet; alij vel generosi sunt, vel generosorum vitam agunt; alij mechanicas artes exercent. Priores illi aliis classibus censentur; posteriores in corpora artificum diuiduntur, pro artium, quas profitentur, diuersitate. Horum singula

Gallica lingua.

Acht.

suos

ſuos ſibi Capitaneos eligunt ad annum duraturos · quibus quòd illa priſca conſuetudine ſint addicti, Ambactorum titulo ſe honeſtarunt. Hos principes in bellum ſolent educere; his corporis cuſtodiam credere ; in horum peditatu potentiam ſummam collocare; his viribus incolumem Remp. tueri; hoſtium iniurias propulſare. Sed vt omnia mutãtur, Deus vellet, vt in melius, auorum memoria, cùm regio noſtra fauſtis connubiis exteros Principes ſibi adſciſcere cogeretur, paulatim mercenarij milites fiſcum omnem, & omne ærarium exenterare cœperunt, & gliſcente ſemper auaritia, noua ſuadere bella, nõ quo Principis honori & patriæ ſaluti conſulatur, ſed quo quicquid vſquam eſt, illorum libidini ſit obiectum. Manent tamẽ hactenus hæc collegia artificum in omnibus ciuitatibus, quorum diſtinctio & adminiſtratio in primis eſt neceſſaria, præſertim intra vrbes. Nam ab externis bellis per ſtipendiariorum ſacramenta facilè excuſantur; niſi qua grauior tempeſtas aliud cogat. Quia igitur Ambactorum nomen artificum maximè corporibus in opidis eſt tributum, omnes artes, per quas ad collegia illa peruenitur, abuſu quodam per ambitionem irrepente, cœperunt Ambachtey nominari; quarum tamen vocem propriam non eſſe, tum ſignificatio modò expoſita, tum Ambacti Flandrorum apertiſſimè commonſtrant. Ex Ampt igitur Ammay, id eſt, vir in magiſtratu eo, quem dixi, conſtitutus; & Ambactus, is qui in collegium eiuſmodi voluntariũ eſt cooptatus. Ex eodem Ambiorix nobilis Eburonum rex, Atuaticis olim vectigalis nomen accepit; quod integrè & noſtro more diceretur Ambietorrych, id eſt, Magiſtratus ſiue Ambactorum princeps ſobolis diues. Ambiet citra ſyncopen, idem eſt quod Ampt conciſum, è quo demitur Tau ea, quam oſtendi paulò antè, conſuetudine. Or, prolem ſiue ſobolem inter alia notat: vt cùm dicimus, Ay ſterf ſonder or, id eſt, is mortuus eſt nulla relicta prole. Rich vocali longa, quam gemina figura vulgò ſcribimus, diuitem ſignificat. Verùm Romani Chi noſtrate in dictionum fine ſcriptum, in x mutarunt, vel quia formatio Latinis familiaris ita ſuaderet, vel quòd Chi Grẽcorũ vltimæ Latinorum litteræ, qua decem notantur, figura ſimilis videatur. Nomen profectò bonis auſpiciis & fauſta precatione Principibus dandum, quo multam ei ſobolem ominamur, ne regnum ad externos deuoluatur. Eſt igitur Ampt in compoſitione Ambiorigis citra ſyncopen integrè ſeruatũ, ſolo Tau in fine Ambiet ablato. Vocalis autem in Ambiorix ſecunda, nobis diphthongus eſt, ex i & e cõflata, quę in i longũ, cui pronuntiatione proximè accedit, facilè trãſit. Vltima verò vocalis eſt pronũcianda vt duplex iota, *Ambiorix.*

ſono craſſiore quàm i & e. Eiuſmodi vocalium & diphthongorum diuerſitate, cùm neque Latini, neque Græci æquè atque nos abundent, mirum non eſt, ſi paulò aliter à Latinis & Græcis voces noſtrates, vel ſcribantur vel pronuncientur. Immò vix credo quenquam inueniri tá ſermonis noſtri accuratũ ſcribam, qui hanc vocaliũ diphthongorũque varietatẽ, vel Græcis vel Latinis elemẽtis, ad vnguem exprimere poſsit. Bene certè de vernacula lingua mereretur, qui nouas aliquot vocalium & diphthongorum figuras excogitaret, quibus hanc totam complecteretur diuerſitatem. Satis, opinor, clarum feci, quid Ampt & Ammay notaret: quibus titulis, cùm Hiſpani recèns ſubiugati, Gotos & ceteros Germanos plurimum vti, & iis gaudere animaduertiſſent, ſcirentque dignitatis nomen eſſe; cœpere fœda adulatione omnes dominos Amos vocare; vt gẽs eſt in magnificis titulis tribuendis, etiam indigniſſimo cuique, nimio plus liberalis, ne dicam prodiga. Ceterùm Ampt non ſolùm de hominibus in eiuſmodi magiſtratu conſtitutis dici ſolet, ſed de ipſa etiam ditione, quæ magiſtratus ipſius poteſtati ſe ſubiicere dignata eſt. Sic diceretur, Het Ampt Van Bruſſel, id eſt, ditio Ammanni Bruxellenſis; quanquam ad certius diſcrimen ferè pro eodem in vſu eſt Ambi, quo ditio diſtinctè notetur. Nunc igitur ad id quod quæritur. Ambiuariti ad ſingulas litteras examinati, illi ſunt qui habitant ſub Ammanno, cuius poteſtas eſt circa retas, vt ita dicam, ſiue ruptos terræ canales, qui nauigari poſſunt. Ny modò expoſitum: Bi ſignificat circa vel penes: Var, idem eſt quod vehor, & per excellentiam naui vehor. Biten, canales ſunt, à fluctibus & aquis rupti. Ambiuariti igitur ſunt ij, quorum Ampt ſiue magiſtratus is eſt, penes quem ſunt eiuſmodi canales nauigabiles. Monerem hîc, niſi cuiuis per ſe in mentem venire crederem, noſtratibus in compoſitione moris eſſe, ſi conſonans eadem partem vnam compoſiti finiat, & alteram incipiat, eam non ſemper geminari ad aſperitatem fugiendam; vt in Or & Bycht, in Ambiorige; & in Var & Byt, in Ambiuaritis. Non erat ſanè pœnitẽdum officium, ſiue patrocinium iuris dicundi poteſtatem ad tota hæc litora multis canalibus interrupta habere. Nam præter mercatum, & eius vtilitates, neceſſe fuit & alia multa procurare; in quibus ſi tantum fuit fructus, quantum par fuiſſe difficultatis, opimum profectò magiſtratum poſſidebat, qui Ambiuaritos hoc populari ſtatu gubernabat. Trium enim ingentium fluminum oſtiis Rheni, Moſæ & Scaldis, tum Oceani vagis & procelloſis æſtuariis contẽtos, neceſſe eſt arbitrari plurimum re nauicularia, piſcatu, & aliis id genus aquarum commodis, vſos eſſe; atque rurſus pluri-

plurimũ negocij habuiſſe, tum in aquis compeſcendis, tum in agrorum limitibus bene rectéque obſeruandis, quos in tot diluuiis tam arduum eſt tenere firmos, vt ob Nili inundationes Geometriam in Ægypto arbitrentur inuentam: quoniam de eius ſinu accurata illa agrorũ dimenſio ſit petenda. Primùm igitur hæc regio dicta T'ſant Sandey Ambiuaritey, id eſt, regio Ambiuaritorum: deinde T'ſant Sandey Riten, abiecto principio dictionis: pòſt, T'ſant Say Riey, exempto Tau, de more noſtro. Eſt enim tam familiare noſtratibus voces decurtare, præſertim propria nomina, vt ex Elizabet faciant Eſs, vel Bet, vel Lyz, quorum ſingulis totum nomen volunt intelligi. Sic principio dictum puto, Ant Atuatings werp, id eſt, ad proiectum Atuaticorum: deinde breuitatis ergô, Ant-werp: atque ita paulatim nomen hoc euaſuiſſe, altero obliterato. Qui enim ſimpliciter Ant werp dicit, nihil aliud quàm ad proiectum in flumen dicit, non adhibita diſtinctione vel loci vel gentis. Quocirca ex priore poſterius credo proceſſiſſe, haud aliter quàm in propriis nominibus apud noſtrates breuiſſimum quodque maximè arridet. Eruimus itaque è tenebris, & nomen verum vrbis, & nomen regionis vrbi ſubiectæ, eaque ad vetuſtas ſuas & veras deduximus cauſas. Verùm ne quis exiſtimet, Ambiuaritos omnes Moſæ propinquiores fuiſſe, quàm vt ad Antwerpiæ ſuburbana vſque habitarét, legendus eſt Cæſar in principio ſtatim libri quarti, quo loco docet Tenchteros, ſiue Tenchateros, vti alij legũt, & Vſipetes à Sueuis pulſos, Rhenum nõ longè à mari quo influit, tranſiiſſe, atque Menapiorum, qui vtramque ripam habitabant, ſedes occupaſſe. Ab his poſteà magnam partem equitatus prædandi frumentandique cauſa ad Ambiuaritos trans Moſam flumẽ miſſam. Cùm ergo Cęſar bellũ his illaturus, propius hoſtiũ caſtris acceſſiſſet, rogatus eſt ab hoſte, vt tridui induciæ intercederent, per quod tempus equitũ turmas ab Ambiuaritis redire poſſe arbitrabatur. Cæſar interim diſsimulatione vſus, & iis legatis, qui venerant ad pacis conditiones ineundas, retentis, improuiſus caſtra occupauit, & hoſtem inermem tam diu cecîdit & perſecutus eſt, dum ad confluentem Rheni & Moſæ veniretur; vbi cùm Germani laſsi vlterius obiectu fluminum fugere non poſſent, aut cæſi ſunt, aut vorticibus abſorpti. Contigit igitur hæc ſedes inter Tilam & Buſcumducis, ſeſquimiliari circiter à Tila, & duobus & dimidiato à Buſco ducis, ſiue vt Latinè dicam, à Ducis ſilua. Interamnium autem illud, ad cuius finem pagus eſt Aſphey nominatus, à fluuiis quibus cõcluditur, nomen accepit Maeſwael, id eſt, Moſa Wahalis. Moſam enim nos Maes, non Moes, vocamus; at Eburones

Ambiuaritorum regio.

ſic

ſic Maes pronunciant, vt Romani quartam, non primam vocalem audiuiſſe viderentur. Inſignis ergo hæc Germanorum cædes à Romanis perpetrata eſt, adiuuantibus non ſolùm ceteris Gallis, Romanorum vel ſociis, vel vectigalibus, ſed Menapiis etiam, in quorum finibus cõſederant. Verùm virtute ſuperati nõ ſunt, ſed fraude Cęſaris, qui legatis apud ſe retẽtis, improuiſus in hoſtes irruit excuſatione vſus nimis quàm abſurda. Cùm enim promiſiſſet reuocaturũ ſe equitatum qui præceſſerat, adeò hoc ſe facere, cùm minimè vellet, ſimulauit, vt quinque millia equitũ Romanorũ in Germanorum conſpectũ venerint, de quibus quid aliud erat cogitandum, quàm eos tanto numero pręcurriſſe, vt imparatos opprimerent, intereà dum de induciis tractaretur. Occurrerunt igitur octingenti, quot fortè vel aderant, vel in tanta feſtinatione ſe poterant expedire. Hic verò tam exiguus numerus quinque millia Romanorum cecîdit, & in fugã vertit. Poſtridie verò cùm frequentes omnibus principibus maioribusque natu adhibitis, in caſtra Cæſaris purgãdi ſe cauſa, vel forſan accuſandi Romanum equitatum, quòd prior læſiſſet, venirent; Cæſar omnes ad vnum retinuit, & intereà dum cum Legatis & Principibus agere crederetur, miſeros Germanos, eam fraudem minimè ſuſpicantes, ex improuiſo oppreſſit. Nemo eſt tam, opinor, obtuſi ſenſus, qui verba Cæſaris de hac re legens, & ea cum iis quæ geſta ſunt, conferens æqua lance, nõ ſtatim cernat Germanos minimè commeruiſſe, vt communi gentium iure excluſi, perfidè cæderentur. Nam ſi fraus ſubfuiſſet, quamobrem poſtridie tam frequentes adfuiſſent, eductis vnà ſecum Principibus & maioribus natu, inter quos duces quoque fuiſſe, dum Principes nominat, ipſemet confitetur. Excuſet ſe vt velit; hæc vna confeſsio ſatis eſt ad docendum, in ſimplicitate Germanorum nullam fraudem latuiſſe. Deinde illud quoque hinc perſpicuum, in hoc prœlio contra eos, qui non ſolùm inermes, ſed ſine ducibus etiam erant, à Romanis pugnatum fuiſſe. Quòd verò multitudinẽ cęſorum recenſet, dignũ eſt tyrannico animo, qui nullo ſatis ſanguine poteſt exſatiari. Si quis ex coniectura ſcire velit, quot fuerint in tanta multitudine, tum equites, tum pedites ad pugnam expediti; conſulat Plutarchum, qui Heluetiorum trecenta quidem millia fuiſſe confitetur, ſed nouendecim duntaxat millia ad pugnãdum apta. Idem hîc quoque contigiſſe neceſſariò fatendum ei, qui velit puerorũ, ancillarũ, decrepitorũ, & reliquæ imbellis multitudinis numerum, cum militiæ idoneis conferre. Egregiam ergo laudem Cæſar cõſecutus eſt, qui miſerę multitudinis, & ſupplicis, & omni cõſilio & ducibus deſtitutæ, perfidis cædibus animum & oculos pauit.

Rectiſsi-

Rectiſsimè igitur iuſtiſſimus Cato, cùm Senatus turpiſſimæ victoriæ huius cauſa ſupplicationem decerneret, ſententiam tulit, dedendum eſſe Barbaris Cæſarem, expiandamque vrbis nomine violationem fœderum; vertendasque in ſontis caput exſecrationes, vti ſcripſit Canuſius. Hunc locum totum euoluendum cenſeo ei, qui volet Ambiuaritorum regionis ſitum peruidere. Cùm enim è regione inſulæ, quam Zomeſers wert vocamus, fuga fluminum obiectu ſit prohibita, non procul caſtra abfuiſſe illinc, è quibus Moſam equites ad Ambiuaritos tranſiuerant, neceſſe eſt. Neque veriſimile eſt verſus Eburonum fines, quibus Cęſar aderat, iter flexiſſe. Tranſmiſerint igitur Moſam ad Grauam, ac inde per Ambiuaritorum campos equitarint ad vltimos vſque, ac demus nunc Antwerpiam vſque veniſſe; fieri tamen poterat, vt intra triduum & paulò minus, commodè ad caſtra, quibus egreſſi erant, peruenirent. Finem igitur Ambiuaritorum in ſuburbano Antwerpiano collocamus, hoc nomine complectentes, quicquid eſt citra Moſam & Scaldim, infra Taſſandrorum, & Eburonum, & Atuaticorum regiones: quod totum Atuatico ſubeſſet; niſi nouum opidum ad Ducis-ſil n, & Comites Hollandiæ partem abſtuliſſent. A Menapiis igitur Moſa diuidebantur, qui pòſt Waſi commixtus, à Batauis eos ad Oceanum vſq; ſeparabat. A Taſſandris verò, quibus limitibus fuerint diſtincti, non æquè clarum. Mihi placet, eouſque Ambiuaritorum ditionem extẽſam fuiſſe, quouſq; Retæ ſiue canales ab æſtuariis facti, fundebantur. Loca verò altiora deinde ad Taſſandros & Thungros relata. Extant hactenus horum finium monumẽta in duobus nominibus minimè obſcuris. Alterum eſt Teſſanderlo; alterum Thongerlo; id eſt, altum Taſſandrorum & Thungrorum. Lo enim in ſermone noſtro loca notat altiora, præſertim quæ ſtagnis, torrentibus aut paludibus adiacent. Videntur igitur ad Thongerlo vſque & Teſſanderlo canales excurriſſe, quibus æſtuaria irrumpebant. Verum igitur eſt, ad Thungros vſque Oceanum inundaſſe, non illos quidem mœnibus incluſos, quod quidam ſomniarunt, monſtratis, ſi Mercurio placet, annulis, quibus oræ nauiũ alligarentur, ſed quos vniuerſim hac appellatione nominamus. Atque hoc modo Cæſaris locus defenditur, quo dicit, Eburonum eos, qui Oceano proximi eſſent, ſeſe in inſulis occultaſſe, quas æſtus efficere conſueuit. A canalibus enim multas inſulas factas fuiſſe credet, qui coràm regionis ſitum intuebitur. Quamuis enim mare aggeribus & arenis coërcitum, non amplius tam altè exundet; tamen in tota planitie plurima ſunt ſtagna, non paucæ paludes, & canalium ſiue Retarum clariſsima veſtigia; ad quarum vnius finem

Catonis ſententia.

Thungrorum & Taſſandrorum limites.

hactenus pagus est Reti nomine. Insularum quoque in nominibus extant signa, vt in Arendonck, Corsendonck, Veldonck, quæ ab Eburonum finibus non longè abfuerunt. Sonc enim eum vicum pagúmve significat, qui sic in paludosis, vliginosisque campis iacet, vt frequenter omnia circum circa loca stagnent, atq; se crebrò aquis immergant, non aliter atque mergi Latinis dicti, quos nos ab eodem verbo Suken, cuius præteritum Sonck, Sukers vocamus. Plurimi enim eiusmodi pagi aliquando insularum rationem subeunt, dũ nullus aditus, nisi per pontes longos, datur. Eo nomine non procul ab Antwerpia est Wismerdõck, quasi dicas, vasti stagni insula, locus qui hactenus hieme & multo vere ita aquis lõgè lateq; septus iacet, vt vix aditum admittat. Est & alter eiusdem ex parte nomenclaturæ

Iaspar Schetus dominus Grobendonckanus.

Grobendõck, hac ętate Iasparo Scheto domino suo nobilissimus, qui in iuuẽtute tanta Musarũ benignitate carmẽ scripsit, vt cum optimis poetarũ certare posset, ac deinde ad reip. negotia accersitus, summo cũ honore totius Belgicæ ærario prẹfecturã accepit, qui nobis multa Romanorum numismata, eo loco effossa, monstrari curauit, è quibus coniecturam certam feci, Grobendonck nomen à fossis castrorum & locis palustribus accepisse. Situs certè est, qui propter flumen & paludum munimenta, & lætissima pascua, & castris & equis alendis sit commodissimus. Talis ergo olim regionis natura fuit, victa illa quidem hominum industria, & siluarum sepulturis, quarum tumuli congesti, terram altiorem reddidere; tum etiam mari aggeribus excluso, & campis per emissaria desiccatis: sed sic tantum victa, vt multis locis sese hactenus ostendat. Loca igitur altiora Thungrorum & Tassandrorum, nominibus suis indicant, eousque stagna & æstuaria valuisse; eò quòd Lo semper ad humilia loca, & aquis obnoxia, comparetur. Eodem tractu, quo Ambiuariti & Thungri separabantur, est Westerso & Oosterso, id est, altum Occidentale, & altum Orientale: quibus nominibus loca altiora, citra tamen montis accliuitatem signabãt. Et quò hæc vocis explicatio vberiores fructus nobis adferat, vicinis etiam aliquid inde communicabo. Prius tamen placet indicare, qua formula maioribus nostris pro hoc significatu in vsum venerit. In linguæ Cimbricæ causis ostendam, quasdam nobis voces esse, quæ contrario pronuntiatæ ordine, contrariũ habent significatum. Inter eas est & hæc de qua agimus. Hos enim cauum notat, quod si conuerso litterarum ordine legas, Los existet, sed aspiratio non auditur, eò quòd productio vocalis eius locum expleat. Nam Hos breui accentu & tempore pronunciatur. Lo verò, quia aspiratio fini incommoda esset, pro aspiratione tempus accepit.

Sed

Sed de hac ratione formandarum vocũ, alibi latiùs; nunc illud quod polliciti ſumus, vicinis noſtris largiamur lubenter; tantundem recepturi, ſi qua parte noſtram tenuitatem dignabuntur adiuuare. Louanium vrbs eſt Brabantiæ primaria, non tam Comitibus ſuis vetuſtis, è quibus Duces noſtri extiterunt, nobilis, quàm inſigni Academia, & omnium artium liberalium vniuerſitate. Hæc quia me aluit, & diſciplinis ſuis formauit, iure ſuo poſſet mercedẽ nutritiã poſtulare. Deinde non hoc tantùm nomine ei ſum obſtrictus, quamuis hoc ſolum ſit vel maximum vinculum; ſed illo etiam, quòd ea gentilitatis noſtræ tum priuilegia ſeruet antiquiſsima, omnium eorum quæ extant; & talia, vt nulla alia iis poſsint comparari: tum tribunal habeat, ad quod ſolum quotquot noſtri ſanguinis ſunt, euocari debent, in quacunque tandem Brabantiæ ciuitate degant. Hi vno nomine omnes Petrimanni vocantur, id eſt, viri ſancti Petri; eò quòd Ducem Brabantię exercitu fuſo fugatoque, captum eripuerint è manibus hoſtiũ, tantis animis, vt res miraculi loco haberetur: ob quod factum poſteri tantis priuilegiis ſunt donati, vt ad inuidiam vſque aſcenderint. Habentur enim tanquam perpetui Ducis Brabantiæ aulici, quorum curia Louanij eſt conſtituta, propterea quòd inde Ducum genus de parte maſcula ſit propagatum; ibique Diuo Petro dedicata, extra quam nemo ipſorum cauſam dicere cogitur, ſiue ciuilem, ſiue criminalem. Louanium igitur nomen habet non à laudando, vt quidam prodiderunt; non à Leuacis, vt alij ſunt ſuſpicati, eò quòd hi Neruiorum, non Eburonum fuerint clientes; ſed à ſitu vrbis, qui talis eſt, vt mœnia vetuſta, quæ, vt illa tulit ætas, fuerunt firmiſsima, ex albo nimirum lapide ad normam conſtructa, ex alto deſcendant ad loca humilia, & aquis obnoxia, quas Tila fluuius maior, & Vorta riuulus ſiue torrens, extra ripas ſuas euomere frequentiſsimè ſolent, & longè lateque omnes campos, & intra muros & extra, in ſtagna & paludes permutare. Altum autem illud è quo deſcendunt, Lo vocatur; è quo mons aſſurgit ſiluoſus, à Lo nominatus Lobergh, id eſt, altioris loci mons. Iam ſtagna omnia & loca aquis exundantia, noſtrate ſermone Vey dicuntur. Hinc igitur vox compoſita Louey, id eſt, quod altum locum & ſtagnantẽ complectitur. Nec citra cauſam de hoc ſitu nomen fabricarunt; eò quòd nihil amœnius ſit, quàm vtramque faciem terrarum habere. Louanium certè & intra vrbem & in ſuburbanis vbique, campos habet aquis obnoxios, & iis altiora loca incumbentia; è quibus & colles aſſurgunt, alij vitibus conſiti, alij ſiluis horridi, alij pomariis vberes, alii per decliuia ſegetibus læti. Sunt hæc quidem Louanio & Romæ Louanium.

communia; sed sic, vt si meo iudicio sententia ferenda sit, longè lateque, loci amœnitate, Roma superetur atque vincatur à Louanio. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus est, qui magis videatur mereri, vt sit sacrum Musarum domicilium. Conferantur omnia quotquot sunt litterarum Gymnasia, vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania; nullum inuenietur, quod huic par dici queat. Vixi Parisiis, Aureliæ, Pictauij, Lugduni, Burdigalæ, & in loco Galliæ amœnissimo Andegaui: vidi Ticinum, & in eo domum enneophonum: vixi Bononię, Patauij, Mantuæ, Florentiæ, Romæ & Neapoli: Germaniam partim vidi, partim de auditu cognoui; sed quæ equidem vidi opida, nulla sunt Louanio comparanda, situs iucunditate; cùm tamen viderim præcipua & inter cetera Monachum, Augustam, Vlmam & Coloniam Agrippinã, vt taceam inferiora. In Hispania, Salamanca scholarum magnificentia longè omnibus in Europa præstat Gymnasiis, sed situ & locorum facie à Louanio superatur. Vallis Olitana extra vrbem non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, secundũ quas frequenter Cimancam vsque corporis exercendi & animi recreandi causa soleo, dum illic viuerem, deambulare; & habet duo collegia quibusuis ædibus regiis conferenda, sed omnibus inter se comparatis, nihil ad Louanij amœnitatem. A situ igitur primi conditores nomen dederunt, Louey idcirco vocantes, quòd Lo & Wey tum intus, tum foris contineret. Non esse verò commentitiam hanc vocis interpretationem, de alterius opidi nomine faciam apertum. Est
Venlo. in Geldria in ripa Mosæ opidum non ignobile, Wenso nominatum, cuius appellatio idem prorsus quod Louey significat, contrario duntaxat in compositione syllabarum ordine conseruato. Est autem collocatum in loco altiore, è stagno hiberno, siue palude assurgente, cuius muros ex altera parte Mosa pręterlabitur. Hæc palus quamuis non latè pateat, ad tria tamen & eo amplius milliaria nostratia exporrecta est, atque ea de causa per excellentiam Wey nominatur. Wenso igitur altum illud notat, quod paludi incumbit, à qua nomen opido datum est, Wenso. Nec ratio deest, ob quam Louey syllabam Wey posteriorem habeat, cùm ea in Wenso priorem locum occuparit. Louanij enim alta loca stagnantibus paludosisque, & plura sunt & maiora; ita vt meritò quod dignitate præcedit, prius etiam exprimatur: cùm è diuerso palus illa, à qua Wenso nomen duxit, tam longè extendatur, vt alto illi quod inter Mosam & stagnum veluti Isthmos intercedit, meritò præferatur. Neque enim in tota illa regione palus est, quæ huic sit conferenda. Verùm de Wey alibi plura, nec

vno

vno duntaxat loco, atque id neceſſariò, rerum ſerie ſic poſtulatura. Deſinant igitur nugari, qui vel à Lupo, vel à Leuacis, vel à Martis laudibus nomen Louanio deriuant, & ipſi tandem antiquitatum & & hiſtoriæ magiſtri diſcant, vnde Louanienſis Academia appellationē ſortiatur. Nunc igitur quid Lo noſtris ſignificet, ſatis eſt oſtenſum: è quo fit vt colligamus Ambiuaritorum regionem à Thungris quidem Thungerſo fuiſſe diſcretam. Verùm enimuerò quandoquidem hæc limitū diſtinctio in Tongerloum me deduxit, committere citra piaculum non poſſum, vt monaſterij hoc loco extructi, nullam faciam mentionem. Eſt illud quidem in ſolitudine vaſta ſitum, ſed tale tamen ac tantum, vt magnificentia ſua regia omnium animos ac oculos in ſe conuertat; & quicquid tædij è ſabulone ſterili & longo latoque ericetorum tractu iter hac habentes, contraxerint, id amœnitate ſua inexpectata inſperataque penitus diſcutiat & expurget. Procul è campeſtri & raſa planitie intuentibus, altiſsima denſiſimaque ſilua ſeſe oculis offert; quæ niſi occultum ædificium altiſsima turris pinna procul intuentibus ſe proderet, declinãda fugiendaque, vt latronum vel ferarum ſedes videretur. Iam propius aggreſsis vetuſtæ quercus & rectis caudicibus cælum petentes ſe oſtentant, quæ tam arctis inter ſe & anguſtis ſpaciis comprimuntur, vt altera alteri locum non relinquat, alimentum in ramorum tabulata diffundendi, qua de re fit vt & altiſſimum, & rectiſſimum auctum cuſtodiant. Hinc tum ſtatim peruidetur ab iis ſaltem, quibus nec mens nec oculi deſunt, non ſolius naturæ hoc opus eſſe, ſed arbuſta hominum induſtria olim cõſita, & diligenti cura in ſterili ſolo educata. Nõ igitur luſtra nunc inde belluarũ, ſed ſtatio hominũ diligentiſſimorum exſpectatur in progreſſu videnda. Porrò ſimul ac robora hæc ſublimia ac denſis comis inter ſe cõnexa ſubiueris, neſcio quem metũ animus perſentiſcet, atque perinde te ſenties affici, atque ſi in auguſtum aliquod fanum ſis ingreſſus. Vmbra enim illa quercetorum obſcura, & opaci luci ſenium venerandum, vt omnibus religionem quandam affert, & quaſi horrorem incutit, ita doctis viris Dodonæam ſiluam in mentem reducit, cuius quercus ita fuêre diuinę, vt oracula ederẽt, & conſulentibus ſua fata cantarent. Et optimè ſanè Dodonæ in mentem venit. Quemadmodum enim illic ampliſſimũ celeberrimumq; Ioui templum fuit, ita & hic eſt omniũ pulcherrimũ & ornatiſsimũ. Vbi namque è caligine lucorum ingentiũ emerſeris, in locũ venitur illuſtrem, qui foſsis vndique & muris longiſsimo ſpaciorum circuitu cinctus, non templum, ſed integram ciuitatem videtur continere. Quæcunque enim ad hominum vitam ſunt neceſſaria, in eo pa-

Thungerloum monaſterium.

rantur: quibus cùm munitio accedat,& iuſtus hominum numerus, non video quid ad opidi nomen deſideretur. Relinquo igitur omnium artium officinas, nec commemoro ædificia magnifica hoſpitibus, & parata, & inſtructa; nec Abbatis palatium attingo; nec Monachorum enumero commoditates,& varia domicilia alia aliis horis & vſibus ſeruientia: omnia hæc quia plura ſunt quàm mihi ſit compertum, & in aliis etiam monaſteriis, licet non paria, inueniantur; miſſa facio: duo tantùm maximè admiror, templum & bibliothecā. Templum enim tale eſt, vt vix inuenias quod illi compares: pendet tectum lapideum ſublimibus columnis, cuius fornices ſi ſuſpicias, oculi caligant, tam immanis eſt altitudo. Et quamuis columnarum multitudo magna ſit, & ornamentorum ingens copia,totum tamen tam eſt illuſtre, vt non foris plus quàm intus lucis affulgeat. Cælati marmoris & ſtatuarum non tam numerus quàm ars eſt admiranda. Inter ceteras picturas vnam habet ingentem tabulam, cuius ſolius gratia, tametſi cetera omnia deeſſent, facilè huius regionis magnificentiſſima etiam templa,quæ nuſquam gentium quàm apud nos vel plura ſunt vel ornatiora, ſuperaret. Huic adhærent porticus ingentes, altiſsimis item pilis ſuſpenſæ. Duo in primis admiratus ſum monaſteria extra regionem noſtram: alterum Guadalupium, in quo ad quatuor menſes iucundè ſum & Palladi,& Apollini herbario operatus: alterum Caſsinate, cui & villæ Varronis, & opido ſubiecto, à Sancto Germano nomen ab optimis acubus, gratiſsima mulierculis Palladiæ artis ſtudioſis ſupellectile, ſortito; hebdomadam vnam ad videndum impendi: quorum vtrumque vt diuitiis & ceteris rebus ad magnificentiam ſpectantibus, quamuis videri queat ſuperius: templi tamen ſtructura & ornatu ambo longè ſunt inferiora. Monſtrent picturas ſculpturaſque, monſtrent caligantem teſtudinis ſupremæ altitudinem, monſtrent ſacellum corpori Dominico dedicatum, monſtrent altiſsimas picturatasque vitreas feneſtras;monſtrent organa muſica: his omnibus, ſcio, ſuperabuntur. Sed præter hæc, vnum eſt in quo indigna ſunt, vt huic noſtro conferantur. Horologium enim habet Tongerloum hoc fanum,campanarum numero & varietate tonorum admirandum; quod carmina multiplici ſonorum concentu, non ſecus atque organum modulatur, priùs quàm horas maxima campana ſonoro ſuo vaſtoque indicet bombo, Dodonæo æri longè præferenda. Atque hæc quidem obiter de templo. Bibliotheca verò in nullo vnquam mihi monaſterio par viſa eſt, ſiue ipſius magnitudinem, ſiue librorum varietatē ſpectes. Videre igitur nunc licet ingentes illas vmbroſasque quercus,verum Dodonæi & templi

& ora-

& oraculi ſymbolum fuiſſe. Vnde enim rectiùs veritatem petas, vel de iis quæ ad religionem ſpectant, vel de aliis quæ vitæ vſibus ſunt neceſſaria; quàm aut è piis doctisque viris, aut è mutis omnium rerũ diuinarum humanarumque magiſtris? Habemus ergo in campeſtri noſtra Brabantia in Ambiuaritorum & Thungrorum finibus antiquis Dodonæum hactenus & templũ, & oraculum; quod Deus Optimus Maximus faxit, vt nunquam bonis, piis, eruditisque viris florere ceſſet, quo populum pagatim per ericetorum ſolitudinem habitantem, & vitæ exemplo, & verbo Dei paſcat. Gaudeo equidem in hoc religioſorum hominũ venerabili collegio, quamuis patruum piæ memoriæ virum magnæ exſpectationis in eo amiſerim; cognatũ tamẽ Iacobum Veltackerum ~~in eo~~ mihi ſupereſſe, qui fratrum ſuorum ſuffragiis eo ipſo ferè tẽpore, quo hæc Aduerſaria congererem, ad Abbatis culmen eſt euectus; ad quod cùm diuino nutu conſcenderit, rogo Deum Opt. Max. vt eam ei gratiam infundat, vt Abbatis nomen, vita & moribus æquare poſsit. Magnum enim ſibi nomen ſumpſit, quiſquis primus hoc ſibi nomen inter monachos ſumpſit. Chriſtus Patrem ſuum cæleſtem orans, hac voce eum rogauit, cui dicit omnia eſſe poſsibilia. Paulus inuocationem Dei per hoc nomen ſupremæ dignitatis & ſummi priuilegij hominibus conceſsi exiſtimauit, dum nobis licet Deum Abba nominare. Cogitet igitur, cogitet quiſquis hunc titulum gerit, quantæ exſpectationis, quantæ dignationis, quantæ excellentiæ vitam, nomine ſuo polliceatur, & cogitet iterum atque iterum, noctu & interdiu, & ad ſingula quarumuis operationum momenta, qua voce nuncupetur. Homerus dũ Regem patrem vocat, ſe putat omnes numeros Regiæ maieſtatis expleuiſſe: quamobrẽ qui patrẽ ſe facit, non plebeiorum hominũ, ſed eorum, qui doctrinam Euangelij, qui eximiam pietatem, qui deniq; altiora omnia, quàm ſummi ſint in ciuitatibus gradus, profitentur; videant quid exempli ſuis filiis præbere debeant. Quoties Abba audit, ordinis ſui originem in memoriam reuocet, ac ſingularem vitæ auſteritatem & puritatem eorum reuoluat, qui ſupremos ſui ordinis homines, ita vernaculo ſuo ſermone nominarunt. Syram vocis originem agnoſcat: Eſſæos, quos Philo ſanctos, ſi rectè memini, interpretatur, ſibi proponat. Ab his ſicut nomen, ita vitam & mores ducat: quam ſi neſciat, Ioſephũ, Philonem apud Euſebiũ, Porphyrij quartum De carnium abſtinentia legat. In his inueniet qualem eum eſſe deceat, qui Abba ſiue patrem ſe vocari ſinit eorum hominum, quos Syri Eſſæos vocarunt. Ab his enim prima eſt monachorũ origo; quã quantò propius quis in monaſterio refert, tantò dignior eſt Syra hac

Iacobus Veltackerus, Abbas Thongerlous.

Abba.

Eſſæi.

patris

patris appellatione. Est & alterum nõ procul à Thongerso eiusdem ordinis Præmonstratensis, à Norberto instituti monasteriũ; ad paulò plus minus duo milliaria disitum; quod nisi splendore vicini obfuscaretur, magnificentissimum poterat haberi; cui nomen Eiuerboium à terrore solitudinis, vt videtur, acceptũ. Thongerso subest hospitium quoddam, cui simile, nedũ par, nusquam vidi gentium. Structura regia stat in media & vasta planitie, quæ vndique aciem oculorum finit, nullis ædibus ad duo milliaria vicinis. Lucus querneus adiacet ingens, solitudine sua incutiens horrorem: Loco Poſtel nomen est, plantarium liceat interpretari, eò quòd Pot plantam nobis notet, & Stel idem sit quod pono. Credo igitur principiò plantarium hîc quercuum fuisse; ac deinde, quia in vasta planitie nusquam hospitium esset ad diuertendum, commiseratione viatorũ motos aliquos pios viros, sumptus suppeditasse, quibus egregium diuersorium & extrueretur, & perpetuò iis abundaret, quæ hospitibus gratis excipiendis sunt necessaria. Hoc itaque Abbati Thongerso curandum datum fuisse, ne pia domus bonorum hominum opibus fundata, priuati alicuius Toparchæ auaritia spoliaretur. Huc quotquot diuertũt siue equites, siue pedites, hospitio pro dignitate & decoro personarum excipiuntur, ne obolum quidem soluturi, nisi cereuisia non contenti, vinum emant. Est autẽ diuersorium hoc pluſquam regium, in finibus Ambiuaritorum & Taxandrorum; quatuor circiter à Thongerso milliaribus remotum. Non desunt alia in hac ericetorum vastitate monasteria, quæ enumerare & longum sit, & superuacaneum, & nihil faciens ad eam, quam quærimus, antiquitatem. Atq; hæc quidem de Thongerso, vetusto Ambiuaritorũ & Thungrorũ termino: nunc considerandũ quo limite Ambiuariti à Taxandris fuerint distincti. Hunc pagus nobis is indicabit, qui hactenus Tessenderso vocatur, quasi diceres, altum Taxandrorum. Dicuntur autem Tassandri siue Taxandri, quasi Tas ſanders, id est accumulatores arenarum; eò quòd sterilem & arenosam regionem colerent, ad cuius limites multos cumulos arenarum è Retarum alluuione, & ventorũ impetu conuectarum cernere liceret. Tas enim nobis idem est quod aceruus, siue magnus cuiusuis rei cumulus in vnum congestus, si vt nomen vsurpetur: at si verbum sit, idem est quod aceruos struo. Quia verò arenarum hæc copia, non apud hos solùm, sed apud omnes etiam Ambiuaritos plurima esset, factum est, vt nomen ab ea re sumptum, ceteris etiam tribueretur. Vix enim vlla regio, quæ modò non omnino sit sterilis, tantum habet arenarũ, quantum est apud Ambiuaritos & Tassandros; vt non immeritò in commu-

Eiuerboium.

Poſtel.

Tassandrorum limes.
Tessenderso.

communionem nominis admittantur, quibus tanta est communio sterilium fabuletorum. Hinc non malè Plinius, dum dicit: A Scaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus; omnes eos Toxandros appellans, qui vltra Scaldim ad Mosam vsque loca fabulosa habitarent; non dubium quin ita doctus à quopiam nostræ linguæ perito. Quòd autem prima vocalis sit mutata, id non mirum est in nominibus ignotis à Romanis committi, cùm in suo ipsorum sermone idem facere non vereantur, vt ex aula, olam: è plaustro, plostrum fieri videmus. Nobis crebriùs prima vocalis in secundam mutatur, atque hinc Tessendros audimus pro Taxandris dici. Apud Ammianum Marcellinum Toxiandria legitur, pro Taxandria, siue quod idem est vi litterarum, Tassandria: & vt Plinius à Scaldi omnes ad Thungros vsque & Mosam Taxandros nominauit; ita Ammianus eum locũ, qui est inter infimos Thungros & Scaldim, Toxandriam dixit. Hæc igitur est vera nominis ratio, quæ Plinium etiam excusat, alioquin reprehendendum, quòd locis infimos, sed origine primos Atuaticos & Ambiuaritos omisisset. Hi enim primi extra Scaldim habitabant, vti ex Cæsare & Ptolomæo ostendimus, quos Plinius communi nomine Taxandros vocauit. Ambiuariti igitur Taxandris & Thungris ita finitimi fuerunt, vt illic regio ipsorum terminaretur, vbi Ritæ desinebant. Exitus autem & irruptiones Ritarũ siue æstuariorũ, à Scaldis vastissimis ostiis pendebant; à quibus aliquando tanta violentia insurgunt, vt omnia deuastent. Memini ipse inter alia quamplurima damna, tantam vndarum vim Bredam vsque æstu irrupisse, vt pons è quadrato marmore cæruleo, & duobus firmissimis fornicibus constructus, momento vno fuerit disruptus, & agger qui à Tetringa, vicus is est suburbanus, in opidum ducebat, altis gurgitibus fuerit excauatus. Ambiuaritorum ergo regio à magistratu ad æstuariorum canales constituto, & nomen obtinuit & dignitatem, quorũ vtroque adhuc censetur, & Atuatico, vt olim, ita hactenus quoque deuincitur, quamuis voce decurtata nunc nominetur. Quàm verò vicini Atuatico fuerint, è pago vetustissimo *Dor-na* nomine, apparet, qui vno duntaxat milliari à ripa sublicia, in qua præcipua sunt gerania, distat. Ferunt olim opidum fuisse, sed ab Atuaticis, ne hostibus castrorũ loco esset, vallis & fossis exutũ. Aperui autẽ paulò antè, *Dor-na* nobis idem signare, quod Latinis ferè nimis propinquum diceretur. Eadem de causa, sed multis posteriùs seculis, arx illa, cuius modò feci mentionem, in ripa Scaldis Flandrica, ab Atuaticis diruta est, quòd nimium vicina videretur, dicta idcirco *Nimi-na*, id est, nimium propinqua. Quòd verò *Dor-na*

Plinius excusatur.

Breda.

Ambiuaritorũ & Atuaticorum terminus.

Ambiuaritorum fuerit opidulum, non de nomine tantùm coniici poteſt, ſed de illo etiam quòd Dornenſes prima appellatione, non Antwerpiam, ſed Liram, euocentur, atque inde tandē Antwerpiam. Ambiuaritorū enim tribunal, in quo de iis ageretur hominibus, qui Principis patrocinio, quod feudum nunc vocamus, non eſſent deuincti, Liræ fuit, vnde illi nomen ab honore & principatu populi. De feudis enim Ambiuaritorum, ad opidum Santhof cauſæ referebantur: qui locus, quamuis in Ambiuaritis eſſet, nomen tamen ab arenis eſt ſortitus, perinde atque Taſſandria: vt & hinc liqueat, non abſurdè Plinium Taxandrorū appellatione Ambiuaritos etiam comprehendiſſe. Santhof enim nihil aliud ſignificat, quàm aulam ſabulonis, in qua hactenus de multis bonis, Principis patrocinio ſeruitioque alligatis, cognitio habetur. Verùm quo certius cōſtet Ambiuaritorum & Atuaticorum hunc limitem fuiſſe, addam & fluuioli nomen, quo indicatur apertiſſimè illud ipſum, quod aſſeuero. Nominatur enim Sceiy, voce per conciſionem decurtata, quaſi Sceient, id eſt, diſtinguo fines. Quorum verò fines diſtinguit, ſi non Ambiuaritorum & Atuaticorum, quando hoc loco nullæ aliæ gentes ſunt inuentæ, quas finitimas fuiſſe dicere poſſemus? Eodem pertinet pagus in ripa fluminis vlteriore, ſiue Septentrionali ſitus, cuius appellatio idem declarat. Vocatur enim Mercſheiy, quo ſignificatur domicilium limitis. Neque enim hic alium limitem inuenire queamus, quàm illum, quo vicini hi populi terminabantur. Marc autem ſiue Merc, limitem ſignare in ſermone noſtro, pòſt erit aperiendum latiùs: & Heiy domum eſſe, mox docebo. Conſenſus igitur horum appellationum manifeſtum facit, Sceindam terminum hac parte, & Dornam & Mercsheimum vltimos Ambiuaritorū pagos fuiſſe. Quàm verò latè particulatim Ambiuaritorum ditio hoc tempore pateat, & quot opida cōprehendat, tum dicendum, cùm præſentem vrbis noſtræ ſtatum deſcribam. Nunc antiquitates duntaxat inquiro, quibus abſolutis, ſi Deus ſtudia hæc dignabitur promouere, reliqua tractabo. Atque hæc quidem ſufficere videntur ad ſitum vrbis antiquum, & duplex nomē Antwerpiam & Atuaticum & Ambiuaritorum municipium, rudi quaſi Minerua, depingendū. Intelleximus enim quo loco Antwerpia collocetur; & hanc oram à Gallis olim habitatam; ſed iis quorum nullum nomen, nullumque monumentum apud ſcriptores extet. Deinde Gallos à Thungris, Thungros ab Eburonibus fuiſſe de poſſeſſione imperioque pulſos. Poſtremùm Cimbros Teutonoſque hoc ipſo loco Atuaticum condidiſſe, quod pòſt cœperit Antwerpia vocari. His igitur modò conſtitutis

Lira.

Santhof.

Sceinda.

Mercsheim.

ſtitutis ordine, videtur conſequens eſſe docere, qui ex hac arce Atuatici ſuperiora in nomen ditionemque ſuam redegerint. Equidem ſi rationi conſentanea dicenda ſunt, ſic exiſtimo paulatim eos per paludes & ſiluas eam viam tenuiſſe, quam exercitus ille, à quo erant relicti, ad Rhemorum vſque campos muniiſſet, atque ita ſenſim ſua ampliaſſe, ſic tamen vt ipſorum ditio in modum linguæ ab Atuatico verſus Rhemos inter Eburones & Neruios extenderetur. Exorſi igitur à Berghemo & Wiltryco & Hoboco principiis ſiluæ Arduennæ, qua ad Scaldim pertinebat, Ripelam flumen tranſierũt, ac deinde ſurſum per Wiltbroecum, ad ſiluam Soniam, Arduennæ interioris partem paulatim progreſsi, Bruxellas & loca vicina tenuerunt. Hinc per Niuellas, Bintium, Bellum montem ad Landerciſium vſque limites protulere. Locorum certè nomina, ab ipſius ſtatim Atuatici ſuburbiis oſtendunt quodam adhuc modo, Arduennam huc vſque pertigiſſe. Videmus adhuc amœniſſimum nemus Berghemi, quod tamen quotannis ferè particulam aliquam deperdit, exciſis radicitùs arboribus ad arua comparanda. Berghem autem nihil aliud ſignificat, quàm domicilium aptum ad occulendum ſeruandũque. Homines enim in ſiluis æquè atque in mõtibus, ſe ſolent ab hoſtium inſultu tueri: quo fit vt nomen Berg non ad montes ſolos ſignificandos in vſu manſerit, ſed ſit etiam ad ſiluas relatum, quibus occulere ſeſe homines ſolent, & ab iniuriis ſeruare. Primùm igitur montem, hinc ſiluam, atque portum vox hæc notauit. Heim autẽ craſſo & longo ſono prolatum, vt ſit Heim, domicilium notat; præſertim quod inſulæ modo aliis non eſt contiguum: dictũ à verbo Heimen, quod eſt locum aliquem ſepibus, vel vallis, vel aggere, vel foſſa, vel arbuſtis, vel alio quouis genere munire. Eiuſmodi autem genera ædificiorum priſcis Germanis fuiſſe, Tacitus docet his verbis: Vicos locant non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis, ſuam quiſque domum ſpacio circumdat, ſiue aduerſus caſus ignis remedium, ſiue inſcitia ædificandi. Ab hoc pago non longè abeſt alter, Wiltryck nominatus; quo ſignificatur ferarum regnum, quòd tanta illic eſſet ſiluæ aſperitas, vt ferarum potiùs quàm hominum domicilium videretur. Wilt enim feram ſignificat; & generatim omne ferum Wilt vocatur. Eyck, præter alteram notionem, regnũ dicitur apud noſtrates. Inter hunc pagum & Scaldim eſt Hobocum ante quadringentos annos nihil præter ericam, geniſtam, rubos, & id genus humiles ſiluas producens, qua cauſa Hoboc Woeſtyn dicebatur, id eſt, eremus ſiue ſolitudo Hobocana. Nam Woeſt omne id ſignificat quod incultum eſt & vaſtum: hinc Woeſtyn inculta ſolitudo.

Quò Atuatici limites promouerint.

Berghem.

Heim.

V Viltrÿc.

Hobocum.

litudo. Hoboc autem idem est, ac si Latinè dicas, altũ hircum; quo nomine propterea locum illum vocauerunt, quòd à flumine statim altè se ad modum hirci erigens, nihil ferret præter inutiles siluas, quę ab hirco duabus rationibus nomen habere mererentur; & quia materia non esset vtilior, quàm lana hircina; & quòd nulli animali pabulum idoneũ, præterquã hirco proferret. Hos enim siue Ho, altũ; Boc, hircũ notat. Licuit autẽ æquè nostris eiusmodi terrã, hircum, atq; Latinis diuersi generis glebã, Porcam nominare, ab animalis similitudine, licet Varro fortè refragaretur. Quemadmodũ igitur illi à fœcunditate liras porcas vocauerunt; ita nostri terram inutili arbustorum genere hirtam, & nihil aliud quàm lac hircinum & lanam hircinam subministrantem, hircum sua lingua nominarunt. Tanta autem olim hîc vastitas & solitudo fuit, vt communi hactenus prouerbio, quos longè amotos in malam rem optamus, iis imprecemur vt sint in Hobocana solitudine. In litteris Latinè scriptis, iis quibus Princeps hanc eremum aliquot rusticis habitandam colendamque dedit, vocatur Vastina de Hoboc, è Woestyn voce nostra, facto nomine semilatino, quasi à vasto deriuaretur. His tribus pagis, quorũ primo & vrbi proximo, à siluis nomen est, quòd iis primos habitatores occuleret atque tueretur; alter ferarum regnum; tertius, Eremus Hobocana nominatur, Antwerpia ab Euro ad Austrum vsque cingitur; adeò vt certò constet, non de locorum modò præsenti natura, sed de vetustis etiam nomenclaturis, hoc Arduennæ siluę ad Scaldim exordium fuisse. Est autem Arduennæ nomen in principio, perinde ac Atuaticum aspiratione mutilatum, idem significans quod Latinis, Ceruorum solitum & gratum stabulum, vt in deorum historia latiùs & apertiùs ostendam. Inter tamen proximos hos saltus & arcem, paludes etiam erant, nunc cura diligentiaque hominum ad pascua accommodata. Inter ortum verò & Septentrionem circa Scheindam fluuiolũ, omnia item paludibus erant inuia, cui nomen datũ à distinguendis finibus inter Atuaticos & Ambiuaritos. Hinc in Ambiuaritis adiacet Sor-na, inter quem pagum & vrbem silua olim fuit Borger-Hout, id est, silua ciuium nominata. Post Dornam trans Scheindam siue Scheyendam in ipsa ripa Scaldim versus, Mercxheim pagus est, sic dictus, quòd proximus terminus Ambiuaritorum sit. Merc enim limitem notat; heim, domum: Mercxheim igitur nihil aliud sonat, quàm domicilium limitaneum, vti modò dixi. Erat enim hic limes eorum inter Ortum & Septentrionem, à quo ad Scaldim duo pagi interiacent; quorũ alteri Eycker nomen est, à quercuum, vt arbitror, copia; quarum hîc siluam fuisse

Lira.

Arduennæ ad Scaldim fines.

Eycker.

non

non nomen tantùm, ſed reliquiæ etiam oſtendunt: alter, qui vaſtis paludibus cingitur, Wiſtmerdonc vocatur, id eſt, ſi Latinè vertatur, vaſti ſiue feri, lateque patentis ſtagni inſula aliquando mergi conſueta. Wiſt enim non ad ferum tantum, ſed ad vaſtũ etiam ſignificandum in vſu eſt, vt cùm dicitur, De wiſde zee, id eſt, vaſtũ mare. Mer nobis ſtagnum notat. Donc quid ſit, modò explicatũ. VVilmerdone. Donc.

Ab hoc pago Scaldis excipit, quo aduerſo duobus milliaribus Hobocum nauigatur, vrbe in medio itinere ad læuam conſtituta. Habemus ergo nunc hinc veros Ambiuaritorum terminos, hinc primũ exordium limitum ad ſuperiora Eburonum loca, ab Atuaticis promotorum. Videntur enim Atuatici per Arduennam ſurſum ſedes ſic protuliſſe, vt per Wiltryc & Hobocum, & Bomum pagum, ab arbore quam Boom vocamus, nominatum; Ripelam tranſmiſerint. Id fluminis nomen eſt à vehementia & feritate rumpendi acceptum, in quo Neta à puritate fluxus nominatus, & amnis Machliniam interluens, & aquas & nomen amittunt; à quo Ripelmont, id eſt, oſtium Ripelæ, quo in Scaldim fluit, nomen accepit. Trans Ripelam venerunt ad loca paludoſa, à quibus proximi pagi appellantur; alter Wiſtbroeck, id eſt, palus ſilueſtris, ſiue palus ferarum, ſiue palus vaſta: alter Huyſbroeck, id eſt, palus ventorũ impetu latè ſonans. Broeck enim paludoſum, vliginoſumque locum ſignat. Huyſen verò eſt procellosè ruere, vox propria ventorum: de qua alibi rurſus erit dicendum. His nominibus & præſenti facie ſatis eluceſcit, qualia olim loca fuerint. Nam præter paludes, ſiluæ adhuc plurimæ in toto hoc tractu reſtant; quamuis ad cultum agrorũ ferè ſint exciſæ, eo ſolo conſeruato, quod ad lignationis vſum neceſſarium fore videbatur. Ab his ſaltuum laciniis Sonia ſilua excipit, poſt quam plurimæ ſiluarũ reliquiæ ad Marmaum vſque ſaltũ viſuntur, cuius receſſus coactus ſum perluſtrare, dum illac à Gallis captus traherer ſiti de labore & æſtu ferè exanimatus, niſi qui cõprehenderant ad locum duxiſſent baccis vitis Idææ luxuriantem; quarum grato & ſalubri liquore mirificè fui recreatus, cui hoc gratiæ repoſui, vt eam in priſcum nomen primus quantum eius ſciam, vindicarem: quod equidem addo, ne quis de tabula duntaxat & aliorũ relatu, me iter hoc Cimbrorum deſcribere arbitretur. Poſt hunc ſaltũ, in lætos Rhemorum & Viromanduorum agros venerunt; atque inde in Gallia perpetrarunt ea, quorũ memoria apud Latinos & Græcos ſcriptores extat. Atuatici igitur eadẽ via ad ſuperiora ſunt graſſati, inter Eburones & Neruios ea ſibi vindicantes, quorum poſſeſſionem Cimbri dum iter illac & haberent, & ſecurum redderent, occupaſſent. Ex

Atuatico igitur aſcenderunt ad Eburonum ſupremos ad Sabim limites; ita vt hac parte cõfinia Treuirorum, Rhemorum & Viromanduorum attigerint; ex altera parte Neruiis terminati. Tota autẽ gens à primo opido Atuatici nominati ſunt, atque inde diſtinctionis cauſa Atuaticum cœpit Antwerpia dici, ne totius gentis nomen ad vnicum ſolum opidum referretur. Horum præcipua ſedes in qua conuentus ſuos haberent, videtur non procul à Bruxellis in agro Gaesbecano fuiſſe, atque eodem loco aduerſus Cæſarem exercitum conſcripſiſſe, quo Neruiis auxilium ferrent. Verùm Cæſaris celeritas effecit, vt quamuis in itinere eſſent, non potuerint tamen ad locum pugnæ peruenire, atque idcirco audita Neruiorum clade, ſe ſuaque omnia vni opido incluſerunt. Longè igitur infrà Sabis eam partem, ad quam prœlium commiſſum eſt, Atuaticorum meditullia & præcipuum quaſi regionis cor, abfuiſſe, neceſſe eſt. Credo equidem Neruios decem millibus paſſuum à Bauaco cæſos eſſe, cùm triduo Cęſar iter per Neruiorum antè fines feciſſet, quàm eò peruenire; vbi intellexit non pluribus quàm decem millibus paſſuum Sabim abeſſe. Nõ procul igitur à Mabuſo prœlium eſt commiſſum, à quo loco niſi longè Atuaticorũ copiæ coactæ fuiſſent, non conuenienter admodũ iis quæ fieri ſolent, Cæſar ſcripſiſſet Atuaticos, quamuis in itinere eſſent, Neruiis ſuccurrere non potuiſſe. Sed præſtat eius verba audire quæ ſic habent: Cùm per eorum fines triduo iter feciſſet (loquitur de Neruiis) inueniebat ex captiuis Sabin flumen ab caſtris ſuis non amplius millia paſſuum decem abeſſe: trans id flumen omnes Neruios conſediſſe, aduentumque ibi Romanorũ exſpectare, vnà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis ſuis. Nam his vtriſq; perſuaſerant, vt eandem belli fortunam experirẽtur. Exſpectari etiam ab his Atuaticorũ copias, atque eſſe in itinere. Hæc Cæſaris verba ſatis declarant Bellomontem minimè eſſe Atuaticũ: eò quòd ſi ad Sabin illinc profecti fuiſſent, equè ferè citò ac Cæſar ad flumẽ peruenire debuiſſent, niſi teſtudineo gradu tum vſi fingerentur, cùm ſumma opus eſſet celeritate; ne ſoli, quod accidit, Romanis reſiſtere cogerentur. Multò minus Duacum, vt aliqui ſomniarũt, hoc nomine dignamur; cùm certò conſtet è variis Cæſaris locis, Atuaticos inter Neruios & Eburones fuiſſe; Duacum verò inter Atrebates & Neruios eſſe. Cetẽrùm Bellummontẽ fatemur in finibus ſupremis Atuaticorũ fuiſſe, exercitum tamen multò infrà recenſitum. Credo equidem in agro Gaesbecano eos robur omne coegiſſe, non procul ab eo opido quod Cęſar expugnauit; atque illinc ſurſum Sabin verſus ad Neruios contendiſſe; ac cùm intelligerent in itinere hos à Romanis cęſos eſſe, omnes

Vbinam Atuatici exercitũ contra Cæſarem legerint.

Bauacum.

omnes se vni opido,quod Cęsarnō nominauit,inclusisse;cunctis opidis castellisque reliquis desertis illis nimirum,quæ inter locū pugnæ & hoc opidum Cæsar inuenit. Ad ipsum enim Atuaticū nullus Iulio fuit accessus,propter eas, quas dixi,siluarum, fluminum, & præcipuè paludum difficultates, quibus Ambiorix sese aduersus Romanos tum defendit,cùm Cęsar ad Scaldim ad vltimas Arduennæ partes ipsum persequeretur. Quòd si Atuatici machinas Romanorum, quibus muri oppugnantur, antè nouissent,quàm obsiderentur, non est dubium quin omnia sua ad ipsum Atuaticum contulissent,locum natura,vt tum erat,inaccessum.Quò igitur clariùs eluceścat,vbinam meditullia Atuaticorum fuerint, lubet ea huc de Cæsaris Commentariis adferre; quæ non ad hoc modò, sed ad alia etiam explicanda conducent. Cùm Ambiorix,Cotta & Sabino legatis cæsis, maximis itineribus & summa celeritate ad Neruios properaret; neque die neque nocte intermissa,quo Ciceronem inexspectatus occuparet,nō est ambigendum, quin rectissimum iter sit ingressus, vti tanto festinādi studio conueniebat. Quocirca cùm Atuaticos in itinere conuenerit, quis dubitet quin horū conuentus & curia, inter castra legionis ab Eburonibus cæsæ,& castra Ciceronis apud Neruios sic media fuerit, vt Ambiorigi non fuerit longè de via declinandum. Iam verò ab Atuaticis iis quos est allocutus, non amplius fuit quàm vnius diei iter ad Neruios vsque,ad quos postera die dicitur peruenisse:à castris autem Titurij & Cottę ad Atuaticos,plus fuit interualli,quippe in quo conficiendo dicatur neque diem neque noctem intermisisse. Quod autem castris Titurij & Aurunculeij nomen fuerit, libro sexto Cæsar exponit ad hunc modum: Tum copiis in tres partes distributis, impedimenta omnium legionum ad Varucam cōtulit: id castelli nomē est. Hoc ferè est in mediis Eburonum finibus,vbi Titurius & Aurunculeius hiemandi causa consederant. Hunc cum reliquis rebus locū probabat Cæsar, tum quòd superioris anni munitiones integræ manebant,vt militū laborem subleuaret. Verùm quia Cæsaris Commētaria typis excusa pleraque hoc loco habeant,ad Vatucam, quædam etiam Atuatucam,cogor latiùs & ampliùs, quæ genuina lectio sit,& examinare & docere, ne ab eo lucem videar obscuris rebus petiuisse, in quo ipso vel falsitas & scripturæ corruptela subest, vel plus est tenebrarum, quàm in eo ipso quod est in quæstione. Altius itaque incipiens, initium faciam à castris Ciceronis in Neruiis oppugnatis: quæ si inuenero & indicauero, non hoc modo consequar, vt de Varuca non amplius dubitetur; sed multos etiam à falsa suspicione, & errore grandi liberabo. Pagus est ab Aldenardo millia-

Varuca.

Locus Cæsaris correctus.

Castra Ciceronis in Neruiis.

milliaribus duobus, à Gandauo paulò plus minus tribus distans, cui nomen Velsic. Hunc plerique putauerunt Belgium vetustam Belgarum vrbem fuisse, tum ob allusionem nomenclaturæ, tum ob plurima antiquitatis monumẽta in eo reperta. Primum igitur horũ opinio conuellẽda. Cęsar libro quinto dicit, se tres legiones in Belgio collocasse, atque iis M. Crassum Quæstorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium legatos præfeciſſe. Quo loco Belgium non est generatim pro Gallia Belgica accipiendum, eò quòd ceteræ quoque legiones omnes, quas enumerat in Belgica Gallia, hiemasse narrentur: nisi Neruios, Morinos, Essuos, Eburones & Rhemos à Belgarum nomine excludamus. Iam quo loco Belgium veterum fuerit, idem Cæsar eodem libro declarauit, dum dicit: Cæsar acceptis litteris, circiter hora vndecima diei, statim nuncium in Bellouacos ad M. Crassum Quæstorem mittit, cuius hiberna aberant ab eo millia passuum viginti quinque. Hîc clarè expressum est, M. Crassum, quem anteà in Belgio collocarat, apud Bellouacos hiemasse. Belgiũ igitur per excellentiæ figuram de Bellouacorum ditione, si citra distinctionem ponatur, erit intelligendum; eò quòd hi inter omnes Belgas, & virtute, & auctoritate, & hominum numero plurimum valerent, vti de Rhemorum relatu libro secundo Cæsar dicitur cognouisse. Nomen item ipsum Bellouacum si interpretemur, idem indicabit; quod nihil aliud sonat, quàm excubias Belgarum. Wac enim nobis excubias, vigiliarumque locum significare, vel pueris nostris notum. Bellouacum igitur factum est, ex Belgey wac, duplici w in simplex transeunte, quòd Latini hac duplici ad sonum eum, qui nostratibus frequens est, notandum, non vtantur. Nomen igitur hoc sibi sumpserunt, vt indicarent se omnium Belgarum curam habere, & pro omnium salute vigilare, & perpetuas excubias agere aduersus hostes. Horum itaque ditio Belgium, ob excellentiam & summum apud Belgas imperium, vocabatur. Belgarum autem appellatio, partim de natura hominum, partim de iis quæ communiter & passim in ea eueniebant, originem ducit. Balgey enim est pugnare; & Belgey, irasci: sed prima & secunda vocalis, inter se frequenter altera in alteram cõmigrant. Belgers igitur siue Balgers sunt pugnatores, & ij qui ad iram & pugnas sunt procliues. Nusquam enim frequentiora prœlia, quàm in Belgica Gallia committebantur: eò quòd vel ipsi inter se, vel cum finitimis Germanis bella gerere assiduè ferè consueuerint. Ortum autem vox hęc habet à Vfel siue Phel, mutata littera aspirata in mediam, quo crudelis significatur, propterea quòd ira & bello nihil sit cru-

Belgium.

Bellouaci.

Belgæ vnde dicti.

crudelius. Agnoſcant hic Latini quoque vocabuli ſui originem: niſi bellum à belluis malint deriuare; vel dicere, Bellum dici perinde atque Eumenides quaſi minimè bellū: ſed de hoc aliisque id genus, pòſt fortaſſe plura: hic ſatis eſt oſtendiſſe, Belgas rationem nominis è noſtra lingua habere manifeſtam. Verùm vt Bellouacorum ditio Belgium, ita Samorobrinæ vicinæ ciuitatis homines Ambiani nominabantur, nomẽ hoc, vt videtur, ſortiti ex eo quòd proximi eſſent principi Belgarum ciuitati. Ambian enim ſic dicitur vt Ammay, de quo antè ſatis multa. Magiſtratus igitur ſiue iuriſdictio proxima Bellouacis, Ambian dicebatur. Ampt enim quid ſit, eſt declaratū. Biay verò idem eſt quod valde propinquum. Ambianorum autem opidum viginti quinque millibus paſſuum à Bellouaco diſtabat, Somerbruy nominatum, è quo Cæſar Samorobrinam fecit. Eſt enim ita, ſiquid video, appellatum, eò quòd aqua Somæ fluminis hac parte Bellouacis eſſet proxima, & quòd ipſam Somę aquam opidum cõplecteretur. Sowy autem nomen ideò flumini datum, quòd ſe inter terminos ſuos facilè contineret, hac ratione planè contrariũ Moſę: Mos enim vagum notat, & hac ratione loco tribuitur in ędibus cui omne genus liquoris temerè infunditur, vt inde foras propellatur. Lutum item & cœnum per plateas collectum Mos nominatur, vnde Antwerpiæ Moſmeier is dicitur, qui præeſt vicis viiſq; ab hac ſpurcitia emundandis. Moſa ergo ſic vocatur, quòd frequenter alueum egreſſus omnes circum circa campos latè ſtagnare faciat, inſigni frequenter damno accolarum; quod Geldrenſes & Buſcoducenſes crebris experimentis didicere. Huic voci ſicut ordine litterarum, ita ſignificatu Sowy contrarium videmus, id ſignificans quod in vnum eſt collectum: vnde Summey in vnum colligere, à Samey quod eſt ſimul: ſed de hoc alibi plura. Bruy verò aquam notat. Ab aqua igitur Somæ dicitur Somerbruy, opidum ſuper Soma cõſtitutum, quod pòſt à tota ditione Ambianũ cœpit nominari. Longè igitur aberrãt, qui Cameracum Samorobrinam veterum fuiſſe arbitrantur, cùm à Bellouaco pluſquam triplo amplius abſit quàm viginti quinque millibus paſſuum. Hactenus ſanè Bellouacum viginti quinque, id eſt, totidem millibus paſſuum quot Cæſar annotauit, ab Ambiano eſt remotũ, ita vt nihil dubitem Ambianum Samorobrinam Ambianorum eſſe. Hoc autem ſpacium Craſſus partim noctu, partim ſequentis diei quatuor circiter horis abſoluit. Longè igitur Belgium ab Aldenardo eſt remotum, vt fruſtra ſomnient qui Belgij nomen pago ei tribuunt, in quo dixi multas reliquias Romanorum ſub terra iacere. Quid igitur cauſæ, quòd ex hoc loco tot monumen-

Bellum. *Ambiani.* *Samorebrina.* *Som.* *Mos.* *Soma.* *Brun.* *Error multorũ* *Error.*

ta effodiantur? Id nimirum, quòd ratio vocis & itinerum commen-
Velsic. sus mihi demonstrarunt: Veltsic enim nihil aliud nobis sonat, quàm castra Ciceronis. Familiare est nostris concisione vocum sermonis breuitatem quærere: vti cùm pro Elizabet, dicimus Elis, vel Lis, vel Zet. Eodem modo Cic pro Cicerone dixerunt, in quo sigma scriptum est, propterea quòd cappa & sigma ante iota eodem ferè nostris sono pronuncientur: quanquam Veltcic à Flandris, si rectè aures consulamus, audimus. Illis igitur qui rationem causamque nomenclaturæ ignorarunt, condonandum, si per sigma scribant. Atque
Velt. hoc quidem de altera syllaba. Prior verò quæ Velt effertur, castra
Campus. vernis nostris notat: sed quia homonymia quædam in ea statim apparet, dum Velt communi omnium sermone pro campo ponitur, præsertim dum nulla mentio fit rei militaris, factum est vt ij qui Romanum sermonem Franco corruperunt, campum pro castris in vsum vocarent, loquendi modum à nostris, sed vocem à Latinis mutuati.
Camp. Camper. Hinc hactenus *Camp* & *Camper* pro castris & castrorum metatione Galli in vsu retinuerunt. Idem licet apud Italos & Hispanos audire, qui campum itidem pro castris posuerunt: quia Germanis eadem voce & castra & campus nominaretur. Veltcic igitur campus est, siue, vt Latinè dicam, castra Ciceronis. Certè locus aptissimus est ob magnam fontium limpidorum copiam, ob agros vicinos lætissimos, ob lignationis commoditatem maximam, ob pascua delicatissima, ob omnia denique illa, quæ in castris collocandis sunt consideranda. Inuenta sunt proxima ætate, & hactenus etiam inueniuntur complura figulini operis vascula, quæ omnia ferè ad castrensem Romanorum supellectilem pertinere, nemo qui viderit,
Aldenardum. queat negare. Nomen præterea Aldenardi, videtur dici, quasi Olde Neruuey, id est, antiqui Neruij: eò quòd vetus Neruiorum curia hîc fuerit olim constituta, ad quam Ambiorix postridie quàm Atuaticos allocutus esset, dicitur appulisse, atque hinc improuisus castra Ciceronis inuasisse. Ab hibernis autem hisce Labienus quinquaginta passuum millibus distans, in Rhemis loco munitissimo, ad fines Treuirorum se continebat, circa Mariæburgum, non procul ab eo fluuio
Mariæburgũ. Vireium. qui ad Vireium opidũ in Mosam fertur; quem Maria Regina Hungariæ, hera mea augustæ memoriæ, dum de nomine suo munitissimum opidum ad eum condidisset, nauigationi statuerat idoneum
Induciomarus vbi cæsus. reddere retatione. In huius vado Induciomarus hærens occisus est,
Rhemorum fines. dum Labienum venisset oppugnatum. Huc vsque Rhemorum olim
Martinus Rossem. fines pertinebant, nec hactenus longè sunt remoti. Martinus Rossemus Gallico stipendio Francisco Regi deuinctus, dum exercitum in

Gal-

Galliam,alia via è Geldria per Brabantiam ducere non posset, hac fecit expeditionē: quā quia collimitia hæc nullis arcibus adhuc essent munita propter locorum asperitatem & horrorem, quibus satis firma credebantur, nemo eum tentauit impedire. Atque huius solertia & præmonstratione, Regina Maria, ne quid simile pòst ab alio fieret, arcem firmissimam extruxit. Pòst à Rege nostro Philippo & Carolo Imperatore aliæ arces & munimenta sunt adiecta;quorum alteri Philippeville,id est,Philippopolis;alteri Charlemont, id est, Caroli mōs nomen dederunt. Circa eadem loca, Galli arcem etiam muniunt siluis longissimo tractu excisis, vt excursoribus locus detur, & insidiæ caueantur. Non est igitur mirum,Labienum castra hic firmissima, tū natura,tum opere habuisse:quibus fretus, Treuirorum impetum non magni faciebat. Verùm sunt qui ex vocum allusione credant monasterium Lobiense è Labieni hibernis, & originem & nomē retinuisse: quibus equidem propterea non accedo,quòd à Lobiensi monasterio non inueniam tantum à castris Ciceronis interualli,quantum à Iulio Cæsare est annotatum. Habuerit fortasis ad Sabis eam ripam, alam quampiam equitum, quo propius Neruiorum & Atuaticorum molitiones cognosceret, atque inde monasterio nomen manserit. Ordeonium certè video non vni tantùm loco nomen suum reliquisse, sed præter Ordingey inter Asciburgium & Nouesium in ripa Rheni situm, alterum etiam pagum in Thungris nomine suo insigniuisse:adeò vt nihil obstare videam, quò minus Labieni nomen & monasterio ad Sabin mansisse,& eius tamen præcipua castra alibi collocata fuisse dicantur. Lobiense monasterium Sabi adiacet,minimoque spacio à Tuino opido est remotum, cui nomen datum volunt, quòd ibi Neruiorum copiæ fuerint cæsæ;quasi Toiing, siue media littera, vt nunc pronunciamus, Soiing diceretur:qua voce nobis idem significatur, quod Latini occisionem dixerunt. Soiey enim est occidere; vnde Galli in Romanum suum sermonem *Tuer* induxerunt, diphthongo in quintam vocalem, & littera media in tenuem versa, terminatione item ad linguam suam accommodata. Cùm igitur circa hunc locum Neruij cæsi dicantur, non est Rhemis tribuendus, in quorum tamen finibus Labienus dicitur hibernasse. Deinde longius etiam a Treuirorum finibus abfuisset, quàm abfuisse in Cōmentariis Cæsaris indicatur. A Tuino enim Mariæburgum vsque, septem,ni fallor,milliariā nostratia computantur. Dicamus igitur nō procul à Mariæburgo Labieni castra fuisse, quinquaginta millibus passuum à Ciceronis castris remota, in ipsis Rhemorum finibus ad limites Treuirorū. Tantundem autem interualli à Mariæburgo Va-

Lobiense monasterium.

Ordeonius.

Tuinum.

Tuer.

rucam vsque inuenitur, cùm à Varuca ad Vestcic paulo plus intercedat, vti in Ambiorigis oratione clarè significatur, qui dicit, Labieni castra quinquaginta millibus Ciceronis paulò amplius abesse. Est autem discrimen non multo maius, quàm iter militare semidiurnum; ita vt ad amussim omnia inter se quadrare cernantur, quæ Cæsar de hibernis horũ prodidit. Tria itaque nunc cognita habemus hiberna, de quorum positu Atuaticorũ curia statim sese oculis offert. Si enim à Varuca, quàm posset celerrimè contra Ciceronem Ambiorix properabat, necesse est cogitare, quàm rectissimum iter tenuisse: at in eo tamen & Atuaticos, & postridie Neruios conuenit; Atuaticos quidem cùm equitando nec diem nec noctem intermisisset; Neruios verò postera die: quæ ratio indicat, & ferè demonstrat Atuaticos cõuentũ agere solere ad agrum Gaesbecanum non procul à Bruxellis. Ceterùm vt certiùs etiam nostra confirmemus, examinandæ erunt insidiæ quibus Romani ab Ambiorige fuêre circumuenti, quo non solùm de hibernorum commensu, sed de natura etiam loci, in quo clades hæc Romanorum contigit, apertum fiat, Varucam, non Vatucam legendum esse. Audiendus igitur Cæsar quo loco Aurunculei & Titurij è castris discessum describit. At hostes, inquit, postea quàm ex nocturno fremitu, vigiliisque de profectione eorum senserunt, collocatis insidiis bipartitò in siluis oportuno atque occulto loco à millibus passuum circiter duobus, Romanorum aduentum expectabant, & cùm se maior pars agminis in magnam conuallem demisisset, ex vtraque parte eius vallis subitò sese ostenderunt. His Cæsaris verbis iter Romanorum à Varuca ad eam vallem in qua est Leodium sic est depictum, vt vix apertiùs & locis conuenientiùs exprimi possit. Sunt enim à Varuca ad vallis ipsius profundæ supercilia millia passuum duo, quo loco siluæ Arduennæ hac regionis parte fuit exordium, per quam secundum Mosæ ripas ad Labienum via fuit rectissima. Iam & nomen ipsum vrbis, multò pòst in hac valle conditæ, satis declarat huius nostræ sententiæ veritatem. Galli enim eius incolæ, hanc sermone suo Romano, vt vocant, *Lege* nominant; quasi Legionem dicerent. Verùm hanc assertionem, Leodij nomen quo Latini vtuntur, prorsus frangere & è medio tollere videtur. Erit igitur ad hunc scrupulum tollendum non inutile, paulò altiùs de vrbis primordiis inquirere: in quo si paulo sim prolixior, condonandum erit crimen studio, beneuolentiæque meæ erga Leodios, apud quos patronos habeo in primis mihi colendos. Leodii igitur nomen à Leode Oenopis filio ductum videtur, non ob soni tantùm, sed ob vitæ etiam & ipsius, & ciuitatis, conuenientiam. Leodes enim

Conuentus & curia Atuaticorum.

Varuca. Leodium.

Lege.

Leodes.

vel

vel ob morum, vel ob cantus lenitatem ita dictus, ſacerdos fuit; hoc vitæ genere cum Leodiis ſic conſentiens, vt ſecundum Romam vix vſquam plures ſacerdotes reperiantur. Hic inter procos magno crateri, è quo cyathizabāt, ſemper aſſidebat; vel quo faciliùs & promptiùs ſibi hauriret, vel ne veneno, vt quidam volunt, vinum inficeretur. Et quamuis hanc poculorum ſuauitatem ſequeretur, ſolus tamen inter procos fuit, cui ſociorum vita, proteruiæ, iniuriæ, contumeliæque plena, diſpliceret. Sed cùm ſciret meliora, probaretque; ſinebat tamen ſe à recto deduci, impotenti ad potationes comiſſationesque procliuitate, & ſpe fortaſſis aliqua fore, vt Penelope potiretur. An verò Leodij complures ſimiles inueniantur, equidem aliis relinquam iudicandum, qui præſentes præſentium mores conuictumque intuentur. Sed nunc audiamus, quid Homerus de Leode ſacerdote ſuo & vate, cantet.

Λειώδης δ' ἐ πρῶτος ἀνίστατο Οἰνοπος υἱός,
Ὀσφι θυοσκόος ἔσκε, παρὰ κρητῆρα δ' ἐ καλὸν
Ἵζε μυχοίατος ἀιεὶ, ἀτασθαλίαι δ' ἐ οἱ οἷῳ
Ἐχθραὶ ἔσαν, πᾶσιν δ' ἐνεμέσσα μνηστήρεσσιν.

Id à nobis rudiore Muſa ita verſum eſt:

Leodes primus ſatus Oenope ſurgit in extis
Quærere fata, cui munus ſacriſque vacare.
At propè craterem magnum ſolet vſque ſedere
Intimus: improbitas tamen vni nequitiæque
Diſplicuere, procos vt iurgaretur in omnes.

Verùm ingenioſiſsimus & prudentiſsimus poëta, quo doceret non ſatis eſſe quæ recta ſunt, ſcire, & alios à vitiis reuocare, niſi conſortium conuictumque malorum euitemus, in cæde procorum docet, hunc quoque ab Vlyſſe fuiſſe mactatum, atque id cum amarulenta etiam irriſione; quòd cùm ſacerdos eſſet, crebrò ſacra feciſſe, & vota nuncupaſſe credi poſſet, ne Vlyſſes vnquam rediret, quò ipſe vxore eius potiretur, & liberos ex ea ſuſcitaret. De hac re verſus hi ſunt:

Λειώδης δ' ὀδυσῆος ἐπασύμφρος λάβε γένων,
Καὶ μὴν λασόμφρος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
Γενεῦμαι σ' ὀδυσεῦ, σὺ δὲ μ' αἴδεο μή μ' ἐλέησον·
Οὐ γὰρ πω τινὰ φημὶ γυναικῶν ἐν μεγάροισιν
Εἰπεῖν, οὐδ' ἐ πρῆξαι ἀτάσθαλον, ἀλλὰ μὴ ἄλλες
Παύεσκον μνηστῆρας, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι,
Ἀλλά μοι ἐ πείθοντο κακῶν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι,
Τῷ μὴ ἀτασθαλίῃσιν ἀεικέα πότμον ἐπέσσων.
Αὐτὰρ ἐγὼ μετὰ τοῖσι θυοσκόος, οὐδ' ἐν ἐοργὼς

Κείσομαι, ὡς ἐπ' ἔσι χαρὶς μετόπισθ' ἐυεργέων.
Τὸν δ' ἂρ ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πολύμητις ὀδυσεύς·
Εἰ μὲν δὴ μετὰ τοῖσι θυοσκόος ἐυχεται εἶναι,
Πολλάκι που μέλλῃς ἀρήμεναι ἐν μεγάροισι
Τηλοῦ ἐμοὶ νόστοιο τέλος γλυκεροῖο γενέσθαι,
Σοὶ δ' ἀλοχόντε φίλην αὖτε καὶ τέκνα τεκέσθαι,
Τῷ ἐπ' ἂν θάνατόν γε δυσπλεγέα προφύγοιθα..

Quæ nos impari gratia, ſed integra ſententia ſic reddebamus:

Leodes genibus raptim comprendit Vlyſſem,
Pennatasque dedit voces, has ſupplice lingua:
Te bone Vlyſſes oro ſacrum reuerere miniſtrum,
Et miſerere mei, quoniam nil nequiter vnquam
Dicto vel facto, memini committere contra
Vllam ancillarum, ſubter tua regia tecta:
Quin ſedaſſe procos alios, dum talia tentant.
At parére mihi minimè voluere, manusque
Arcere à prauis, quare crudelia fata
Stultitia traxêre ſua. Verùm ipſe iacebo
Inter eos vates, inſons purusque ſacerdos.
Illi oculis toruis, prudens ſic fatur Vlyſſes,
Inter eos, ſi ſacrifici te nomine iactas,
Credere debemus, te ſacrificaſſe frequenter,
Ac oraſſe, domi noſtræ procul eſſet vt omnis
Optati reditus noſtri ſuauiſſima meta,
Quo mea te coniux ſequeretur, nuptaque multa
Pignora ſacrifico pareret, vatemque bearet.
Hinc neque tu fugies nunc illætabile fatum.

Hæc igitur de Leode Homerus prodidit, à quo quamuis Leodio nunquam nomen datum fuiſſe detur; tamen vocis alluſio digna mihi viſa eſt, in qua tantulum operæ poneretur, vt Leodij intelligerent, hæc antiquiſſimi vatis carmina, non inutilem habere admonitionem ad ſacerdotum aliorumque mores illuſtri exemplo, quod cum ciuitate eiuſdem nominis eſt, inſtruendos. Deinde quamuis non alia eſſet huius commenti ratio, quàm ſola vocis ſimilitudo, non tamen reiicienda eſſet ac exſibilanda hæc conſideratio, niſi ab eo fortè, cui ſtomachus tam eſt nauſeabundus & faſtidioſus, vt nullo litterato luſu oblectetur. Quid ego de Vlyſſis erroribus ſentiam, & quouſque terrarum eos Homerus protulerit, tum dicã, cùm de Circæo, Baiis, Gaieta, & vicinis locis à Cimbris olim habitatis, quædam hactenus ignota, explicabo. Hoc loco mihi ſumam, quod illic latiùs oſtendam, Vlyſſem extra fretum Herculis columnis inſigne,

insigne, nunquam nauigasse; tantum abest, vt Leodium quisquam è sociis dici queat condidisse. Quid igitur dicet aliquis, oblitúsne es Vlyssiponam ab ipso nominari, & de nomine non dubiam esse coniecturam, prima vrbis fundamenta ab ipso esse iacta? Quid, quòd ad extremos Britannos venisse narratur, & ad intimum saltus Calidonij recessum aram Græcis litteris inscripsisse, Solino id citra hæsitationem asserente? Iam Tacitus grauissimus auctor non veritus est hæc scribere: Ceterùm, inquit, & Vlyssem quidam opinantur, longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adiisse Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm, hodieque incolitur, ab illo cõstitutum, nominatumque ἀσυπύργεον. Aram quinetiam Vlyssi consecratam, adiecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque & tumulos quosdam Græcis litteris inscriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque adhuc extare, quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est; ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. Ex his igitur Taciti verbis colligi non absurdè queat, Vlyssem non Oceanum modò ingressum fuisse, verùm ad extremum Calidoniæ siluæ angulũ penetrauisse, & nõ tantùm Asciburgium vsque, sed ad Rhetorũ quoq; fines sursum ascẽdisse. Ex quo fit, vt minimè videatur absurdus eorum sermo, qui dicunt Leodium ab Oenope conditum fuisse. Quod crèdibile ita contigisse, vt Oenops ætate grauis, & erroris diuturni pertæsus, hîc sibi habitandi locum delegerit, cui nomen indiderit filij absentis; quo eius saltem recordatione frueretur, cuius præsentia nunquã fruiturus esset. Vt ergo, quid mihi in mentem venerit, cognoscatur; sic habeat quisquis hæc obiecerit. Ingens fuit olim & admirabilis Græcorum maritima potentia; quam qui nostro seculo comparet, mirum est si non obstupescat. Videtur enim mundus his nostris temporibus velut effetum quoddã animal, senili frigore contabescens, si viribus suis priscis conferatur. Et ne vel de omnibus vniuersim agens, minus, quod volo, perspicuum reddam, vel per singulas ciuitates discurrens, fiam prolixus, contentus ero duobus exemplis. Ælianus in varia historia de Dionysij felicitate loquens, in hanc sententiam, si Latinè vertam, scribit· Dionysius secundus regnum possidebat quàm optimè munitum, & id quidem ad hũc modum: Naues habebat non pauciores quadringentis sex remorum & quinque remorum. Peditum copias ad decem myriadas: equitum nouem millia. Eratque Syracusanorum vrbs maximis portubus exornata, & mœnibus circundata altissimis. Arma item omniaque instrumenta ad alias quingentas naues tenebat parata. Hæc & plura Ælianus de

Vlyssipona.

Prisca Græcorum potentia.

Dionysius Siculus.

Mirabilis nauium maximarum copia.

de Dionysio, qui pòst Corinthi. Quantum huic nauium fuisse credemus, cuius sex remorum & quinque remorum naues ad quadringentas ascenderunt? Conferant huic, si placet, Veneti vires suas, quibus hac nostra ætate ceteris ciuitatibus omnibus, quas Sol conspicit, in re nauali sunt longè præferendi. Verùm dicet quisquam, vt à multis dici, non plebeiis modò, sed peritis etiam solet; fieri non posse, vt remorum ordines, eodem, quo nunc, modo, apud veteres sint computati. Neque enim satis comprehendi posse, quinam hac nostra ratione ad viginti remorum numerum possit perueniri, vt interim taceam de quadraginta & quinquaginta, quot quorundã Regũ ambitio dicitur fabricasse. Magnitudinem stupendam Ptolomæus Philopator eduxit, de qua Plutarchus & Athenæus videndus, quorum hic Hieronis quoque nauem celebrat, quam trecenti fabri præter ministros, ex tanta materia fecerunt, quanta sexaginta triremibus satis fuisset: cuius artificium tanti fecit Archimedes, vt de ea librum conscripserit. Verùm ex his necdum liquet, eandem, quæ nunc est, remorum rationem fuisse: immò cùm hæc Hieronis viginti remorũ fuerit, eorum opinioni vidẽtur magis adstipulari, qui contrà, quàm nos, arbitrantur. Adferam igitur exemplum, quo tota hæc dubitatio ex hominum animis tollatur, & crescat admiratio potentiæ vetustæ. Legitur in Memnonis historico, vt verba refert Tarasius: ὁ δὲ πτολομαῖος λυσιμάχου νῆας ἔχων, ἀπήντα καὶ ἀντιπαρετάττετο. ἦσαν δ' ἐν αὐταῖς ἄλλαι τε καὶ τῆς ἡρακλείας αἱ μετάπεμπτοι ἑξήρεις τε καὶ πεντήρεις καὶ ἄφρακτοι, καὶ ὀκτήρης μία ἡ λεοντοφόρος καλουμένη μεγέθους ἕνεκα καὶ κάλλους ἥκουσα εἰς θαῦμα. ἐν ταύτῃ γὰρ ἑκατὸν μὲν ἄνδρες ἑκατόστοιχον ἤρεττον ὡς ὀκτακοσίους ἐκ θατέρου μέρους γενέσθαι, ἐξ ἑκατέρων δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους, οἱ δὲ ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων μαχησόμενοι χίλιοι καὶ διακόσιοι καὶ κυβερνῖται δύο. Agit de bello, quod Ptolomæus cognomento Ceraunius, id est, fulmineus, contra Antigonũ feliciter gessit. Nos quo illis qui Græcè nesciunt, seruiamus, Latina fecimus. Ptolomæus autẽ Lysimachi filius, nauibus, quas habebat, occurrit, atque contra ordines instruxit. Erant verò inter tum aliæ, tum illæ, quas ex Heraclea accersiuerat, partim sex, partim quinque remorum; & præter has Aphractæ, quas nos non tectas vocamus, Cicerone Græcam potius vocem retinente. Iam inter ceteras vna erat octiremis Leontophoros, id est, Leonigera nominata; quæ ob molem & elegantiam venerat in admirationẽ. Nam in ea centum vtrinque erant virorum ordines remos ducentium, ita vt ex altero tantùm latere octingenti, ex ambobus lateribus mille sexcenti fuerint. Deinde qui pugnaturi essent è foris, mille ducenti; totius autem nauis duo fuêre gubernatores. Hîc apertè videmus perinde octiremem, atque triremem veteribus dici, eam nimirũ, in qua super singulis transtris octo sedeant remi-

Veneti.

Ptolomæus Philopator.

Archimedes.

Hieronis nauis

Ptolomæus Ceraunius.

Heraclea.

Aphractæ.

remiges. In hac igitur naui quo latitudo & longitudo reſponderent, centum fuêre tranſtra, quæ nunc Itali lingua Gotica & Franca *Bancos* vocant. Si igitur octo in centum ducas, alterius lateris remiges numeraueris: quos ſi duplices, omnes comprehenderis. Hoc calculo clarum fit illud quod monſtrare moliebar, ne quis poſthac priſcarum nauium magnitudinem eleuet iniquè. Cùm ergo nunc didicerimus quot quantaſque naues Dionyſius habuerit, & quantas Heraclæa Pontica Ptolomæo Ceraunio ſubminiſtrarit, licet ex his de aliis ciuitatibus & regnis facere coniecturam. Longus enim ſim & fruſtra longus, ſi Athenienſium Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Rhodiorum, Corcyręorum, Byzantinorum, & reliquarum ciuitatum nauale armamentarium excutiam. Quid verò ſi Cretenſium, Cypriorum, & aliorum omnium qui inſulas Ægæi maris tenent, tum etiam qui latè Ioniæ & Aſiæ litora habitabant, vt magnam interim Græciam relinquamus, ſigillatim vires enumerare coner? Quãdo igitur tam infinitas naues tota Græcia poſsidebat, veriſimile eſt multos Europæ occiduum latus frequenter tentaſſe, vel mercatus gratia, vel ſtudio cognoſcẽdi, vt tum erant auida rerum nouarum ingenia Græcorum; vel quòd bellis aut domeſticis factionibus è patria pulſi, nouas ſibi ſedes quærere cogerentur; vel quòd multitudine prægrauati exonerare ciuitatem ſuam pulchrũ, honeſtum, neceſſariumque exiſtimarent: quorum ſingula ſatis cauſæ habebant ad nauigationem extra Herculis columnas proferendam. In Oceano autem procliuius fuit & tutius ſecundum litora Europæ longis nauibus & onerariis curſum tenere, ob portuum & altitudinis oportunitatem, quàm Africæ coſtam legere quæ ad Atlantem vſque maiorem, & inde longius etiam breuibus impeditur, nec portum vllum habet nauigiis maioribus tutum, vti Antwerpienſes iam ſatis habent exploratum. Altum verò & ignotũ pelagus deſertis terris, citra nauclerorum experimenta & magnetis vſum ingredi, inſani potius hominis quàm periti nautæ eſſe videretur. Credere itaque licet permultos ſæpe Gadibus relictis ad Aquilonem tetendiſſe; & aliquos item loca cultoribus vacua occupaſſe, iiſque nomina Græca indidiſſe. Ea verò non tam de ſuis deriuaſſe, quàm de Heroum nomenclaturis: quorum apud eos vel par, vel maior reuerentia erat, quàm apud Chriſtianos aut Confeſſorum aut Martyrum ſuorum. Sicut igitur à Sancto Ioanne, à Sancto Dominico, à Sancto Franciſco & aliis innumeris Diuis, nomina regionibus recèns inuentis ponuntur: ita quoque olim apud Græcos contigiſſe, quis volet negare? At quis inter omnes Heroes pelagi erroribus, aut pluribus, aut diuturnioribus fuit vexatus quàm

Mare ſecundũ Aphricæ litus exterius.

Quæ cauſa nominũ Græcorũ apud exteros.

Vlyſſes ? Non eſt igitur mirum, frequentiſſimum illi votum nuncupari ſolere, & locis quibus appellebant, nomina votiua ab illo accepta conſecraſſe. Hinc Vlyſſipo, ſiue potiùs Odyſſipolis ſuper Tagi oſtiis fluminis nobiliſſimi. Hinc ad extremos Calidoniæ ſiluæ receſſus, ara Vlyſsis Græcis litteris inſcripta. Hinc alibi alia Vlyſsis & Laertæ, & ſociorum monumenta: quæ non ad Vlyſſem, vt conditorem, ſunt referenda, ſed exiſtimandum à Græcis peregrinis oras explorantibus honori Herois, qui plurima inter omnes perluſtraſſet, dedicata fuiſſe; vel quo apud exteros victuris proſperos rerum daret ſucceſſus, & gratiam qua ille valuiſſet, affunderet; vel vt tandem in patriam reuerſuris, genium ſuum itineris ducem commodaret. Neque ergo abſurdum ſit opinari, Græcos ad noſtram quoque hanc regionem appuliſſe, & ſitum eius & naturam exploraſſe: quod mox extra dubitationem ponetur, vbi Ephori & Clitarchi diligens huius oræ maritimæ deſcriptio cognoſcetur; quam ſuo loco afferemus. Hi enim ſcribunt ea quæ talia ſunt, vt à præſentibus regionis exploratoribus eſſe profecta manifeſtò deprehendantur. Deinde quis Græcis iis qui Romanorum in has oras aduentum aliquot ætatibus præceſſerunt, Britanniam & inſulas vicinas, ad ipſam vſque vltimam Thulen aperuiſſet, niſi Græcorum naues Oceanum hunc Germanicum intraſſent, & eius deſcriptionem ad ſuos Geographos retuliſſent? An verò Pytheas nauigationem ſex dierũ vltra Britanniam nouiſſet, niſi Græcorum quiſquam eam indicaſſet? Quis verò eos docuit Scandiam, Bergos & Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur? quæ nomina Græcis vetuſtiſsimis notiora videntur fuiſſe, quàm vel Plinio, vel vlli Romanorum. Mela Graiis carminibus Thulen celebratam fuiſſe teſtatur, quam, tantum abeſt, vt Romanorum ope cognorint, vt ne Mela quidem ſitũ eius intellexerit, dicens Belgarũ litori appoſitam. Plinius videtur nomina hæc ex Pythea Maſsilienſi accepiſſe, atque idcirco propiùs veritatem attigiſſe, quem Strabo propterea fabularum, quas de ea confinxerit, accuſat; quòd fortaſſe naturæ miracula, quæ inſula hæc quàm plurima habet, ignoraret. Nam illud quod in eo reprehendit vt abſurdiſsimum, à Britannia ad Thulen ſex dierum eſſe nauigationem; inſigne eſt argumentum, priſcos Græcos plus notitiæ, quàm Poſidonium, Strabonem, & eius ætatis æquales, habuiſſe: vt liquidò hinc conſtet, Romanos, quorum tum res florebat, parum aut nihil ad Auguſti vſque imperium Geographiæ cõtuliſſe. Verùm de his alibi. Hoc loco ſatis eſt, ſi credatur, Græcos antiquiſsimos peregrinationes longinquas terra mariq́ue ſuſcepiſſe; atque ita mirum nequaquam videri, ſi nomina quædam & monumenta eorum

Vlyßipo.

Ara Vlyßis.

Scandia.
Bergi.
Nerigos.

rum vel hic vel alibi reperiantur. Quòd si nomina Heroum Græcorum non in vltimis propè terris inuenta fuissent, possemus credere, quæ scripserunt, ab exteris ea didicisse: nunc verò hęc excusationis ratio prorsus excluſa est. Non reiicienda igitur omnino hæc de Asciburgio antiquitatis suspicio, quam Tacitus vt adduxit, ita non recepit; fortasis aliter iudicaturus, si non ad Vlyssem, vt conditorem, sed vt ad Heroëm, qui peregrinantibus esset in honore & antiqua religione, respexisset. Extat hactenus Aschburgum in ripa Rheni citeriore, inter Nouesium & Vetera castra, medio ferè itinere in ditione Comitis Murcensis. Aberrat igitur Althamerus Taciti commentator, qui Duisdorp opidum vltra Rhenum situm censet olim Asciburgium fuisse nominatum. Multò longiùs à veritate illi recesserunt, quibus Embrica hoc nomine olim dicta iudicatur, si quidem opidum illud intelligant, quod multò inferiùs trans Rhenum situm ita nominatur. At si pagum eum qui proximus Asciburgio iacet, hoc nomine dignentur, non procul à scopo aberrarunt. Quod vt palam fiat, Tacitus aduocandus, quò contra commentatorem suum testimonium dicat. Hic auctor est, à Ciuile Vetera castra obsidente, veteranas cohortes, & Germanorum promptissimum quenque, aduersus Voculam, eiusque exercitum ad Nouesium castra metatum, missos esse; atque hos in transitu rapuisse hiberna alę Asciburgij ad limitis custodiam constitutæ; atque id tanta celeritate feciſſe, vt improuisi in Voculę castra inuolarint, atque exercitum ita subito tumultu inuoluerint, vt explicandę aciei, nec locus, nec tempus daretur. Ex hac Taciti sententia, quam aliis verbis exposuit, perspicuum fit, Asciburgiũ inter Vetera castra & Nouesium in citeriore Rheni ripa fuisse, qua cohortibus adeò properantibus iter fuerit faciendum. Magna enim festinatio omnia vię dispendia declinans quàm potest rectissimo tramite, quò vult, contendit; maximè dum hostis occupãdus, ne diutius in itinere hęrentes hoc consequantur milites, vt quos cędere vellent, ab eis cædantur. Cohortes igitur hę celerrimè ductę in transitu alam equitum rapuerunt, adeò ab itinere non discedentes, nec cursum demorati, vt non antea quàm adessent, exisse scirentur. Cùm igitur Asburgium hactenus extet nomine nihil immutato, atque id in recto à Veteribus castris ad Nouesium proficiscentibus, itinere paululum à fluminis ripa remotum; quid est quo aliud quæramus? & si quærendum, in citeriore ripa non vlteriore quærendum; vt alij fecerunt. Acceleratio enim exercitus longissimè excludit geminum Rheni transitum, atque eum nõ necessarium, sed per diuortium quęrendum, contrà prorsus ac proposito conueniebat. Confirmant hanc

Asciburgium.

Nouesium.
Vetera castra.

Duisdorp.

Embrica duplex.

Ala Asciburgij

assertionem quàm plurima Romanorum monumenta & inscriptiones, quibus satis claram ad posteros memoriam transmiserunt, hîc Romanos olim aduersus Germanos Transrhenanos præsidiarium militem collocasse. Quàm plurima eruit Comes Mursensis, vir vt genere clarissimus; ita veteris historiæ & omnis litteraturæ peritia clarior habendus. Vidi ipse Achatem illic repertum, insculptum Veneris pomum in manu tenentis simulacro, quæ in solio altè tensarum modo fastigiato sedebat. Vrnarum cum cineribus infinitas est reperta: sed de his nobis hic nihil agendũ. Vetustiorẽ enim vrbis originem, quàm Romanorũ fuerit, inuestigamus, quæ à Græcis sit petenda. Tacitus, quo loco de Asciburgi conditore commemorat, miserè tractatus est: adeò vt inter omnes doctiores, necdum constare videam, quî sit integritati suæ restituendus. Vetusti codices, quos Rhenanus & Althamerus viderunt, habebant ἀκεινίωριο, quod Beatus mutauit in ἀσυωύργιον. Mihi magis placet vetustæ vocis, vestigia sequẽti ex ἀκεινίωειον facere ἀκεινήειτον, vt nihil aliud sit quàm arx Neriti. Neritos autem mons est Ithacæ, cuius meminit Homerus Iliados secundo:

Taciti locus correctus.

Neritos.

Οἰρ' ἰθάκην εἶχον νῆ νήειτον ἐννοσίφυλλον.

Id est,

Quos Ithaca & tremulis foliis dat Neritos altus.

Quo loco se Grammatici torquent, quà de causa Neriton, qui in Ithaca est, sigillatim enumerarit: sed frustrà. Sit enim Ithaca opidum, & Neritos mons, vt simul & opidanos & homines montanos ac agrestes doceret ad Troiam veniisse. Et vix quicquam in Ithaca dignum commemoratu inuenias præter hunc montem. Cicero eodem modo Ithacam pro opido posuit, dum dixit eam in asperrimis saxuli tanquam nidulum affixam esse. Huius ergo montis nomen illi loco indiderunt, qui Rheno imminens frondoso suo iugo Neriton in memoriam illis reuocauit; qui huc appulsi, sedes fixerunt. In huius igitur summitate arcem extruxere, quà ἀκεγνήειτον vocarunt, eo modo quo Acropolis arx vrbis diceretur. Fuisse enim olim arcem in hac parte altiore, campi inferiores ad Rhenum vsque exporrecti, nomine suo satis attestantur, hactenus Borgbeldey, id est, campi arcis, appellati. Rhenus autem olim propinquiùs collem lambebat, quod ex eo deprehensum est, quia anchora è campis illis sit effossa, vti didici Comitis ipsius relatu. An huic dorso Leucas olim cognominis fuerit, & ipsa Neritos dicta, quam Laërtes dicitur expugnasse: an verò Nericos vrbs, mons Neritos dicendus, vt Straboni placet libro decimo, non est operæpretium diligenter inuesti-

Ithaca.

ueſtigare. Virgilius videtur pro tota inſula Neriton poſuiſſe: niſi Neritus hîc Leucas vocetur, olim continenti annexa, pòſt Corinthiorum opera reciſa: atque ita ſtatuatur, & Neriton pro opido, & pro monte eiſdem litteris ſcribi, vti apud Homerum ſcriptum inuenimus, contempto Grammaticorum in ſcribendo diſcrimine. Quiſquis igitur fuit, qui vetus nomen Acroneriti compoſuit, ad Vlyſſis & Laërtę patriam atque regnũ alluſit; hoc monumento Heroibus illis ex voto fortaſſe nũcupato. Verùm pòſt labentibus annis, arx à Germanis videtur expugnata, & flammis abſumpta, & poſteà ab illis ipſis, loci oportunitate perſuaſis, nouum opidum conditum, cui, quòd in cineribus vetuſtæ arcis conſtrueretur, nomen dederunt Aſchburg, ſiue Aſſenburg, quod nihil aliud exprimit, quàm arcem ſiue opidum in cineribus erectum. Vt ergo antè arx Neriti vocabatur; ita pòſt à Germanis ad perpetuã cõflagrationis memoriam, Aſſenburg ſiue Aſchburg, id eſt, arx cinerum, eſt nominata. Inuenimus igitur & priſci Græcorum, & noui Germanorum nominis verã tum ſcripturam, tum originẽ, qua noſtra emendatione, ſi Tacito ſuccurratur, non parum lucis, & auctori, & antiquitatũ notitiæ, accedet. Nec verò difficile eſt coniectatu, qua cauſa Germani Rhenum tranſgreſſi, arcem exuſſerint. Quotquot enim principiò ad has inferiores Rheni partes, vi ſibi ſedes quæſiuerunt, videntur de Cimmeriorum genere fuiſſe; atque ea de cauſa Cimbri nomẽ apud Gallos, quos patrio ſolo expuliſſent, & auitis poſſeſſionibus ſpoliaſſent, pro latrone vſurpari cœpiſſe. Nec ſola hæc infamia à Gallis aſperſa, & ab illis ad Romanos tranſgreſſa, teſtimonio eſt rem ita habere: ſed illud etiam quod Thungri & quotquot alij in Galliam hanc Belgicam inferiorẽ tranſierunt, ſermone Cimbrico vtantur; non illo aſperiore quo Allemanni & Sueui plenis buccis robur ſuum maſculũ iactant, quaſi qui ſuauiùs & molliùs loquuntur, feminæ potiùs quàm viri ſint habendi. Verùm non hæc tantùm duo hoc loco mihi dari poſtulo, quę pòſt ſum demonſtraturus ſolida auctoritate; ſed illud etiam, Cimbros Græcis infenſos fuiſſe, iam inde ante Troianum excidium, & in eorũ regione domicilia ſibi collocaſſe; quod pòſt ſuo loco extra omnem controuerſiam ponam. Neque enim volo maiores noſtros ad Troianam ſtirpem referre, quod fabuloſo & frigido commento plerique fecerunt; ſed oſtendere vetuſtiorem Cimbrorum, quàm Troianorum, memoriam multis olim locis extitiſſe. Fuerunt illi quidem Troianis auxilio, non tam quòd amici eorum eſſent, quàm quòd à Græcis antè læſi fuiſſent, quàm ad Troiam venirent. Prima enim illa fuit Cimbrorum & Troianorum conciliatio, cuius

Cimbri.

Cimbrorum, quàm Troianorum vetuſtior nobilitas.

post bellum inter eos in Priami iuuentute suscitatum, communis vtriusque partis hostis dedit occasionem. Quamuis igitur Cimbri à Troianis oriũdi minimè sint, Græcis tamen anteà multò quàm ipsi Troiani hostes fuerunt, vti suo loco declarabo, & Troianis deinde ob communem hostem amici. Non est igitur mirum, si arcem Græcorum ad Rhenum in Belgio sitam, non expugnarint modò, sed etiam flammas iniecerint. Iuuat hanc coniecturam Xanthum opidum in eadem ripa, prius forsan à Cimbris ædificatum, dum paulatim ab Oceano sedes sursum promouerent. Cùm enim viderent, si vlterius progredi vellent, contra sobolem Græcorum pugnandum esse, quæ arcem firmam teneret, statuerunt & ipsi castrum, quo fines quæsitos tuerentur, & securiùs superiora popularentur, cui ob eam causam à Xantho fluuio Troiano nomen dederunt: vt intelligerent Græci, iustam Cimbris, non ob vetustiora tantũ odia; sed ob illa etiam quæ ad Xanthum contracta fuerant, belli occasionẽ esse. Sicut igitur Græci Vlyssem nomine opidi sui honorauerant; ita Cimbri Troianos arcis suæ appellatione Græcis obiecerunt: quasi dicerent, Si vos Vlyssis partes tuemini, nos Troianos agemus; atque ita vetus odium, nouum denuò bellum inter nos suscitabit. Idem Leodio dicemus accidisse, si conuenientia nomini dicere velimus. Quicunque illi Græcorum fuerint, qui ad ripam Mosæ opidũ condiderunt, cui in honorem Oenopis, à filio nomen fecerunt; fateri necesse est, eos ante Germanorum siue Cimbrorum aduentum illud erexisse. Cimbri itaque Acronerito vastato, & in eius cineribũs noua arce constructa, in vlteriora Galliæ penetrarunt. Vbi cùm aliud rursus opidum inuenirent, ad Ithacensis Herois memoriam à Græcis constitutum, & nominatum, non prius cessauêre, quàm & illud deleretur, eadem, qua anteà, ratione moti. Verùm quòd locus non placeret, ob siluas fortasse & asperitatem, Thungros ædificauerunt: & ne quis hostis ex insidiis, è cauis illis & siluosis vallibus, ad quarũ initium Leodium steterat, subitum periculum agris inferret, duobus millibus passuum paulò plus minùs ab exusto opido arcem collocarunt, quam vocarunt Varuc, à Var & Ruc, pereunte aspiratione compositionis ratione, eò quòd illa terrorem incuteret iis, qui in siluis & vallibus laterent. Var enim vocali longa, metum notat; & Ruc idem est quod genibus & dorso flexo, corporis longitudinem contrahere, quod facimus dum ex insidiis aggressuri, cauemus ne tam citò videamur, quàm si recti incedcremus. Quàm verò vallis Leodia insidiis fuerit apta, Romani posteà suorum clade docuerunt. Varuc igitur, & formula Latina Varuca, terror est, hoc,

Xanthum.

Varuc.

quo

quo diximus, modo, insidiantiũ. Si Varu citra cappa diceretur, vti nunc ferè vocamus, idem signaret quod terroris custodia siue tutela: eò quòd Ru nobis custodiam notet.

Atque hactenus quidem de nomine & vicinia duxi argumenta: quæ quamuis in tanta antiquitate satis esse possint, tamen ea nonnihil adiuuabo Claudiani versibus, quibus haud dubium est, quin ad hunc locum, in quo Leodium videmus, alluserit:

Est locus extremum pandit qua Gallia litus,
Oceani prætentus aquis, quò fertur Vlysses
Sanguine libato, populum mouisse silentum.
Illic umbrarum tenui stridore volantum,
Flebilis auditur questus, simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.
Hinc dea prosilijt, Phœbique egressa serenos
Infecit radios, vlulatuque æthera rupit
Terrifico; sensit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arua fragor, reuolutaque Thetys
Substitit, & Rhenus proiecta torpuit vnda.

Loquitur autem Poëta de egressu Megæræ ad Ruffinum properantis, quo per eum bellorum tumultibus mundum quassaret. Bene doctequé Claudianus, hac Vlyssem ad inferos descendisse fingit: propterea quòd Leodium per Cimmeriorum siue Atuaticorum sedes sit eundum, si à mari Britannico ascendas. Deinde subterraneæ specus, & nigra barathra, montesque toti piceo lapide siue asphaltite constantes, tum & siluæ obscuræ, vt tunc loca erant, vndique impendentes, magnam cum Homerico ad inferos ingressu, similitudinem gerunt. Sanè si quis ex improuiso hominibus illis occurrat, qui vel lapides piceos excidunt, vel excisos humeris portant; pallentes furuasque vmbras credat videre. Præter enim atram bituminis fuliginẽ, qua toti obsiti sunt atque tincti, odorem etiam Naphthæ sic spirant, vt flammas infernales vix dum reliquisse videantur. Tanta autem huius lapidis hîc copia est, vt non vicinis tantùm ad ignis alimenta satis sit, sed Antwerpiam etiam delatus, omnem nobis cereuisiam coquat. Natura Gagates est, ita vt nulla nota desideretur. Huius autem generis bituminis lapidei nomina diuersa sunt, pro natalium diuersitate: ita vt à Gaga, Gagates: à Ganga, Gangites & Eugangites: à Thracio flumine, Thracias: à nobis carbo Leodius à Leodio vocetur. Ad hunc excidendum altissimi putei deprimuntur, per quos homines funibus dimissi, totos montes per fornices ita cauant, vt Labyrinthos subterraneos citra Dędali operam faciant,

per

per quos luminibus vagantes, meri Manes videntur. Et ne quid ad infernales tenebras ad viuum exprimendas deesset, grassatur in his specubus ingentibus ignis aliquando eius naturæ, vt Dæmonas proximè imitetur. Cùm enim in omnes alios sæuiat, solos illos non lædit, qui lineis vestibus perinde atque Isidis sacerdotes induti, contra spiritus malignos Auerruncos sese præbent. Nõ esset mirandum, si lino Amyanthino tecti, non adurerentur; sed ignem tenuissimum, & fulminis ritu penetrantem, lino simplici neque alio quàm puro cohiberi, id verò nescio quid Magicum vel Necyomanticum sapere videtur. Atque vt hoc Isiaco indumento tuti sunt, ita hostilem eius & noxiã vim nisi virgis superare non possunt; quibus Dæmones quoque cohiberi, in iis est quæ ab omnibus pro certis habentur: adeò ambitiosè huius ignis natura Inferni ministros & Plutonios hominum tortores æmulatur. Sed ne illud quidem à Magorum superstitione recedit, quòd Colurnæ virgæ verbera præ ceteris horreat: cuius vsum ad spiritus cogendos in magicis vanitatibus maximum esse memini legisse. Hac igitur flagellatus fugatur, persequente semper eo, qui lino crudo puro, & nulla lotione, vel vsu trito amictus se tuetur, tantisper dum totus euanescat. Hæc tamen si ad causas naturales referantur pro eo ac debent, videntur hac ratione fortassis euenire, quoniã bitumen omne humido alitur, sicco extinguitur: vt de Chimæra Phaselidis, & Nympheĩ cratere accepimus. Eodem modo ignis est in Hecla Islandiæ portentoso monte, qui stupã non exurens, aquã exurit. Colurnũ item lignũ exsuccum est, eoque magis ad extinguendũ conducens. Iam verbera non ad hunc modò ignem, sed ad fulminum etiam impetus infringendos nõ parum conducere, Peripateticorum auditores in Meteoris docentur. Tacitus de hoc ipso igne partim similia, partim dissimilia prodit: cuius verba hoc loco minimè sunt omittenda, quo cum præsentis temporis obseruatione conferantur, & obiter insigne mendum tollatur. Sed ciuitas, inquit, Bibonum socia, nobis malo improuiso afflicta est. Nam ignes terra editi, villas, arua, vicos, passim corripiebant, ferebanturq; in ipsa conditæ nuper coloniæ mœnia, neque extingui poterant, non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur: donec inopia remedij, & ira cladis, agrestes quidam eminus saxa, deinde residẽtibus flammis propiùs suggressi, ictu fustium aliisque verberibus, vt feras, absterrebant. Postremò tegmina direpta iniiciunt, quãtò magis profana & vsu polluta, tãtò magis oppressura ignes. In hac postrema clausula Tacitus à nobis dissentit, non pollutum linum, sed purũ requirentibus. Sed hoc loco cogor fateri, me à Beato Rhenano pænè dece-

Ignis in lapidicinis Gagatæ.

Linea vestis pura.

Virga Colurna.

Chimæra Nymphæum.

deceptum fuiſſe,qui hanc, quam de vulgatis codicibus, quibus ſuas annotationes adiecit,lectionem obtruſit,dum ex Iuhonum contendit faciendũ eſſe Bibonum, argumento vetuſtiſsimę inſcriptionis, ad Santwertzerũ inuentæ. DIIS.... VICANI BIBENSES D. S. P. Bibenſes autem ad Nicrum locat verſus Decumates, à quorum nomine Bebenhuſium & Bebelingam non multùm diſcrepare cenſet. Quòd ſi hanc caſtigationem probare nobis voluiſſet, aliquid ſaltem vel de bitumine, vel de ſulphure Bibenſium annotaſſet, vt non de nomine tantùm, ſed de locorum etiam natura, veram hanc eſſe ſcripturam, doceretur. Equidem maiorem in modum eorum operam laudo, qui vetuſtis ſcriptoribus,integritati ſuæ reſtituendis, ſtudent; ſed eos non item laudo, qui leui coniectura ſua pro corrupta vti volunt ſcriptura,ſupponunt. Pighius dum apud me hoſpitio exceptus, Bibonum audiret mentionem, diceretque, ſe Iuhonum, non Bibonum,in codice Aldino legiſſe,ſeq; ſuſpicari ad Huium opidum ignes illos referendos, occaſionem dedit veræ lectionis ex eiſdem litteris eliciendæ. Ex Iuhonum enim Huionum facio,ſola litterarum tranſpoſitione, quæ quàm frequenter in typis inter imprimendum fieri conſueuerit,illi norunt, qui correctorum munere ad prela funguntur. Qui autem ſint Huiones, tum nomen tum loci natura ob oculos iis ponit,qui Leodienſium regionem peruiderunt.Fortaſſis *Huiwoney* vernaculo ſermone dicti ſunt, quemadmodum *Hertmitwoney*; & ſicut ex hoc Hermiones, ita ex illo Huiones, apud Latinos duplici w carentes, extiterunt. *Hui* ſiue *Hu*,idem eſt quod cuſtodio & tueor. *Woney* eſt habitare. Qui ergo locum illum habitabãt,in quo Chondruſorũ erat cuſtodia, & primaria regionis tutela, Huiones ſunt vocati: arx autem ipſa, quæ in præcipiti rupe Moſæ impendet, Huium hactenus nominatur,illud reuera, ſi opus ſit quòd nomine ſuo pollicetur, præſtitura; cui opidum eiuſdem nominis ſuperiiulo in Moſam defluente eſt ſubiectum.Epiſcopus Leodienſis piæ memoriæ,de gente Marcana, in Cardinalium collegiũ pòſt cooptatus, in rupe hac immenſæ profunditatis puteũ, immenſis item ſumptibus excidi curauit,cochlide ad imum vſq; fundũ peruium, è quo arci per tympanum aqua abũdè ſuppeditatur,cui parem impenſis & operis in molliendo cędendoque ſaxo difficultate, nuſquam gẽtium reor inueniri. Nec mirum totam Chendruſorum communitatem Huionum nomine dictam,cùm id frequens ſit, de primaria vrbe totam gentem nominari. Sociam autem ciuitatem fuiſſe veriſimile eſt, eò quòd Eburonibus contra Cæſarem auxilia non miſiſſent, apertè per legatos profeſſi, ſe in hoſtiũ numero nõ fuiſſe,quod Cæſar etiam

quæſtione captiuorum ſe fatetur exploraſſe. Non eſt igitur nunc obſcurum, quos ignes Tacitus deſcribat, cùm Huionum regio altiſſimos montes habeat, bitumine lapideo plenos; in quod ſi ignis incidat, quiuis intelligit, quantum periculi & quæ incendia adducat. Atque adeò apud Huiones vſus Gagatæ ad ignes in his regionibus primùm inuentus videtur, propterea quòd vulgò *Huilles* atra hæc ſaxa nominentur, ab Huionibus accepta appellatione, apud quos primùm ad ferri venam, quam copioſiſſimam habẽt, excoquendam purgandãq́ue, vehementiſsimo hoc bituminis ardore vſurpata fuiſſe credo, ac deinde inuitante copia, & ſumptus in lignis vrendis parſimonia, tum etiam commoditate, quòd ter duntaxat intra ſeptendecim aut octodecim horas nouus fomes igni ſit addendus, prętereà ardẽtiſſimo calore, quo nihil vrentius, ad focũ quotidianũq́ue vſum veniſſe. Franci igitur, qui Leodium multis pòſt ætatibus de nouo condiderunt, ab Huionibus hoc ignium alimento antiquitus vſis huic bituminis ſaxei generi, *Huilles get* nomen dedêre, quo ſignificatur Gagates populi Huienſis, vt linguę noſtræ peritis eſt perſpicuum; ſed id Romaniſantes in Huilies ſiue Huilles mutarunt, vltima ſyllaba reiecta. Abeſt autẽ Huionum opidũ quatuor duntaxat milliaribus noſtratibus Leodio, ditione Condruſorũ adhuc retinẽte nomen, quãuis Leodio ſubſit. Hæc igitur agri Leodij barathra, & montes atris carbonibus ſplendentes, & flammæ ſubterraneæ vnà cum ſuis operis Manium colorẽ & odorem ad viuum exprimentibus Claudiano occaſionem dederunt, vt hac Megæram ab Orco educeret, fingeretq́ue Vlyſſem hac vmbras euocaſſe. Id tamen non opinor de loci tantum natura duxiſſe, ſed de hiſtoria etiam aliqua gentis antiqua, qua fortè narrabatur, Vlyſſem hac Orcum ſubiuiſſe, atque Oenopem ætate grauem & diuturnæ peregrinationis labore defatigatnm, ſedes ſibi poſuiſſe, quas de filio nominarit, quo abſentis ſaltem inani nomine & memoria ſenium ſuum ſolaretur. Quòd ſi hæc nobis arrideat antiquitas, non abſurdis nixa coniecturis, dicendum Leodium geminos conditores habuiſſe; alterum Grẹcum, alterum Francum: & Græco quidem Leodis nomenclaturam deberi, Franco verò placuiſſe, vt à fluuiolo ſiue torrente per vallem eam in Moſam decurrente, vocaretur Legia. Legia autem torrenti inde nomen datum, quòd legionis Romanæ ſanguine exundarit. Satis igitur vel ſolus hic torrens argumenti habet, ad docendum Varuca egreſſos, hîc cęſos eſſe Romanos, interuallo & locorum poſitu ad amuſsim reſpondente Cæſaris narrationi, ſi interuallum inter Varucam & principium ſiluæ, non imam vallem computemus.

mus. Quocirca imperitè faciunt, qui in commentariis ad Vatucam vel Atuatucam legendum contendunt, vnius litterę errore corrumpentes & hiſtoriam & topographiam; & Atuaticum Ptolomęi longè mouentes ab eo tractu, à quo ab ipſo fuit collocatum. Nemo enim comparationem oſtiorum Scaldis & Atuatici in longitudine & latitudine à Geographo factam poterit tueri, ſi Atuaticum vel ad Varucam, vel in Gallica Brabantia, vt imperitè quidam & nimium oſcitanter crediderunt, ſit ſtatuendum. Inuentis igitur nunc caſtris Aurunculei & Titurij in medio Eburonum, ſi hinc Scaldim, hinc Rhenum, verſus eorum fines, & diuerſa parte per decuſsim à ſupremis Atuaticorum Rhemorumque limitibus conſiderentur, inuentis item Ciceronis hibernis: nõ eſt difficile ad demonſtrandũ, vbinã Ambiorix Atuaticos ſit allocutus. Nam ſi quis à Varuca Aldenartum recto itinere, non mutatis equis, contendat, is die vna & nocte ad Gaesbecanum agrum, atque illinc poſtridie Aldenartum ſit peruenturus, ſi ea quam Cęſar indicauit diligentia vtatur. Hac equidem dimenſione ſum adductus, vt accuratè omnem Gaesbecanorum viciniam perluſtrare; quo viderem, ecqua veſtigia adhuc illius opidi inuenirem, in quod Cæſar narrat Atuaticos omnia ſua contuliſſe. Nec diu ſanè quæſiui, cùm ſtatim apud Gowicam, montem conſpexi, cui Cæſaris deſcriptio adamuſsim quadrare videbatur. Eius igitur verba repetam. Atuatici, inquit, de quibus ſuprà ſcripſimus, cùm omnibus copiis auxilio Neruiis venirent, hac pugna nunciata ex itinere, domum reuerterunt: cunctis opidis caſtellisque deſertis, ſua omnia, in vnum opidum egregiè natura munitum, contulerunt; quod cùm in omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectusque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus, in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur, quem locum duplici altiſsimo muro munierant, tum magni ponderis ſaxa, & præacutas trabes in muro collocarant. Hæc Cæſar. Hactenus certè nullus eſt mons in toto illo tractu, tam altè vndique ex plano aſſurgens, adeò vt tota hac regione nullum ſpectaculum æquè delectarit, atque ex eius vertice omnia longè, lateque intueri, quæ ad multa millia paſſuũ circùm iacent ſitu amœniſsimo. Nec ſatis fuit mihi ſemel oculos pauiſſe, & lætam camporum, ſiluarum, colliumque perlegiſſe varietatem, quin poſt curarem montem vicinaque loca mihi depingi. Porrò, cùm de ſitu & itinerũ ratione hîc opidũ à Cæſare expugnatũ fuiſſe primus coniectaſſem, nomen interrogaui: quo audito, magis etiam in opinione ſum confirmatus. Vocatur enim hic mons *Zomberg*: quod nomen Cæſar videtur interpretatus, dum dicit,

Alombergum opidum à Cæſare expugnatum.

opidum omnibus in circuitu partibus altiſsimas rupes deſpectusque habuiſſe. Lomberg enim factum eſt, vnius litteræ in principio ablatione, quod integrè eſſet, ſi Nlomberg diceretur. Sed quia A Galli propriis locorum nominibus ſolēt pręponere, vt cùm dicitur, *A Paris*, id eſt, Pariſiis: *A Bruxelles*, id eſt, Bruxellis; putauerunt ij qui Nlomberg audiuerunt, A ſimiliter hic vſurpari, atque montis nomen Lomberg, non Nlomberg eſſe. Verùm ſiue breuitatis cauſa, ſiue hac, quam dixi, erroris occaſione Lomberg in vſum venerit, parui refert, modò conſtet Nlomberg eandem loci naturam ſignare, quam Cæſar expreſsit. Profectò nihil aliud eſt Nlomberg, quàm locus qui vndique mons eſt, id eſt, vndique in circuitu rupes, deſpectusque habens; ita vt nulli alteri monti adhæreat, è quo ad eum planus ſit acceſſus. Noſtras enim vocabulum, quo mons ſignificatur, tale eſt, vt loco depreſſo & ſcriptura & pronuntiatione è diametro repugnet, iuxta peculiarem quandam nominum fabricam, cuius artificium alibi erit explicandum. Quocirca mons alteri monti æquali continuus, reſpectu eius mons non eſt, ſi noſtro ſermone ſit loquendum; quia nimirum ad eum comparatus non ſeruet altitudinem montis propriam, qua, quę inferiora ſunt, excedunt. Nlergo, omne eſt: Oy, in circuitu: Berg, mons: quare Nlomberg, mons eſt, qui per totū circuitum montis rationem cuſtodit, eò quòd vndique loca depreſſiora deſpiciat: quod quid aliud eſt, quàm id quod Cæſar Latinis verbis deſcripſit, in omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectusque habens. Nullū certius eſt veritatis indicium, quàm omnia inter ſe apta cohæſione conuenire; quod ſi vſquam alibi, certè hîc maximè licet videre. Neque enim itinerum ſolùm computus, & deſcriptio loci, & nomen, deſcriptionem Latinam vernaculo nobis ſermone reddens, ſed vicinorū etiam ſiue pagorum, ſiue vicorum mauis, appellationes, in eandem rem conſpirant: quorum vni, qui ad eam partem eſt, vnde Cæſar venit, à caſtris nomen manſit, quamuis pro Kaſter, Keſter ferè pagus dicatur. Ad hanc enim partem Cæſar caſtra habuit; eò quòd hac exercitum adduxiſſet. Huic vicinus eſt vicus Kaſtergat appellatus, quo porta caſtrorum ſignificatur, compoſitione è duabus vocibus, altera Latina, altera Germanica. Sat enim ſic pronunciatum quaſi Saet ſcriberetur, portam notat, gemina originis cauſa; & quia murorum foramen eſt, quod Sat noſtris vocatur; & quia per illud itur, tum intrò, tum foràs. Saet enim, idem eſt quod eas, ſiue vadas. Apertum igitur illud velut foramen in muris, factum ad intrandum vel exeundum Sat dicitur, vocali longo tempore producta,

Keſter.

Keſtergat.

Sat.

Get.

ducta, quæ vox apud Anglos hactenus est in vsu, & nostratibus cõmuni prouerbio iactatur, Ayr is t'gat ſtt, id est, est extra portas: quo significare volunt, quenquam fugisse, vel solum vertisse, siue ob æs alienum, siue ob aliam causam. Castergat igitur vicus citra parochum, nomen duxit à porta castrorum, vt videtur decumana, quæ propter excellentiam sic vocatur. Accepi prætereà ab hominibus indubitatæ fidei, non pauca numismata hîc superiore ætate reperta fuisse. Leuis autem ille ascensus, cuius Iulius meminit, è diuersa parte ad pagum Goic spectat: cuius dominum gente Goic.
Taium, insigni Græcæ atque Latinę litteraturę peritia præditũ, cùm huius inuentionis meæ monuissem, egregium habui approbatorem. Vnum displicebat, quòd nec murorum reliquiæ, nec præcipitia satis ardua viderentur. Respondi mox, non id genus muros fuisse antiquis illis, quales nunc è lateribus coctis, vel quadrangulis saxis, ad normam eriguntur. quales autem fuerint, Cæsarem exposuisse in hæc verba: Muri autem omnes Gallici, hac ferè forma Muri Gallici.
sunt; trabes directæ, perpetuæ, in longitudinem paribus interuallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur. Eæ reuinciuntur extrorsus, & multo aggere vestiuntur. Ea autem, quæ diximus, interualla, grandibus in fronte saxis, effarciuntur. Iis collocatis & coagmentatis, alius insuper ordo adiicitur, vt idem illud interuallum seruetur, neque inter se contingunt trabes, sed paribus intermissæ spaciis, singulæ singulis saxis interiectis, arte continentur. Sic deinceps, omne opus contexitur, dum ista muri altitudo expleatur. Hoc cùm in speciem varietatemque opus deforme non est, alternis trabibus & saxis, quæ rectis lineis ordines suos seruant, tum ad vtilitatem & defensionem vrbium summam habet oportunitatem; quod & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit, quæ pedes quadragenos plerumque introrsus reuincta, neque perrumpi, neque distrahi potest. Hæc Cæsar: è quibus omnis sublata est dubitatio, cùm par sit credere, Atuaticos non aliter atque ceteros vrbem suam muniisse; eam præsertim, cuius tutelæ omnia sua committenda existimarent. Neque porrò simplice muro fuerunt contenti, sed duplice montem cinxerunt, opinati nullam hostium vim tantam fore, vt hanc munitionem penetrarent. Atque hoc in causa fuit, vt se huic opido in regionis quasi vmbilico constituto, incluserint, alioquin si turres & vineas Romanorũ ànte vidissent, Atuatico potius se crediturí, quò propter paludes, stagna & siluas, vix vllus Romanis accessus fuisset.

Quamobrem si perinde atque ceteri, trabibus directis & transuersariis muros compegerunt, non possumus quin confiteamur, putrescentibus lignis eos collapsos fuisse, & saxa paulatim inferius deoluta, tum sua sponte ruentia, tum aquarum vi protrusa, atque hac ruina montis cilia planiora, & ad conscendendum faciliora reddita fuisse. Quamuis enim præceps esset, non tamen altus admodum fuit, si aliarum regionũ montibus conferatur: at vt hæc regio fert, fuit eminentissimus & ceteris omnibus sublimior. Non est itaque mirum, si duorum murorum insignis, vt Cæsar addidit, altitudinis collapsu præcipitia sint repleta, ac deinde sensim imbriũ vligine multo quàm olim fuerint reddita planiora, quanquam & hactenus satis sint ardua & difficilia ad subeundum. Quamobrem nemo mœnium reliquias alias quærat, quàm saxa in terræ partim simul delapsæ, partim postea pluuiarum illuuie auctæ visceribus sepulta. Magna profectò fuit huius opidi oportunitas; atque ea maximis commoditatibus nixa. Primùm enim locus sua natura fuit munitissimus aduersus eos saltem qui ignari essent constructionis machinarum, quibus Romani muros æquabant. Deinde in propinquo materia copiosa ad trabes suppetebat, quibus muri, quãtumuis lati & alti, fieri possent. Extant hactenus siluarum non paucæ reliquiæ ad ipsas vsque montis radices, indicio quantum siluarum à maioribus sit exstirpatum ad arua & pascua comparanda. Præterea locus hîc fuit in agris fertilissimis in medio Atuaticorum constitutus, æquali pene interuallo, hinc à Neruiis, illinc ab Eburonibus; nec ab Atuatico prima gentis origine multo minus quàm à Sabi, qui supremos Atuaticorum terminos interluit, remotus. His ita constitutis, omnium itinerũ ratio, quorum Cæsar fecit mentionem, ita quadrat; vt non meliùs decempedis computaretur. Properauit Ambiorix post cæsos Titurium & Aurunculeium recta ad Neruios & castra Ciceronis. Vetus autem curia Neruiorum Aldenarti fuit, vt nomen nobis indicauit. Si quis ergo Leodio siue Varuca Aldenartum recta properet, secundo die Alombergum equestri itinere perueniet, atque inde postridie Altenartum tempori sese sistet, vnde castra Ciceronis duobus propè milliaribus nostratibus distant. Hinc & illa intelliguntur, quæ Cæsar libro sexto scripsit, de Eburonum finibus populandis, & Ambiorigis fuga; quo loco Varucam in mediis Eburonum finibus locauit, vti reuera fuit: si hinc Tilam, ad quem Louanium vltimũ Eburonum limitem feciſſe diœceſeon distinctio demonstrat, illinc Ruram flumen, quo à Menapiis Eburones diuidebantur, consideremus. Atque hæc quidem inter Orientem & Occidentem Eburonum sit longitudo. In

do. In discrimine item inter Austrum & Aparctiam par ferè spacium continetur,à Ruræmonta,id est,ab ostio Ruræ,quo nomine opidum vocatur,ad Caroli montem supra Bouinas ascendendo,qua parte superioribus Atuaticis & Rhemis & Treuiris vicini erãt. Cicerone igitur castris ad Varucam præfecto, cum legione vna & ducentis equitibus,reliquum exercitum tripartitò Cæsar distribuit: T. Labienum cum legionibus tribus,ad Oceanum versus,in eas partes,quæ Menapios attingunt, proficiscii iubet, id est, secundum Mosam versus eas partes quæ Ruręmontæ adiacent. C. Trebonium cum pari legionũ numero ad eam régionem quæ Atuaticis adiacet, depopulandam mittit: id est, ad eos Eburones qui à Mosa ad Sabim habitantes, Atuaticis erant finitimi,superioribus nimirum, quorum agros Cæsar vastauerat, priusquam Alombergum obsideret. Ipse cum reliquis tribus ad flumen Scaldim, quod influit in Mosam, extremasque Arduennæ partes ire constituit, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat. Profectus igitur est Cæsar per Hasbaniam Louanium ad eas Arduennę partes, quæ per ditionem Machlinien-sem discursu vario ad Ripelam & Scaldim finiebantur; quarum lacinias etiamnum extare paulò antè commonstraui, vt rectissimè Cæsar extremas has Arduennæ partes nominarit. Scaldim autem in Mosam, aut potiùs Mosam in Scaldim exonerari, modò docui. Quocirca perperam quidam nõ infimæ classis scriptores, pro Scaldi, hoc loco Sabin substituerunt,immemores à Iulio scriptum esse,siluas à porta decumana castris Varucæ obiectas fuisse, quibus Sicambri occultati, antè in castra inuolarunt, quàm à Romanis sentirentur; & vbi cædem Cottæ & Sabini exponit, dixisse insidias in siluis ab Ambiorige positas fuisse duobus millibus passuum à Varuca remotis: & mox in eadem narratione, paucos quosdam milites è prælio elapsos, incertis itineribus per siluas ad Labienum peruenisse. Quæ verò siluæ hoc loco cogitandæ, præter Arduennæ saltus, per quos ad Labienum, incertum & difficile,sed occultum iter dabatur. Falsum igitur est, Sabim ad extremas tum Arduennæ partes in Mosam influxisse, cùm Namurcum, vbi confluens est,ad octo milliaria nostratia,atque eò ampliùs, à siluis illis quæ ad Varucam extendebãtur,sit remotum. Temerarium est,auctorum veterum lectionem immutare, ob id dũtaxat,quia rerum,de quibus agunt,imperitia sic suadet.Si omnia Cęsaris dicta certè examinassent, & profectionũ omniũ rationes subduxissent, numquam erant in hanc sententiam descensuri. Neque verò ad Scaldim tantum Arduennæ eæ quas dixi partes cernuntur, sed circa Louanium etiã atque Machliniam. Huic enim Wauer waſt, id est,

Ciceronis castra in Eburonibus.

Mosa in Scaldim.

Wauria silua. id est, silua Wauria hactenus est vicina, cuius latitudo ad Heystam & Hemstetum, & Badsridum, & Machliniam villas, vt tunc vocabantur, olim extendebatur; & tota erat in comitatu Gotilonis, aliter Gotisonis dicti, qui comitatus Antwerf dicebatur. Terminabatur verò ad duo flumina, quorum vtrique Netha nomen erat, & tertium Thilam vocatum. Hæc quæ de Wauerwalt adduxi, accepta sunt è donationis quadam schedula factæ ab Henrico huius nominis Imperatore primo, & secundo Germanorum Rege, anno Dominicę incarnationis Millesimo octauo: quæ nobis aperiunt, non solùm Wauriæ siluæ amplitudinẽ, sed Antwerpiæ etiam veram germanamque scripturam, tum etiam illud Machliniam & Heystam & quicquid inter Nethas & Thilam flumina interiacet, Antwerpiensis Comitatus olim fuisse. Cæsar igitur dum Scaldim versus ad extremas Arduennæ partes tenderet, ad hæc loca profectus fuisse intelligatur. Sed conferamus & tempus quod ad hoc iter absoluendum necessarium putauit. Discedens, inquit, post diem septimum reuersurum confirmat; quem ad diem ei legioni, quæ in præsidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat. Rogo hic illos, qui pro Scaldi Sabim suppossuerunt, qua ratione Cæsar tantum sibi temporis ad eundum & redeundum sumpsisset, cùm Sabis vnius & dimidiati diei itinere tantummodo à castris distaret, atque ad persequendum festinatione magna opus esset? Videamus itaque an hæc temporis ratio ei interuallo conueniat, quod est inter Varucam & Scaldis eam partem, qua proximus est Machliniæ. Sed priusquam id faciamus, docendum, quãtum viæ vno die putemus copias transire consueuisse, dum citra hostiles incursus proficiscebãtur. Ne tamen vana nostra videatur coniectura, Flauium

Iter militare. Vegetium interrogemus. Eius inter cetera, hæc sunt verba: Militari ergo gradu viginti millia passuum, horis quinque duntaxat æstiuis, conficienda sunt. Pleno autem gradu qui citatior est, totidem horis viginti quatuor milliaria peragenda sunt. quicquid addideris, iam cursus est, cuius spacium non potest definiri. Hæc ille. In his illud sciendum, vno die non plures ferè horas, ad iter destinari solere, quo satis temporis superesset, ad castra, si opus videretur, munienda. Nam & in ipso exercitio quo ad hunc militarem gradum assuefieri milites solent, non plura millia passuum, quàm viginti permeabant: quòd si plura transeunda de communi consuetudine fuissent, debuissent maiori quoque spacio conficiendo in ipsis rudimẽtis assuescere. Sed præstat hic quoque Vegetium audire, qui capite vicesimo septimo libri primi ad hunc habet modum: Præterea & vetus consuetudo permansit, & Diui Augusti atque Hadriani

con-

conſtitutionibus prȩcauetur, vt ter in menſe tam equites quàm pedites educantur ambulatum. Hoc enim verbo, hoc exercendi genus nominant. Decem millia paſſuum armati inſtructiq́ue omnibus telis pedites ire ac redire iubebantur in caſtra, ita vt aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent. Demus igitur & Cæſarem ſingulis diebus in perſequendo Ambiorige, verſus Scaldim viginti paſſuum millia confeciſſe: videamusq́ue quouſque intra tres dies & dimidiatum potuerit peruenire. Cæterùm vt accuratè id fiat, neceſſe eſt noſtratia milliaria ad Romanorum paſſuum millia conferre. Cùm ergo horis quinque æſtiuis pleno gradu viginti quatuor millia abſoluantur, quærendum quot milliaria noſtra totidem horis æſtiuis queant pertranſiri. At horæ æſtiuæ cùm lõgi diei duodecimam partem complectantur, horis ſemper æqualibus ſunt longiores, pro ea ratione qua dies longior diem æquinoctialem excedit. Accipiamus igitur eum diem qui Romæ fuit longiſsimus, vt Romanorum diſciplinam ad Romanam ab æquinoctiali diſtantiam accommodemus. Neglectis itaque minutiis, longiſſimus dies quindecim horarum æqualium ponatur, quarum ſingulæ quindecim ſcrupulis, ſiue quadrante horæ ab horis æſtiuis ſuperantur. Quinque igitur horæ æſtiuæ, ſunt ſex horæ, & quarta vnius horæ pars, ſi ad æquatorem reducantur. Iam quia milliaria noſtratia, alia maiora, alia minora ſunt, ea accipiemus quæ hanc ſeruant mediocritatem, vt pleno gradu ad horas ſingulas æquinoctiales ſingula milliaria conficiantur, quanta inter Antwerpiam & Machliniam quatuor computamus. Milliaria igitur noſtratia, quatuor circiter continebunt millia paſſuum Romanorum, relictis minutiis, quæ de acceſſione quadrantis in calculo ſubducendo exiſterent. Hinc fit vt militari gradu quinque milliaria noſtratia Cæſar vno die conficere potuerit; atque ita intra tres dies & dimidiatum, milliaria ſcptendecim & dimidiatum; quod ſpacium ſi recta metiaris, à Varuca Scaldim verſus qua is proximus eſt, ad extremas Arduennæ partes, eò pertinget qua ſiluæ & paludes circa Waeſbeſt & Wiſtbroeck, Puiſbroec, reliquum iter impediuerũt. Ripela enim niſi aggeribus cohiberetur, omnia ad Scaldim vſque fœda vligine inuia redderet, quos Cæſaris tempore nullos adhuc fuiſſe ſatis cõſtat, vel ipſius teſtificatione, qui confitetur ob eam cauſam Eburones prædæ dediſſe vicinis, quòd in ſiluis & paludibus legionarios milites periclitari nollet. Sed neſoli Vegetio credidiſſe videamur, examinetur antiquiſsimus ſcriptor Herodotus, qui in ſingulos dies ducẽta ſtadia computauit, quæ millia paſſuum conficiunt viginti quinque, quę, in noſtra contracta, ſex efficiunt, & quartam vnius

Ambulatio militaris.

Collatio milliarium.

Horarum collatio.

Milliaria noſtratia quãta.

partem, & docent de quo gradu Herodotus sit locutus, & quantum militi expedito vno die itineris conficiendum sit, si veterum consuetudini velit assentiri. Hucusque igitur Iulius potuerit Ambiorigem persequi, quod eum de peritis locorum audiuisse priusquam discederet, nemo dubitabit. Rectè igitur supputatio septem dierum cum assertione nostra quadrat: quæ etiam hoc aperit, & quo modo & vbi Ambiorix sese seruarit. Nusquam enim in tota Belgica Gallia, siue Germania Cisrhenana, securius agere potuit, quàm in arce Atuaticorum, apud quos liberos suos obsides ad vectigalium soluendorum fidem, habuisse narratur; vtpote quę maximis fluminibus, plurimis & inaccessis paludibus, & siluis horridis, asperisque cingeretur. Clarum nunc mihi videor fecisse ad Varucam castra Aurunculei & Titurij fuisse in mediis ferè finibus Eburonum, atque hinc rectum iter Ambiorigis ad Neruios, & Cæsaris Scaldim versus est commonstratum. Colligi autem & illud ex his potest, iam tum Atuaticum, Ant Atuate werf fuisse nominatum, propterea quòd Atuatici nomen, iam ad omnes, & præsertim eos qui cor regionis habitarent, transiisset: ex quo breuitatis gratia factum Antwerf, vti est in rescripto Imperatoris ad Baldricum Episcopum Leodiensem ante quingentos & quinquaginta annos & plus eo, dato. Hoc ergo loco Ambiorix tutus latuit, & omnem Cæsaris conatum elusit. Verùm quia de Varuca argumenta etiam nobis petita sunt, ad id quod volumus efficiendum, addemus qua causa Romani aliò castra, stationesque copiarum transtulerint. Cùm bis ad Varucam aduersam fortunam passi essent, semel legione & cohortibus quinque cæsis; & rursus Cicerone in præsidio locato duabus cohortibus à Sicambris repentino impetu deletis, castrisque summo metu conturbatis, videntur existimasse Geniũ loci Romanis infensum, hæc mala inflixisse. Cæsar de stationariis timore perterritis scribens, inter cetera sic habet: Plerique nouas sibi ex loco religiones fingunt, Cottæque & Titurij calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. Ex his itaque coniecto, ab eo tempore nõ amplius Varucam placuisse ad castrorum metationem. Quò verò post Iulij decessum sint translata, locus ad Mosam proximus Traiecto commonefacit, cui Caster hactenus nomen mansit. Neque enim verisimile est, locum illum quo Mosa ponte traiiciebatur, citra præsidium maximum fuisse: immo contrà, credo Romanos & pontis & opidi auctores tum temporis fuisse, cùm huc castra sua transtulissent. Nam Traiectum vrbis nomen à traiiciendo flumine videtur factum: quanquam nescio vnde Ammianus Marcellinus acceperit Obtricense Mosæ opidum, quo Traiectũ super Mosa situm

Castra Aurũculeij & Titurij.

Ambiorix Antwerpiæ seruatus.

ſitum intelligere videtur, niſi fortè id mutuatus ſit à Thungris, qui Traiectum in Tricht mutarant: & quia Traiecti nomine duo opida vocabãtur, alterũ inferius apud Batauos, alterum ſuperius in Thungris, hoc Oppertricht, id eſt, ſuperius Traiectũ, & ſyncoptôs Optricht vocarunt; è quo Obtricenſe opidum Marcellinus fecit: illud Wters-tricht, id eſt, exterius Traiectum, & concisè Wtricht nominarunt. Quum verò omnibus copiarum & ingenij viribus Cæſar laboraſſet, vt Eburonum genus deleret, ac pro tanto facinore ſtirps & nomen, vt ipſe dixit, ciuitatis tolleretur, atque eò rem deduxiſſet, vt omnia ædificia finitimarum ciuitatum adiumento conflagrarent, omnis generis præda ageretur, frumentum omne tota regione exportaretur, denique nihil relinqueretur, quo, ſi qui ſeſe occultaſſent, ali poſſent, nequiret tamen Ambiorigem vel occidere, vel comprehendere; videntur Romani ad vltionem maiorem Thungros, quos Eburones agris & imperio exuerant, ad priſcum nomen euexiſſe, deleta prorſus Eburonũ & ditione, & nomenclatura. Et quia Atuatici auxiliares ei fuiſſent, condemnatum eſt eorum quoque nomen, adeò vt ſi quid poſtea geſtum ſit ab iis, qui loca Atuaticorum & Eburonum tenebant, totũ id Thungris adſcriberetur. Nec ſanè immerito, propterea quòd Cimbri in Thungrorum finibus Atuaticũ principio collocaſſent: & idcirco Atuaticum à Ptolemæo Thungrorum opidum nominatur, quaſi ædificium ſolo cedere iudicaretur. Tacitus diligens Germaniæ perueſtigator libro viceſimo ad hunc ſcripſit modum: Vitellius, inquit, è proximis Neruiorum, Germanorũque pagis ſegnem numerum armis onerauerat, quo loco haud dubiè proximos Neruiis Germanos locauit; vt intelligamus Atuaticos etiam comprehendiſſe Germanorũ appellatione: quia Thungri, ſub quorum nomine Atuatici tũ latebant, propriè & ſuo iure Germani vocarẽtur. Hinc Thungræ cohortes illę dicebantur, quę trans Scaldim vſque ad vtramq; ripam Moſæ fuerant delectę. Poſteà tamẽ cùm prouincię Romanorum per diœceſes deſcriberẽtur, ij qui antea Atuatici fuerant, ad Metropolim Rhemorum ſunt relati, vti de Chriſtianorum partitione conieci. Eram hîc iam finẽ facturus huic de Atuaticorum poſitu diſputationi, niſi quidã obieciſſet, à Strabone Morinis Menapios proximos locari. Huic etiam Cæſar videtur præiuiſſe, qui libro primo in exercitu Belgico ad calculum vocando ſtatim poſt Morinos, Menapios enumerauit, Atuaticis poſt Viromanduos recenſitis. Eoſdem libro tertio rurſus Menapiis coniunxit, ſolos illos duos populos reliquos eſſe dicens, qui legatos non miſiſſent. Verùm neque ex hoc loco, neq; ſuperiore, rectè colligi poteſt, Morinos Menapiis proximos fuiſſe. Nã illic gen-

tium ordinẽ non prorſus obſeruat, vt patêre cuiuis poteſt catalogum intuenti, quáuis non malè poſt Viromanduos Atuaticos enumeret, quoniã ſupremis Atuaticis eſſent cõtermini. Hîc verò coniunxit Morinos & Menapios, non limitũ illud ſanè ratione, ſed cauſa eiuſdem pertinaciæ, qua vterq; populus æquè Cæſarẽ cõtemnebat. Alibi inter Morinos & Menapios, Diablinteres interiecit populũ, cuius nec frequentem, nec nobilẽ fecit mentionẽ. Certior illa eſt ratio, quá nos ex itinere Ambiorigis adduximus, qua Atuatici inter Eburones & Neruios directè medij fuiſſe conuincũtur. Iã cùm è Morinis breuiſsimus ſit in Britanniã traiectus, erũt in eo litore collocãdi, in quo Bononia, Caletũ, Greuelinga, Dunkerca, & vicina opida hodie cernũtur; quorum terminũ illic credo fuiſſe, vbi hodie Bergey & Mieuport videmus: qui inde habitarẽt, clientes Neruiorũ fuiſſe, nominibus meliùs à Iulio, quàm locis diſtinctos; omnes tamẽ poſt Atuaticos collocandos, atq; idcirco in Flandria quærendos. In enumeratione tamen illũ videtur ordinẽ ſeruaſſe, vt Neruiis proximos, primos nominarit. Centrones enim, ſi in rebus obſcuris, & alta caligine ſepultis cõiectura nõ eſt repudianda, mihi videtur illic habitaſſe, vbi Cortracũ hodie videmus, quod Teutonicè Cort-ryc vocamus; quo ad verbũ ſignificatur breue regnum; Cort breue, Ryc regnũ indicãte. Verùm fieri poteſt, vt hominibus breuitatis vbiq; maiorẽ in modũ ſtudioſis, Centronũ nomẽ placuerit decurtare, atque ita ex Centro exemerint ipſum En; ac deinde per metatheſim è Ctro fecerint Cort, cui ſi Ryc, quod regnum ſiue ditionem notat, adieceris, erit Cortryc, id eſt, Centronum ditio. Atque hac ratione nõ ſolùm Centronũ nomenclatura in Cort latêret, ſed ſignificaretur etiam vocem eſſe abbreuiatam. Centro autẽ hac via prima eſſet appellatio à Latinis, ſua forma à Centrou Germanico deducta: eò quòd Omicron magis quàm diphthongus in fine placuiſſet. Eſt ergo Centrou ſic pronuntiatũ, vt Cappa ante Epſilon eundem ſonum habeat, quem habet ante Alpha, non aliud quàm ſi Latinè dicas, Noſce fidẽ: admonitio optimè cõueniens proximis vicinis: cuius quanta ſit ratio, veriſsimè docuit Heſiod. hac ſua cantilena:

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνηαρ
Εὖμορε τοί πμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ·
Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.
Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι. *id eſt,*

Prauus dat damnum, quantum bonus vtilitatis
Vicinus ſortitus eum, ſortitur honores:
Nam neque bos pereat, niſi prauus proximus eſſet.
Æqua lance cape à vicino, æquáque repone.

Qui

Qui igitur *Kentrou* ſe nominarunt,& ſe & vicinos admonebãt, fidem omnibus in rebus eſſe cognoſcendã,eiuſq; pręcipuũ eſſe momẽtũ ad pacẽ & tranquillitatem,& publicam ſalutẽ inter finitimos conſeruandam. Scio equidem *Kentroy* cum Nii in fine,alterius eſſe notionis,& idem nobis eſſe quod Latinus diceret,Noſce rotundũ:quod quamuis eleganté & apprimè vtilé ad fortunæ volubilitatẽ cognoſcendam,cõplectatur ſententiã; huic tamen loco non æquè quadrare viſum eſt, ob ſyncopen & metatheſin modò explicatas : quibus hoc etiã videntur indicaſſe, quicunq; fuère, qui ſic nomen permutarunt, breue eſſe regnũ fidei inter confines. *Kentrou* igitur,id eſt, fidẽ noſcens,breui tempore deſiit regnare,hac cauſa ipſius *Cortrycк*, id eſt, breuis regni,ſortitus appellationẽ. Imperitè Hubertus Thomas Leodius,opido Sãcti Trudonis apud Thũgros ſito,Centronũ nomen adſcripſit,non ſine amara illorũ irriſione, qui aliter ſentiunt: quos dicit, ſi interrogentur, quod nomen opidi ante illius Diui tempora fuerit, magis mutos fore quàm piſces: neq; enim Toxandri cũ Placẽtino appellationẽ placere. Sed ſi Chronicũ hîc Gemblacenſe fuiſſet percontatus,didiciſſet hîc olim vicũ fuiſſe,Sarciniũ nominatũ,in quo diuus Trudo monaſteriũ extruxerit, & Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus exularit.Sed id obiter notatũ ſit,cùm & ab aliis idẽ ſit animaduerſum & cogitare Hubertus debuiſſet,Cẽtrones nõ Eburonũ,ſed Neruiorũ imperio fuiſſe deuinctos.Eiſdẽ cùm Grudij etiã à Cæſare adſcribãtur, ineptè faciunt, qui Louanio Grudios attribuerunt: quæ vrbs in vltimo Eburonũ limite collocatur, vti ex diœceſeos diſtinctione liquet. Caſtrũ enim, quod citra Thilã eſt extra vetus opidũ ad Epiſcopũ Cameracenſem,vti cetera Atuaticorũ omnia opida, referri ſcimus. Nos Grudios Brugenſes fuiſſe,nihil dubitamus ; in quorum opido hactenus eſt domus,Gruthuſa nominata,id eſt,domus Grutia;à qua nobilis quædã Flandriæ progenies,& nomen, & gentilitatis originem accepit. Quid *Grutey* vernaculis noſtris vocetur, paulò antè docui: vnde conſtare poteſt, plurimis olim canalibus ad diuerſos vſus hoc opidũ nobile fuiſſe, atq; hinc ciues Grutios, ſiue per mediã litteram, Grudios cœpiſſe nominari.Soluitur hactenus *Grutgeſt*,quod vocabulũ noſtras eſt,pecuniã retationi deputatã ſignificans, quãuis vectigal hoc cereuiſiæ,& neſcio quibus aliis impoſitũ,ad nullã nũc publicã vtilitatem conuertatur,ſed totum à Gruthuſiis,qui canalibus olim & eorũ retationi pręerãt,occupetur,parte quadã inde comiti Flãdriæ deciſa, qua ſummã in vectigali hoc exigendo iuriſdictionẽ ſibi emiſſe dicũtur.Nec mirũ id videri debet,cùm iam olim fas eſſe cœperit,eiuſmodi pecuniæ collationes ad publicam aliquam cõmoditatem neceſ-

sitatemve destinatas, auertere in scrinia priuata: quod addo, ne quis eum, qui nunc nõ exstat, vsum nunquã fuisse arbitretur. Qua verò ratione ciues Grudij dicti olim fuêre, eadem pòst Bruggij siue Brugenses sunt nominati, propterea quòd pontibus, quos Bruggey nostrates dicunt, pluribus abundarent. Vbi enim plurimum est canaliũ ad naualem vecturam, illic ad pedestre & equestre iter quàm plurimis opus est pontibus, ita vt Bruggij cum Grudiis optimè quadrent. Grudiis proximi fuêre Leuaci, ita vocati à custodia partium inferiorum ad mare pertinentiũ. Nam quemadmodũ Bellouacũ Belgarum excubias sumus interpretati; ita Leuacos excubias partis depressioris tenuisse dicemus. Wac enim excubias, Leeg id significat, quod contrarium est ei, quod cõtrario litterarũ ordine Hef, id est, altum vocatur. Erant igitur Leuaci ij, qui ad Slusam, Ardenborgũ, Ostborgũ, & Axellam habitabant; quibus locis nullis arenarũ collibus, sed solis aggeribus mare excluditur, adeò, vt non contra piratas modò, sed contra fluctus quoq; accuratis excubiis opus esset. Infimã autem hanc litoralis Flandriæ partem esse, ipsa diluuia, tũ nostræ, tũ superiorũ ætatũ, satis docuerunt; quibus nonnulli pagi sunt absorpti. Discant igitur illi, vbi Leuaci habitarint, qui Leu vetus Brabantiæ opidũ olim in Eburonũ finibus sitũ, Leuacũ crediderunt, longè à Neruiorũ limitibus aberrantes. Et vt hoc loco infimæ regionis Neruiorũ erant excubiæ; ita superioris regionis excubiæ à positu suo nomen traxerunt. Bauacũ enim dicitur quasi Bouenwac, vocali quadrata in rotundã trãsgressa. Antiquã enim superioris regionis custodiã ad hunc locũ fuisse, Neruiorũ cõflictus cõtra Iuliũ factus satis ostendit: deinde opidi antiquitatẽ vetusta monumẽta castrẽsis Romanorũ supellectilis declarãt, è quibus quidã nimis supinè Bellouacũ hîc olim fuisse crediderũt, atq; de falsa hac opinione, nescio quos nobis Bauones, & alia id genº Vtopiæ mõstra in annales suos retulerũt, ab ipso vsq; Priamo & Ilio ingẽti nugarũ flumine in Belgicã deducto. Sed quia Leuacorũ & Bouacorũ nomina rationibus suis reddidi; vidẽtur Duaci vtrisq; nõ paulo nobiliores, hac prẽsertim ẽtate, nõ esse antiquitatis suę memoria defraudandi, cò quòd & ipsi nomẽ ab excubiis, non secus ac Bellouaci, Leuaci & Bouaci, acquisiuerint. Fuerunt enim hoc loco, si quid de Neruiorum ditionis situ rectè colligo, firmissima præsidia, ne quid vel ab Atrebatibus, quorum huc fines pertinebant; vel a Bellouacis & Ambianatibus, quibus hac parte proximi erãt Neruij timerẽt. Romani verò postquã Belgicã totã subiugassent, vidẽtur hæc loca minimè neglexisse, propterea quòd hactenus etiã nõ pauca tũ Bouaci, tũ Duaci Romanæ vetustatis monumenta inueniantur. Dicitur autem Duacum per excel-

excellentiæ figuram à tutelaribus excubiis, quasi hoc loco primariũ Neruiorũ præsidium fuisset, ad fines ab hostium incursu custodiendos tuendosque. Integrè & extra compositionem diceretur, De Hussac, id est, excubiæ ad custodiam siue tutelam. De, articulus est; Hu, tutelam defensionemque notat: Wac quid sit, modò explicatum. Aberrarunt igitur longissimè, qui de nominis allusione hîc Atuaticos quæsiuerunt: qui si veri aliquid simile dixissent, Cæsar Atuaticos non inter Neruios & Eburones, sed inter Neruios & Atrebates collocare debuisset. Quòd verò Duacos Neruiis potius quàm Atrebatibus adscribam, de Cæsaris id facio auctoritate, qui se ab Ambianis proficiscentem, triduo dicit per Neruiorum fines iter fecisse, cùm intelligeret decem duntaxat millibus passuum ab eo flumine se abesse, ad quod Neruiorum copiæ consedissent, quæ ratio ob oculos ponit iis, qui locorum delineationem inspicere volent, Duacum in Neruiorum finibus fuisse. Debebit ergo mihi hæc ciuitas veram nominis sui originationem, & sanè lubenter hoc debitum in optimis nominibus collocabo, quòd sciam homines eruditissimos illic esse, qui non soluere modò quod debent, sed in litterario hoc commercio ingens fœnus adiicere, ac non centesimis tantum vsuris, sed vicesimis etiam me ditare si velint, possint. Nec dubito quin ita sint facturi, quando in studiorum liberaliumque artium foro, quantò quis plura dat, quantò quis alios reddit ditiores, tantò se quoque facit beatiorem, contrà planè quàm in sordido rerum externarum, quibus Socrates se dicebat nõ egere, mercatu necesse est euenire. Est enim hæc vrbs hac nostra ætate in augustum Musarũ templum consecrata, ita vt si quid ei de nostro Hermathenæo expensum tulero, facillimè cum ingenti lucro reponere de suis copiis possit. Atque hæc quidem obiter de Bouaco & Duaco inter Neruiorum clientes sint inserta. Porrò Pleumosij illi mihi videntur nominati, qui circa Vurnam, Honscotam, Dixmudam, & Iperam commorabãtur, proximi Morinorũ terminis: quos ita dictos existimo, quòd ad segnes aquas & stagna in cœno habitarẽt. Nã aquas malè se intra terminos suos continentes, quæque multo limo loca vicina complent, Mosas vocamus. Cœnum enim & loca aquis vagis exposita, Mosen dicuntur, vt in Mosmaier declaratur. Peu segnem tardumque signat. Bi, apud: hinc vox composita Bileumosen, id est, apud tardam & latè sparsam vliginẽ, siue ad stagna cœnosa. Ex Bileumosen Latini Pleumosios fecere, media littera in tenuẽ mutata, & iota exempto. Non potuit certè natura loci melius depingi, quàm vocis huius notione, adeò hactenus omnis illa regio cœno & vligine est infamis,

& hi-

& hiberno tẽpore,nisi gelu duretur,inaccessa.Post hos Cęsar Gordunos nominauit; cuius appellationis aperta est ratio. Gor enim paludes notat, eas præsertim in quibus siluæ fuerunt. Hinc loca illa in campestri Brabantia paludosa, è quibus Balius cespes effoditur, nomine Sor vocantur. Duy verò, collem siue montẽ vocamus. Sorduy itaque collis est in paludibus situs. Iam qui Gandauum vnquá viderit, & situm eius considerarit, is statim animaduertet hanc appellationem nulli magis colli conuenire, quàm ei in quo est apud Gandauos Diui Petri templum & Monasterium.In hoc igitur existimo præcipuam olim Gordunorum arcem fuisse, & ab ea toti genti datam appellationem. Quamobrem nemo se sinat ab Huberto Leodio decipi,qui contendit Gondunos potiùs quàm Gordunos vocandos. Quare Gent pòst dici vrbs hæc cœperit,aliter ab aliis traditur; nec magni refert ad antiquitatis cognitionem. Mihi si ludere liceat, ita vocari videtur,quòd collis hic, in quo antiquitus vrbis primordia fuerunt,veluti anser masculus in aquis vndique circumfusis frequẽ ternataret. Nam Gent anserem masculum significare vernæ nostri nouerunt. Verùm anteà Want quàm Gant dicta cùm sit,erit nobis alibi ratio nominis cum antiquis insignibus explicanda, si gratũ illi ciuitati id futurum cognouerim.Inuentum nunc est qui Neruiorum clientes, post Morinos ad Scaldim vsque litora tenuerint, nec vllà inter illos mentio Menapiorum. Quocirca ex ipso Cæsare pro certo teneamus, Menapios à Morinis longè remotos tam diu fuisse, quàm Cæsar in Gallia est commoratus: & quamuis in pertinacia resistendi,socij fuissent, in pace tamen componenda socij minimè fuerunt,vti quorum fines coniuncti non essent.Sed dicet quispiam tum vltra Scaldim in Flandriam commigrasse, cùm à Tenchteris & Vsipetibus patriis sedibus expellerentur. Id verò nequaquam admitti potest, quamuis non nullis ita visum esse animaduertam,propterea quòd Cæsar eisdem eos locis collocet post Tenchteros & Vsipetes cęsos, quibus prius habitarunt. Libro enim sexto propinquos Eburonum finibus facit,perpetuis paludibus siluisque munitos. At maxima pars Eburonum vltra Mosam,eiusdem testificatione,morabatur, de cuius loci confinio eum loqui, ex eo fit perspicuum, quòd dixerit è Menapiis se in Treuiros profectum,quasi populi hi coniũcti essent, vti reuera fuerunt, secundum Rheni ripas. Infra enim Coloniam Treuiri Rhenum attingebant, in quorum finibus Cæsar secundum pontem exstruxit. Ab his inferius Menapij ad flumen habitabant, ad ipsum vsque Mosæ & Walis confluentem,ab Occidente Eburonibus confines,à quibus, paludibus & siluis secernebantur. Extant hactenus

nus ſiluarum reliquiæ, & palus etiamnum maxima ad Venſo, à qua non procul Eburonum, eorum qui intra Moſam & Rhenum habitaſſe dicuntur, fines abfuerunt. Menapios autem ſexto tandem libro, incendiis villarum ad Legatos mittendos, & ad pacis conditiones ſe coëgiſſe narrat; cùm multò antè libro quarto, Morini doceantur fidem ſuam multis obſidibus prius obfirmaſſe, quàm in Britanniam ex ipſorum finibus nauigaret. Quantum igitur locorum inter Morinos & Rhenum reliquum fuit, quo tempore Cæſaris diſpeſcebantur? Quid igitur de Strabone? Nõ abſurdum ſanè ſit, immò potius neceſſarium, cogitare Menapios continuis Germanorum incurſionibus vexatos, ſedes ſuas magna ex parte reliquiſſe, & quoſdam quidem ad Moſæ vtramque ripam manſiſſe, alios verò maritimo itinere in Flandriam traieciſſe, ne ab Atuaticis & Ambiuaritis, ſi per terram profecti fuiſſent, impedirentur. Occupaſſe verò non difficulter loca cultoribus vacua, qui partim ingẽti illa clade Neruiorum ceciderant, partim delectibus Romanorum erant exhauſti. Hinc illud eſſe, vt Strabo Menapios Morinis proximos locarit, cum quo Plinius quoque facere videtur, cùm dicit: A Scaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus: deinde Menapij, Morini, Oromanſaci, iuncti pago, qui Geſſoriacus vocatur. Hic enim extra quidem Scaldim Toxandros, à Scaldi verò interius Menapios, à Menapijs, Morinos habitare dixit: quo quidem modo intelligendum eſſe Plinium ſeries orationis demonſtrat. Hinc igitur Menipiſcus pagus, quaſi Menapiſcum diceres, poſterioribus ſeculis nominatus eſt in Flãdria, formula deriuationis in nominibus gentium nobis vſitata, qua ex Geldris facimus Geldriſchen, & è Brabantis Brabantiſchen, & ſyncoptôs Brabantſchen. Verùm illud in Cæſaris Commentariis me non parum torſit, quòd in Venetorum ſocijs inter Morinos & Menapios, Diabelinteres interiecerit, quorum alibi nulla facta mentio. Morinos Menapioſque aliquando in enumerando coniunxit, aliquando relictis Morinis, Neruios, Atuaticos & Menapios ordine recenſuit. Ceterùm mirandum, dum de Venetis tractat, Menapios etiam auxilium tuliſſe ad ipſum vſque Rhenum remotos, & interim Neruios & Atuaticos, qui propinquiores erant, ceſſaſſe. Exiſtimo ſanè hos poſtremos recenti clade fractos, non auſos fuiſſe nomen ſuum in Romanorũ hoſtibus profiteri, ſed laruam ſumpſiſſe à vicinis ſuis, qui in Eburonũ finibus proximi Atuaticis habitabant, atq; ſub ipſorum ſignis & nomine tantum opis ad cõmunem hoſtem opprimendum attuliſſe, quantũ vulnera necdum cicatrice obducta patiebãtur.

Cùm enim alijs pòst occasionibus legamus non defuisse, credibile est nec hoc bellum, ad quod Menapij etiam accersebantur, longiùs quàm ipsi à Venetis disiti, ociosos spectasse. Videntur igitur mihi ignobile quoddam finitimæ gentis nomen mutuati, sub quo quantulum adhuc erat virium, cùm citra contemptum imbecillitatis, tum citra Romanorum iritationem, ad bellum emitteretur. Quamobrem credi potuisset, hos Diabelinteres non longè nec à Menapiis, nec ab Atuaticis quærendos esse: Cæsaris in ipsis recensendis ordine ita suadente. Verùm, quia Plinius Diablindos in Venetorum vicinia collocauit, atque iidem Diablindi & Diabelinteres esse videntur, infirma sit hæc coniectura. Nihil tamen vetat, duos hoc nomine populos fuisse; alterum Venetis proximum, alterum vt Atuaticis finitimum, ita à Menapiis non longè remotum. Est enim infra opidum Thenas geminus pagus, locorum vbertate nobilis, nomen, vt videtur, Diabelinterum hactenus eo modo conseruans, quo ex Ambiuaritis Ritos habemus. Ex Diabelinter igitur voce integra *Linter* retinemus, quod nomen duobus pagis ad Getam infra Thenas sitis, commune ita est, vt cum adiectione superioris & inferioris accipiant distinctionem. Nomen certè loci naturam imitatur si de sermone nostro vernaculo pro eo ac debet, exponatur, cùm, *Di-abel-interé*, nullius litteræ immutatione, eos significet, qui elegantes sunt in arte inserendi, vti quiuis, linguę nostræ nō imperitus, agnoscet. Hactenus is genius cùm locorum, tum hominum est, vt pomorum nō alia regio ditior inueniatur, adeò, vt non porcos modò & vaccas iis per hiemem sustentet, sed maximam etiam copiam Antwerpiam transmittat. Pertinet ea à *Linter* sursum secundum Getæ ripas vltra Hogardum, cuius nomen vernacula lingua altum pomarium significat, ad Diabelinterum institutum, & locorum naturam optimè alludens. Nec ager hic pomorum tantùm feracissimus est, sed copioso etiam tritici prouentu nulli secundus habendus; qua in dote ita excellit, vt prisci illi Principes, qui limiti huic nostro sub Regibus Francorum præsidebant, horreum suum hoc loco habuerint, è quo, cùm opus esset, annonam subleuarent, & vicinis eam copia sua redderent laxiorem; decimis omnibus cùm è locis proximis, tum è tota Asbania huc conuectis, quæ cum lætissimis & fertilissimis totius Europę aruis vbertate certans nomē Asbaniæ adepta est; quo significatur via regia ad alimentum. Et est profectò illuc eundum ijs, qui volunt breui compendio rei frumentariæ Atuaticorum ad Scaldim sedes suas habentium, prouidere, ad

quod

quod magnum præstat Getas fluuius adiumentum, ad ipsum vsque horreum dorso suo naues bene magnas subuehens, quibus frumentum Machliniam, atque inde Antwerpiam portatur. Horreum autem voco ipsas Thenas, nomen inde nactas, quòd decimæ principibus iure Herculano dandæ, illic conderentur; quas lingua nostra Theinden vocamus; vnde opidũ, exempto Delta, de more nobis frequentissimo, Theinen nominamus. Hinc & fluuius nomen accepit ab alimentis subministrandis, quæ per ipsum deuehuntur. Nam Get-as, nullius elementi mutatione, idem significat, quod Latinis, Dat alimentum, quod nomen vulgus, vti cetera pleraque omnia, Get, adempta posteriore syllaba, pronuntiat. Ad huius igitur fluminis vtramque ripã si Diabelinteres habitasse dicamus, nihil sit absurdi, quos non pomaria tantùm, sed vinum etiam Hogardicum, & caseus hoc tempore nobiles reddit. Cæsar itaque, vel de his, vel de Plinij Diablindis, citra narrationis absurditatem intelligi potest: & credo equidẽ, Diabelinteres etiam illos, qui Venetis proximi habitabant, non Diablindos esse dicendos, etymologia, vt videtur, ita postulante. Sunt enim hactenus circa Venetorum regionem homines pomorum diligentes cultores, quo ex iis vinum suum pomarium extorqueant, quod Diabelinteres etiam Atuaticorum vicini parare consueuerunt. Quamobrem, si de illis Cæsar locutus est, qui Venetorum fuêre finitimi, ordo gentium minùs seruatur; at si de his apud Thenas olim commoratis, quantum eius de nomine locique natura coniici potest, intelligatur, rectè eos inter Morinos & Menapios interiecit, cùm Morini omnes illi olim vocarentur, qui post Iccium promontorium ad Scaldim vsque Moerey, id est, paludes tenerent; quamuis sigillatim aliis quoque nominibus dicerentur. Est sanè digna hæc, quæ ad Getam iacet, regio, vt antiquo nomine celebretur; tametsi daretur, nunquam eam à Cæsare cognitam fuisse, propterea quòd nusquam putem plus pomorum prouenire.

Nec opinetur quisquam, aliam olim vel hominum, vel regionis naturam fuisse, cùm videamus ab ipso statim Francorum initio limitis Antwerpiani principes his maximè locis egisse, ac inter ceteros Carelmannum & Pipinum primùm in iis natos esse, ac nomen ab opido Asbaniæ vetustissimo sumpsisse, quod Landas vocatur, quasi diceres, regionis alimentum; eò quòd caput esset eius regionis, quæ ab alimento pabuloque Asbania nominatur. Manet hactenus eadem aruorum vbertas, & omnium rerum ad vitam necessariarum copia, sed non eadem opidi claritas: quod quia in lætissimis agris esset, ac pòst limes euaserit Leodiensium & Brabantorum, inter quos

bella frequentissima, vti inter finitimos fieri solet, extiterunt; tandem eò redactum est, vt ægrè opidi nomen possit tueri. Agri tamen bonitate & vetustissimis Carelmanni & Pipini incunabulis, nobilissimis quibusque ciuitatibus possit æquari, ne dicam præferri, eò quòd ab his principibus Caroli Magni progenies, & omnium deinde & Ducum & Regum & Imperatorum, quotquot nostri Marchiones fuerunt, vsque ad regem nostrum Philippum, noui orbis Monarcham, longa multarum ætatum serie descendat; adeò vt nulla sit in toto orbe terrarum nobilitas, quæ principia habeat tam augusta, quæ continuationem generis vel tot seculis productam, vel tot rerum gestarum decoribus insignem: quæ denique præsentis temporis maiestatem tot regnis, tot imperiis, tot insulis, tot diuersarum linguarum populis habeat extensam & ornatam. At ager non solùm Pomonæ magna varietate & Liberi patris diuino liquore, & Cereris beata fruge, & Palis pinguissimo munere luxuriat, sed nobilissimus etiam est Sabazij siue Zagræi, vetustissimi Proserpinæ filij, lætissimis poculis, quibus curæ & graues molestiæ multò magis & præsentiùs, quàm iuuenis Bacchi dono discutiuntur. Hogardica enim cereuisia nihil est ad cerebrum tristibus cogitationibus exuendum præsentius, nihil ad hilaritatem, ad carmina modulanda, ad amores, & cetera quæ largos vini cyathos sequuntur, plus habens incitamenti; nihil in tota hac regione celebrius & notius iis, qui citra magnum crumenæ dispendium insanire volunt. Iam quod ad Genio indulgendum hibernis noctibus maximè est necessarium, satis superque est lignorũ, quo perpetuo igne focus lucere possit, quorum inopia eos qui tritico abundãt, multis locis videmus laborare, vt in Hispania in cãpis Castellæ veteris, in Gallia in planitie Beausia, apud nos in agro Atrebatum, non citra maximum vitæ incommodum, si Martialis iudicio standum. Diabelinterum ergo ager cum amœnissimis vberrimisque totius Europæ locis potest comparari, & quãplurimis anteponi, eo ipso apud me visus mereri, vt nomen ei priscum adscriberetur, è quo illud, quod Plinius Venetorum vicinis dedit, de vera originatione corrigendum esse existimo. Atque hęc quidem satis de Morinorum, Atuaticorum, Diabelinterũ, & Menapiorum situ, pro eo atque tum temporis habuit, quo Cæsar Belgicam flagellabat, ad quam pòst oram à Tassandris & Atuaticis admissi Frãci vires eas compararunt, vt tota Gallia & magna parte Italiæ Romanos victricibus priorum scelerum manibus depellerent, & quicquid intra Alpes Pyrenæa cacumina Oceanum & Rhenum terrarum iaceret, ditioni suæ subiugarent, ac Rhenũ transgressi, Franconiam etiam pul-

fis Sueuis ac aliis gentibus conderent, ac aduersus Almannos, Thuringos, & ceteros vel Teutonici, vel Slauici nominis hostes munirent. Soli tamen illi Francorum, qui apud Atuaticos, Thungros, & Tassandros mansere, vetustam linguam integram hactenus seruarunt; quam Francones Sueuica, Franci in Gallia, Romana lingua corruperunt; hi infinito longiùs quàm illi digressi. Sed de Francis & eorũ antiquitate, libro ipsis dedicato, aliter longè quàm hactenus quisquam tractabo: in quo nobilitatem gentis, Troianis nugis liberatã, docebo antiquissimos ortus & illustrissimos habere. Sublata igitur hac de Morinis & Menapiis controuersia, erã ad sacra nostra vetusta accessurus, vt in illis huius libri coronis velut in asylo se tueretur; nisi me Neruij reuocassent, expostulãtes me docuisse antiquorũ in clientibus suis nominum rationes, & nihil addidisse, è quo liquêret, qua ipsi causa sic nominarentur. Demus ergo & illis hanc opellam, qua nominis sui è vernacula lingua audiant originationem, & Aldenarij cognoscant, à quibus maioribus sumpserint originem. Videntur enim Aldenarij sic dici, quasi veteres Neruij Latinis vocarentur; eò quòd pro secunda vocali non rarò primam pronuncient. Verùm vt Neruiorum appellatio certiore argumento causam formaturæ suæ doctis viris probet, Cæsar in auxilium vocandus, qui libro secundo hæc nobis reliquit verba: Eorum fines Neruij attingebant, quorum de natura moribusque Cæsar cùm quæreret, sic reperiebat: nullum aditum ad eos esse mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumque rerũ ad luxuriam pertinentium inferri, quòd his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent: esse homines feros, magnæque virtutis. Hæc ille. Non oscitanter hic locus cognoscendus, qui hominum ad militiam idoneorum omne robur complectitur, dum docet ob id mercatoribus aditum Neruios negasse, ne animi elanguescerent, & in mollitiem virtus degeneraret. Cyrus ille magnus & regiæ apud Xenophõtem maiestatis exemplar, idem omnino viris fortibus institutum esse debere iudicauit, dum in hanc sententiam Herodotus eum locutum dicit: Cyrus audiens quæ Lacrines proferret, rogasse fertur circumstantes Græcos, quinam homines essent Lacedęmonij, & quàm multi numero. Mox vbi hęc cognouisset, ad legatum Spartanum dixisse: Equidem non extimui vnquam homines illos, quibus locus est in media vrbe vacuus, ad quem collecti mutuis ipsi sibi iuramentis imponerent. His si modò incolumis fuero, non lonum, sed propria sua incommoda erunt deploranda. Hæc in vniuersos Græcos verba coniecit Cyrus, quòd fora haberent, & emptione & venditione vterentur. Persæ enim foris venalitijs vti

non consuevêrunt, neque vllus omnino apud eos erat mercatus. Ex his Cæsaris & Herodoti verbis æstimare licet quàm fortitudini & laudi militari negotiatio aduersetur, testimonio duarum nationum à virtute maximè commendatarum. Vtinam Antwerpi nostri non tam laxas habenas mercaturæ & externis delicijs dedissent, haberent ipsi quidem diuitiarum aut veriùs nummorum minus, sed haberent plus animorũ & virtutis antiquæ; qua collapsa, fieri non potest quin tandem ciuitas mollitie nimia diffluens, in seruitutem eam redigatur, quam Cyrus omnibus Græcis eadẽ de causa minatur. Sed quid, inquiet quisquam ad Ianum nostrũ quadrifrontẽ sedẽs, vis ne perpetua paupertate Remp. & singulos homines adfligi? Nolo equidem: at illud volo, vt sit modus in rebus, & si optãdum sit, probos mores, & integram in ciuibus vitam, cum labore rustico malim, quàm regias diuitias cum tanta improbitate, cum tot imposturis, cum tot periurijs, cum tot furtis, quot hodie videmus, rem Deo & optimo cuiq; abominabilem. Sed hæc quia odiosissima est sententia, & Antwerpiæ æquè absurda, ac si cælum ruere diceretur, adducamus Catonem; qui tamen non minùs, quàm ego, & ridiculus & exsibilandus videbitur. Eius hæc sunt verba: Est interdũ præstare, mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet. Maiores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posiuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quantò peiorem ciuem existimarint fœneratorem, quàm furem, hinc licet existimari. Et virum bonũ cùm laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumque colonum. Amplissimè laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Hesiodus item iustorum hominum felicitatem describens, sic canit:

Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, ἔρεσι δ' ὀρυδς,
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνας, μέση δ' μελίσσας·
Εἰροπόκοι δ' ὄιες μαλλοῖς καταβεβρίθασι,
Τίκτουσι δ' γύναικες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν,
Θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές, οὐδ' ἔπι νηῶν
Νείονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Quæ nos ad verbum ferè totidem versiculis enumerauimus.

His multum victum tellus fert: montibus altis
Glandes dat summum quercûs, medium dat apum vim.
Lanigeræ pecudes onerantur vellere denso,
Assimiles patribus proles parit vxor & almus.
Vsque bonis florent, nec nauibus æquora sulcant:
Sed fructum omnigenum tellus fert prodiga frugis.

Iustis

Iuſtis igitur viris ſumma rei domeſticæ felicitas è re ruſtica videtur petenda, ſi grauiſsimis his auctoribus erit obtemperandum: in qua inter cetera bona & illud numeratur, nõ cogi ad nauigationem; quæ mercatorum & piratarum, cum quibus belli naualis duces numerari poſſunt, propria eſt & peculiaris. Cogitent nunc mercatores quidam, qui omnium rerum ſe primas tenere putant, dum barbaro & ſtolido faſtu cælum, auaritia ſordidiſsima Ditis barathra tangẽtes, artes omnes homine ingenuo dignas, & ignorant & contemnunt: cogitent, inquam, & cernant, quid apud hos iudices religionis Chriſtianæ ignaros commereantur, & quam contrà laudem agricolæ iuſtiq́ue homines reportent. Ex agricolis, inquit Cato, & viri fortiſsimi & milites ſtrenuiſsimi gignuntur, maximeq́ue pius quæſtus ſtabiliſsimusq́ue conſequitur, minimeq́ue inuidioſus: minimeq́ue malè cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupati ſunt. Quid hac laudatione laudatiſsimi viri, vel grauius, vel pulcrius, vel piis auribus iucundius? Bene igitur Neruij Reip. ſuæ conſuluerunt, dum mercatores finibus ſuis cenſuerunt abercendos, & facultates honeſto ruris labore comparandas. Hinc meritò Neruios ſe dixerunt, ſi vox ad vernaculum ſermonẽ, è quo eſt deformata, reuocetur. Nã Mer-ϑρς is dicitur, qui ſapiens eſt in iis acquirendis quæ ad vitam ſunt neceſſaria. Mer enim acquiſitionem neceſſariorũ ſignat, eò quòd is qui labore ſuo ſibi victum quærit, & honorem ſequatur, & honori ſit proximus; quod Mer, & compoſitione conciſa Mer, idem ſit quod Latinis, ad honorem. Vnica ſanè ſyllaba linguę noſtrę architecti indicarunt, quicquid Heſiodus & quicquid Cato multis præceptis monuerunt. Niſi enim opum acquiſitio ad honorem tendat, indigna eſt quæ hoc nomine noſtrate nuncupetur. Laborandum igitur ad honorem, & nunquam labor vllus ad victum acquirendum ab honeſto debet diſcedere, ſi præcepti, quod maiores noſtri hac vocula comprehenderunt pluſquam Laconicos, ratio ſit habẽda. Mer igitur idem eſt quod victum & facultates quæro cum honore & ad honorem. Hinc prouerbium *Ter na ner*, id eſt, ſumptum facito pro modo facultatum acquirendarum: de quo alibi rurſus. Mer-ϑρς autem idem eſt quod ſapiens. Qui igitur ſapiens eſt in victu quærẽdo, is Mer-ϑρς vocãdus. Quis verò ſapiens, niſi is qui iuxta præcepta eorũ facultates comparat, qui apud omnes poſteros & apud horũ ſapientiſsimos quoſque habiti ſunt ſapientiſsimi & optimi ſapientiæ magiſtri? At ita Neruios feciſſe, Cæſar teſtificatus eſt, qui hac parte Perſis antiquiſsimis, quorum vitam necdũ luxus corruperat, eos pares fecit, dum mercatoribus dicit aditum negaſſe. Quàm verò diligentes fuerint, non in aruis modò colendis,

lendis, ſed in ſepimẽtis quoque agrorum, idem Iulius annotauit; ſepes eorum deſcribens, quas fieri ait, teneris arboribus inciſis atque inflexis, crebriſque in latitudinem ramis enatis, & rubis ſentibuſque interiectis, vt inſtar muri munimẽta præberent, quò nõ modò nõ intrari, ſed ne perſpici quidem poſſet. Videmus hic idem olim ſtudium Neruiis fuiſſe in ſepibus vbique contexendis, quod hactenus etiamnum in hortis muniẽdis tenemus. Vix exteris perſuaderi queat, quãtum elegantię & amœnitatis virides hę ſepes hortis & paradiſis concilient, quibus nulli tapetes ſint conferendi. Excellentiſsimæ autem fiunt ex ilice aquifolia, cuius perennem & ſaturum virorem corallinæ baccæ gratiſsimo ſuo rubore hibernis menſibus veluti lapides quidam pretioſi exornant, tãtiſper hærentes, dum verni flores ad nouum hortorum decus recurrant. Sit ergo hæc vocis origo non Neruiis modò, ſed omnibus nobis perpetuò in mente, quò ſapientiam hanc in quærendo ſequamur, qua honeſti ratio vbique habeatur, citra quam omnes facultates turpes apud maiores noſtros, qui rebus nomina fecere, iudicantur, iudicio tam diu conſtaturo, quàm quiſquam erit linguæ noſtræ peritus, quæ plus habet præceptorum, ad rectè viuendum conducentium, quàm vlla alia linguarum; vti paulatim legendis noſtris, qui volet, poterit doceri. Nõ longè ab hoc nomine Atrebatum appellatio receſsit, quę hoc monet, vt lucro parato, nec procul quærendo contenti ſimus. Cùm enim agrum haberent tritici fertiliſsimum, monuerunt ſuos hac nomenclatura, ne aruis neglectis, iis quæ longè quærenda eſſent, inhiarent. Memini Pindarum in Pythiis hanc eandem habere cantionem, paucis illam quidem verbis, ſed non tribus duntaxat ſyllabis comprehenſam:

Εςὶ δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον
Οςις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια παπταίνει τὰ πόρσω.

quo ſignificatur eum de genere hominum vaniſsimo eſſe, qui domeſtica regionis ſuæ bona vilipendens, ea quę procul ſunt, intuetur & oculis captat. Atrebatum nomen quantò ſuccinctius eandem complectitur ſententiam! Prima enim nominis ſyllaba eadem eſt cũ prima particula Atuatici, & eandem aſpirationis paſſa iacturam: ſecunda verò idem ſignificat, quod Latinis paratum, ſiue quod ad manum eſt, vocali tamen producta. Bat deinde lucrum notat, & omne id generatim, quod vitę commoditatibus ſeruit, quacunque tandem id ratio-

ratione fiat, ita vt tota trium vocularũ cõplexio, significet, Tene paratũ lucrum, siue eam commoditatẽ vitæ & vtilitatem, quæ ad manũ cùm sit, nec longè, nec dubio euentu est petenda. Et quo videas omnes ferè Belgas honestum & parabilem victum laudasse, & contra rem maritimam contempsisse, vicinos duos populos addemus, quorum nominibus idem docemur. Plinius post Morinos Oromansacos enumerat, iunctos pago Gessoriaco. Hos Cæsar sub Morinorum vniuersitate comprehendere videtur, eò quòd breuissimum in Britanniam traiectum è Morinorum litore esse dicat. Mela apud Morinos Gessoriaco portu nihil nouit celebrius. Ptolomęus Iccium promontoriũ post Phrudim ponit, quẽ ego Somã nũc vocari existimo. Iccium ergo promontorium medium est Iccij portus & Gessoriaci pagi nomen, vt videtur, à nauigãtibus ex Oceano Hispanico & Gallico in has angustias adeptũ, eò quòd Jcci, siue vt nunc scribimus, Jc si, idẽ sit, ac si Latinè dicas, ego video; vel quia videlicet diligenter Pharus illa, quam Aumanum vocant, id est, antiquum monitorem, nautis esset inspicienda: vel quia ex hoc monte Britannia clarè cerneretur, quod & ipse sum expertus, dum illac in Angliam traiecturus, procelloso mari detinerer. Est ergo distantia Phrudis ab Iccio à Ptolomæo notata, ad extremam promontorij laciniam, versus Arctum computanda, quanquam scio in latitudine non parum esse aberratum. Phrudim autem Somam esse, cùm ex locorum vetere commensu, tum de nomine coniicio, quoniam Phrued siue Afrued parcũ nobis & attentũ ad rẽ signat, quæ ratio ob id fluuio conueni t; vel quòd nulli alij amni insigni alueum suum communicet; vel quòd aquarum parcus præ ceteris Galliæ fluminibus videatur, eo nomine Mosæ, vti antè dixi, maximè contrarius. Promontorium hoc tempore Sanckeneſt vocatur, vti, dum illac in Hispaniam nauigarem, à nautis didici; cuius nominis ratio statim apparebat colorem candidum rupis intuenti. San enim nobis candidũ notat; Neſt verò idem est quod nidus, ita vt credam castellum aliquod hîc olim fuisse, quod perinde nidus nostris atque Ithaca Ciceroni nidulus fuerit nominatus. Gessoriaci autem dicti videntur, corrupto iudicio eorum, qui ad mare & ad portus, vel cauponariam, vel nauicularian exercent, vel aliis vilioribus sordidioribusque artibus victum quærunt. Apud hos enim nullus honestati locus, sed omnia pecuniis venalia habentur, & is solus honoratus est, qui diues est. Hinc Gessoriaci dicti, quòd diuitias honorare, & in precio præcipuo habere, & ad eas omnia sua studia conferre, plebeiorum hominum sit, & eorum, qui quasi in plateis vulgò sunt cõcepti. Sas enim siue Ses,

publicam viam notat, vti pòst per causas etiam enucleabo. ⊙r, genus siue sobolem signare prius indicaui. ⊙esor igitur is erit, qui vulgaris contemptique generis, & in publico conceptus est. ⊙yc, diuitias interpretamur: cui ⊙acht coniunctũ, quod honore dignum duco, significat. fit ⊙yacht, lenitatis causa, cappa in ⊙yc exempto. Tota igitur dictio docet vulgò concepti generis esse, diuitias honore dignas æstimare; nomen mehercule dignum, non Caleti magis, quàm Antwerpiæ habitantibus, & generatim ferè omnibus hominibus huius ætatis, apud quos Horatianum illud, omne tulit punctum, & legis vim & plebiscíti sibi sumpsit:

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos: hæc Janus summus ab imo
Perdocet, hæc pueri recitant dictata senesque
Læua suspensi loculos, tabulamque lacerto.

Horum igitur, qui ad portum hunc Morinorum habitabant, infamiam, & turpem quæstum, & iudiciorum corruptelam, cùm vicini proximi odissent, nomen sibi acceperunt ex diametro cum illo pugnans. Oromansaci enim ex ⊙r, *rom*, *mans* & acht dicuntur, in quibus ⊙r quid sit, notum. ⊙om forte: *mans* viros: acht idem quod in priore signat. Reiectis igitur, de more prisco, duplicibus in cõpositione, ex ⊙rromman sacht fit Oromansacus, Latina forma terminatum; quo significatur, sobolem fortem & generosam talem esse, vt viros magni æstimet, non diuitias. In vtroque tamen nomine, aspiratio cum tau finali, de consuetudine mihi sæpius indicanda, est ademptum, quo mollior esset appellatio. Verùm si tanta sit cuiusquam morositas, vt hoc mihi non admittat, propterea quòd in Ambactus hæ litterę non sint in fine ita commutatæ, vt tau relinquatur ei, respondebo hanc superstitiosam formationis nominum rationem, non semper apud Romanos fuisse obseruatam, præsertim in multarum syllabarum vocabulis. Nam quibus in vocibus chi littera finem claudebat, eas per denarij notam, dum suæ linguæ applicabant, terminauerunt; vti anteà ostendi. Attamen quo omnibus satisfaciam, & momis fugillandi ansam adimam, sic hæc vocabula reddam origini suæ, quasi à sac deriuarentur. Reliquis igitur partibus integris ⊙essorrycsac, erit idem quod Latinis diceretur, diuitiæ in causa sunt, vt quis sobolem plebeiam & vulgò conceptam habeat: vel alia constructione ex eisdem vocibus, Vilis & vulgò concepta soboles, quicquid facit, causa diuitiarum facit. Eodem modo ⊙rromman sac idem est ac si dicas, robustæ & generosæ sobolis vir causa est: vel alia syntaxi, So-

boles

boles fortis & generosa, quicquid agit, ea causa agit, vt virum se præstet. Siue igitur ab acht, siue à sac finem deducas, in eandem sententiam tandem nomina tendent, vt consideranti est manifestum. Gessoriacorum ergo hominum in portu habitantium, in quem sicut aliæ merces, ita improbitas etiam, & inter cetera vitiorum agmina, auaritia maximè importatur, omnia sua studia ad congerendas opes conferebant; ea de causa opprobrio nominis à vicinis notati. Orrommansaci verò in eo toti erant, vt viros se & fortes demonstrarent, atque idcirco vt illi diuitias, ita hi viros honorandos iudicabant: vt illi de vitæ proposito ignobiles & vulgò concepti; ita hi fortis & generosæ originis habebantur. Et meritò ij, qui portus habitant, vulgò concepti iudicabantur: eò quòd nusquam vxorum castitas magis oppugnetur, quàm vbi mercator & nauicularius domos frequentat, & vniuersim apud quos diuitiæ sunt in honore summo, apud eos non alia tantum, sed illa etiam sunt venalia, è quibus sobolis est origo. Vide quæso quàm omnia aptè inter se cohæreant, quocunque tandem modo vocem interpretemur. Quòd verò Rom forte, robustum, generosum ad aliquid agendum signet, & nostras sit, à quo Roem, id est, iacto, deriuatur; id tum docebo, cùm Romæ conditores ad primos suos natales, reiectis omnibus fabulis, deducam. Orrommansachti igitur & Gessoriachti integrè dicerentur, è quibus vocibus Oromansaci & Gessoriaci mollioris soni causa in vsum venerunt. Videntur autē Oromansaci illa loca tenuisse, quæ Taruanæ, Ginesiorū, & Diui Odomari media sunt, quæ fortissimis viris ad hanc vsque ætatem florere cernuntur, adeò vt Taruanæ vetus nomen significare mihi videatur, Aude, & in cædendo perge. Tar siue Dar, aude significat: Hau ay, idem est ac si Latinè diceres, perge in cædendo; & nos quidem hactenus Tarhauanam, non Taruanam dicimus. Quamobrem, quo fortis generis generosa soboles & simus, & in antiquorum lancibus iudicemur esse; non pecuniam, non diuitias, sed viros honore dignemur, moniti vetusta Oromansacorum appellatione, & eos plebeios, & non meliores, quàm si vulgò in plateis canum more concepti essent, cum priscis Belgarum maioribus censeamus, qui diuitias non viros æstimant, & honoribus prosequuntur. Videntur itaque Atrebates & Oromansaci, sicut Neruiis vicini fuêre, ita eandem quoque disciplinam à primis conditoribus accepisse, quæ vtinam hactenus vigeret, ac non insana hæc & miseranda auaritia, & opum rabiosa cupido successisset, ex qua, vt Nasonis verbis vtar, ortum est:

Omne nefas, fugêre pudor, verumque fidesque,
In quorum subiêre locum fraudesque dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.

Quid enim nunc tam turpe, tam ignominiosum, tam nefarium, tam impium, cuius quenquam pudeat, vel in vanis honorum titulis, vel in diuitiis, vel in voluptatibus spurcis sequendis? Quid tam verum, quod non horum scelerum causa pro falso explodatur? quid tam falsum, quod non pro vero adstruatur? Quæ verò vsquam fides, vel erga Deum, vel erga homines? cùm tamen citra hanc, nulla bella dirimi, nulla pacta iniri, nulla pax, nulla societas, inter homines vel coire vel teneri possit. Fraudibus & insidiis, & dum hæ parum valent, vi grassantur & plebei, & nobiles, & quotquot scelerata ambitione & fœdiore auaritia exæstuant. Sed iam satis querelarum, & satis etiam ex Neruiorum institutis admonitionum. Aldenaer igitur antiquum Neruium sic notat, vti voces apud nos mutilatæ pro integris ponũtur. Dicitur enim Maer per diphthongum, vel syncoptos Mer, pro Neruio: atque inde fit vt corruptè Aldenardum scribatur, cùm Aldenarum esset exprimendum. Sed quia plerique omnes Tornacum pro Neruiorũ curia antiquissima celebrant, fortasse non satisfecero eorum exspectationi, nisi & de nominis origine causæ aliquid adducam, quo secus ac ipsi credendum putem. Memini non ita multò antè dixisse, Sor-na pagi nomen esse, qui Antwerpiæ olim, vti & hactenus, ita propinquus fuit, vt Antwerpis principio noui vicini suspecti haberentur, atque idcirco hoc nomen datum esse, quo significaretur plusculũ æquo vrbi propinquos esse. Eodem modo cùm Tornacum conderetur, videntur Aldenarij noui opidi viciniam hac ipsa voce notauisse, Dornacum vocantes. Nostrates enim per delta, non per tau, opidi nomen pronuntiant, ne quis hîc morosius argutetur. Quòd verò Dornacum pro Sor-na dicitur, id fit ex eo, quòd Ma & Mac eiusdem originis voces, idem significatum suggerant. Ma enim apud, Mac appropinquo notat, quo fit vt idem sit, siue dicas Sor-na, siue Sor-nac, nisi quòd posteriore voce tantundẽ dicas, ac si Latinè diceres, plus æquo appropinquo, siue ferè nimium accedo. Intelligitur ergo ex hac vocis notatione, primarium aliquod opidum fuisse, cuius respectu hæc nimia vicinia Dornaco conueniret. Eiusmodi enim comparatio minoris est ad maius, & posterioris ad prius, non è conuerso, si linguæ proprietatem, & collationis modum seruemus. Ad quam verò vrbem, quæ antiquitus fuerit illustrior, Dornacum comparatum, hanc appellationem accepisse dicemus, si non ad ipsum primarium Neruiorum

caput

caput,cui ſuper eodem flumine non longo interuallo imminebat? Et vera ſanè eorum fuit ſententia, qui nimiam hanc viciniam eſſe dicebant, vti ſecuta ætas luculentiſsimo argumento comprobauit regionis principatu ex Aldenaro Tornacum tranſlato, vbi iam olim caput eſt diœceſeos Neruiorum. Ex his igitur non Cæſarem modò & Strabonem conciliare licet, ſed Pomponium etiam, Plinium & Ptolomæum veriùs ad locorum hodiernas nomenclaturas applicare.

Satis ergo perſpicuum feci Antwerpiam Atuaticum veterum eſſe, nec nomen habere à Verpo, vt quidam non inelegãtes homines ſunt opinati. Sed quia faſſi ſumus, Priapum ſub nomine Thyrſi apud nos in honore maximo fuiſſe, atque ita hactenus etiam à mulierculis inuocari, non arbitror me bene munere hoc defungi poſſe, niſi adiecero quæ maximè numina priſci parentes noſtri coluerint, & quibus eorum templa ædificarint. Si enim quicquam aliud ad antiquitatis quam hic quęrimus cognitionem ſpectat, hoc in primis videtur ſpectare vt intelligamus quam religionẽ veteres ſint ſecuti. Cùm enim religio caput ſit omnium eorum quæ recta ratione geruntur, vti alibi de vocis originatione docebo, ex hac vel ſola optimè perſpicimus, qua prudentia Remp. antiqui gubernarint. Intra vrbem igitur, quæ nunc Borcht dicitur, id eſt, caſtrum, ad tuendum ſe ſuaque comparatum, duo præcipuè numina colebantur, quorum alterum generationi, alterum Reip. adminiſtrandæ præſidebat. Vtraque enim res ad communitatem conſeruãdam eſt neceſſaria, & operam liberis dare, & multitudinem prudentia intra rationis fines continere. Priapus ergo præerat rei proletariæ, eò quòd intelligerent vires ciuitatis nullas eſſe manſuras, niſi continuata liberorum generatione conſeruaretur & augeretur. Paucorum enim numerus, nullam cladem citra exitium ciuitatis extremum perferre poteſt, vt Lacedæmoniorum Reſpublica triſti ſuo exitu declarauit. Vocatur autẽ Priapus noſtris hominibus alio nomine Tere, quæ vox conuerſa, ſic vt prima littera fiat vltima, proprium Ityphalli officium exprimit, qua ſua proprietate ſatis declarat ſe ab antiquiſſimis Cimbris originem habere. Monſtratur hactenus exigua ſtatua, quæ faſcinum olim, quod pòſt defractum eſt ob verecundiam, prætendebat. Eam volunt Priapi effigiem fuiſſe: verùm quo loco templum habuerit, equidem coniicere non poſſum, quoniam nullas reliquias videam extare, niſi fortaſſe ad ſiniſtram vrbis partem ſteterit, quo loco quædam adhuc fani ruinæ cernuntur. Ad ſiniſtrã dico iis qui Orientem verſus, vti fieri ſolet, adorant. Alterum numen Walburgis nominabatur, qua voce vis arcis ad tuendum factæ ſignificatur. Walt enim vim, Burgum arcem ad

Priapus.

VValburgis.

defensionem factam notat. Fuit igitur hæc diua eadem quæ Græcis
Pallas. Pallas, Latinis Minerua vocatur. Huius templum in meditullio arcis erat constitutum, per quod ad portam quæ ad aquas erat, ex aggere qui ad vrbem ducebat, ibatur. Rectè admodum Deam hanc ab officio nominarunt. Præest enim arcibus firmandis atque seruandis, adeo
Palladium. vt cùm Troiam esset egressa subducto Palladio, nulla amplius firmitas ad defensionem vrbis remanserit. Hæc enim vrbes condit, & quas condidit, eas præsentia sua auget ac conseruat. Pallas quas condidit arces, inquit Poëta, ipsa colat, succinctè admodum huius Deæ vim complexus. Spartani in arce sua hanc quoque Deam locarunt, sub no
Polincha. mine Poliuchæ, vt Pausanias scribit: quo vocabulo nihil aliud signi-
Chalciæca. ficatur quàm eam esse vrbium seruatricem. Eandem Chalciæcam vocant, eò quòd domũ quam habitat, eam æneam reddat. Mallem itaque Victor dixisset ædem Mineruæ Chalciæcæ, quàm Chalcidicæ in noua vrbis regione fuisse dedicatam: sed vtrum sit horum melius, &
Polias. an vtrumque bene, nihil ad præsens. Polias item Minerua dicta est in Attica, quòd ædes eius in acropoli, quem locum Polin, id est, vrbem, tum nominabant, esset consecrata. Eodem enim modo apud nos arx vrbis nomen olim habuit: eò quòd vrbs maior necdum esset. Eandẽ
Sotera. Soteram vocarunt alij: eò quòd homines seruaret. Vnde medici videntur antidoto quam Paulus libro septimo descripsit, & alij alio loco, nomen mutuati. Hesychius Epipyrgiten quoque vocari scribit;
Laossoos. eò quòd turribus præsideat, ac eadem de causa Laossoos, quia populũ seruet. Ex his igitur clarum euadit, quàm concinnum nomen apud maiores nostros sit sortita, dum Walburg eam vocarũt. Burg enim idem est quod antiquis Græcis polis, siue posterioribus Acropolis:
Burg. sed apud nos euidentior est ratio appellationis. Nam Burg siue Borg vocatur à fine proprio vrbium & arcium, quæ omnes eò fieri debent, quò ciues in iis seruentur & custodiantur. Est enim Bergen
VVals. seruare, custodire, tueri à periculo. Walt verò omnem vim maiorem designat: quæ vocula in compositione Tau suum finale more nostræ linguæ deponit. Qui ergo hanc Deam colebant, nihil aliud significare videbantur, quàm illud quod in Psalmis legimus: Nisi Deus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiũt eam. Et illud quidem in primis parentibus rectè fieri poterat, hac tamen interpretatione, vt nihil aliud esset Walburgis, quàm vis diuina, arces & opida custodiens, atque seruans: quæ quid aliud est in ipso Deo, quàm immensa eius potestas ad aliquod particulare munus inuocata? Hoc enim modo Deum rogabant, vt potestates eius pro votorum necessitatumque humanarũ varietate distinguerent, omnes tamé ad eun-

dem

dem auctorem referrent. Et quia Deus angelos ſuos habet miniſtros, non abſurdũ ſit cogitare, poteſtates eorum variis nominibus expreſſas non minùs ab illis & fortaſsis etiam magis quàm à nobis coli ſolere. Verùm vt omnia in peius ruunt, poſterior ætas Idola ex his nominibus ſibi finxit, & quæ diuinæ erant poteſtatis, & eius Angelorũ propria, ad neſcio quas fabulas detorſit, & quæ in Deo erant adorandа, ea ad humanas nugas tranſlata, & fœdiſsimis ceremoniis & ritibus inquinata, tota conuerterunt in abominandam Idolatriam. Hinc tot Pallades, tot Ioues, tot Mercurij, & alij Dij extiterũt, quos omnes fabricata eſt antiquitas, è Theologicis myſteriis malè intellectis, & tandem ad reges, poſtremò etiam ad ſtatuas per inſignem & adulationem & impoſturam traductis. Vna enim Pallas eſt, nihil aliud quàm ſapientia diuina, qua omnia conſeruantur: quæ idcirco de Iouis cerebro nata dicitur ſine matre, quia ante omnem materiæ creationem à patre genita eſſet. Hæc oranda, quò nobis vim illam infundat, qua communitates hominum ſeruantur. Hæc illa eſt Walburgis ciuium cœtus ſola cuſtodiens, citra quam omnis prudentia humana nihil confert ſalutis. Hanc tamẽ quòd per ſpiritus ſuos ſiue Ruachos hominibus, pro voluntate ſua diſtribuat & impertiatur: fit vt nomẽ etiam ad illos queat applicari, & inter eos ei primò & maximè, qui ordinis huius dux eſt & imperator à diuina ſapientia conſtitutus. Verùm, vti dixi, huius diuinæ poteſtatis nomen & honorem ad Dæmonem tranſtulerunt ij, qui à veritatis fonte declinarunt, atque ita in turpẽ falſi numinis, & tãdem ſtatuæ adorationẽ ſunt prolapſi. Quocirca cùm Chriſtianiſmum Antwerpi ſuſcepiſſent, nec facile eſſet penitus falſi numinis vel nomen vel honorem obliterare, ſaniſsimo conſilio huic malo Pontifices ſuccurrerunt. Nam cùm ſcirent viros ſanctos, & ſanctas mulieres non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortẽ honorandos eſſe, atque tantò magis poſt mortem, quòd tum nullis perturbationibus animorum, quibus à bono abripi poſſent, ſint obnoxij; prudenter profectò nomen falſæ Deę, in nomen ſanctę virginis tranſtulerunt: vt quemadmodum antè malè & perperam Walburgim lapideam orabant & honorabant, ita pòſt rectè & citra religionis veræ noxam, Walburgim virginem Chriſtianam in templo venerarentur. Dicere enim illis poterant Chriſtiani doctores, ſeſe nolle Walburgis diuinos honores tollere, ſed velle docere non eam eſſe veram Walburgim, cuius ductu & auſpiciis arcem ſuam & totam ciuitatem ſeruare poſsint, quod ſibi falsò & de cacodæmone & de ſtatua perſuaſerant. Nouam hanc Walburgim virginem fuiſſe, vti ſuã quoque Walburgim virginem, perinde ac Græci Palladem putabãt, atque

VValburgis.

atque omne præsidium suum aduersus hostes, tum internos, tum externos, in Deo collocasse, atque ita aciem mentis suæ tutam contra omnes insultus, contra omnes arietes, contra omnes denique machinas maiores seruasse. Hanc imitarentur, illud numen quo illa se tutam reddidit adorarent, atque ab eo sibi tutelam arcis peterent. Illam enim diuinam gratiam veram esse Walburgim cælestem, qua Walburgis virgo aciem mentis & corporis sui seruauit illibatam. in hac igitur sancta virgine, cælestem illam gratiam colerent, & venenarentur, & orarent, vt ea non opidum tantùm, sed mentes etiam custodiret. Hanc enim eandem esse quam prisci illi Cimmerij Walburgim nominarunt, sed fraude cacodæmonis hominum animos à vera illa diuinitate ad falsam superstitionem detractos fuisse, & pro fortitudine & sapientia diuina statuam & sub ea immundum spiritum adorasse, quæ non solùm alios non seruare, sed ne se quidem mouere posset. ad veram igitur arcium custodiam, & veram Walburgim redirent, illa virgine duce, quæ & nomine Walburgis esset; ac custodiã hanc arcium diuinam à Deo impetrasset. Hac vel simili ratione, reiecto Idolo, templum Walburgi virgini est consecratum. Fuit autem hæc Walburgis, vt scribunt, natione Angloſaxona, & vt quibusdam visum est, Richardi Regis filia; Willibaldi & Winibaldi omnium cõfessione soror germana, æqualium Willibordi, tempore Sancti Bonifacij Archiepiscopi Maguntini, qui dicitur eorum fuisse auunculus. Willibaldus Eystetensis fuit Episcopus. Winibaldus Abbas in Thuringia, à quo soror monasterij quoq; vnius curam accepit, ac illustri exemplo virtutum omnium in eo vitam exegit, ita vt inter Diuas Heroinas illius ætatis longè clarissima habeatur. Multum profectò Anglis debet cùm nostra hæc regio, tum tota Germania: vt pote à quibus religione Christiana sit imbuta. Antwerpis tamen Diuus Eligius videtur vnus de primariis fuisse fidei oratoribus, quem Audoenus, dum eius vitam describit, asserit plurimum pro Christo apud Antwerpos pugnasse. Non igitur simplex illa fuit Anglorum contra Britannos victoria, sed si vlla vnquam, lucri spoliorumque ditissima. Neque enim regionem ipsorum & domicilia tantum occuparunt, quod in bello poterat maximum haberi, sed salutem etiam animorum & æternam felicitatem in ea insula repererunt. Britanni enim longa Romanorum, sub quibus agebant, consuetudine mitiores redditi, Christianam religionem iam multò antè acceperant, quam victores Angli mox imbiberunt, atque inde in patriam suam & totam reliquã Germaniam disseminarũt. Gesta autẽ hæc sunt circa ea tempora, quibus Pipinus Caroli Martelli pater, Princeps limitis

VValburgis Angloſaxona.

Ant-

Antwerpiani, Frisios crebris cladibus fregit, atque subiugauit. D. Walburgis ergo, atque eius duo fratres, vnà cum D. Willebordo, Angli fuerunt, id est Saxones, qui Britanniam sibi subiecerunt, & hactenus, quamuis sermo mirum in modum à Germanico degenerarit, eandem insulam sibi seruant. Atque hæc satis sunto hoc loco de Walburgis vetusta æde, quam maiores nostri in vrbe & arce dedicarunt; quo scirent omnes sapientiam atque prudentiam, quibus totus chorus virtutum continetur, solas esse quibus res intra ciuitatem sunt administrandæ. Arma enim atque eorum deus citra hanc diuinam virginem nihil prorsus valent ad hominum communitates tuendas. Descendit in prœlium Mars, quo Troianos adiuuaret; sed adeò nihil potuit, vt à Diomede consilio Palladis vulneraretur, & quantus quantus esset, prosterneretur. Rectissimè Homerus Palladem Diomedi auxiliarem fecit, eò quòd Diomedes nihil aliud significet, quàm Iouis consilium. Quid verò est Iouis consilium, nisi Minerua; quæ prudentia sua temerarios hominum insultus, dona Mauortis propria, penitus frangit atque conculcat. Huius ergo diuinæ potentiæ opem, omnes ij implorare debent, qui ciuitates gubernandas susceperunt. Hac enim facilè turbulentos Martis tumultus compescent, & ciuitatis tranquillitatē tuebuntur; quam qui poterit cuipiam vrbi extorquere, is mox vrbem eam in ditionem suam est adacturus. Diomedes igitur præcipuus fuit vnà cum prudente Vlysse Troiæ euersor; eò quòd cōsiliis suis omnem ei prudentiam abstulisse videretur. Hinc fabula mystica Palladij furtim ablati, atque eius rei occasione Ilij expugnationem secutam esse. Quamuis igitur maiores nostri nec Græcæ nec Latinæ linguæ periti fuerint, nomina tamē sibi composuerunt, quibus multò significātiùs, quòd vellent, indicarent, quàm vllæ omnino aliæ gentes. Colamus igitur Walburgim; non solùm hanc posteriorem Christianam, vti exemplar virtutum, & gratiæ speculum quoddam diuinitus ei concessæ; sed illam etiam primam, à qua Walburgis nomen, ante Christum natum, ad homines & cacodæmonem etiam est translatum. Quam quidem sic colendam sentio, si diuinæ sapientiæ administram hoc nomine capias, vti Angelos & Archangelos colere debemus: non vti Deum, qui solus Dominus est, & Pater omnium habendus; sed vti diuinam intelligentiam ad hoc à Deo creatam, vt sapientiæ sit dispensatrix, pro eo atque supremus omnium Pater imperarit. Hæc enim docet, quid in rebus cōtemplandis vel verum sit, vel falsum: hæc rerum in primam causam resolutionem aperit, & omnem compositionis ordinem ad infimas vsque species colligit. Hæc naturæ inexplicabilem & inex-

Angli.

Diomedes.

Palladij furtū.

hauſtam varietatem & profunditatem ſola metitur,& quantum eius Deo placet, hominibus oſtendit. Hæc, omnem diſſerendi viam, & quid,è quo emendata concluſione efficiatur,demonſtrat, & vt ſemel dicam, hæc vna omnem cogitandi,agendi, loquendiq́ue rationem homini ſubminiſtrat. Eſt enim præſes æternæ rationis, per omnem rerum naturam diffuſæ,citra cuius ductum,citra cuius tutelam,citra cuius arma, qui vſquam ſe rectè verſari poſſe credet, is ſic deſipit, vt ne hoc quidem intelligat, ſola ratione hominem à brutis ſeparari.

Summum bonorum. At verò quamuis ſupremus humanæ ſapientię apex in contemplatione primæ cauſæ atque vltimi finis conſiſtat, illuſtri tamen exemplo ſapiens cognoſcitur, in quarumuis rerum ad finem ordinationem,

Ordinatio ſapientiæ propria. vti Ariſtoteles ſemel atque iterum dixit. Quæ porrò eſt ordinatio hominũ ſaluti magis neceſſaria,quàm ea quę cernitur in iis rectè cõſtituendis, quæ ad ſocietatem hominum coniungendam, & in ea tranquillitatem conſeruandam, requiruntur? In his enim & ſingulorum ciuium,& totius Reip. ſalus continetur: ita vt nec ſinguli,nec vniuerſi,citra hæc ad ſummum huius vitæ bonorum queant aſpirare. Hæc igitur ordinatio prorſus eſt ad alias ciuitatis conſtitutiones & leges, architectonica,haud ſecùs atque ſapientia ipſa architecta eſt omnium ſcientiarum atque artium homini ad felicitatem ſiue è remoto,ſiue è propinquo conducentium. Rectè igitur Plato tum demum beatam Remp. fore putauit, cùm vel rex philoſopharetur, vel

Philoſophus. philoſophus regnaret. Nihil enim aliud philoſophi nomine intellexit,quàm hunc noſtrum ſapientem,qui maiore ſignificationis efficacia ſapientiæ ipſius amicus, quàm ſapiens nominatur: eò quòd in ſapiente,ea ſolùm ſapientia contineatur, quæ eſt hominis: at in philoſophi nomine ſapientia quædam extra hominem ſignificetur, cui amicum eſſe ſumma eſt perfectio,& ſumma felicitas. Vbi verò hæc eſt ſapientia primùm, cuius amicum ſe philoſophus profitetur? In ipſo

Sapientia. nimirum opifice,qui vera Patris eſt ſapientia,mirabili & non intelligibili ordine omnia è Patre generans,& omnia ad Patrem reſoluens, tanquam vltimum atque ſupremũ beatitudinis finem. Huius ſolius vera eſt ſapientia: beati autem ter & amplius, qui huius ſapientiæ ſtudio & amore tenentur, in quo vinculum eſt & glutinum, quo mortalium animus Deo vnitur. Qui enim diſcit ſapientiam, & eam ſine inuidia communicat,ac honorem eius non abſcondit, theſaurũ infinitum poſſidet, atque ex vſu eius particeps fit amicitiæ Dei, vt Salomonis ſentẽtiam nobis mutuemur: qui mox addidit, neminem à Deo diligi, niſi eum qui cum ſapientia moratur. Officium autẽ ordinationis, ſapienti ab Ariſtotele attributũ, breuiter complexus eſt,

dum

dum ſapientiam dicit à fine attingere ad finẽ fortiter, atq; diſponere omnia ſuauiter. In huius igitur amicitia ſummam poſuit delectationem; quod non aliud eſt,quàm ſi dixiſſet,philoſophum ſiue amicum ſapientiæ,ſummum culmen voluptatũ poſſidere. Hæc eſt ſapientia illa, cuius theſaurum Pallas diſtribuit, quam dum ad ciuitatũ atque arcium tutelam & tranquillitatem, bonis legibus & inſtitutis cõparandam, necnon cuſtodiendam confert; Walburgis noſtratibus vocatur,quam virginis titulo colere ſolere, vetus conſuetudo noſtratibus hactenus obſeruata docet, quæ ciuitaté quamuis cui Palladium necdũ ſit ereptũ, & virginẽ vocat,& virginis forma depingit, tametſi Walburgis nomen Chriſtianus ritus in hoc ſignificatu obliterarit. Huius præſidio dũ aliquãdo nitor factioſos huius tẽporis in hac vrbe concionatores,qui in varias & infinitas ferè ſectas miſerũ ciuitatis corpus dilacerãt,docere, quàm multis modis cõtra omné rectam publicæ gubernationis formam peccét; mirum eſt quàm à proteruis ipſorũ & petulantibus linguis deridear,& cõuitiis proſcindar, ac tandem velut Chriſtianorũ cõmunione indignus,Atheos appeller. Hoc enim iam ſibi familiare fecere maledictũ in eos contorquendum,qui cùm aut philoſophiæ,aut liberalium artium ſtudiis nonnihil videntur conſecuti eruditionis,cum ipſis tamen facere nolunt,ſed in vnione Catholica, & in patrum maiorumque ritibus & inſtitutis cupiũt permanere. Porrò cùm ſe vident verarum rationum nodis impediri, & intricari,quos è philoſophorũ ſcriniis deprõmere ſolemus,tũ protinus exclamant,ſophiſmatis ſibi illudi: hæc arma eſſe ſapientiæ humanæ,iam olim à D.Paulo condemnatę. Mox totum caput primum prioris ad Corinthios epiſtolæ, in vnicũ miſellum meum ſyllogiſmũ retorquetur, maximo diſcipulorũ applauſu, ac deinde poſt longam concionẽ,quam nefas ſit interrumpere, ſi dicam,quæ à D. Paulo dicuntur,non eò ſpectare,vt ſapientiam politicam, vt artẽ ratiocinandi,vt medicinam, & ceteras id genus ſapientiæ filias è medio tollat, extemplò exſibilor,quaſi indignus,qui os meũ contra ſacros hos miniſtros audeá aperire. Videmus igitur quàm procul receſſerint Barbariei hi patroni, à patrum illorum inſtitutis,& ſanis cogitatis, qui in arce Walburgim ſiue Palladem ſapientiæ diuinæ diſpenſatricẽ,ob id coli voluerunt, quo omnes commonerẽtur, in ſola ſapientia præſidium ciuitatis ſtare. Aſtutiam ſanè vulpinam equidẽ agnoſco,vtinam agnoſcerent omnes, apud quos contra philoſophiam frequentiſſimè deblaterãt. Hoc enim agunt,quod Iulianus ille apoſtata, qui *Iulianus.* cùm omnibus modis,atque omnibus technis Chriſtianam religioné conaretur exſtirpare; vetuit, ne ſapientiæ ſtudia à Chriſtianis tracta-

rentur, nec ex eis vel magistri, vel discipuli ad scholas admitterentur. Quid hoc est fraudulente simulator? Non prohibes libros sacros legi, & prohibes à Christianis philosophos euolui? Profectò, Iuliane, demonstras diligentissimè, te omnes machinarum angulos excussisse, quibus ciuitatis Dei mœnia deiici possent, cùm ad hanc Heliopolim potissimùm confugisti. Videbas enim nec cædibus te & sanguine tantum exitij Christianis allaturum, quantũ si philosophię arma subtraxisses. His enim exuti, non solùm cõtemptui erant in publicis congressibus habendi; sed mox in varias & absurdas sectas distrahendi, dum nulla regula, nulla ratio disputandi retineretur. Hoc prudentissimũ Iuliani consilium, ita nostris his nouis concionatoribus placuit, vt cùm contra sacerdotũ vitia, & ceremoniarũ abusum satis diu debacchati sibi videntur, tum in miseros philosophos è suggestis suis, tanquam è plaustris conuitia plenis buccis eiaculentur. Si quid igitur vnquam contra philosophiam, piam omnium artiũ matrem, & optimam legũ, tum magistram, tum custodem, peccaui; & peccaui creberrimè, hoc equidẽ credo grauissimũ in me crimẽ notari posse, quòd turbulẽtis his Reip. nostræ monstris occasionẽ dederim, in eam impudenter debacchandi, atque eos appellandi Atheos, qui eius studio tenentur. Nec animaduertunt interim hi Musarum & Palladis hostes, se in ipsum D. Paulum, quem semper in ore habent, & cuius auctoritate aduersus philosophos pręcipuè nituntur, impudenter inuehi, cuius ad Romanos hæc sunt verba: Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedũ, & serpentiũ. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ in immunditiem, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Quia commutauerunt veritatẽ Dei in mendaciũ, & coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula. Amẽ. Hęc D. Paul⁹: vbi Scholiastes anonymus ille quidẽ, sed vetus, vnà cũ Hieronymo impressus, ad illud, Quia quod notũ est Dei, ita cõmentatur: Ostẽdit quomodo omnis homo naturalẽ habens

habens intellectũ, agnoscit esse insequendã substantiam inuisibilem, quæ diuersas in hominibus artes & disciplinas operatur. Quo etiam exẽplo inuisibilis Deus manifestatur hominibus ex his operibus quæ operatus est, & operatur simul, & mens Trinitatis demonstrat imaginem in qua generat insitũ sibi verbũ, & inseparabilem habet sibimet natum Verbũ sapientiam. Hęc ille, & plura: quibus docet è philosophia homines notitiam Dei consequi posse, adeò vt ad ipsam etiam Trinitatis imaginẽ naturæ ductu peruenire queant. Quod si verum est, vti D. Paulus & eius interpres hoc loco asserũt; quid homini potest contingere hac sapientia intra humanarũ viriũ metas præclarius aut diuinius: cùm in eius contemplatione & actione summũ bonorũ consistere, ne Christiani quidem diffiteantur. Non igitur ipsam humanam sapientiam, quæ de rerum creatarum natura, apta collectione ad Deum perducit, vituperari hic audimus, immo contrà sic laudari, vt ad eius commẽdationem nihil possit maius adferri. Vix enim ausus fuissem dicere, nisi D. Paulus dixisset, mentem humanam suo ipsius ductu ad sempiternam Dei virtutem & diuinitatem intelligendam peruenire posse: quanquam Socrates apud Platonem ea de Patre & Filio prodit, quæ cum Christiana religione prorsus consentiunt: & Poëtis nota est è prisca sapientia, spiritus omnia permeantis natura. Quid igitur reprehendit D. Paulus? Hoc nimirum quod nemo non reprehendit: philosophos recta ratiocinatione ad Dei notitiam peruenisse, verùm eo neglecto principio omnium quod inuenerunt, ad cultum imaginum & adorationem creaturarum declinasse; atque ita rectas illas cogitationes, quas è naturæ sinu collegerant, euanuisse. Nam sapientiam professi, omnium hominum stultissimi euaserunt, & omnium maximè accusandi impietatis, eò quòd tam præclarum & diuinum sapientiæ donum nacti, è quo virtus Dei intelligebatur, ad fœdissimam ignorantiam sint relapsi; & non secus atque omnium rerum rudes, & rationis expertes, res creatas & inter eas etiam bruta animantia adorarint. Cùm enim Deum ex operibus cognouissent, quod proprium est philosophiæ; non tamen eum, vti decebat, honorarunt: sed videntes quod facere oportebat, id fecerunt, cuius contrarium ab ipsa sapientia essent edocti. Duo igitur hic docemur: alterum, philosophos omnium mortalium maximè accusandos impietatis, si creaturis, non Deo, seruiant; eò quòd videntes, scienteśque se præcipitent in scelus hoc execrandum: alterum, nihil homini ipsa philosophia præstantius à natura dari potuisse, propterea quòd illa homini creatorem clarè demonstret: in quo spectaculo, felicitas quanta homini sua sponte suoque studio inesse potest, consistit.

sistit. Hanc igitur vt Deus Opt. Max. nobis concedat, etiam atque etiam rogemus, ac vt consequi possimus omnibus viribus annitamur; & vbi consecuti fuerimus, ex ea nobis adiumenta ad pietatem & veram religionem petamus, aliter quàm illi fecerunt, quos D. Paulus optimo iure criminatur, & alij item posteriùs, qui optimis & diuinissimis philosophiæ armis, contra ipsam sapientiam diuinam vsi sunt, cuius philosophus se profitetur amicum & cultorem, si nomen quidem velit sibi cõuenire. In hoc numero Ammonius, Porphyrius, Plotinus, Proclus, Simplicius, & infiniti alij fuerunt, qui mille erroribus impliciti, dum vltra philosophiæ humanæ terminos non adscenderent, non paucas hæreseôn causas imbecillioribus Christianis præbuere, qui fidei gratia neglecta mysteria humanas vires egressa retro ad captum mentis suæ retorquentes, variis se maculis inquinarunt; contra quorum peruersos duces, illud Tertulliani dictũ extat, minimè verò cõtra ipsam philosophiam, Philosophos hæreticorum esse patriarchas. In malam itaque rem Iulianus cum suis nouis hisce pedissequis, qui omnem nobis philosophiam extorquere nituntur, quo ipsis liceat citra reprehensionem populum misellum sophismatis suis irretire. Huius autem sapientiæ præsidium intelligentia illa à Deo accepit, quam nostrates Walburgim olim nominarunt. Hanc igitur, & numẽ illud quod generationi & rei proletariæ præest, cùm intra arcis mœnia dedicassent, satis se arci suæ prouidisse arbitrabãtur, nisi fortè, vt frequentissimè accidit, externa aliqua vis ingruisset, quæ totum rationis regnum perturbare posset. Volentes ergo & hac parte ciuibus consultum extra arcem Marti templum magnificum consecrarunt, ea parte qua Neruiorum & reliquorum Belgarum impetum maximè timebant. Templum Martis.

Duplici autem nomine Cimmerij hunc Deum nominabant, Martem scilicet ac Mauortem: quæ vocabula olim Latinis reliquerunt. Mars igitur dictus est à Mart, quod idem est, quod Latinis frangit, & cõterit. Hinc martel est malleus ferreus, quali in bello equites, & quali aurigæ nostrates semper vtuntur, eò quòd in rumpendo frangendoque hoc instrumentum sit excellentissimum. Est enim compositum è Mart, quod est rumpit & confringit; & Hel, quod in quaque re summam vim nobis signat. Hinc Carolus ille Marchio Antwerpianus, qui tot myriades hominũ prostrauit, quiq; Saxones, Aquitanos, & Saracenos crebrò fregit, Martel est vocatus: eò quòd omnia veluti malleus ferreus confringeret. Hæc vox aurigis nostris est notissima, & apud Francos Romanisantes, & Italos Germanisantes, pro malleo generatim vsurpatur. Mart igitur formula Latinorum, Mars dicetur; eò quòd omnia frangat & com-

cõminuat: minimè verò à maribus quibus præsit, quod Varro scripsit. Quæ enim Martis propria sunt, tam parum mares decent, vt à Poëtis fingatur citra patrem è sola femina procreatus. Perturbationes enim & furibundæ animorum commotiones non sunt à Ioue, sed à Iunone; quæ superbiæ & luxui regnorum præsidet, quibus è rebus Martis est origo. Sicut ergo Pallas è solo Ioue Deo masculo, ita Mars è sola Iunone natales ducit. Nihil igitur illi cum maribus, sed omnia cum feminis, quibus furiæ animorum significantur. Iupiter enim ratio est suprema: Iuno Dea perturbationum, siue vti in scholis loquimur, passionum: quæ ipso suo nomine femineam naturam declarant. Iam quod quidam à Sabinis nomen deriuant, clarum est & luculentum argumentũ, non esse dictionẽ Romanam. Dum enim domi suæ origines non inueniunt, mox ad Sabinos confugiunt, ad quam gentem, vtpote antiquissimam & Italiæ indigenam, vt Strabo testatur, vetustissimas voces quarum etyma ignorant, relegare Romani consueuerunt. A Mart fit Mort, quo latrociniũ siue violenta cædes notatur; quamuis aliquando pro ipso Marte poni videatur: vt cùm dicimus, Se Mort stec S, id est, Mars siue violenta cædes te pungat. Ab eodem fit *marter*, quo violenta tormenta significantur. Hinc dicimus Gods Marter, id est, tormenta Deo inflicta: non à martyribus, id est, testibus Græco sermone ita nominatis; quod vocum similitudine decepti, quidam fortassis arbitrantur, linguæ suæ nimis incurij, & imperiti. Hinc etiam Mortier, vas in quo omnia franguntur & comminuuntur quæ imponi consueuerunt: à qua voce Mortarium Latini seruarunt. Nec ex alio fonte Mortis nomen ad eos manauit, quanquam hac voce nobis, non quæuis mors, sed violenta, vel à latronibus illata significatur. Fateor equidem primogeniam vocem apud nos hoc tempore nõ esse in vsu, ne amphibologia inter Mart quod rũpit; & Mart, quod significat, moratur, irreperet: de qua tamẽ re alibi latiùs. Mihi hic satis esto, ex deriuatis originis vim ostendisse. Mars ergo vetus nostratiũ vocabulum est, à frãgendo, comminuendoque factum. Mauors verò ab eisdem Cimbris emanauit, sed leui commutatione litterarum, ad lenitatem conciliandam. Diceretur enim Maforte integrè; sed Digamma Æolicum, si ita vocare placet, in figurã quintæ vocalis transit, & Tau ante vltimã litteram eliditur, quò formulæ Latinorum respondeat. Extra compositionem esset Matforte: sed modò pluries dixi, Tau in compositione ferè elidi. Est igitur Matforte idem quod Latini dicerent, mẽsuræ violenta corruptio, siue violentia mensuræ modoque illata. Dicimus enim Tis forte, id est, vis est & violentia cogens. Hæc ergo

Sabini

vera

vera est Mauortis originatio, quam frustra Latini apud se quæsiuerunt. Mauortis enim proprium est, omnia vi, citra rationes, perpetrare: Mineruæ verò, omnia rationibus firmare ac tueri, & in iis omne robur armorum suorum collocare: quod latiùs ostendam in sacris nostris Cimbricis, si Deus vitam tantisper prorogare dignetur. Statius, dum Martis in Thracia domicilium describit, hanc vocis originem elegantissimis versibus expressit, dum Mercurium ad Martis domum deducit, quos, quia mecum faciunt, adscribam.

Hic steriles delubra notat Mauortia siluas,
Horrescitque tuens, vbi mille furoribus illi
Cingitur aduerso domus immansueta sub Æmo,
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur aduersum Phœbi iubar, ipsáque sedem
Lux timet, & dirus contristat sidera fulgor.
Digna loco statio; primis salit impetus amens
E foribus, cæcúmque nephas, iræque rubentes,
Exsanguésque metus, occultísque ensibus adstant
Insidiæ, geminúmque tenens discordia ferrum.
Innumeris strepit aula minis, tristissima virtus
Stat medio, lætúsque furor, vultúque cruento
Mors armata sedet; bellorum solus in arcis
Sanguis, & incensis qui raptus ab vrbibus ignis.

Hæc & plura Statius: in quibus quis non videt Mauortis nomen expressum, dum dicit: *Tristissima virtus stat medio, lætusque furor.* Virtus enim modo siue mensura definitur, quæ Mat nostris dicitur. Matforte ergo nihil aliud est, quàm virtutem siue modum vi cogens. Vbi ergo furor violentus lætus est, ibi necesse est vt virtus siue modus contristetur. Quid verò Vforte est, si non illud est, quod describit:

——*Primis salit impetus amens*
E foribus, cæcúmque nephas, iræque rubentes.

Quæcunque item adduntur, omnia ad vim spectant, qua recta ratio opprimitur, quæ nobis modum suis terminis includit. Quàm verò odiosa hæc sit, & abominanda violentia, quæ virtuti & iustitiæ infertur, optimè declarauit, sic canens:

Læditur aduersum Phœbi iubar, ipsáque sedem
Lux timet, & dirus contristat sidera fulgor.

Quid enim Sol iustitiæ, salutisque omnium operator, odio prosequatur maiore, quàm hanc Mauortiam violentiam; quæ ipso suo nomine

nomine declarat ſe vim modo ſiue virtuti inferre? Conferant itaque, qui volunt, hanc vocis etymologiam cum aliorum expoſitione, & tum demum iudicēt, egóne, an illi propiùs ad veritatem acceſſerint. De Mat autem, quo modus noſtris ſignificatur, alibi copioſiùs. Qui igitur iuſtam rerum omnium menſuram, qua virtutis ratio continetur, violat; is Mauors noſtrate vocabulo dicetur: indignus certè qui ex alio quàm muliere naſceretur, & dignus ſanè qui Tyrannus & agreſtis ab eiſdem Theologis vocaretur: quia in eo violenta omnia, nihil ciuile reperiatur. Non citra ergo magnam rationem extra vrbē, & extra pomeria ædes ipſius eſt conſtructa; ea tamen parte è qua hoſtium violentus incurſus timebatur. Videntur enim hoc numen perinde atque Veiouem quendam honoraſſe, ne videlicet vi ſua bruta & rationis experte, res bene conſtitutas euerteret: quod Homerus quoque, per ea quæ huic Deo veluti peculium attribuit, clariſsimè demonſtrat.

ἄρες ἄρες βροτόλοιγε μιαιφόνε τείχεσι πλήκτα. id eſt,

Mars Mars exitium hominum cædibus & ſanguine mortalium pollute, mœnium percuſſor & euerſor. Et quia hęc propria huius dei putauit, eundem verſum alibi repetiuit. Profectò non alia epitheta, non alia pręconia, non alias laudes apud Muſarum cultores hic cacodæmon meretur: eò quòd nihil illo magis ſtudiis bonarum artium, nihil magis hominum tranquillitati, nihil denique magis omnium virtutum choro aduerſetur. Verè verè id eſt quod dicitur hominum pernicies, tabes ſanguinaria, opidorum ac humanæ ſocietatis percuſſor ac euerſor: quas omnes proprietates vna vocula diſſyllaba noſtrates comprehenderunt; Mauortem eum nominantes, id eſt, omnis iuſtæ in quibuſlibet rebus menſuræ violatorem. Nec minùs ſignificanter Mars dictus eſt, quòd omnia confringat, & minimas in partes cōtundat. Hunc ergo cacodæmonem extra vrbem conſecrarunt, ne vires ſuas, & pręclaras, ſi Deo placet, dotes, intra mœnia hominum animis afflaret. Sed quid igitur cauſæ, vt tam maleficum numen vllo honore dignarentur? Eadem nempe vt modò indicaui cauſa, qua Veiones honorabantur, ne ſcilicet læderent & vim ſuam exitioſam contra ciues ſtringerent. Non tamen ignoro Martem quoque iuſtum inueniri, perinde atque iuſtum bellum: atque illum etiam & Martis & Mauortis nomine rectè dici poſſe: verùm alia quadam conſideratione: quam quia Homerus Poëtarum Græciæ vetuſtiſsimus ſecutus non eſt, olim admodum obliteratam fuiſſe exiſtimo. Rariſsimū enim eſt, bella inter homines iuſta fieri, etiam tum cùm iuſtis de cauſis ſuſcipiuntur. Vaſtare enim agros, pecus abigere, pomaria excidere, ſil-

uas exurere, homines trucidare, vxores aliorum virgineſque violare, ingenuos pueros in ſeruitutem abducere, vel ad egeſtatem, ſeruitute grauiorem, redigere; atque alia id genus, qui putat ſeſe citra menſurę violationem committere poſſe, eum crediderim equidem cum ratione poſſe inſanire. Scio à Deo hæc iuſtè diſpenſari, ad hominum, qui tormentis his affliguntur, vtilitatem; ſed vereor, ne flagella, veluti ſcopæ inutiles & detritæ, non rarò deinde ſint comburenda. Non enim ferè Deus ad cruentos id genus morſus ouibus, ſed lupis vti conſueuit: vti in Nabuchodonoſori, Sennacharibi, & multò poſteriùs in Attilæ exercitu videmus accidiſſe, nõ tamen negamus ductu Dei multa iuſta bella geri poſſe: verùm hæc Principes, & qui militię nomina dant, diligenter expendant, eò quòd ipſorũ, non noſtra interſit, quorum ſcuticis flagellemur. Nos iuſto bello Martis & Mauortis nomen accommodari poſſe, doceamus. Dei fortitudo, iuſto iudicio bella merentibus inferens Mars eſt; omnia veluti piſtillum, vel malleus ferreus confringens, ſignificatu ad illud non malè referendo, In virga ferrea confringes eos. Eadem Mauors, ſed expoſitione alterius ſyntaxeos, ſic vt ſit menſura violentiæ, non menſuræ violentia, vt prius interpretabar. Miranda Cimbrorũ ſolertia, qui duo eadẽ voce bella dum ſignificare vellent, iuſtum & iniuſtum, ſic eam fecerunt, vt ad vtrumque poſſet applicari: magis tamen & linguæ cõuenientius, iniuſto quàm iuſto tribuenda de compoſitione videretur: propterea quòd caſus qui regitur ab alio, ferè præcedere ſoleat regẽtem. Mauors igitur potiùs menſuræ violentiam, quàm menſuram violentiæ ſignificabit, quamuis & ad hoc poſſit accommodari. Iuſti igitur belli raritatẽ raritate cõpoſitionis indicarunt; & in iuſto etiam bello vix fieri putabãt, vt iuſtitia ac mẽſura citra violationẽ maneret ex parte hominũ, tametſi maneret ex parte Dei, qui nouit omnia ſupplicia ad ſalutẽ eorũ, qui ea perferũt, referre. Græci à Thracio ſuo præceptore, qui de Cimbrorũ diſciplina à Treribus accepta fabulas Pelaſgis tradidit, aliud quidem nomen acceperunt, ſed quod eôdem ſit referendũ. Ares enim ab Ar, voce producta, formatur: quo is ſignificatur, qui vehementer iraſcitur: quæ eadem vox correpta in pronunciando, moram ſignat & impedimentum. Vnde arreſt vocatur Iuriſperitis, impedimentũ profectionis. Vnde Latini arreſtam formarũt, dum è noſtratibus ſua fingunt. Gemina itaque ratione, ab Ar Mars eſt dictus; & quòd ira ſit loco rationis, & quòd ira ſit impedimentũ rationis. Ære vocali correpta, rationẽ nobis notat: vnde reſicę rationi conſentaneũ ſiue rationabile, vt Quintil. dixit. Arre igitur eſt idem ac ſi dicas, Ira eſt ratio; vel ſi corripias priorem vocalẽ, impedimentũ

Orpheus.

ratio-

rationis. Duo igitur ſunt vocabula, Ἄρης a longo, & Ἄρης a breui; quod ſi Martialis ſciuiſſet illud Homericum Ἄρες Ἄρες, fuiſſet multò magis admiratus. Verùm de his latiùs in Cimbrica religione: ſat ſit hoc loco monſtraſſe, noſtratia hæc eſſe vocabula, quibus præſes arcis & præſes belli ſignificantur: quòd ſi Latini homines vel mirabuntur, vel etiam ridebunt, nihil ſanè mihi contra exſpectationem euenerit. Cupio tamen tantiſper ſententiâ ſuſpendant, ac philoſophorũ epochen admittant, dum tempus erit docẽdi Cimbros maiores noſtros eandem linguam nobis reliquiſſe, qua Cimmerij olim in Latio vſi ſunt, quam illic Itali corruperunt, tametſi clariſsima veſtigia hactenus illis remanere, primus, ni fallor, oſtendam. Nec verò Walburgis Mars & Mauors è lingua noſtra tantũ emanarunt; ſed alia etiam vocabula, quibus ijdem dij & Græcis & Latinis nominãtur. Pallas enim & Minerua Cimbricæ ſimiliter originis ſunt, & apertiſsimè demonſtrãt ea, quæ horũ numinum peculiaria ſunt dona: in quibus fruſtra etymologiam vel Latini vel Græci quærent. Relictis igitur his, & eo dilatis vbi ſuum ſibi locum vindicabunt, dicẽdum vbi templũ Mauorti maiores noſtri ædificarint. Neruios & Eburones ſciebant ſibi non ferè vnquam beneuolos fore, propterea quòd agros eorũ inuaſiſſent. His nullus Atuaticum introitus dabatur, niſi ſecundũ Scaldim deſcendiſſent, eò quòd reliqua omnia paludibus & ſiluis inuia eſſent. Ad hoc igitur flumen ad trium ferè ab arce ſtadiorũ interuallum fanum Marti conſecrarunt. In quo idem accidit, quod de Walburgis templo dixi. Cùm enim Eligij & Willebordi, & aliorum item verbi Dei concionatorum perſuaſione, Chriſtianæ religioni initiati Antwerpi eſſent, nec facilè poſſent veteris idololatriæ obliuiſci; placuit piis & prudentibus viris, Martis nomen prorſus delere, eò quòd nullus Chriſtianus in numero beatorũ inueniretur, qui hoc nomine fuiſſet vocatus, & poteſtatem hanc rationis rectę modum violantem non à Deo, ſed à cacodæmone procedere exiſtimarent. Induxerunt igitur nomen, ſed venerationis ritum ad S. Michaëlem Archangelũ tranſtulerunt, quo peruerſus cacodæmonis cultus in piũ vſum tranſiret. Quia enim Martem bello præſidere perſuaſum haberent, & populus is eſſet, qui citra bella viuere non conſueſſet, nunquam ſibi hoc præſidium, vt ipſi rebantur, diuinũ extorqueri permiſiſſent, niſi à Chriſtianis alius fuiſſet commonſtratus, qui reuera bellis pręfectus eſſet. Cùm igitur S. Michaël cæleſtis exercitus dux ſit, & vt Græci eum vocant, Archiſtrategus, optimo iure eum locũ & honorem occupauit, quem cacodæmon, humani generis peſtis, per vim ſibi tenebat. Dicitur enim Michaël Hebræis, Quis tanquam Dominus? vel ſi

S. Michaelis templum.

Mi pro aliquo accipias,vti in Iobi verſibus vſurpatur,dũ dicitur,Ad aliquem Sanctorũ conuertere,Michaël,erit idem,ac ſi diceretur,Aliquis tanquã Dñs,ſiue Deus fortiſsimus. Nã אל quãuis pro Deo ſimpliciter ponatur,tamen ſic reddendũ, vt vbicunque ponitur,cũ fortitudinis & altitudinis ſignificatione intelligatur: ſed hac de voce alibi plura. Eſt igitur Michaël,idem quod aliquis tanquã Deus fortiſsimus:vel poteſt exponi cũ interrogatione & reſponſione,vt ſit,Quis eſt hic?Hic eſt velut Deus fortiſsimus. Rectè igitur Archiſtrategus à Græcis dictus eſt,eò quòd ſit diuinæ fortitudinis adminiſter,& veluti diribitor quidã ſupremus. Sed ne hæc vana cuiquã videantur,cõfirmabo quæ de Archiſtratego dixi,ſacræ ſcripturę auctoritate. Sanctus Gabriel,qui & ipſe nomẽ à robore Dei fortiſsimi habet,poſt alia ſic eſt ad Danielẽ locutus: Princeps autẽ regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus; & ecce Michaël, vnus de Principibus primis, venit in adiutoriũ meũ,& ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum. Et paulò pòſt,de prœlio cõtra regem Perſarũ loquens, ſic ait: Nemo eſt adiutor meus in omnibus his,niſi Michaël princeps veſter. Hic dum Danieli dicit:Princeps veſter,aperit Michaëlẽ eccleſiã Dei,quæ tunc apud Iudęos erat Danielis gẽtiles & cognatos;fortitudine ſua aduerſus hoſtiles dęmonis inſultus tueri. Idem pòſt paulò clariùs oſtendit: In tempore autem illo conſurget Michaël Princeps magnus,qui ſtat pro filiis populi tui. Hic eſt ille, qui cum Satana, de corpore Moſi certauit, cuius rei Iudas in epiſtola ſua hanc habet mentionem: Cùm Michaël Archangelus, cum diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, nõ eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Hi autẽ quæcunque quidem ignorant,blaſphemant. Hæc ille de blaſphemia ſiue maledicentia,quam equidem dum noua multa & inaudita in lucẽ eruo, vereor ne ſæpius incurrã. Verùm hunc Archangelum, Eccleſiæ Chriſtianæ propugnatorẽ eſſe, dilucidè Ioannes in Reuelationibus ſuis docebit, cuius verba digna ſunt quæ adſcribantur. Et factum eſt, inquit, prœlium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt,neque locus inuentus eſt eorum amplius in cęlo,& proiectus eſt draco ille magnus, ſerpẽs antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſsi ſunt. Et audiui vocem magnam in cælo, dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrũ noſtrorũ, qui accuſabat illos ante conſpectũ Dei noſtri die ac nocte,& ipſi vicerũt eum propter ſanguinẽ agni, & propter verbũ teſtimonij ſui, & non dilexerũt animas ſuas vſque ad

Archiſtrategus

Gabriel.

mortem. Hęc & cõplura diuinus Apoſtolus & Propheta, quæ dũ mecum reuoluo, pene eò rapior, vt cogitẽ, Martem ſiue Mauortem antiquiſſimis nihil aliud fuiſſe, quàm virus huius draconis, qui fraude ſua tandem hoc ſit apud miſeros mortales conſecutus, vt pro numine coleretur. Quòd ſi perinde atque veriſimile eſt verũ eſſe dicemus, ſtatim alia quoque cauſa inuenietur, ob quam Mauors è ſola femina natus dicatur. Virus enim illud per Euam matrem omnium, ad omnes homines emanauit. Scio Aten quoque ex eodem fonte deriuari, atque ea haud dubiè ſerpens è cælo deiectus ſignificatur. Sed de his ſuo loco: hoc ſaltem hîc teneamus pro indubitato, Michaelem verum eſſe fortitudinis diuinæ adminiſtrum, atque idcirco optimè Mauortem non aliter atque ſæuum veteris ſerpentis venenum ab eo fuiſſe expulſum. Quis hic non admiretur præſulum Chriſtianorum prudentiam? Sciebant nimirum homines ducendos potius eſſe quàm rapiendos; ac ea de cauſa Martis templum & eius locum, Sancto Michaeli dedicarunt, docentes hunc eſſe illum, per quem Deus in bellis victoriam concedit. Quocirca, ſi vota militaria facere vellent, quæ omittere gens bellicoſa non poterat, Michaelem, non Martem, inuocarent. Hoc eſt illud quod Paulus dixit: Factus ſum omnia omnibus, vt Chriſto lucrifacerem omnes. Idem Romæ ſcimus in multis fanis contigiſſe, quæ abolitis falſorum Deorum titulis, ad Chriſtianos ritus ſunt tranſlata: vt Pantheon omnium Deorum templum, Diuæ virgini & omnibus ſanctis, & alia aliis particulatim Chriſtiani dedicarunt. *Pantheon.* Hoc veterum conſilium nemo ſatis laudauerit, niſi è diuerſo ſtolidam noſtri temporis hęreticorum temeritatem oppoſuerit intuendam: qui dum abuſus plurimos, qui vtinam nulli eſſent, accuſant; non abuſus ſolùm, ſed ipſos etiam rerum bene inſtitutarum vſus tollunt, ipſo ſuo hoc facto ſibi ipſis contrarij. Nam ſi abuſum eorum quę tollunt, admittunt; cogentur fateri, vſum quoque eorum aliquẽ eſſe, & idcirco iniquè fieri, dum quibus bene homines vti poſſunt, ea propter vitium & culpam eorum qui abutuntur, prorſus euertere contendunt. *Hæreticorum peruerſitas.* Templum Marti erat conſecratum, an eam ob cauſam nullus eius templi vſus erat futurus, ſi abuſus hic magnifici ædificij tolleretur? Erat ſanè: & quia erat, eum potius prudentes & pij viri amplexi ſunt, quàm in animum inducerent quicquid illi falſo Deo conſecratum fuiſſet, id prorſus eſſe vaſtandum. Quia carnes Dæmonio ſunt oblatæ, ob eam cauſam vſu ſuo carebunt? Minimè, ſi Paulo credimus, qui illis veſcendi poteſtatem ſibi dari ſciebat. Malè homines faciebant, qui in belli neceſsitate Martis opem implorabant: at non malè facturi, ſi opem implorarent illam quidem, ſed ab eo im-

plorarent,quem Deus illo honore atque illo munere fungi vult, vt Christianæ militiæ præsit. Nec igitur templum, nec auxilij in rebus bellicis rogandi ritum,sustulerunt pij illi patres,sed vtrumq; horum ad legitimũ vsum accõmodarunt; pro Marte cacodæmone Michaelẽ Ecclesiæ Christianæ propugnatorẽ substituentes.Primi ergo illi Antwerporũ in religione nostra duces,Martis templũ in Michaelis templum commutarunt,nec magis veriti sunt lapidibus illis ad sacra sua, quàm Salomõ olim lignis ab Idololatra Tyriorũ Rege petitis, ad sacrosanctum suum templum vti.Piis viris vbique benefaciendi datur occasio, etiam in iis quæ alij ad opprobrium & blasphemiam obiiciunt. D. Paulus stans in medio Areopagi, vidisse se ait aram ignoto Deo inscriptam, quod cùm posset ad contumeliam interpretari, & dicere, Athenienses tam superstitiosos esse, vt non solùm Deos illos, quorum nomina nouissent, sed illos etiam quos ne de nomine quidem nossent, adorarent; in meliorem partem accepit, & inde occasionem arripuit Euangelij prædicandi,dicẽs,se adesse,vt doceret quis hic Deus ignotus esset, cui aram erectam habebant. Eodem modo cùm gens armis bellisque assueta,summo honore Martem coleret,vti quem putaret in præliis auxiliatorem futurum, piè nec minùs prudenter Christiani pastores monuerunt bene illos quidem facere,qui opem contra hostes poscerent; sed Marti minimè has partes apud Deũ esse,vt posset cuiquã in bellis opitulari: quòd si vota hæc vtilia sibi & efficacia vellent,illũ orarent, cui Deus hoc munus delegauit, vt militiæ præsideret. Sic facerent sæui illi & immanes censores,qui propter abusum omnia Patrum statuta tollunt. Viderent quorsum ex illorum voluntate sint conferenda,quantum vtilitatis,si rectè capiantur,sint apportatura: viderent etiam atque etiam quàm ingenti Reip. malo veteres cùm leges, tum ritus mutentur,nedum tollãtur: denique cogitarent,quę consuetudine diuturnâ recepta sunt,tametsi vel nihil conducant, vel etiam obsint, sic tamen esse tractanda,vt D. Paulus aram illam Athenienſium vt primi illi Christiani Præsules Idolorum templa tractarunt,in vsum saluberrimum, & ad veram religionem ea conuertendo. Nihil est tam vile, nihil tam abiectum, è quo bonus medicus non paret medicamenta hominum corporibus in primis salutaria. Idem doctoribus his nouis esset imitandum, si laudem apud bonos consequi studerent. Sed, proh dolor, diuersam omnino viam ingrediuntur, & quicquid inueniunt,id ea parte arripiunt,qua teneri nõ potest: quicquid inueniunt, id tam diu versant, dum aliquid in eo queant sugillare: quicquid inueniunt,id aliò rapiunt & detorquent,quàm ab iis est institutum,qui pietati refrigescenti

Ara ignoti Dei.

Censores noui.

centi fomenta & auxilia externis ſymbolis & ritibus quæſiuerunt. Quorum igitur hominum hæc propria videntur? Quorum, niſi malignorum ſycophantarum, peſtilentiumque calumniatorum, quibus nihil placet, niſi quod ab eorum male ſano cerebro eſt profectum. Araneorum hoc eſt, qui ex odoratiſſimis ſaluberrimisque floribus venena ſugunt. Laudemus ergo primos illos noſtros doctores, qui omnia in meliorem partem acceperunt, & nuſquam non quæſiuerunt, quo ægris hominnm animis mederentur, non ſecus atque apicula, quæ de omni genere florum ſuauitatem legit, & quoad eius fieri poteſt ex omnibus ſuccum corpori humano ſaluberrimum condit. Tẽplum ergo Martis in Michaelis honorem conuerſum, prima Antwerpiæ paſtoribus populi ſedes fuit, tametſi extra vrbem eſſet, vel quia maius eſſet, ac loco ſalubriore quàm fanum Walburgis, vel quod arcis cuſtodes magnam hominum multitudinem ad conciones audiẽdas concurrentium intra munitiones admittere periculoſum ſibi iudicarent. Auctum eſt autem pòſt à Godefrido Bullionio vulgo nuncupato, quondam Marchione Antwerpiano. Hic enim cùm filius eſſet D. Idæ ſororis Germanæ Gotfredi Marchionis Antwerpiani, qui ſine liberis deceſſerat, vulnere lętali ex inſidiis ſcelerati & perfidi hominis Antwerpiæ accepto, anno à natali Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſexto, ad quintum Kalendas Martias, iure ſuo Antwerpianum Marchionatum cum appendice aliarum ditionum obtinuit, qui neglectis omnibus imperij ſui domeſtici, quod ampliſsimũ per totum Lotarij regnũ poſsidebat, negociis, diuam ſuam matrem ſic eſt imitatus, vt hoc vnum ſibi in vita agendum putaret, quo Hieroſolyma humanę ſalutis ſedem, & in terris perpetuũ monumentũ Chriſtianis recuperaret. Hoc equidẽ mox ab huius vrbis nouis concionatoribus ſiue potius blateronibus reprehenſum & deriſum iri cerno, qui inter cetera eorum condemnant ſtoliditatem, qui loca ſacra religionis ergô viſunt; quanto magis Gotfredi Marchionis noſtri ingentes molitiones riſuri, qui tot hominum cladibus, tantiſque difficultatibus Hieroſolyma Chriſtianis aperire contendit, quò eò pij homines cùm placeret, peregrinarentur! His licet à Theologis ſatis reſponſum ſit; non potui tamen committere, vt non & ego aliquid è ſtudiis noſtris philoſophicis obiectarem; quo ſi non vincantur obſtinati eorum animi, hoc ſaltem habeant commonefactum, vt prudentiùs & circumſpectiùs hominum bonorum ſtudia prius examinent, quàm aut condemnent aut derideant. Et quia & in ſuggeſtis, & in familiaribus colloquiis, eloquentiæ ſuæ ſophiſticæ, & fallaci verborum inanium ornatu inſtructæ, Neelydes iſti & Eriunij, vt volunt videri, Mercurij maxi-

maximè fidunt, Ciceronem pro me loquentem introducam, cuius libro quinto De finibus bonorum & malorum hæc ſunt verba: Cùm audiuiſſem Antiochum, Brute, vt ſolebam, cum M. Piſone diſputantem, in eo Gymnaſio quod Ptolemeium vocatur: vnaque nobiſcum Q. Frater, & T. Pomponius, & L. Cicero frater noſter cognatione patruelis, amore germanus: conſtituimus inter nos, vt ambulationem poſtmeridianam conficeremus in Academia, maximè quòd is locus ab omni turba id temporis vacuus eſſet. Itaque ad tempus ad Piſonem omnes. Inde vario ſermone ſex illa à Dipylo ſtadia confecimus. Cùm autem veniſſemus in Academiam, non ſine cauſa nobilitata ſpacia ſolitudo erat ea, quam volueramus. Tum Piſo, Naturáne nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam, vt cùm ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multũ eſſe verſatos, magis moueamur, quàm ſi quando eorum ipſorum aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquid legamus? Velut ego nunc moueor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hîc diſputare ſolitum: cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam ſolùm mihi adferunt, ſed ipſum videntur in cõſpectu meo hîc ponere. Hîc Speuſippus, hîc Xenocrates, hîc eius auditor Polemo, cuius ipſa illa ſeſsio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam noſtram, Hoſtiliam dico, non hanc nouam, quæ mihi minor eſſe videtur, poſteaquam eſt maior, ſolebam intuens, Scipionem, Catonem, Lælium noſtrum verò in primis auum cogitare. Tanta vis admonitionis ineſt in locis: vt non ſine cauſa ex his memoriæ ducta ſit diſciplina. Tum Quintus, Eſt planè Piſo, vt dicis, inquit: nam meipſum huc modò venientem conuertebat ad ſe Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos verſabatur: quem ſcis quàm admirer, quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis, & illo molliſsimo carmine, quænam eſſent ipſa hæc loca requirentis ſpecies quædam cõmouit, inanis ſcilicet, ſed commouit tamen. Hæc Cicero, & his plura, quæ adducerem, niſi moleſtus eſſe vererer. Sed quid verendum in iis proferendis in medium, quæ ſuauiſsimo ſuo ſermone elegantiſsimus omnium eorum, qui vel ſapientiæ ſtudia, vel forenſes actiones tractarunt, libris ſuis prodidit, ſi ad rem facere videantur? Addam igitur & reliqua, quæ ſic habent: Tum Pomponius, At ego, quem vos, vt deditũ Epicuro, inſectari ſoletis, ſum multum equidem cum Phædro, quem vnicè diligo, vt ſcitis, in Epicuri hortis, quos modò præteribamus, ſed, veteris prouerbij admonitu, viuorũ memini: nec tamen

tamen Epicuri licet obliuiſci, ſi cuipiam, cuius imaginem non modò in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis & in anellis habent. Hic ego Pomponius quidem, inquam, noſter iocari videtur, & fortaſſe ſuo iure; ita enim Athenis ſe collocauit, vt ſit pæne vnus ex Atticis, vt id etiam cognomine videatur habiturus. Ego autem tibi, Piſo, aſſentior, vſu hoc euenire, vt acriùs aliquanto & attentiùs de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum veniſſe tecum, nec ad hoſpitem antè diuertiſſe, quàm Pythagoræ ipſum illum locum vbi vitam egerat, ſedemque viderim. Hoc autem tempore, etſi multa in omni parte Athenarum ſunt in ipſis locis indicia ſummorum virorum; tamen ego illa moueor exhedra: modò enim fuit Carneades, quem videre videor. Eſt enim nota imago: à ſedeque ipſa tanta ingenij magnitudine orbata, deſiderari illam vocem puto. Tum Piſo, Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noſter, inquit? An eum locum lubenter inuiſit, vbi Demoſthenes & Æſchines inter ſe decertare ſoliti ſunt? ſuo enim quiſque ſtudio maximè ducitur. Et ille cùm erubuiſſet, Noli, inquit, ex me quærere, qui in Phalericum etiam deſcenderim: quo in loco ad fluctum aiunt declamare ſolitum Demoſthenem, vt fremitũ aſſueſceret voce vincere. Modò etiam paululum ad dextram de via declinaui, vt ad Periclis ſepulcrum accederem. Quanquam id quidem infinitum eſt in hac vrbe. quacunque enim ingredimur in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus. "Tum Piſo, Atqui Cicero, inquit, iſta ſtudia ſi ad imitandos ſummos "viros ſpectant, ingenioſorum ſunt: ſin tantùm ad indicia veteris "memoriæ cognoſcenda, curioſorum. Te autem hortamur omnes, "currentem quidem, vt ſpero, vt eos, quos nouiſſe vis, etiam imitari velis. Hæc ex beatiſſima illa eloquentiæ vena manarũt, quibus quid poteſt vel elegantius eſſe, vel lectu iucundius, vel ad profligandas factioſorum hominnm calumnias aduerſus peregrinationes religionis pietatisque cauſa ſuſcipi conſuetas efficacius? Si tanta vis recordationis è locis exoritur, vt inde memoriæ ars facta dicatur: ſi tanta inquam exoritur, vt magis nos moueat, quàm ſi vel facta audiamus, vel ſcripta legamus; quantum obſecro momenti habebit ad animi feruorem in nobis excitandum, quo & Deum adoremus, & ſanctos viros, quorũ loca viſitamus, imitemur, in quo Piſo finẽ ponit inſpectionis locorũ? Alij Platonis ex Academia, alij Sophoclis ex Coloneo, alij Epicuri ex ipſius hortis, alij Demoſthenis ex Phalerico in mentẽ venit; quid ni multò magis nobis ex præſenti locorum inſpectione

Christi seruatoris nostri in mentem veniat, cùm vel natale eius solum, vel locum in quo crucifixus est pro omnium salute, vel sepulchrum eius, vel templum in quo disputauit, vel alia monumenta coràm intuemur? Saxeus sit, necesse est, qui non commoueatur horum admonitu; plumbeus, qui hac animi incitatione non sursum feratur. Quid verò mentis ad Christum crucifixum eleuatione præsentius est ad feruẽtem orationem? quod vehementius incitamentũ ad cælestis nostræ patriæ, quam eius sanguine recuperauimus, contemplationem? quis acrior stimulus ad amorem, quàm in conspectu habere ipsa illa loca, in quibus Christus Deus & homo ex Patris sui æterni erga genus humanum beneuolentia incomparabili, nos sanguine suo ab omnibus peccatorum sordibus abluit; & ablutos filios Dei fecit? Quòd si Cicero nostrę religionis sacris fuisset imbutus, bone Deus, quibus modis fuisset commotus, si Hierosolyma & totam Iudæam adiuisset, cui tam suauem orationem Athenarum inspectio extorsit! Celebrauit ille Marianam quercum: quanto magis lignum crucis & eius locũ celebraturus, si ea nouisset, quæ nos fide diuinitus nobis cõcessa tenemus! Humanam naturã hominibus adimunt, qui negant admonitu locorum nos non vehementer commoueri. Nec illis solis vis est ad cogitationẽ de claris viris excitandam, sed in imaginibus etiam & signis vbicunque tandem gentium occurrant. Ex quo fit, vt illa etiam loca lubenter adeamus, vbi scimus vel pictis vel sculptis imaginibus sanctorum virorum nos commonendos, & ad eorum imitationem, & ad Deum orãdum, vt eandem nobis gratiam ad bene sancteque viuendum, impartiatur. Est enim ferè tanta hominum in terrenis rebus occupatio & assiduitas, vt ægrè queant animum sursum ad cælestium meditationem subleuare. Quocirca adminicula quærenda sunt, quibus in altum attollamur; & vbi sublati fuerimus, in beata illa contemplatione aliquantisper commoremur. At communi hominum sensu & omnium seculorũ experimentis cõstat, nihil esse quod vires ad animũ in alicuius memoriam excitandũ, maiores habeat, quàm admonitio locorum, in quibus vel vixit, vel imagines & signa apud posteritatẽ, ob virtutis admirationem, est cõsecutus. Nõ igitur vanã, non inutilẽ, nec sibi nec Reip. operam Gotfredus sumpsit, dum viam in Iudæam, & ipsa Hierosolyma omnibus aperuit Christianis. Quãuis enim nõ quotidiana aut frequens eius regionis inspectio Europæis ferè detur, nemo tamẽ poterat dicere, parũ se Marchioni nostro debere, si vel semel per totam vitã Hierosolyma vidisset, ac vidisset nõ ad curiositatẽ cognoscendi, sed ad orandum & imitan-

imitandũ. Nam ſi illud Ciceronis è libro quinto Tuſculanarũ quęſtionũ nunquam ſatis eſt laudatũ, quo dixit, vnũ diem bene ex philoſophię præceptis actũ, peccanti immortalitati anteponendũ; quid rogo nobis iudicandum de illo, qui vnum diem vel vnã horulam de præſenti locorum admonitu, in meditationem crucis Chriſti raptus, iam hic in terris eam animo verſet felicitatem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendit, atque ex ea iam tum quamuis parum, carpat tamen tantum quantum nulla voluptas humana æquare poſſit. Ad hanc igitur ſuauiſsimam contemplationem, ad hoc cæleſte pabulum animorum ſi præſentia locorum nos commouet ſtimulo quodam admirabili, & omnibus à natura, ſi Ciceroni & communi ſenſui credimus, indito; quis rogo tam erit fanaticus, vt peregrinationem Hieroſolymitanam neget facere ad pietatem, neget habere quicquam vtilitatis? Sed ſunt, inquies, quibus nullo opus eſt adiumento, ad animi ſenſum ad cæleſtes has cogitationes euehendũ; ſed domi ſuæ ſatis habent ad id virium. Sint ſanè, ſed hi ipſi ſi eos in Iudæa ſiſtas, non eſt dubium quin magis ſint commouendi, dum in conſpectu habebunt ea ipſa loca, in quibus Deus filium ſuum propter peccata noſtra tantum tormentorum voluit ſubire, niſi fortaſſe homines mihi fingas lapideos, & omnis humani ſenſus expertes. Si qui ergo tam abſurdam opinionẽ tuebũtur, vt his contraria ſtatuant, contra eos non magis diſputandũ, quàm ſi quis dicat niuem nullã albam eſſe. Nõ igitur Marchionis noſtri vanus fuit & ſtolidus conatus, dũ expeditionẽ illam ab omni hominũ memoria nobiliſsimam in Aſiam ex hoc vltimo ferè terrarũ angulo moliretur. Huc igitur omnia ſua ſtudia conferens, atque ea quę poſſet vendens ad pecuniã expeditioni neceſſariam faciendam Antwerpiæ ſacroſanctæ militię primitias exorſus, quamplurimos tum è vicinis regionibus alios, tũ ex ipſa vrbe duodecim equites auctorauit, vtpote eo numero duodecim Chriſti Apoſtolis in auxiliũ vocatis. Cùm enim Chriſti ſe militẽ faceret, optimo omine ab ipſis Apoſtolis totius orbis triumpho potitis exordia belli eſt auſpicatus. Quo verò non aliũ Ducem quàm Deus vellet ſequi videretur, S. Michaelẽ Archangelum animo deuotiſsimo coluit, & enixè Deum, per Chriſtũ filium Hieroſolymis pro omnium ſalute crucifixum, orauit, vt hunc ſibi Principem exercitus & Archiſtrategum daret, quem Eccleſiæ ſuæ iam olim à mundi initio propugnatorem, defenſoremq́ue ordinaſſet. Iam quo magis hunc Archangelum veneraretur, atque alios etiam vt idem facerent incitaret, magnifica donaria in templum eius con-

tulit, & Canonicos fecit multis redditibus diuites, quo populum Antwerpianum & vicinos verbo Dei pascerent, & precibus suis feruidis propitium redderent Christum, quo à patre suo Michaelem Archistrategum ipsi exercituique, perpetuæque vrbis defensioni impetrarent. Nec votis diuina clementia defuit: sed pro eo atque fuit supplicatũ, Michael Godefredum sic deduxit, & vi sua diuina protexit, vt tota ferè Asia in ditionem redacta, tandem Rex Hierosolymitanus sit coronatus. Quod si vnquam aliâs, illo certè tempore maximè diuinus hic Archistrategus princeps Ecclesiæ dici meruit, dum Marchionem Antwerpianum ex vltimo Occidentis termino per tot regna tot diuersas linguas, tot asperas regiones, ad intima Asiæ, & inde ad Palęstinam, integrum saluumque perduxit, & ne regni sui quo nullum vnquam in terris extitit nobilius, nullum generosioribus animis quæsitum, nullum votis magis piis optatum, felicitatem macula aliqua infortunij Rex nouus contaminaret, post anni vnius beatam vrbis sanctæ gubernationem, pupillum suum & in bellicis rebus alumnum, diuinis iussis semper audientem, è laboribus & præsentis vitæ ærumnis, ad regni æterni perpetuam felicitatem nullo vnquam tempore aduersitate aliqua fœdandam deduxit. O ducem insignem, o imperatorem eximium, qui non in Hierosolyma tantùm Palæstinæ vrbem tot myriadum precibus frustra sæpius expetitam hunc suum militem & clientem perrumpere, & regni sceptra sibi armis vindicare fecit: sed post hanc felicitatem, alteram etiam maiorem adiecit, vt pius nimirum Rex magno desiderio ad cæleste regnum contendens, intra breue temporis curriculum ad hoc etiam quò toto animo ferebatur, adspiraret, ac nullas Draconis veteris humano generi hostis impedimenta tanta sentiret, quin mox ea Michael profligaret, dissiparetque. Faciat Christus, vt hunc Deus nobis semper det protectorem, quo omnes Satanæ insidias ab infirmis animis nostris amoliatur, & verè eum talem sentiamus, qualem ipsam nobis Dei fortitudiné esse semper supplices oramus. Nec verò Archangelus hic, Marchionis nostri tantũ protectionem & tutelam suscepit, sed ipsam etiam vrbem, in qua templum ipsius princeps esset, perpetuò defendit aduersus fraudulentos & horrendos Draconis insultus; quod non ita multò post Godefridi obitum insigni patuit exemplo. Vetus enim serpens huic vrbi tantum decus inuidens, quantum diuino beneficio Godefridus ei contulisset, virus suum Hęresiarchæ cuidam inspirauit, qui non ita multis pòst annis quàm Hierosolymis Marchio esset potitus, multa millia hominum Antwer-

werpiæ à veritatis recta via ſeduxit, & pro ſincera Chriſti doctrina, complures fœdos errores & indignos auditu inuexit, & quo ſecurior tutiorque virus ſuum è ſuggeſto ſeminaret, conciones habuit armatas; ita vt tria millia ſtipatorum frequenter habuiſſe ſcribatur: quo ſolo indicio ſatis monſtrabat ſe veniſſe, non ab illo qui verbo Dei, non armis fidendum docet; ſed ab eo qui omnem rationem rectam violentia ſua perpetuò corrumpit, nomen Mauortis inde nactus. Hic ægrè ferens tum ſe à fano ſuo expulſum eſſe, tum in eodem fano vota concepta, quibus à benignitate diuina eſt impetratum, vt Michael & vetus & nouus de templo occupato eius hoſtis, Godefridum ductu ſuo Regem faceret Hieroſolymitanum, omnem vim ſuam in Antwerpianos experiri cogitauit, quò tranquillitatem religionis non ita pridem à Godefrido confirmatam, ſtabilitamque euerteret, ac lætos de Principis ſui feliciſſimo ſucceſſu, & de reliquiis ad ſe ab eo miſſis, de quibus antè dixi, ſibi gratulantes, ex inopinato percelleret, ac ad barathrum ſuum ſi poſſet præcipitaret. Quocirca idoneum vt ſibi viſus eſt nactus miniſtrum, ſectam dæmoniacam, & variis erroribus plenam, velut tempeſtatem quandam & procellam in miſerum & indoctum vulgus immiſit; quòd eò libentius homini indocto, qualis hic fuit hæreſeos ſeminandæ miniſter, fidem habere conſueuit; quod ita dæmonis ipſius fraude ſit comparatum, vt ferè omnes diſcipuli præceptores ſuos ordinarios quos amare in primis deberent, odio quodam clanculario quod paulatim de metu pullulat, proſequantur. Iam noua quæ noui doctores docent, ipſa ſui nouitate auidos rerum nouarum homines alliciunt, & ineſcant. Quod ſi deinde licentiæ plebis habenæ laxentur, quibus in religionis officiis à paſtoribus continebatur; mirum eſt quàm exultet ac effrenis equi in morem laſciuiat! Quibus ſi accedat ab ipſis ſacerdotibus, qui purè pieque paſcere debebant, occaſio materiam aliquam reprehenſionis vel iuſtæ vel probabilis ſuppeditans, quam vtinam tam diligenter è medio tollerent, quàm Chriſtus atrociter minas iis intentat, qui puſillos Chriſtianorum animos offendiculis, vel vitæ, vel doctrinæ lædunt, caſus & ruinæ occaſionem dantes imbecillibus, atque è diuerſo pabulum & arma hæreticorum prauitati: ſi inquam hanc anſam ordo ſacer porrigere videatur, tum iam nouus concionator latè ſeſe auribus accuſationum auidis inſinuat, & miſeram plebem quaſi cathena quadam Herculis Gallici illigatam quocunque placet, trahit; nedũ ducit: & iam non plebeios modò, ſed optimates etiam mouet, qui non rarò propter communem

Hæreticus quidam Antwerpiæ.

nem diuitiarum Mercurium, procliues sunt, vt facilè in ordinem ecclesiasticum exasperentur. Quibus tum nouus & heri natus Euangelij minister intonat modis! quæ fulmina in aduersarios vibrat! quàm despuenda ingerit dicteria! quàm impudentia mendaciorum figmenta eiaculatur! deniqne è sacrificis facit sacrilegos: è pastoribus lupos rapaces: è probis & castis, improbos & scortorum mancipia. Tandem quid non? hos esse plebis hostes, libertatis proditores, religionis falsarios interpretes, & bonarum legũ corruptores. Quid multis? hos esse qui recta populum ad inferos detrudunt, & miserum ad æterna tormenta condemnant. Eiiciendos igitur haud secus ac sacros homines, vt impurorum hominum suppliciis irata numina mitescant. Quòd si pauperioribus & tenuis egenæque fortunæ hominibus aliquid lucri offeratur, vt fieri facilè potest; ac clanculum profligatæ frugis homines precio emantur, quo nouis rebus faueant, ac sese simulent, nouo religionis quodam furore raptos, ad meliorem vitam eniti, atque illi etiam inuitentur quibus ęs alienum sic oneri est, vt diutius lucem fori ferre non possint; bone Deus, quãtum augmenti tum res Pseudoapostoli accipiunt! His igitur & mille aliis viis, hic siue Tandemus, siue Tauclinus (neque enim satis inter scriptores de nomine constat) cùm Antwerpiæ ad perniciem hominum grassaretur, ac armata agmina secum traheret, non defuit
Norbertus. S. Michael vrbis protector, qui Norberto viro apud Lotaringos singularis sanctimoniæ Antwerpiam accersito sic adfuit, vt breui temporis spacio, ingens hominum multitudo, à decem iam paulo plus minùs annis intoxicata, mentis sanitati restitueretur, & præclarus ille draconis Mauortij minister, super ipso Scaldi in nauicula ferro periret, cuius præsidio sese semper securum fore sperauerat: quod accidit viginti quatuor circiter annis post Hierosolyma Christianis à Godefrido vindicata. Hic fuit Norbertus ille, qui primus ordinem Præmonstratensem cùm alibi, tum Antwerpiæ constituit, Canonicis qui antè ad S. Michaelis diuinis officiis præerant, vel cooptatis, vel si nollent, cum iusta æquabiliqúe possessionũ reddituumqúe portione dimissis, quò vellent, habitatum. Qui ergo emigrarunt, collegium Canonicorum constituerunt, & non procul ab ipsa arce, templi huius augusti, quod nunc videmus, iecere fundamenta circa ædiculam D. Mariæ Deiparæ sacram, à qua toti templo nomen sunt impertiti. Sed hæc pòst latiùs & distinctiùs, dum ad eius temporis historiam, quo hæc contigerunt, fuerit ventum. Hic obiter duntaxat commemorãda hæc fuerunt, quo plus lucis antiquitatibus, quas hic tra-

tractamus, adferretur; cernerentque homines qui & qua ratione è templo Martis sit factum templum Michaelis Archangeli & Archistrategi Christianorum, & singulari quodam modo huius ciuitatis patroni; è qua, eius beneficio, clarissimi omnium Christianorum citrà iactantiam duces extiterunt, vt post antiquariam hanc operam, si qui sint qui nesciant, docebo. Atque hic quidem sit primi libri modus; qui à primis vrbis conditoribus, bonis auspiciis, vsque ad summi militiæ Christianæ ducis, & diuæ Virginis templa, & à primis Atuaticorum focis, ad ipsas aras progressus, hic Deum præsidium rogare vult aduersus eos, qui non legendi cognoscendique studio incitati, sed sugillandi cauillandique morbo prurientes ad ipsum videndum accedent.

FINIS LIBRI PRIMI.

GIGANTOMACHIA.

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Nobile Brabanti nomen tenet alter, & Arcam
Format, comminuens immania membra Gigantum,
Securumque iubet ſenij conſiſtere mundum,
Cùm tamen æthereis omnem neget ignibus eſcam.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

AD FERDINANDVM TOLETANVM ALBÆ DVCEM,

PHILIPPI II. Hiſpaniarum, &c. Regis Catholici, bellicæ publicæque rei in inferiore Germania præfectum,

IOANNIS GOROPII BECANI PRÆFATIO.

TRIA INTER VARIA INVENIO, *Dux Albane, & generis, & rerum geſtarum ſplendore illuſtriſſime, Gigantum genera à priſcis Orphicis potiſſimùm celebrata; quorum vnum in regnorum, prouinciarum, ciuitatum, & familiarum recta & legitima adminiſtratione perturbanda peſtiferam ſuam vim exercet. Adhoc comprimendum, digniſq; modis puniendum Iupiter Hercule vſus eſt; qui claua iuſtitiæ ſuæ ad primos legũ fontes in philoſophiæ hortis enata cuncta hæc turbulenta monſtra domuit, & è medio ſuſtulit: qua de victoria triumphi loco in Deorum numerum eſt cooptatus. Eodem modo, eademq; ratione, Rex noſter Iouis ſceptrum in terris gerens, ob ſingularem virtutem tuam, ob ciuilis ſcientiæ longiſſimo duarum ætatum vſu & experientia, tum in pace, tum in bello in te confirmatæ, radicatæque præſtantiam; ob maximum denique rerum & domi, & foris in diuerſiſſimis Europæ & Africæ regionibus abs te geſtarum decus, omnium Hiſtoriarum memoria celebrandũ, te digniſſimum hoc munere et honore exiſtimauit, vt regiones has tibi daret à Gigantibus, quorum fama in Hiſpania multis & frequẽtibus nuntijs percrebuerat, expurgandas. Cùm igitur has modò partes ſedulò adminiſtres, totusque in hoc occuperis, quò Gigantea monſtra è Rep. tollas; non putaui abſurdum fore, ſi quam ego Regis noſtri auſpicijs Gigantomachiam ex tempore chartis illeui, eam nominis tui præfatione in hominum manus ſinerem venire, quò*

quò qui in mea deſideratur, is ex tua Gigantomachia ſplẽdor affulgeret. Bellum enim meum totum vmbratile eſt, & in otio litterario, quantulum mihi quidem domeſticæ occupationes, & neceſſarij diſcurſus conceſſerunt, luſum. Tuum verò in clariſsima totius orbis luce geritur, omnium oculis & Pontificum, & Regũ, & inferioris etiam ordinis hominum, ad ſingula acta tua attentis, & auidè exſpectantibus, quàm feliciter turbatam Remp. integritati ſuæ ſis reſtituturus, in quo totius huius belli ſcopus continetur. Quocirca, ne ego vel ineptus videar, dum Gigantomachiam librum hunc meum inſcribo, vel abſurdus, dum tibi contra Gigantes in Belgica pugnandi onus impoſitũ dico, breuiter mihi erunt tria illa Gigantum genera, quorum ex priſca Cimmeriorum Theologia notitiam hauſi, indicanda. Vt igitur ab ijs, quibus cum, vt olim Herculi, ita nunc tibi bellum eſt, exordiar: omnes eos Gigantes appello, qui rectæ communitatis pacificè, tranquilleq; gubernandæ rationi reſiſtunt: quos bipartitò diſtribuendos opinor: & in eos, qui pro eo ac debent ſubeſſe nolunt: & eos, qui contra legem vel ſcriptam, vel viuam in populum ſibi à Rege commiſſum imperium quouis modo exercent. Horum priores D. Paulus, tametſi huius appellationis poëticæ de Cimbrica lingua, vt docebo, petitæ, nullam fecerit mentionem; ſic tamen deſcripſit, vt ne Apelles quidem melius eos penicillo ſuo depingeret. Non eſt enim, inquit, poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Huic ego ſuccino: Qui Dei ordinationi reſiſtit, cum Deo pugnat: qui cum Deo pugnat, Gigas eſt. Quocirca nullum eſt effugium, quo ſeſe ab hac infami nomenclatura ſurripiant ij, qui Magiſtratibus, & eorum legitimis iuſsis obtemperare nolunt. Quòd ſi hi Gigantes nuncupandi; quantò magis illi, qui non ſolùm Magiſtratui reſiſtunt, ſed armatis etiam manibus, contra omnium & legum, & patrum ſtatuta, iuxtà in ſacra & prophana graſſantur: quos & nouiſſe, & punire quia officij tui eſſe ſcio, nolo in eorum vel audacia, vel impietate, vel Barbarie etiam Tartarica; dum templa, et bibliothecas ſacrilegi vaſtarent, commemoranda multus eſſe; ne

nimium, vel curiosus, vel temerarius in aliena prouincia perlustranda videar, maximè cùm ad scopum mihi in antiquitatibus tractandis propositum nihil facere possint: possunt verò plurimùm facere ad recẽtia vulnera noua exacerbatione citra omnem vtilitatem irritanda: quod cùm omnibus, tum medicis maximè, in quibus ego nomen meum profiteor, est euitandum. Transeo igitur ad posteriores in Rep. Gigantes: posteriores dico, nõ malitia, aut crudelitate, qua longè prioribus anteuertunt, sed mea duntaxat enumeratione. Hi sunt, qui, cùm à Rege alijs cum potestate præfecti sint, sic officio suo funguntur, vt & Regis voluntatem, & leges contemnant, tantò hostiliùs cum Deo pugnantes, quantò pluribus exitium adferunt, non Regi tantùm à Deo constituto aduersarij, sed toti hominum, quibus præsunt, communitati quauis contagione pestilẽtiores; quorum proprias notas vt cõpendio intelligamus, non alius quàm Nembrodus est proponendus. Is dicitur fuisse robustus venator coram Domino, siue in conspectu, & ante faciem Domini Dei sui, eò videlicet impudentiæ progressus, vt in gubernatione sua iniquissima iustos & vindices diuinæ maiestatis oculos nõ vereretur. Qui ergo sic Magistratu sibi cõmisso fungitur, vt homines tanquam feras tractet, ad quas venatio propriè refertur, is & venator erit, et Gigas in hominũ cõmunitate dicẽdus. Quid verò agit venator? An non hoc, vt lucro, & voluptati suæ ex ferarũ pernicie totus sit intẽtus, nihil minus cogitãs, quàm vel de earum salute, vel de minima saltẽ læsione inferẽda? Quisquis ergo hoc animo Magistratum adit, vt inde non aliud, quàm lucrum suum, & vitæ voluptatibus necessaria quærat, is meritò venator appellatur. Quàm verò is & cum natura, & Deo naturæ auctore pugnet, recta ratio, & Aristoteles eã secutus, docet: qui v. *Ethicorũ libro, Magistratum, ait, nõ sibi, sed alijs laborare debere. Idẽ, cùm religionis nostræ, & veræ felicitatis esset ignarus, non aliud ei præmium statuit, qui cum potestate in Rep. labores subit, quàm gloriã & honorẽ, addẽs, eum, cui hoc præmium nõ sufficit, esse reuera Tyrannum. Si hæc naturæ rectæq; rationis est ordinatio, necessariò consequitur, Dei quoq; esse ordinationẽ & voluntatẽ: cui qui resistit, Gigas est nominandus, atq; iccirco meritò*

ab

ab Aristotele eiusmodi Magistratus vocatus est Tyrannus. quæ vox & significatu & origine cũ Gigante consentit, vt hoc meo libro docebo. Bone Deus, quantum Tyrannorũ, siue Gigantum hic philosophus è rectæ rationis censura deprompsit! Quòd si oculos per singula Magistratuũ genera circumferamus, videamusq́, an ea mercede, quam censor hic grauissimus statuit, sint cõtenti, num putamus cõplures inuentũ iri, qui à Gigantum numero, & definitione eximi possint? Equidẽ egregios, & singulari virtute præditos viros, ad vnam semper publicæ salutis curã attentos regioni huic nostræ nunquam defuisse & scio, & gaudeo; sed vereor ne multi quoque fuerint, qui, vt Enniano more loquar, partes suas in Rep. sint cauponati: quos tamen, vt de euentis fuisse coniecto, ita nec videre è tenebris meis possum, nec nouisse vllo modo laboro, tãtum abest, vt cuiusquam vitã, vel de minima nota velim criminari. Quicquid in hoc genere à me dicitur, id in vniuersitate sic consistere intelligatur, vt nemo sigillatim ad se quicquam, de voluntate quidẽ mea, detorquendũ existimet. Quòd si quis se notatũ putet, is conscientiam suam, nõ me, iudicẽ habet; à qua si condemnetur, se, non hæc mea, quæ ad infinitã quæstionẽ spectant, accuset. Nos enim ex Aristot. declaramus, nõ quid hic, vel ille cõmiserit, sed quid vnumquemq́ in publicis muneribus cum dignitate obeũdis sequi oporteat; à quo si declinet, nomẽ Gigantis, vel Tyranni effugere nõ possit. Fateor equidẽ durũ eum rigidumq́ censorem in hac sua sententia videri; sed illud item intelligo aliter iudicare nequiuisse, ni rectam rationẽ, quam sibi cõmonstrandam docendãq́ ꝓposuerat, deserere voluisset. Quid si igitur hic in regnũ aliquod siue prouinciam, siue ciuitatẽ incidisset (in genere semper consisto) in qua annotasset Magistratus, & publica officia, non de Nemesis iustorum nuncia, & dispensatricis arbitrio: sed vel fauoris suffragio ineptissimis sæpe conferri, vel apertè pecunia & indicari, et ei vendi, qui plurimi licitaretur, quiq́ ius magno emptum, maiore pretio venũ exponeret. Vidisset q́ præterea præcipuam summamq́ potestatem penes eos, quibus dissoluta minimeq́ frugi vitæ ratio magnum æs alienum contraxisset, quid, rogo, pronunciasset? Carthaginenses, vt idem Peripateticorum pater prodidit, fieri non

posse crediderunt, vt is bene publica munera tractet, qui inops est, aut egenus: melius tamen iudicio meo quidem dicturi, fieri non posse, vt is bene Magistratum gerat, qui auaritia laborat. Egenus enim expleri potest: auarus non potest; cui tam deest quod habet, quàm quod non habet: atque iccirco nunquam desinit corradere & expilare, quoad eius vel de publico, vel de priuato fieri posse cernit. Quid, inquam, si hic censor, & optimus Reip. constituendæ magister vidisset in prouincia quapiam eiusmodi capita, & eiusmodi officiorum distributionem; quid, rogo, dixisset? Quid aliud, quàm quod Hesiodus cecinit:

καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθόν' εὐρυοδείης
λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν
ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην προλιπόντ' ἀνθρώπους·
αἰδὼς καὶ νέμεσις. τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρὰ
θνητοῖς ἀνθρώποισι. κακοῦ δ' οὐκ ἔστ' ἀλκή.

id est, vt ex tempore verti:

Tum pudor, & Nemesis candenti corpora veste
Splendida velatæ cælum petiere, genus que
Immortale Deûm, mortalibus, heu, desertis
Linquentes miseris tristes, diros que dolores;
Quos nulla poterunt ope, vel depellere cura.

Nescio profectò qualis fuerit Reip. in Belgica status: hoc saltem video, eos fructus nos carpere, quales ex eiusmodi semente prudentes viri exspectarent. Duo itaque fingantur Gigantum in Repub. genera; quorum alterum in plebe, alterum in superiore ordine continetur; quorum prius quidem exitiosum est; sed tale tamen, vt mox sit vltrò se dedituru, si hoc secundum fuerit expulsum. Vulgus enim et plebei homines; Principum & Magistratuum simij quidam sunt, atque mores, & omnem viuendi rationem ad eorum imitationem componunt. Quocirca si hos secundi generis Gigantes è Rep. si qui sint, summoueris, è vestigio ceteros quoque exstirpaueris: ad quod duo tibi video adesse adiumenta longè maxima, canam videlicet, atque longissimo diligentissimoq; vsu confirmatam prudentiam, & huic adiunctum flagrantem iustitiæ in omnibus secundum leges exsequendæ amorem. Facilia

igitur

igitur tibi omnia erunt, quantumuis difficilia videantur, quæ tibi veluti Herculi suo Eurystheus obtrusit. Quid enim ni Regem nostrum Eurystheum appellem, quo nullus vnquam Deus terrenus latiùs in orbe regnauit, quod Eurystheus nomine suo præfert? Felix profectò hoc nomine Rex, quòd latiùs quàm quisquam mortalium vel nunc, vel olim imperij sui fines Iunonis, siue gratiæ diuinæ regna conferentis fauore patere cernat: sed hoc etiã felicior, quòd nec Hercules ei desit, cuius claua, si qua monstra Gigantesve terra gignat, contundi queant. Vtere igitur hac claua Ducum felicissime. Cur enim non hoc te titulo exornem, quem è tot prælijs incolumem saluumque iam tertia ætas tenet, atque non saluũ modò, sed viridi adhuc senectæ ad omnia et consiliis, & factis obeunda, gerendáque vigentem. Vtere igitur, inquam, Dux felicissime, hac tua claua Herculana, sed sic, vt intelligas eam apud vetustissimos Orphicæ theologiæ magistros iustitiæ symbolum esse: adeò, vt dum claua omnia monstra ex orbe sublata dicunt, nihil aliud dicant, quàm forti & constanti iustitiæ legumque exsecutione omnia monstra, omnesque Gigantes domari, & è regnis, prouincijs, & ciuitatibus tolli. Hinc Antverpiani à maioribus suis antiquissimis, quos Cimbros fuisse docui, hanc consuetudinem acceperunt, vt ministros iustitiæ exsequendæ deputatos, siue lictores, claua lignea nonnihil argẽtata insigniant. Cùm enim Heraclides Ponticus Herculem philosophũ fuisse dicat, nec possimus alia philosophi arma ad Remp. gubernandam magis idonea inuenire, quàm ipsam iustitiam, & eius constantem fortemq; exsecutionem; necessariò colligendum, claua iustitiam significatam fuisse. Alia igitur omnia arma excludenda: sola claua tibi, si Herculem, cuius munere fungeris, imitari velis, semper & vbique in omni criminis siue inquisitione, siue punitione, fortiter vtẽdũ. Expulsis igitur è Magistratu Gigantibus, siue Tyrannis ab Aristotele vocatis, & ijs eorum loco cõstitutis, quibus publica salus priuatis commodis potior habetur, statim effeceris, vt nigerrima hæc turbatæ communitatis facies tã alba rursus euadat, vt virtute et nomine Ducis Albani digna videatur. Quod tũ videbimus, cùm Magistratus

legibus, & plebs Magistratui obtẽperabit, & mali pœnis, et boni honoribus afficientur: nec quisquã erit in Magistratu, qui vel ob egestatẽ, vel ad superbiæ et luxui suo sumptus suppeditãdos, vel ad pertusum insatiabilis auaritiæ doliũ replendũ, rem suam, siue de publico, siue de priuatorũ hominũ donis vel coactis, vel spõtaneis, augere studebit. Illud tamẽ minimè obliuiscendũ, eos, qui optimè sanissimeq; de claua Herculis senserunt, in scriptis reliquisse, eam fuisse ex oleastro reuulsam, vt Pausanias annotauit. Egregiè profectò & prudẽter eo indicarunt præduram, & minimè fragilẽ iustitiam esse oportere, ne vel muneribus, vel fauore rũpatur: verùm id satis non esse ad perpetuitatem, nisi clementia quoq;, & misericordia accedat. Neq; enim è corno, aut buxo, aut ebeno, aut alia quapiã arbore dura clauam fecerunt; sed ex oleastro, vt vno signo vtrunq; notaretur, & quòd iudici duricies firma sit in sententijs obseruanda, et quòd opportuna & lenis clementia sit adiungẽda, quam oleo ex arboris baccis expresso, pulcerrimè cõuenientissimeq; significarunt: quandoquidem nihil oleo lenius queat inueniri. Eo modo Origenes dixit, nullã animã esse, cui non opus sit oleo diuinæ misericordiæ. Si igitur vnicuiq; opus sit oleo diuinæ misericordiæ, erit & iudici opus, qualis qualis tandem fuerit: quam tamẽ nemo consequetur, nisi et ipse fuerit misericors erga eos, qui deliquerũt. Et quo iudex quisque Deo fuerit simillimus, eò optimus quoque iudex habendus. At Deo sicut nihil est iustius, ita nihil est clementius: & si horum alterum in eo vincere dicere possemus, iustitiam à clementia & misericordia superari diceremus. Semper igitur cogitandum ex oleastro clauam iustitiæ factam esse, nec vllo modo sic iustitiam exercendam, vt non plurimum loci misericordiæ relinquatur. Antiquum enim est, & omnium ore tritũ prouerbium: Summum ius summam esse iniuriam. Ne committas igitur, Dux prudentissime, & iustitiæ amantissime, vt non tam iustus huic regioni, quàm iniurius videaris fuisse, si non pluribus veniam à Rege impetres, quàm summi iuris rigorem adferas. Oleastri semper in mentem veniat: misericordia diuina, qua non minus & Regi, et tibi quàm ceteris mortalibus opus est, vbiq; succurrat: illudq; nunquã ex animo tuo elabatur, nulla alia

re nos

re nos Deo ſimiliores fieri, quàm ſi plurimos nobis beneficijs noſtris obligemus, plurimiq; fateantur ſe nobis vitam, & fortunam debere. Sed iam ſatis de officio tuo, et eo bello, quod te cum Gigantibus gerere Rex iußit. Reliquum eſt, vt me quoque doceam hoc libro contra Gigantes pugnare, ne inani titulo eum videar venditaſſe. Eſt itaque & aliud nobis Gigantum genus cogitandum, contra quos Minerua Iouis iuſſu bellum geßit. Ii ſunt, qui prauis opinionibus vel in religione, vel in philoſophia homines imbuunt. Neq; enim Gigantes illi ſoli ſunt, qui manibus violentis graſſantur, vel cõtra ſuperiores, vel contra inferiores: ſed illi etiã, qui mẽdacia inter homines ſerunt: propterea quòd Draconis mendaciorum patris veſtigia ſequantur: qua pedibus ſerpentinis, quos Gigantibus Orphici tribuerunt, intelligũtur. Eiuſmodi autẽ falſarũ opinionum magiſtri plerunq; prius ſolẽt, quàm alij illi, quos modò cõmemoraui, in homines graſſari, haud ſecus, atque ſerpens prius Heuam mẽdacio ſuo decepit, quàm ea Deo in pomo comedẽdo repugnaret. Quamobrẽ grauius etiã ſunt puniendi, quàm illi, quos blãdis ſuis verbis in ſententiã ſuam pellectos eò adducunt, vt vel Magiſtratui, vel populo vim inferãt, vel quouis alio modo volũtati diuinæ reſiſtãt. O vtinam nunquã eiuſmodi Gigantes in ſuggeſta adſcenderẽt, nunquã virus ſuum inde deſpuerent, nunquã miſerũ vulgus ad rixas, ad cõtentiones, ad odia, ad factiones incitarent. Equidẽ neminẽ condemno, neminẽ noto: id vnum opto, vt ſuauiores fructus poſthac è concionibus oriantur, quàm ij fuerunt, quorum acerbitas non eorum modò, qui eos comederunt: ſed eorum etiã, qui nunquã guſtarunt, dentes ſtupidos hactenus reddunt. Sed hos anguipedes, ne dicam ſerpentinas linguas theologis ſacris Minervæ miniſtris relinquo, pro eo ac decet, tractandos. Sunt in hoc genere alij quoque, quorũ mendacia ad eiuſmodi perniciem publicam non ſpectant: illa quidem talia tamẽ ſunt, vt ſint etiam confutanda, quò vel quàm pauciſſima, vel nulla reſtent in hominum opinione, quæ cum veritate, id eſt, cum Deo pugnent. In hoc certamine ego has partes modò ſuſcepi, vt falſam de Gigante Antverpiano perſuaſionem hominum animis euellam: quo munere meo quò fungar illuſtriùs, et cum luculentiore Lectorum

rum, si qui erunt, vtilitate, hypotheſin ad theſin vocaui, quæ multa Gigantea opinionum monſtra de Arca Noachi ſecum traxit. Nam dum de cubito Gigantum menſura diſputo, in illos incido, qui Arcam non communi cubito, ſed cubito Gigantũ, inter quos Noachum fuiſſe falsò aſſerunt, menſurandam aſſeuerant: quorum aſſertio me altiùs, quàm cogitaram, non ad Gigantum modò corpora, ſed Arcam etiam dimetiendã conſcendere coëgit. Mirũ eſt, quàm pertinaciter ſtolida hæc, et veſana de ingẽtibus et monſtroſis corporum molibus perſuaſio in hominũ animis ſemper hæſerit, & quàm ægrè videatur euellenda: cuius cauſſam non aliam eſſe opinor, quàm inſtinctum & afflatum illius Draconis, qui ſua intereſſe putat, ne ab omnibus paſſim intelligatur, qui reuera Gigantes ſint nuncupandi: ſed ea potiùs teneatur opinio, portentoſa quædam montium inſtar corpora hac voce denotari: tum quo Heroës aris & ſacris, veluti Dij quidam, honorentur; tum ne propius naturam inueſtigantibus in mentem veniret eorum, quæ de anguinis pedibus Orphici finxerunt. Hos enim non aliam ob cauſſam addiderunt, quàm quò ſtatim ex ijs cogitatio ſubiret, fabulam hanc ad ſerpentem humani generis hoſtem alludere, ac eos Gigantes nominari, qui veſtigia eius ſequerentur, tanquam & ipſi anguinos, non humanos pedes haberent. Saniora igitur ab Orphicis traduntur, quàm à quibuſdã hiſtoriographis, qui nobis non nulla monſtroſa ad eum modum magnitudinis corpora non veriti ſunt in libros referre: inter quos eos maximè tolerandos duco, qui ſic narrationem ſuam inſtituunt, vt confeſtim cernatur, quàm inſigniter & impudenter mentiantur. Quo nomine Phlegontem Trallianum laudo, qui portentoſam corporis molem, quod terræ motus, neſcio quo loco, detexerat, extollens, ac admirabilem reddere volens, dentem eius vnum ad Tib. Cæſarem allatum, tantæ magnitudinis fuiſſe dicit, vt pedem Romanum excederet, nedum æquaret. Nam ſi dens digiti latitudini, tota longitudine ſua æqualis, mediocris cenſeatur, neceſſariò colligeremus, monſtroſum illud corpus ad nonaginta ſex pedes longum fuiſſe, tametſi dens eius pedem nihil ſuperaſſet. quæ menſura de partium inter ſe commenſu ſumpta ſubitò patefacit,

qualis

qualis hæc narratio, & qualis eius auctor sit habendus. Quòd si vel Orpheus, vel Silenus eiusmodi figmentum audiuisset, an non putamus eum statim exclamaturum fuisse? Adde pedes serpentinos, & centum manus pro eo atque theologia vetus postulat, ne quem à veritate seducas, historiam è prisca allegoria comminiscendo. Si quid vnquam tale sub terra repertum fuit, Cacodæmonum spectrum fuit, non hominis cuiusquam cadauer. Qui igitur eiusmodi erroribus homines dementant, ij etiam inter Gigantes sunt recensendi; quia veritati, quæ Deus est, aduersantur. Quocirca non solùm contra Gigantes pugno, quia tanta corpora, quanta finguntur, nunquam fuisse scribo: sed illa etiam caussa, quòd contra Gigantes, siue veritatis aduersarios bellum gero, quod Gigantomachiæ nomine significatur. Videmus itaque duo hîc Gigantum genera; alterum, contra quod Iupiter Herculis opera vsus est; alterum, contra quod Pallas bellum gessit: cuius picturam peplo suo, quod apud Athenienses seruabatur, intexuit: quæ quid significaret, Proclus in Parmenidem scribens, indicauit. Sed quamuis hæc satis essent ad docendum, & bene me libro huic titulum dedisse, & nomini tuo dedicasse, tertium tamen Gigantum genus, contra quos solus Iouis tela valent, quò promisso satisfiat, est addendum: breuiter tamen, eò quòd ad propositum meum hoc loco nõ admodum faciat. Homines quosdam est inuenire, qui nec ab Hercule, vero regnorũ & ciuitatum harmoste, nec à Minerua, verarum opinionum magistra, in recta ratione possunt cõtineri; sed solo fulmine coërcentur. Cuiusmodi fuit Pharao, qui nec iustitiæ & æquitatis consideratione, nec apertis potentiæ diuinæ ex solo Iouis cerebro natæ documentis ad id, quod decebat, potuit adduci, atque ea de caussa nec ab Hercule, nec à Minerua, sed à Ioue percussus est telo ineuitabili. Tales, vt vno verbo multos comprehendam, omnes illi Reges fuerunt, qui nec legibus, nec doctorum hominum monitis, nec miraculis parere volentes, à solo Deo castigari potuerunt. quales omnes eos, qui diluuio perierunt, fuisse satis liquet è Mosis Historia; cui Poëtarum fabulæ à Cimbris profectæ per obscura quædam rerũ gestarum inuolucra consentire deprehenduntur.

Ad

Ad hoc Gigantum genus & illi pertinent, qui intra pectoris sinus, cùm vel athei sint, vel Epicurei, externa simulatione religionis cæremonias, & ritus obseruant: quos nec ordinaria ciuitatum iura, nec vera religionis doctrina à Draconis vestigijs potest detorquere. Sed satis de hoc tertio Gigantum genere, in quo Apellianos, & eos omnes colloco, qui Mosen fabulas, nõ veram Historiam scripsisse obstinatè sibi persuadent: contra quos cùm hoc item libro bellum geram, non immerito Gigantomachiam eum inscripsi. Accipies igitur, Dux illustrissime, hanc Gigantomachiam, veluti monumentum quoddam muneris eius, quod Rex tibi delegauit; in quo administrando precor Deum Opt. Max. vt sic & consilia, & gressus tuos dirigat, vt & Rex, & omnes Belgicæ prouinciæ de felici successu sibi gratulentur, & grata beneficij tui memoria apud posteros exstet sempiterna.

IOAN. GOROPII BECANI

GIGANTOMACHIA.

LIBER II.

VERVM ENIMVERO, CVM ME SIC SAtis probauiſſe arbitrarer, Andouerpiæ nomen à proiectis ſubliciisq́ue ripis factũ eſſe; nec crederem porrò quenquã fore, qui à manibus proiectis Handouerpiam contra omnium vetuſtiorũ codicũ fidem ſcribendum putaret; longè ſecus, atq; opinabar, res mihi ſucceſſit. Eſt ita profectò duplex non immeritò precium ab iis exigendum, qui cùm doceri, quæ recta ſunt, volunt, antè fuerunt prauo aliquo habitu imbuti. Neque enim docendi tantùm ſunt, ſed multo etiam maiore moleſtia malis opinionibus exuendi, dedocendiq́; quod antè didicerunt. Hoc mihi nunc vſu venit, cogorq́ue non ſolùm veritatem aperire, & in lucem vocare, quod mihi nunc ſatis in re propoſita feciſſe videbar; ſed plebeias etiam & aniles fabulas animis hominum penitus imbibitas, atque iam longa audiendi legendiq́ue, atque adeò etiam ſpectandi conſuetudine extra controuerſiam poſitas, refellere; ac, ſi fieri poteſt, funditùs eradicare. Aiunt igitur olim Gigantem hanc Scaldis ripam tenuiſſe, qui manus iter hac facientium loco vectigalis amputaret; ac veniſſe tandem Brabonem, C. Iulij Cęſaris, ſi Deus approbet, ſocium & commilitonem, qui inito certamine belluam illam ſuperauerit, & talionem ſceleribus reddens, dextram eius reciſam in Scaldim, quanta vi potuit, coniecerit: atque ad eius facti memoriam, caſtrum eſſe ab Iulio extructũ, nomine Hantwerpum, id eſt, manus proiectionem. hinc manuum amputatarum inſignia: hinc Gigantis & filiorum eius amburbialia pegmata reſtare: & quò magis credas, domum hactenus extare, quæ Ruesen huys; id eſt, Gigantis domus vocatur: & in ipſa curia non tantùm oſſa eius ingentia magno miraculo ſpectari; ſed in marmoreo etiam coloſſo, qui terribili vultu ex alto forum deſpicit, memoriam reſtare ſempiternam. Hæc omnia oppidò quàm probabilia videntur; ſed cùm addunt C. Iulium Cæſarem filium eſſe regis Arcadum, non iam obſcurè, vt antea, ſed apertè nos deriſui habent. Videntur enim mihi dicere, hanc illis fabulam cani, qui & genere ſunt & auribus Arcadicis, cùm Cæ-

Fabula de Gigante Antwerpiano, & Brabone.

ſarem Arcadicum, ex Arcadico neſcio quo Rege, & alia multa non melioris farinæ in ſcenam producunt. Reiectis igitur hiſce, vt auditu minimè tolerabilibus, alia videamus. Brabone igitur, quem longa ſerie ab Hectore deducunt, non admodum malè de Brabantiæ nomine fabricarunt, perinde atque Romani à Roma Romum & Romulum ſibi finxerunt. Trita enim hæc eſt & regia via in primis conditoribus indagandis, de regionis vrbisúe priſca voce cognominem aliquem inuenire, qui dicatur loco nomen indidiſſe. A Lupæ igitur ruma infantes Rumus & Rumilus, à Rumilo ſiue Romulo Roma nomen accepit. Pari ratione Brabon Brabantiam condidit, ac eponymię ſiue nomenclaturę ſibi ius ſumpſit. Sic Belgius Belgicá, Nannes Nannetum, Lugdus Lugdunum, & id genus ceteri commentitij reges, ſuam quiſque gentem condidêre; ſi fabuloſis originum ſcriptoribus fides ſit adhibenda; qui quanti fieri debeant, pòſt, ſi Deus dabit, oſtendam, cum Pſeudoberoſum, Manethonem, & ceteros eiuſdem notæ ſcriptores explodam. Verùm ne de Brabantiæ nomine in Brabonis abſurdas fabellas cuiuſquam animus inclinet, aperiam Brabantiæ veram rectamque originem à nemine, quod equidem acceperim, vel audiendo vel legendo hactenus inuentam. Fui aliquando in ea opinione, vt hac voce ſterilem terræ tractum ſignificari exiſtimarem. ℨbraec enim ſterile, & id, quod ſemen non accepit, vocamus: vt cùm dicimus, C'ſant ſeet braec; id eſt, aruum ſterile iacet: quod nomen à ℨbrac, quod falſum ſignat, deriuatur. Verùm cùm animaduerterem ſuperiori Brabantiæ parti, quæ lætos agros habet, priùs hoc nomen, quàm inferiori, quæ valdè ſterilis eſt, datum fuiſſe; non videbar mihi poſſe hanc opinionem tueri. Deinde legimus in iis, qui ſua Annonio, ſiue Aimonio, ſi ſic magis vocari gaudeat, addiderunt, fuiſſe in Gallia ante quadringentos circiter annos graſſatorum quoddam genus, qui Brabantiones ſe nominabant: ſed ſatius eſt verba adſcribere, quæ ſic habent: Etenim Guilhelmus comes Cabillonenſis diaboli veſtigia ſequens, qui Dominum tentare præſumpſit, eccleſiam Cluniacenſem atrociter perſequebatur: ipſe ſiquidem infinitos prædones, vulgo dictos Brabantiones, qui nec Deum diligunt, nec viam veritatis cognoſcere volunt, ad crudelitatem ſuæ tyrannidis explendam colligens, ſceleratis ſatellitibus fretus, aduerſus prædictam eccleſiam, vt eam deprædaretur, prædo profectus. Hęc illi: quibus non ſatis intelligendum dederunt, qua de cauſa graſſatorum illud genus Brabantionum nomine ſignaretur. Sed difficillimum in factionibus nominum cauſas inuenire, niſi apertis rationibus & euidenti aliquo ſigno appellationis cauſæ explicentur. Quoties

Brabantiæ vera origo.

Nominum cauſas inuenire in factionibus, eſt difficile.

ties his annis proximis, quibus factiones primùm in Francia, deinde apud nos exortæ sunt, ingenti publicæ tranquillitatis damno, & extremo fortasse, ni Deus auertat, exitio Christianitatis, disputatum meminimus, qua causa illæ Hugenotorum, hæ Geusorum acceperint nomenclaturam! Equidem eiusmodi absurdas voces semper ingens aliquod malum portendere iudico; quod Romani etiam crediderunt, dum boni nominis eum esse vellent, quem primùm militiæ adscriberent. Guelfi & Gibellini, quas strages in orbe Christiano ediderint, nemo ferè nescit: qua verò de causa sint ita nominati, non facilè expediueris, nisi dubias coniecturas pro certis principiis velis haberi. Hugenotorum nomen Galli examinent, nos Geusorum appellationis causam ne hactenus quidem satis intelligimus, tametsi diligenter originem eius à diuersis simus percontati. Horum quod fuerit consilium propositumque, necdum mihi liquet: hoc vnum scio, ab ipso statim factionis exordio nec nomen mihi nec symbola arrisisse, atque ex iis ominatum esse, calamitosissimum Reip. casum imminere; nulli illum quidem eorum peruersitati fortassis, vti spero, sed iniquis huius seculi fatis, & communibus Christianæ religionis procellis imputandum: quem, quia adhuc ruere nō cessamus, Deum Optimum Maximum rogemus, vt tandem benigno suo numine sistere dignetur; ne regio hæc, cui nulla vnquam in orbe omnibus numeris par fuit, sic cadat, vt nihil spei restet ad resurgendum. Quid enim, vt nomen omittamus, quod non vni tantùm mendico æquipollere dicunt, scutella illa lignea mendicantium, vnà cum sacco Metragyrtarum, pro tesseris accepta, aliud portendebat, quàm Geusorum, non dico ductu, sed occasione malè sinistreque arrepta, populum rectà impellendum ad mendicitatem? Cùm ergo eius factionis, quam coràm videmus, vix nomen interpretari queamus, nihil miri accidit, si causam ignoremus, ob quam ante quadringentos plus minùs annos prædones quidam Brabantiones sint nominati. Fieri potuit, vt è Brabantia profugi sectarij aliquot, quos Antwerpiæ Tandemus siue Tauclinus, vt alij scribunt, paulò antè seduxerat, in Gallia latrocinia tum temporis exercuerint. fieri etiam potuit, vt nomen eadem ratione, qua prius Brabanti, acceperint.

Mali ominis nomina vitanda.

APVD Iulium Cæsarem primarium Bellouacorum opidum, cuique maximè sua omnia credebant, Bratuspantium nominatur, voce ita ad Brabantiam alludente, eodem vt è fonte manasse videatur. Quam ob rem operam dabimus, vt rationem eam perueſtigemus, quæ communis sit his omnibus notandis. Brabant ergo compositam vocem esse, vel aliundè saltem deriuatam, numerus syllabarum

Brabant, ex quibus componatur.

barum docet. Coaluit autem è duobus vocabulis, altero Braue, altero Bant. quorum illud, quia duabus etiam syllabis constat, in primogeniorum classe, quæ omnia monosyllaba sunt, censeri non debet. E quibus ergo factum dicemus? è Bar & Haue: quorum illud in agendi notione idem est, quod in lucem & apertum profero, vel etiam ostento & præfero. Hinc Barey pro párere, & Openbarey, pro clarè aperire: & Barey siue berey pro eo, quod est, vultu & gestu & sermone aliquid præ se ferre. & Gebar pro exteriore demonstratione facta, vel voce, vel alio quouis signo. Alterum verò, quod est Haue, omnia bona mobilia significat, siue omnia ea, quæ sic habemus, vt iis confestim vti possimus; quod deriuatum est ab Hau, id est, teneo. Barhaue igitur, & Braue per syncopen siue concisionem, nostris vsitatissimam, idem est, ac si dicas quempiam ostendere omnia sua parata bona. Ostentator igitur rerum suarum demonstratione aliqua exteriore, Braue, siue per posterioris vocalis elisionem Braf vocatur. Quam vocé, quòd Franci & Goti & ceteri Germani, qui Latinos Latinam linguam docuerunt, frequenti in vsu haberent, omnes Itali, Hispani, Galliq́ue sermonis sui communione donarunt, leui discrimine in ea variantes; quod, quia nemo nescit, frustra pluribus docerem. Ridiculi verò sunt, qui à Græcis eam mutuantur: tum quia non est eiusdem cum βραβεῦς significationis: tum quia Græci minimè fuerunt, qui Romanorum linguam immutarunt. Quid, quod nulla definitione clarius, quis Brauus sit, explicaretur, quàm hac vocis simplici interpretatione? cùm tamen, si vel Gallum, vel Italum, vel Hispanum interroges, quis propriè hoc nomine significetur, nihil sani sis auditurus. Quisquis ergo sua foris demonstrat, quæcunque putat ad præsentem ornatum pertinere; is Brauus vocãdus est. Iam, quid Bant nobis notet, addamus. Hac voce propriè & primò omne vinculũ notatur: &, quia in corpore humano fasciis ad vinciendũ obligandũq́; vtimur; pro fascia generatim accipitur. Hinc, Bandekey cùm dicimus, fasciolã intelligi volumus, qua nostrates mulieres frontẽ, occipitium, & tempora obligant ad capillos constringendos; quæ similis omnino est diademati priscorum regum. Quoniam igitur Germanis in antiqua fuit consuetudine, pro signis Romanorum fasciam hastæ alligatam in exercitu habere; signum hoc Bandam vocarunt, indicantes omnes, qui sub eodem signo militant, arctissimo esse vinculo colligatos; atque id ita, quasi fascia vna omnes inter se constringerentur. Quocirca non malè signum Bandam nominarunt, tum quia vinculum eo nomine, tum quia fascia, è qua signum constabat, signifi-

Germani quare fasciam hastæ alligent.

ſignificaretur. Quocunque ergo Goti, Franci, ceteriq́ue eiuſdem linguæ populi arma, eodem & ſignorum vernaculum nomen intulêre: quod hactenus exigua, pro dialectorum diſcrimine, varietate apud Italos, Gallos & Hiſpanos in eodem ſignificatu vſurpatur. Et, quemadmodum ſignum pro omnibus iis ponitur, qui ſub eodem vexillo militant, ita Banda quoque in vſum venit, atque in eo tanta pertinacia eſt retentum vocabulum, vt pro cohorte vel turma Banda, pro ſigno Bandera iam olim à Romaniſantibus dicatur. Nobis hac ætate ad equitum ordinem refertur, alioqui pro vinculo & faſcia in perpetuo vſu; quanquam extra rem militarẽ pro quauis etiam multitudine confœderata capi conſueuit. Sed quia leniorem ſonum frequenter ambimus, pro Banda Bendam ſæpius enũnciamus, in quo nihil eſſe ad diuerſam ſignificationem momenti, modò bis térve memini indicaſſe. Cedrenus Græcus hiſtoriæ ſcriptor, Bandam hoc in ſignificatu aliquoties dixit: nec mirum, cùm Procopius tot ætatibus vetuſtior Bandophorum nominarit eum, qui ſignum ferret. Libro enim quarto, quo de Vandilico bello tractat; hæc ſunt eius verba, vt interpres ea vertit: Ambo enim valde prudentes, & in Beliſarij domo, & in exercitu Romæorum in magna dignatione fuêre. alter enim ipſorum Aigan inter equites haſtatos; alter verò omnium animoſiſſimus inter ordines ducis ferre ſignũ conſueuit; quem Bandophorum Romæi vocant. Bandophorus ergo, compoſitione de Græco & Germanico ſermone deſumpta, eum denotabat, qui primarium ducis ſignum ferebat: quod officium ſummæ fuit dignitatis. Nobis Bandophorus Banderheer nominatur, quaſi diceretur dominus Bandæ; id eſt, præcipui ſigni: vti fit, dum in communi voce ſimpliciter prolata illud intelligitur, quod in ſignificatorũ genere maximè excellit. Eiuſmodi anteſignanos Flandria, quamuis ingentes copias cogere poſsit, non plures tamen habet, quàm quatuor. Banderi verò ditio eſt, ſiue regio, eiuſmodi Bandophori ſigno ad ſequendum, quo dux iuſſerit, obligata. Verùm populum ipſum hoc auctoramento deuinctum, Bandam ſiue Bendam, ferè vocamus; atque hinc ad quamuis ſocietatem fœdere quopiam coeuntem, transfertur. Brabant igitur dicitur, quaſi Brauabanta, ſiue medio ſono & gratiore Brauabanda. Sed quia Bant primogeniũ eſt, & Braue in Braf mutatur; integrè diceretur Brafbant: quod, quò mollius ſit ad efferendum, & in medio minùs hiulcum, in Brabant eſt mutatum, conſuetudine linguæ noſtræ, leniſsima quæque & breuiſsima vocabula ſemper requirente. Videntur itaque Atuatici, cùm iam diu ſub Thungrorũ appellatione latuiſſent,

Signum pro ſignatis ponitur.

Benda quid ſit, & vnde dicta.

Bandophorus quis ſit.

Banderheer quis dicatur.

Flandriæ quatuor tantùm anteſignani.

Romanis ita cogentibus tandem Francorum adiumento cristas erexisse, ac priscum maiorum decus ostentasse. Tempore enim Constantij, Franci, quos Salios vocabant, in Taxandria omnium primi locū sibi delegerunt: inuitati (ni fallor) ab Atuaticis; eò quòd Franci æquè à Cimbris (vt pòst docebo) atque Atuatici, genus ducerent. Verisimile enim est, crebris delectibus & grauissimis tributis sic Atuaticos offensos fuisse, vt quiduis auderent ad seruitutis diuturnum & intolerabile iugum excutiendum. At quæ breuior via potuisset inueniri, quàm si Francos consanguineos suos contra Romanorum tyrannidem euocassent? homines ceteroquin etiam Romanis opibus inhiantes? Simul ac igitur post frequentia prœlia & crebras incursiones per multos continuos annos factas, res Francorum ea sumpsit incrementa, vt Belgicam totam ferè inferiorem, pulsis Romanis, occuparent; idque fauentibus (vt par est credere) tum aliis, quos tyrannidis tæderet ac seruitutis; tum maximè Atuaticis, hi sibi nomen sumpsêre, quo promptus ipsorum animus excellensque studium promouendi consanguineos & eorum suppetiis libertatis priscę vindicandæ feruor indicaretur. Quando enim præ ceteris omnibus, quicquid facultatum & virium haberent, ad Romanos eiiciendos ambitiosè ostendebāt, Brabantos se nominabant: eò quòd ipsorum Banda Braui appellationem in primis mereretur. Et quemadmodum Atuaticorum sedes præcipua, cùm res ipsorum floreret, circa Bruxellas & loca vicina fuit; ita principio ei maximè parti nomen datum est Brabantiæ; in qua virtus ipsorum contra Cæsarem maximè eluxerat.

Franci, Salij vocati, quare in Taxandria locum delegerint.

Atuatici iugū seruitutis quare excusserint.

Romani Belgica pulsi.

Atuatici vbi primò cōsederint, & cui loco Brabātiæ nomen primò dederint.

In antiquissimis schedis ad Diuum Bauonem, cui super Scaldi, è regione Gordunorum, monasterium fuit, quod nunc in arcem est conuersum, bonis Pontificis dispensatione aliter distributis, tres pagi enumerantur, Brabantensis, Ryensis & Tessandrius: sed ob originationis ignorantiam Brachbatensis (si rectè recordor) pro Brafbantensis est scriptum: idque (ni fallor) ab extero quopiam Latinæ linguæ, quàm nostræ, peritiore. Pagum enim in ea dixit significatione, non qua vulgò in vsum plerumque vocatur, sed qua Cæsar vsus est in pagis Heluetiorum. Deinde non mirum est priorem syllabam aliter ab aliis enunciari, cùm à nostratibus etiam Zrachart pro Zrauart crebrò dici audiamus, non alia (vt opinor) causa, quàm quòd originem vocis Zraf siue Zraue prorsus ignorent. Zragart igitur, vel Zrachart pro Zrauart, à multis dicitur pro eo, qui natura sua procliuis est ad eorum, quæ habet, ostentationem. Hinc fit, vt quidam corruptā hanc loquendi consuetudinem

secuti,

ſecuti, Brachbantum pro Brafbanto dixerint; in quibus ille etiam eſt, qui Philippeïda ſcripſit, bellum Philippi regis Francorum, & Othonis Imperatoris complexam:

„ *Territat in primis noſtros comes ille Louani*
„ *Henricus, ſocer & miles nunc factus Othonis*
„ *Innumeris cum Brachbantis: quo ſæuior alter*
„ *Vix vſquam eſt populus bello, aut aſſuetior armis.*

Brachbāti gens bellicoſa.

Hanc autem ſpuriam eſſe, & minimè germanam, & ſcripturam & pronunciationem, è ſimplice voce liquet, quæ ſcribitur & profertur בראף, non ברג. Longiùs illi aberrarunt, qui Brachbatenſem pagum nominarunt: quia nimirum non priorem modò ſyllabam, ſed poſteriorem etiam corruperunt, quæ apud omnes ſemper בּאנט, non בּאט enunciatur. Nos itaque conſuetudinem noſtratium antiquiſsimam, & veram nominis rationem ſecuti, Brabantum dicimus, pro Brauebanto, ſiue Brafbanto lenitatis cauſa vocari eum, qui eſt in Braua banda. Verùm, vt rectiùs vis & notio Bandæ intelligatur, addenda nominis originatio. Quamuis enim monoſyllabũ ſit בּאנט pro vinculo, non eſt tamen primogenium, ſed compoſitũ ex בּי, quod ſignificat ad, apud, & penes, & in compoſitione frequenter adiumentum: Sic בּיוֹאט eſt herba Artemiſia, eò quòd pedi, quem וֹאט vocamus, auxilietur. Eodem modo בּיהנט, eſt id, quod manũ adiuuat, & in retinendo opitulatur. הנט enim manus eſt. Ex בּיהנט ergo per ſyncopen fit בּנט, ſicut ex בּארהף בּראף. Quia ergo, quæ vinculo ſunt conſtricta, ad manum ſunt, & eo vinculo alligantur, vt maneant in eo ſtatu, quo manibus eſſent retinenda, rectiſsimè vinculum hanc habet appellationem. Prætereà quia, quæ colligata ſunt, difficiliùs franguntur, quàm quæ ſunt diſſoluta, factum eſt, vt Banda pro iis accipiatur, qui inter ſe ſunt vinculo aliquo, ſiue id iuramento, ſiue alio quopiam pacto conſtet, colligati. Et quando in hoc cuiuſque ſocietatis & hominum multitudinis præcipua eſt poteſtas, & ſummum robur; non potuit melius Reip. & cuiuſuis communitatis poteſtas ſignificari, quàm ſi eo vinculo, quo homines infantes ſuos, ad membra confirmanda, ligant, notaretur. Nec infantes tantùm faſcia ligantur; ſed omnia, quæ vnionis ſolutionem in corpore humano patiuntur. Quocirca, cùm faſcia ſit vinculum ad hominum membra confirmanda neceſſarium, maiores noſtri inſigni prudentia faſciam vnionis, & potentię inde pendentis ſignum eſſe voluerunt. Hinc Banda pro vexillo militari, non vt ſimplici ſigno portari cœpit; ſed ita, vt nihil magis eſſet hieroglyphicum. Notabatur enim eo, omnes debere eſſe colligatos vincu-

Bãde nominis origo.

Bãda pro quibus accipiatur.

vinculo amico, & hominis membra confirmante; non ſecus, atque infantis tenelli artus vinciuntur ad robur conſequendum. Hoc nimirum ille voluit, qui ſagittas colligatas filiis frangendas dedit, quas cùm frangere ſic nequirent; rurſus dedit ſingulas, quas facillimè fregerunt. Sicut enim concordia paruæ res maximas vires ſibi comparant, ita diſcordia maximæ quæque vires franguntur. Faſcia igitur, quam noſtri Bandam vocant, priſcum noſtris fuit ſignum militare, quo omnium animi ad vnionem & concordiam ſtrictè arcteque retinendam mouerentur. Videmus hactenus puerorum vexilla è longis faſciis conſtare, qualia veterum fuiſſe cogitandum. Poſterior ætas multas faſcias conſuit, fortaſſis vt ſignificaret, non vnam ſe ducere potentiam, non vnum robur; ſed multa: & non anguſtam habere ſe poteſtatem, ſed longè lateque dominantem. Iam, quoniam vnio & colligatio hominum principes & ſupremas vires habet, atque ea faſcia ſignificabatur, tranſlatum eſt ſymbolum ad ſummam & regiam potentiam denotandam, ſi faſcia candida caput cingeret. Et, ſicut poteſtas regia omnium eſt antiquiſsima, ita ab antiquiſsima gente hæc conſuetudo traxit originem. Non igitur à Græcis, qui fatentur (ſi Platoni credimus) Barbaros eſſe, quàm ipſi ſint, vetuſtiores: ſed ab illis, apud quos faſcia nomen à manu, ſymbolo poteſtatis duxit. Græci, quod regium hoc ornamentum viderent capiti obuinctum, diadema quidem à ligando, nominarũt: ſed in diadematis notione nõ illa eſt, quæ eſt apud noſtros, vis ſignificationis. Nobis enim Banda ſic dicitur, vt qui vocem intelligit, ſtatim vnà intelligat Bandam propriam illius eſſe, penes cuius manum ſiue poteſtatem ſunt omnia. Quare igitur capiti potiùs, quàm manibus obuinciebatur? quo nimirum ſciretur, reges ratione, quæ manus eſt & poteſtas mentis, quæque in capite domicilium ſortitur, non corporis manibus gubernare debere: quando, quæ reges & principes imperant, à ratione recta debent, non à violentia, proficiſci. Symbolum igitur poteſtatis capiti potiùs conueniebat, quàm ceteris membris; tum hac, quam dixi, cauſa; tum quòd faſcia capiti alligata, poteſtatem capitaneam ſignificaret: quòd, ſicut caput membrorum, ita hæc eſſet princeps eorum, qui Regi ſunt ſubiecti. Hinc perperam Pompeio ab obtrectatoribus eſt obiectum, cùm crus vulneris tegendi cauſa obligaſſet, regiam ipſum maieſtatem ambire. Falſum enim eſt, quod dicebant, non referre quam quis corporis partem regio inſigni ornaſſet. Alexander meliùs, cùm Lyſimacho ad vulnus obligandum diadema ſuum daret; quamuis eſſent, qui eo facto regnum Lyſimacho portendi putarent.

Sagittæ colligatæ, & filiis datæ à patre, quid ſibi voluerint.

Puerorum vexilla qualia, et qualia poſterioris ætatis.

Faſciæ ſymbolum, ad quid tranſlatum.

Faſciæ conſuetudo, à quibus traxerit originem.

Faſcia cur potiſſimùm capiti obuinciebatur.

Sciebat

Sciebat enim fasciam candidam non quauis corporis parte regium esse insigne; sed ea duntaxat, in qua ratio dominatur. qua sola reges omnes & principes regerent, si digni hoc ornamento esse magis, quàm videri, vellent. Quòd autem Libero patri huius inuentionem Græci attribuant, id ex eo factum, quòd accepissent symboli huius originem à Cimmeriis esse profectam, quorum lingua causas eius continet. Quid verò Cimmeriis cum Baccho, pòst suo loco declarabo: hîc satis sit indicasse fasciæ regalis causam & primordia, quę frustrà Græci & Latini è sua lingua quæsiuissent. Multò igitur conuenientiùs antiquitati, multoque significantiùs nostri fascia in militia vsi sunt, quàm Romani suis signis; in quibus vt essent significata, non tamen ea, quæ sic cum prisca sapientia consentirent, atque illud notarent, quod primum est & præcipuum ad omnem potentiam constituendam atque conseruandam. Ex eodem fonte manauit & illud, quòd in omnibus sacris, vittis siue fasciis, tum victimas, tum aras, tum sacerdotes ornarent, significantes omnem potestatem à superis orandam; & eo solo nos saluos esse posse, si potestati diuinæ nostra debilitas alligetur. Fatebantur igitur hac tessera, sese agnoscere omnium rerum potestatem apud illum esse, cui sacra fieri deberent.

Fasciæ regalis causa & primordia, vnde petenda.

Fasciarum in sacris significatio.

Mos sanè hic antiquissimus ab iis profectus auctoribus, quibus linguæ Cimbricæ fabrica debetur, qui intelligebãt se perituros euestigio, nisi Deo Optimo Maximo suaui vinculo, qualis est fascia, alligarentur. meliùs sanè illi, quàm Homerus, qui cathenam ad hanc inferiorum cum Ioue connexionem induxit. Verùm ignorantia ex vera religione ad superstitionem prolapsa, ab vno Deo, cui soli sacrificandum erat, ad falsa numina cultum hunc sceleratè & impiè traduxit, seruatis iisdem quidem ceremoniis: sed ad illa translatis, quibus minimè conuenirent. Sed in eo non magis peccatum, quàm in tota idololatria, quæ omnia sibi sacrilegè arripuit, quæ ad verum Dei cultũ pertinebant. Hinc sacris ædibus, & labris sepulcralibus, & templorũ maximè vestibulis, Sphinges vittatæ addebãtur. quibus vim potestatemque religionis, veterum Theologia significabat, dum faciem pulchrarum modestarũque virginum eis tribuunt, & reliquũ corpus leoninum addunt, vnguibus tamẽ vncatis & contractis, non ad vim explicatis, castitatem illis virgineam sanctamque tribuentes, sed eam, quæ, si læderetur, robur & celeritatem leoninam ad vindictã haberet. Quamobrem & Palladis galea in cono Sphingem aliquando præferebat. quod in Atticis de Parthenone tractans Pausanias annotauit, & nos, cùm de antiqua religione tractabi-

Homeri cathena.

Ex ignorantia idololatria.

Sphinges vittatæ quid significent.

Sphinx in Palladis galea.

mus, clariùs aperiemus. Pierius Valerianus in Sphingis ſymbolo parum Oedipus fuit, non animaduertens meretricibus vittas non conuenire; quas meretrices Sphingum quoque figura ex Michaële Bizantio ſignificari tradidit; de iis, quas pro templis collocarunt, non multo melior interpres. Quid poſſet minus decere, quàm in Parthenone; id eſt, in æde virginea meretriculæ imaginem in Mineruæ virginum anteſignanæ cono ſpectari? Vera igitur faſciæ interpretatio, quam nos Bandam vocamus, è quo Venetæ mulieres Bindam, Tuſcanæ (ni fallor) Bendam fecêre, plurimum adfert adiumenti, ad multa veterum monumenta intelligenda, quæ alioquin obſcuras cauſas, aut nullas omnino habere putarentur. Sinon apud poëtam vittas, quas hoſtia geſſit, teſtatur: & mox inde loquens de Palladio ablato, virgineas vittas vocat:

Faſciæ interpretationis vtilitas.

„ *Corripuêre ſacram effigiem, manibuſque cruentis*
„ *Virgineas auſi diuæ contingere vittas.*

Hinc & illud intelligitur:

„ *Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos,*
„ *Vittis & ſacra redimitus tempora lauro,*
„ *Occurrit.* ——

In Pharmaceutria propriè admodum & conſentaneè vittarum ſignificationi, vittam mollem nominauit, eò quòd nullum vinculum ſuauius ſit & mollius, quàm illud, quo Deo ſumus colligati:

Vitta, mollis quare propriè nominetur.

„ *Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.*

Hinc lanei compedes, quibus Saturnus fuit conſtrictus, de qua re ſuo loco dicendum. Supplices etiam vittas antiquo more ferre ſolent, quo oſtenderent ſe tum per ſacra orare, tum petere eam coniunctionem apud eos, quos obſecrabant: quæ omnibus hominibus neceſſaria eſt ad ſalutem & tranquillitatem. Sicut enim homines Deo cupiunt amoris vinculo alligari, quò eius ope ac præſentia iuuentur: ita homines quoque ſupplices iis, quos rogant, ſe deuincire ſtudent, quò ipſorum auxilio ſubleuentur. Docta itaque legationis deſcriptio apud poëtam eſt, dum canit:

Supplices quare vittas ferre ſolent.

Legationis docta deſcriptio apud Virg.

„ *Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni,*
„ *Centum oratores auguſta ad mœnia regis*
„ *Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,*
„ *Donáque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.*

Horum vnus, Ilioneus nomine, inter cetera ſic regem alloquitur:

„ ——*Ne temne quòd vltro*
„ *Præferimus manibus vittas, & verba precantùm.*

Vna

Vna profectò vocula declarauit, & legatos vbique gentium sacrosanctos habendos, & ipsos per sacra nulli temeranda supplicare, & hoc ipsum quod orabant sanctum esse; atque id pertinere ad indissolubilem amicitiæ pacisque nexum. Hæc igitur omnia à priscis maioribus nostris videntur accepta, apud quos fasciæ vittarumque nomen à connectendo vinciendoque deductum est, ita vt etymologia symbolum, & symbolum explicet etymologiam. Neque igitur maiores nostri contenti fuere fascia sua indicare omnem vim in vnione esse, sed illud etiam, bellum nullum suscipiendum, quod non esset sanctum atque iustum. Quamobrem Atuatici ope Francorum à Romanorum iugo exempti, Brabantos se significantissimè nominarunt: quasi dixissent, Bandam quidem se non magnam esse, sed Bandam tamen Brauam, atque illam egregio vinculo coniunctam. Eadem ratione opidum illud Bellouacorum munitissimum, quò Cæsaris metu omnia sua contulerant, Bratispantium est vocatum, quasi diceretur Βραστεβαντ, id est, Brauissima Banda, exempto digamma, & sigma transposito. Βραϝ enim in supremo cõparatorũ gradu facit nostratibus Βραστε. Hinc Cæsar Βρατες dixit, & βαντ pro Βαντ. Fuisse autem in opido illo causas, ob quas Brauissima Bãda vocaretur, satis ex eo liquere potest, quòd Bellouaci ei omnia sua, priùs quàm se dederent, credidissent. In malam igitur rem illi cum suo Brabone, qui pro historia frigidissimas nugas nobis vendere moliuntur. Atque hæc quidem de Brabantorum nomine, quo non immerito se, neque sine verisimo omine vocarũt; propterea quòd mox limites suos ita protulerunt, vt Tessandros, Ambiuaritos, Thungros, & non exiguam Neruiorum portiunculã occuparint; & nõ ita multò pòst belli pacisq; laudibus ita effulserint, vt regũ Francorum res omnes cum imperio summo administrarint; hinc nomen sortiti Coninc stapel, id est, columen regis, & eius statũ conseruans. Stapel enim pedem & fulcrum significat, cui vel sedes vel aliud quippiam innititur ac insistit, quasi Sta-beset: id est, statum conseruãs, diceretur. Coninc verò regem esse nemo ignorat. Coninc stapel igitur columen & quasi fulcrum esse regiæ maiestatis, vox ipsa declarat: à qua Galli Germanicæ linguæ imperiti *Connestable* fecêre. Et erat profectò tum temporis illa regibus Francorum viuendi consuetudo, vt illi, qui hoc nomine vocabantur, statum regium conseruarent: quoniam penes eos esset totius gubernationis & imperij potestas. Eundem alio nomine Maier vocarunt; qua voce summus magistratus in quauis communitate Teutonicè notatur. Vnde corruperunt Maiorem domus, quasi Latinum nomen, non

Legati vbique sacrosancti.

Fascia quid maiores nostri indicauerint.

Atuatici, Brabãti rectè sunt nominati.

Bellouacorum opidum rectè Bratispantium nominatum.

Brabantorum limites & præstantia.

Coninc stapel interpretatio.

Connestabilis munus.

Maier quid significet.

Maior domus.

Germanicum vocabulum esset;quod in historiis legerant.Nec porrò
Martelli dictũ hac potestate Brabanti posteriores contenti fuêre: & quamuis Martellus dixisset, se regibus malle imperare, quàm regem esse: Pipinus tamen Paruus regnum in se à Pontifice translatum accepit, Merouingorum genere è regio solio sublato.

VERVM, ad vrbis ipsius antiquitatem propius peruidendam, non satis est docuisse Atuaticorum nomen in Brabantos, & Atuatici opidi nomen in Antwerpiam transiisse, nisi & illud addatur, qua
Antwerpiani cur Marchionatus sacri imperij titulo decorentur. de causa Antwerpiani peculiari titulo Marchionatus sacri Imperij decorentur. Hoc vt fiat dilucidè & ordinatè à vocis Marchionatus interpretatione exordiendũ.Marchionis enim nomé, licet plurimis
Marchionis nomis interpretatio. populis sit commune, à paucis tamen vis eius & notio intelligi videtur. Nos Marcgrauey Marchiones vocamus,dictione composita ex Marc & Grauen : & quia vox Grauey latiùs patet, quàm
Graue nominis interpretatio. Marcgrauey,priùs qui sint Grauey exponemus.Sunt qui Grauey dictos velint eos,qui fodiendis fossis opidorum præsident: quia nimirum Grauey idẽ sit,quod fodere. Verùm illi nõ animaduertunt, Grauers potiùs, quàm Grauen dicẽdos, si à fodiẽdo nomen adepti fuissent:deinde nihil esse falsius,quàm omnes vel præcipuos,qui hac voce nuncupantur, fossioni præesse; alioquin omnibus erraturis, qui Grauey eosdem faciunt cum Comitibus Latinorum : in quorum numero diuersa admodum munia tractabantur, & interea nullum minus,quàm fossio, quæ ducibus potius exercituum in castris metandis conueniret, cui tamen non negamus Comitem potuisse præponi; sed hoc negamus, præcipuam hanc esse Comitum dignitatem,à qua nomen imponendum videretur.

Comitis nomẽ quibus tribuatur. Comitum nomen præter notam significationem, apud Latinos etiam peculiari quodam modo tributum iis legimus, qui à Rep. cuipiam Proconsuli,vel Legato, vel Iudici ad consiliorum communicationem addebantur: quod ex Cicerone ad Q. Fratrem clarè docetur.Atque inter hos (inquit) quos tibi comites & adiutores negociorum publicorum dedit ipsa Resp.duntaxat finibus his præstabis, quos ante præscripsi.Hinc posterioribus seculis Comitis nomen ad omnia ferè officiorum magisteria, à Principe cuipiam vel in aula, vel extra aulam mandata,translatũ est. Sic Comes largitionum,Comes sacri patrimonij, Comes scholarũ, Comes commerciorum, & id genus infiniti alij Comitũ nomine censebantur:atque adeò tandem latè vocis huius vsus extendebatur, vt Comes Orientis diceretur, cui multæ prouinciæ, maximè per totum Orientem subessent, & Comes Africæ, qui Africam gubernaret. Hos nostri Grauey verterunt

terunt elegãtius,& maiore cauſa, quàm à Latinis Comites dicebantur;eò quòd non omnes Principem comitarentur, quamuis à comitatu priſcis duntaxat nominati fuiſſent. Verùm vox hæc noſtras à nemine hactenus explicatur : quia eſt videlicet nonnihil ab origine ſua detorta,ita vt prima ſtatim fronte vera germanaque notatio non appareat. Videtur igitur à Grauen,quod eſt fodere,facta,ſi pronunciationem duntaxat & ſcripturam conſulamus. Verùm, dum penitus inſpicitur conuenientia vocis cum ſignificatu, in Grauen Senatores inueniuntur, atque in apertum venit ſyncope, quæ totam vocis formationem occultauit. Dicuntur Grauen, quaſi Garauſſen; & gemina conciſione, Grauen ; cùm tamen meliùs ad analogiam quadraret Graſſen , quo ſanè modo principio dici ſolere exiſtimo. Sed quia Graſſen omnes cani homines ſignificarentur, placüiſſe potius ſyncopen,minus illam quidem vſitatam, commodiorem tamen ad vocum diſcrimen obſeruandum. Fit autem Garau à Gar, quod eſt omnino vel maturè,& Au,quod eſt ſenex. Garau igitur eſt idem,quod Latinus efferret,omnino vel maturè ſenex;admodum certè ſignificanter poſita voce. Neque enim ſatis eſt ad grauia officia rectè tuenda ſenem quempiam eſſe ; cùm & bis pueri ſenes quidã reperiantur, nec referat ætate ne quis puer ſit, an vita & moribus, vt Ariſtoteles admonuit: ſed opus eſt,vt quis ſit ſenex omnino,vita nimirum & ætate, deinde vt matura etiã ſit ſenecta, omnibus iis, quibus ad res bene gerendas opus eſt,percoctis. Fieri enim poteſt, vt ſenes quidam ſint moribus atque ætate , nullo tamen rerum vſu & experimento ad id ſint facti,quod in Rep.ſit adminiſtrandum. In horum numero cùm ſint vniuerſim omnes , qui ſemper pueri manent; tum etiam illi,qui in litteris, & philoſophia , aut alio ſtudiorum genere ſemper delituerunt,ab omnibus negociis publicis longè remoti . Bene itaque Garauſſen nominarunt ſiue Grauen eos,qui præcipuis Reip. partibus preeſſent . Sunt & alij ſeniores , qui non tam magni ponderis,nec tantæ dignitatis muneribus præficiuntur:quos idcirco non Grauen, ſed Altermans , ſiue Aufſermans vocamus,id eſt, viros ſeniores:cuius vocis in Anglia multus eſt vſus. Eodem modo à Græcis præsbyteri ſunt vocati : quòd eos ceteris ſeniores eſſe oporteret , qui hac dignitate honorarentur . Quantus verò honos ſenio apud priſcos fuerit, & quanta eius contempti pœna, omnes cùm poëtæ , tum ceteri ſcriptores ſatis oſtenderunt . Bene profectò maiores noſtri, quamuis ſeniores ſiue presbyteros ſimiliter ac Latini & Græci , promiſcuè minoribus magiſtratibus adhibuiſſent,ſub nomine Altermanorum illos tamẽ,quos grauioribus Reip.

Officia grauia qui ineri poſſint.

Aufſermans quibus præficiantur.

Senium apud priſcos honoratum.

negociis præficerent, non solùm seniores, sed omnino & maturè senes esse voluerunt, atque id ipsa Grauey appellatione docuerunt. Sicut igitur in ceteris plerisque omnibus vocabulis fabricandis, alias nationes vicerunt; ita in hoc quoque longè superarunt, duabus syllabis tantundem indicantes, quantum vix pagina tota philosophus explicaret.

Marc nomen quibus tribuatur.

Qui sint Grauey, & qua ratione sic dicti, exposui; nunc alteram Marcgrauij partem adibo. Marc, dum verbum est, cum agendi notione idem notat, quod considero: at, dum nomen est, illud significat, quod in re quaque maximè considerandum est. ita in agris & territoriis Marc limitem vocamus, quia is diligenter sit obseruandus. Præcipuè tamen limites atque fines regionum hoc nomine dignamur: propterea quòd hi tanto sunt diligentiùs considerandi, quantò neglecti, vel loco suo moti plus

Bella cur inter finitimos excitentur.

solent malorum hominum communitati adferre. Hinc enim bella frequentissimè inter finitimos excitantur, quibus nihil potest humano generi excogitari pestilentius. Hæc vox in eodem significatu ab omnibus iis hactenus vsurpatur, quorum regiones Germani olim occuparunt: vt in Italia Marcam Anconitanam, Marcam Taruisanam, & id genus alios fines hoc nomine audimus nuncupari. Verùm video hîc mihi Beatum Rhenanum obstare, qui ex Pausania docuit, Marcam Gallis antiquis, quorum linguam eandem fuisse cum nostrate contendo, equum notare, quem alij posteà sunt secuti, freti eadem, qua ipse, auctoritate. Hanc igitur examinemus, an solidum tinniat: quod vt fiat diligentiùs & veriùs, ipsius Pausaniæ sententiam à Romulo Amasæo, præceptore quondam meo, Latinitate donatam adscribere non grauabor, quæ sic habet, vbi de Gallis in Phocicis scribit: Nam singulos equites famuli sequebantur duo, in equis & ipsi, & equestrium artium maximè gnari; ij prœliantibus dominis in extrema acie consistentes ei erant vsui, vt si fortè equus esset amissus, statim suum submitterent: si vir concidisset, seruus in eius locum succederet. Quòd si vtrumque belli impetus euertisset, iam præstò erat tertius, qui pro demortuis locum teneret. Iam verò, si vulnera primarius ille accepisset, è secundariis alter ex acie eum subducebat, alter verò saucij vicem obibat. Hæc (vt mea fert opinio) apud Gallos ad imitationem Persarum militia fuit instituta. Nam & illi selectos habent milites decies mille, quos immortales vocant. Tantum interest, quòd commisso demum prœlio illi succenturiant, Galli inter pugnandum integros vel cæsis vel sauciis supplemento esse iubent.

Beati Rhenani de Marca opinio.

Atque

Atque hanc quidem equestris pugnæ institutionem voce Trimarcisiam nominant. Equum enim Marcam appellant. Hæc Pausanias de Brenno tractans. Ex his, & iis, quæ adiecit, perspicuum fit, in hoc apparatu equestri qui erant, eos tribus equis censos fuisse. ex vicies enim mille & quadringẽtis equitibus, equos colligit mille ducentos vltra sexaginta millia. quæ computatio conuincit, singulis huius ordinis hominibus tres equos imperari solere. quam rem Trimarcisia vox dilucidè significat. Tri enim vel Tri tres notat: Mar equum, Cis censum: è quibus vocabulis Trimarcis compositum, censum trium equorum. Cis autem nobis propriè omne id vocatur, quod quis vel principi vel patrono, cui subest, præstare debet, siue pecunia sit, siue alterius generis onus. Onus igitur siue debitũ tres equos in bellum educendi, Trimarcisiam Galli vocauerũt, quorum linguam si Rhenanus intellexisset, nunquam Marcam equum fuisset interpretatus. quod verò in Pausania sic legerat, id mendo erat imputandum, quod pro Mar Marc induxit. vel Pausaniæ hic error condonandus ob linguæ Gallicæ ignorantiam. Ex peruersa igitur huius vocis Trimarcis resolutione, factum est, vt Marca falsò pro equo poneretur. Mar verò equum Gallis perinde atque Cimbris notare, iamiam erit apertum. Nemo nostræ linguæ peritus est, vt non simul intelligat quid Mari siue Meri notet. quare si Mari equa fit, Mar equus erit, tametsi in genere masculo non ferè sit in vsu. Dicitur autẽ Mari, quasi Mariy, vt à Becker Beckeriy, à Coning Coningiy, id est, à pistore pistrix, à Rege Regina: iy enim nobis terminatio est, qua de masculo in feminã significatio mutatur. Et sicut dicimus Backer vel Becker, nullo notationis discrimine, ita quoq; Mari vel Meri pro equa vsurpatur. Iam in compositione Mar hactenus est in cõsuetudine loquentiũ; dũ Marscalc eũ vocamus, qui peritus est in equis curandis, adeò vt & ille, qui ferreos calceos adfigit, & iubas & caudam comit, hoc etiam nomine appelletur; quãuis proprium eius sit, qui perfectam habet, ac omnibus numeris absolutam, totius artis equestris cognitionẽ. Scalc enim non simpliciter cuiusquam rei peritũ signat, sed sic peritũ, vt & callidus sit, & in arte, quam tenet, astutus. Atque hæc quidem verissima est Marscalci interpretatio, ei conueniens, qui in equestri disciplina non solùm est eruditus, sed ita eruditus, vt ipse difficillimè à quoquam, ab ipso multi falli decipiq́ue possint. Est enim hoc quasi peculiare quiddam apud eos, qui in hac exercitatione versantur, vt minimè turpe ducant, si vel patrem vel fratrem in equo vendendo deceperint, aliqua nimirum nota, qua displicere posset, celata.

Trimarcisia quid.

Pausaniæ locus castigatus.

Marscalc quis dicatur, eiusq; interpretatio

Hinc

Adagium. Hinc communi apud noſtrates adagio iactatur: Qui equos peioris notæ habet, eos apud amicos commutet; propterea quòd fidentibus ſe ab amicis deceptum fraudatumque non iri, facilius imponatur.

Marſcalcorum laus apud maiores noſtros. Tanta autem apud maiores noſtros laus huius magiſterij fuit, vt qui ab eo bene audiret, is omnium earum rerum, quibus vel in aula vel in militia opus eſſet, eruditus videretur. Hinc tandem factum, vt magiſtri etiam hoſpitiorum Marſcalcos ſe vocarint, quaſi nemo munere quopiam maiore dignus eſſet, qui in diſciplina equeſtri non eſſet egregiè exercitatus, & præcipuum hoſpitiorũ deſignatoris munus videretur, equitibus ſtabula & pabuli commoditates diſtribuere, eò quòd in bellatore equo bene curando tractandoque, non in hominum cute molliter habenda, præcipua totius nobilitatis laus poſita crederetur; eoque oporteret eum, qui hoſpitiis deſignandis præeſſet, primam equorum, non hominum, curam habere. Et, quoniam equorũ curatio præcipuè honoraretur, omnes eos diuos Marſcalcos vocarunt, quos curando cuipiam morbo præſidere opinarentur. Sic Diuum Antonium dicimus Marſcalcum ignis ſacri, Diuum Rochum Marſcalcum peſtis ac epidemiæ contagioſæ, & ſimiliter alios aliorum morborum Marſcalcos. Marſcalcus ergo primò ſignificat magiſtrum equorum, & eum non quemuis; ſed qui longo vſu in hac arte callum obduxerit: deinde iis, quas dixi, cauſis, ad alios etiam tum homines, tum Diuos nomen eſt tranſlatum. Obiter igitur aperui, quod hactenus ferè fuit occultum, è quo & illud intelligitur, quis ſit Gotſcalcus & Seineſſcalcus. Gotſcalcus enim is eſt, qui bene verſatus eſt in iis, quę ad Deum ſpectant. Seineſſcalcus verò dicitur, qui peritus eſt ad familiam gubernandam. Sein enim ſiue Geſein cum nota perfectionis, familiam ſignificat, quod frequentius citra diphthongum Sin & Geſin proferimus. Dicitur autem Sin à Sin voce longa, qua ſuum cuique ſignatur, eò quòd nihil cuique inter ſua prius eſſe debeat, quàm familia, in qua proles quoque continentur. Bene igitur Guilielmus Tyrius Seineſſcalcum domus magiſtrum eſſe dixit. Sed de his alibi, vbi & ipſius Scalc nomen docebo, de duarum vocum coalitu natum eſſe.

Magiſtri hoſpitiorũ cur Marſcalci vocati.

Qui Diui Marſcalci vocati.

Gotſcalcus quis.

Seineſſcalcus quis.

Ephialtes morbus quare Mar dicatur. Porrò quia Mar equum ſignificat, non inconcinnè ad Ephialten morbi nocturni genus conſuetudo detorſit: quoniam eo laborantes maximo pondere ſibi premi videntur, non aliter, quàm ſi quis ſic cecidiſſet, vt equus toto corpore ipſi incumberet. Hinc dicimus ei, cui hunc morbum imprecamur: Dat ꝯ de Mar rijt, id eſt, vt te equus tuus equitet, contrario nimirum ordine quàm fieri deberet. Accedit & alia ratio, qua Ephialtes Mar dicitur,

ob

ob id quòd equus eo frequentiſſimè laborare cernatur. Atque hæc de voce Mar hoc loco ſatis ſunto: è quibus eluxit, quàm longè aberrarint, qui ex hoc Pauſaniæ loco Marcam equum eſſe crediderunt: tum etiam quatenus militia ætatis noſtræ cum vetuſto Trimarciſiæ inſtituto vel conſentiat vel diſcrepet; in eo conſentiens, quòd omnes equites non ſingulares tres equos habere debeãt; in eo differẽs, quòd ſimul, non ſuccenturiatim, prœlia committant. Offendiculo igitur hoc, quod de ignorantia linguæ, vel mendo libri extitiſſe docui, remoto, redeo ad Marcgrauium, ſiue Marchionem, atque eum eſſe dico, qui limiti regionis cuiuſpiam eſt præfectus. Quando autẽ multi limites ſunt, non in multis tantum regionibus, ſed & in ſingulis, multas quoque Marcas inuenimus. Clariſſima ea fuit in Germania, quæ Germanos longo terrarum tractu à Viſtulæ oſtiis diſtinguebat à Sarmatis; atque ij, qui limitem illum habitabant, Marcomanni, id eſt, viri limitanei, ſunt nuncupati. Hi principio à Gedano per Marcam nunc nouam vocatam, ac deinde per Sleſiam ac Morauiam ſedes promouerunt, & tandem continentium bellorum contra Sarmatas pertæſi, in eam ſe Hercinii ſaltus partem abdiderunt, quæ à Boiis Boiohemum, id eſt, domus Boiorum vocabatur. vbi ſic res ſuas firmarunt, ac breui auxerunt, locorum munimentis tuti, vt cum populo Romano non de ſalute, ſed de imperio certare viderẽtur, contra quos bellum Marcomannicum omnium ferè difficillimum geſtum legimus: in quo inter alia commemoratu digna illud maximè excellit, legionem in eo fuiſſe, cuius cùm maxima pars Chriſtiana eſſet, precibus in letali totius exercitus ſiti pluuia eſt impetrata Romanis, & fulminum inaudita tela contra Germanos: de quo miraculo & Antonino victoria, & legioni fulminatrici nomen remanſit. Dion religionis noſtræ ſacris non imbutus, & ei, vt eſſe idolorum cultores ſolent, hoſtis comminiſcitur Arnuphin, neſcio quẽ Ægyptium magum, vota feciſſe Mercurio aërio, quem ſomniat ad hanc pluuiam eliciendam. Legionis autem fulminatricis nomẽ alibi quidem agnouit; ſed cauſam, ob quam ſic vocaretur, odio Chriſtianorum nuſquam expreſſit. Iulius Capitolinus & fulminum & pluuiæ meminit, ſed precibus Marci Antonini falsò adſcripſit, legionis fulminatricis, ne falſitas ſuboleret, nulla facta mentione. Sed de hac re Xiphilini epitome conſulenda. Quemadmodum verò Marcomannia Germaniam à Sarmatia ſeparabat, ita ad Occidentem Scaldis à Gallia diuidebat ea potiſſimum parte, qua Oceanum cõtingit. Huic ergo regioni terra mariq́ue cuſtodiendæ qui præſidebat, is Marcgraf vernaculo gentis ſermone nominabatur. At quando primum

Marcgrauius ſiue Marchio quis ſit.

Marca in Germania clariſſima.

Marcomanni qui ſint, & vbi conſederint.

Boiohemum, domus Boiorũ.

Marcomannorum fortitudo.

Legio Chriſtiana, cur fulminatrix vocata.

Marcæ nominis antiquitas.

hoc Marcæ nomen ſit ſortita hæc regio, equidem certo anno definire non poſſum. Nomen certè Scaldis & Staburæ fluuio datum, teſtatur antiquiſsimum hîc Galliæ ac Germaniæ limitem fuiſſe à Thungris, ni me fallit opinio, tunc conſtitutum, cùm Gallos priſcis ſedibus expuliſſent. Cùm enim Romanorum etiam tempore, qui poſt Thungros & Eburones hîc rerum ſunt potiti, Marcæ nomen reperiatur, putandum ante Romanum in his regionibus imperium, ſicut nomen, ita limitem etiam fuiſſe: quando nemo ſanæ mentis nuncupationis Cimbricæ Romanos faciet auctores. Marcæ autem nomen fuiſſe imperante Gallieno, ſi conſtet, neceſſe eſt confiteri, illud nec à Romanis, nec à Francis primò inditum eſſe: non ab illis, quia vox ipſorum nõ ſit; non ab his, quia ante eorũ aduentum fuerit vſurpata. Nam ne Iuliani quidem rebus hîc florentibus Franci impunè tulêre, quòd ad Taſſandriam vſque Romanorum ditionem occupaſſent, vt didicimus ex Ammiano; tantum abeſt, vt ad Scaldim & eius oſtia proceſſerint, & dederint locis de lingua ſua nomenclaturas. Eſt in Zelandia pagus, Germaniam ad Oceanum & illud Scaldis oſtium terminans, quod proximum eſt Galliæ, nomine Weſt-capel: in eo olim fanum fuit Herculis Limitanei, quia hic extremum eſſet limitaneæ regionis, qua Germania ad Galliam finiretur. Herculi enim veſtibula templorum, & regionum introitus primi ad cuſtodiendum dedicantur, quòd in iis tuendis & prudentia & fortitudine maximè opus: quæ ambæ virtutes Herculi tribuuntur, vt alibi latiùs erit explicandum. Eadem ergo cauſa, & hic & Gadibus colebatur vtrobique finium Oceani cuſtos atque protector. Eſt hactenus in eo lapide, qui in baptiſterio muro infixus cernitur apud Weſtcapelanos, hæc inſcriptio:

In Weſtcapel quondam fanum Herculis Limitanei.

Herculi quare veſtibula templorum & regionum ſint dedicata.

Hercules Marcuſanus.

HERCVLI MARCVSANO.

in qua ſequens linea ægrè legi poteſt, quibuſdam ſingulas litteras punctis diſtinctas fuiſſe exiſtimantibus, ad hunc modum:

M. R. R. I. M. F. I. V. I. S.

Aliis contrà ſic legentibus:

M. PRIMELIVS.

TERTIVS

V S L M.

Laurini, antiquitatum doctiſsimi.

quam lectionem Laurinis, omnium antiquitatum doctiſsimis, placuiſſe

cuisse intelligo. Sed ea nihil ad nos, quæ secunda linea continentur: illud duntaxat notandum, Herculem hic sacellum habuisse, cui nomen à limitanea domo sit factum. Marchus enim, siue citra aspirationem, quæ in compositione, lenitatis causa, frequentissimè tollitur è medio, Marcús, posterioris syllabæ vocali longa, domum signat limitaneam, siue domum in regionis finibus constitutam. Hus enim domum significat; ab Hu, quod idem est quod tueor & custodio ab iniuria. Incertum igitur est, an à nostris diceretur Marcús, an Marcú. si Marcús, Hercules à domo limitanea nomen accepit: si Marcú, longa posteriore syllaba, idem significatur, quod Latinus diceret, custodiam limitis. atque hac ratione Hercules Marcusanus limitis custos siue defensor diceretur. Scio inter alia cognomina, quæ sunt quàm plurima, Herculem custodem etiam in vetustis monumentis vocari. Romæ, in nona regione ad circum Flaminium, ædes Herculis custodis fuit, adiuncto (vt videtur) templo Musarum, vt ille harum sicuti dux, ita custos esset. Ouidius in Fastis Herculis huius meminit, ita canens: *Hercules custos vnde dictus sit*

„ *Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.*

Sed Eumenius Herculis & Musarum ædem coniunxit, his verbis pro scholis instaurandis loquens: Ædem Herculis Musarum (vel fortè, quod ego mallem, Herculis & Musarum) in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit, nõ id modò secutus, quòd ipse litteris & summa poëtæ amicitia duceretur; sed quòd in Græcia cùm esset, Imp. acceperat Herculem Musagetem esse; id est comitem ducemque Musarum. Custos igitur Hercules fuit, vt Musarum, ita rerum ceterarum omnium, quas defensione sua tuetur. Quid enim aliud est Alexicacos, quàm custos omnia mala depellens, quo nomine ab Ephesiis, teste Lactantio; & in Melita, vt Hesychij compendium habet, colebatur. Vel igitur Marchú Hercules dicebatur à custodia limitis: vel locus Marchús; id est, domus limitis. Verùm vtrumque eodem redit. quare liberum esto, vtrumlibet accipere: quamuis ferè talia sint nostratia vocabula, vt non rarò geminas habeant vel plures etiam significandi causas: ita vt vtraque ratione sic vocaretur, & quòd limitis tutelam haberet sibi commissam; & quòd ædes ei limitanea eodem loco structa dedicataque esset. His potest & tertia addi, de significatione vocis Marc accepta, quæ non solùm limitem, sed signum etiam notat. Erat enim hoc loco signũ nautis expositum, quo clauum rectè tenerent ad Scaldis ostia subeunda, cuius loco nunc turris est Westcapellana. *Alexicacos quid sit.*

Weſtcapel limes Germaniæ, eiusq; interpretatio.

Eſt autem, vti prius quoque dixi, Weſtcapel vltimus ad Scaldim Germaniæ terminus verſus Occidentem, nomen à re ſortitus: Weſt enim Occidentem notat: Capel verò vox eſt in vſu illa quidem frequentiſſimo non noſtris modo hominibus, ſed omnibus etiam illis qui à Germanis vocabula plurima & phraſes acceperunt. verùm à nemine hactenus ad veram tum ſignificationem, tum ſignificationis cauſam reducta. Non deſunt qui à ſacello Latinorum voce deriuent, tenui quadam alluſione decepti. Docebo ergo & hoc noſtrates, atque eos omnes, qui Capel vocem vſurpant, non à Latinis, ſed à maioribus noſtris eam eſſe acceptam. Cap apud nos ſupremum domus notat, quod è parietibus vndique in cacumen aſſurgens, & tignis, & tranſuerſariis, & canteriis ita eſt connexum, vt tectum poſſit ſuſtinere. Hel verò altum dicitur, commune ad omnia, quæ alta ſunt; ſiue voces ſint, ſiue loca. Capel igitur, aſpirationis exemptione nobis ad compoſitorum lenitatem ſæpius admittenda, ædificium ſignat, tectum duntaxat altum habens, à quo ſignari mereatur. Eiuſmodi ædificia circa parietes fieri ſolent, præcipuè ad tegendas ſtatuas & altaria, præter altum tectum nihil habentia, quod ſit nominandum. Erant igitur ſacella ad modum veſtibulorum exſtructa, vel in ipſis etiam templis id genus tecta & teſtudines, quibus aræ & ſtatuæ teguntur, hoc nomine intelligenda. Capella igitur, vt de noſtra Latinam vocem fabricemus, ad extremum Scaldis oſtium ſita ſacra fuit Herculi Marcuſano, ita de Germanico ſermone indigetato; quæ crebris tempeſtatibus & maris vndis quamuis ſit ſubmerſa, hactenus tamen ſub vndis ad ipſum litus reliquias oſtendit: è quibus lapis, in quem votum eſt inſculptum, tranſlatus eſt ad templum, quod priori fano ſucceſſit. Exigua admodum eſt diſtantia ab eo, quod nunc eſt, ad illud, quod olim fuit: ſed priorum ætatum negligentia malè litus ſuum eſt tutata. Hodie ingentes moles, è longiſſimis faſcibus contextæ, pondere ſaxorum deprimuntur, quibus ſpes eſt fore, ne plus litoris abradatur. Poſtumus, qui tempore Gallieni imperator in Gallia dictus eſt, numum excudit, in quo Hercules ſtat clauam & Leontem ſiniſtra tenēs, cum inſcriptione, HERCVLI MARCVSANO: quamuis Guilielmus Choulius in iis, quę Gallicè de veterum Romanorum religione ſcripſit, litteram caninam in Marcuſano omiſerit, quam ex lapide Weſtcapelano, & vocis interpretatione quiuis videt non fuiſſe eximendam. Equidem aliis principiis vſus, hanc vltimam ad Occidentem limitis metam fuiſſe ſtatui; cui cùm hanc inſcriptionem reſpondere cernerem, maiorem in modum ſum gauiſus; eò quòd hæc mea viderem cum veritate, vetuſtis

tuſtis monumentis conſeruata, conuenire. Ex his modò liquet, ætate Poſtumi & Gallieni, priùs multo, quàm Franci hanc oram tenerent, Marcæ nomen ad Scaldim in vſu fuiſſe: quod cùm Romanorum non ſit, neceſſariò fatendum à Germanis originem habere; iis inquam, qui ante Romanos limitem hunc tenebant. Antiquiſſima igitur eſt huius Marcæ nobilitas ab ipſis (ni fallor) Thungris ante Cimbrorum irruptionem exorſa. Non mirum eſt igitur à Francis, qui poſt Romanos limitem hunc occuparunt, nomen ſeruatum eſſe; cùm ipſi, niſi inueniſſent atque inuentum intellexiſſent, de nouo cõdituri forſan fuiſſent: eò quòd Francorum & veterum Germanorum eadem eſſet lingua. Manſit igitur ab antiquo limitis nomenclatura, & cuſtodia; ſed illa accidit diuerſitas, vt alij antea, alij pòſt ab eo finirentur atque diſcernerentur. Priùs enim (vt dixi) limes fuit Germaniæ & Galliæ: at pòſt, pulſis Romanis è Gallia, tota regio Francorum recèns ſubiugata in duo præcipua regna eſt diſtributa: quorum alterum Auſtrijc, id eſt regnum Orientale; alterum Weſtrijc, id eſt regnum Occidentale nominabatur: quas voces Latini non intelligentes, variè corruperunt, ex Auſtrijc Auſtrijciam ac deinde Auſtraſiam: ex Weſtrijc Weſtrijciam, atque mox Weſtriam, poſtremò litteris planè mutatis Neuſtriam facientes. Auſtraſia igitur, vt ſic cum Barbaris loquamur, totam Belgicam ad Scaldim vſque principio complectebatur; atque pòſt, quod Lotario in tripartita illa Carolingorum diuiſione obueniſſet, Lotrijc ac deinde Lotharingia eſt nominata. Poſteriùs deinde, cùm Francorum nomen ab Imperio Germanico diſtingueretur, Scaldis limes eſſe cœpit Imperij: quo nomine & dignatione hactenus Antwerpienſis ciuitas gaudet. Semper igitur, ab ipſa vſque Thungrorum memoria, hoc loco limes fuit; ſed non eadem ſemper ratione. Neque verò ob gentium diſcrimen, quod Scaldis nomine indicatur, limitis tantum habuit appellationem; ſed illa etiam cauſa, quòd hac maximè parte Germaniæ Occidentale latus à piratis eſſet cuſtodiendum: quoniam nullum flumen tam longè intra regionem maximas naues ſurſum, quàm Scaldis portaret: qua de cauſa limes Germaniæ Occidentalis hoc loco præcipuè fuit diligenter, ne quid damni inferretur, obſeruandus. Is certè Marchio, cuius inter Francos antiquiſſima extat memoria, non aliam ob cauſam huius limitis præfectura eſt donatus, quàm quòd vim ex Oceano per Scaldim illatam fortiter repuliſſet. Nam, cùm Cochlearicus Danorum rex claſſe inuectus conterminam regionem vndique popularetur, Theodoricus Ludouici illius magni, quem Clo-

Francorum regio in duo regna diſtributa.

Marchio Antwerp. vnde nomen ſit ſortitus.

Vtilo. Theodo.

doueum vocant, filius natu maximus Theodobertum filium ſuum cum valida manu contra miſit, adiuncto Vtilone fratre Theodonis Magni (vt volunt) Boiorum ducis, viro ſtrennuo & militaris diſciplinæ peritiſſimo; cuius conſiliis & prudentia ſic rem geſſit, vt Danorum regem multis vaſtatæ regionis manubiis onuſtum, iamiamque naues conſcenſurum, quò in patriam triumphans rediret, vnà cum toto exercitu ad internecionem vſque omnium deleuerit. Hunc ſucceſſum feliciſsimum in hoc ad Scaldim limite ſortitus, magnam inſignis victoriæ partem Vtilonis conſilio & virtuti retulit acceptam. quem de hoc nomine ſic apud patrem commendauit, vt limitis præfecturam pro honorario acceperit, Marchio Antwerpianus appellatus: &, quò vinculum firmius eſſet inter ipſos, ſororem ei Theodobertus dederit vxorem, è quorum copula diuina ſtirps Caroli Magni pullulauit. Vel igitur hoc ſolo nomine magni nobis facienda eſt Marchionatus Antwerpiani nobilitas, quòd eam dederit ducum regumque progeniem, qua nulla vnquam in orbe extitit clarior, à qua Rex Hiſpaniæ, Dux noſter & Marchio Antwerpianus ſub titulo ſacri Imperij, recta linea deſcendit, annis amplius mille per illuſtriſsimos homines generis ſerie continuata. Hîc igitur tot Ducum, tot Regum, tot Imperatorum ſunt incunabula, hîc gentis clariſsima primordia. Hic Marchionatus primùm optimos Francico regno Coninctapelos & Maieros, deinde Reges dedit, ac deinde Romanis Imperatores, pòſt etiam Reges Hieroſolymitanos, & Imperatores Byzantinos è gremio ſuo produxit; quorum princeps & auſpex Godefredus Antwerpiæ in ſuo Marchionatu exercitus in Aſiam ducendi primitias collegit. Sed de his pòſt in hiſtoria ſuo loco latiùs. hîc, ad Marchionatus antiquitatem nobilitatemque aperiendam, ſatis eſt obiter hæc annotaſſe. Quia verò ante Romanorum, nedum Francorum, imperium, ad hunc terminum armis prolatum Marcam hanc & fuiſſe & habuiſſe eandem appellationem oſtenſum eſt, fateri neceſſe habemus, Marcæ nomen quàm Brabantiæ hoc inuentum loco, antiquius & nobilius eſſe.

Marchionatus Antwerpiani nobilitas.

Borggraf quis.

Ceterùm, quoniam de Marcgraf iam ſatis, videtur annexum eſſe huic propoſito, docere quis ſit Borggraf, & quò à Marcgraf diſcernatur. Nam vterque Graf, ſiue Comes, vt ſic veritamus, licet Senatorem propiùs exprimat, nominatur: & vtriuſque dignitas Antwerpiæ eſt illuſtris. Borg igitur, ne diu immoremur, arcem ſignificat: quo nomine vetus, etiamnum opidum vocatur. cuius appellationis ratio partim ex iis, quæ de Borg antè dixi, partim ex illis, quæ in Antwerpiæ vetuſtiſsima inſignia commentari

tari decreui, est petenda. Borggraf itaque is est, siue Comes siue Senator, qui arci muniendæ custodiendæque præfectus est. quæ partes hoc tempore Principis sunt Auranciæ. Sicut ergo Marcgrauij officium est, toti regioni limitaneæ præsidere, ita Borggrauij munus est, arcem rebus omnibus necessariis tueri atque custodire. Borggrauius igitur Marcgrauio subest, & ab eo, vt à capite, pendet. Sunt porrò & alij qui Dijcgrauen vocantur, non terminis, non arci; sed aggeribus præfecti: quorum est, ne aggeres vsquam vitium faciant, diligenter prouidere. Dijc enim aggerem notat, eum propriè, qui aquarum irruptioni opponitur. hi ius dicunt in omnibus iis, quæ ad pecuniam, qua aggeres & fiunt, & integri seruantur, spectant, irreuocabili quadam auctoritate omnia mandantes, quæ contra aquarum vim necessaria arbitrantur. Iam itaque non citra corollaria, non parui iis facienda, qui rerum nostratium sunt studiosi, Brabantiæ nomen exposui longè secus atque illi, qui ob linguæ & antiquitatis ignorantiam, Brabonem nobis de, nescio, qua matre, generarunt. Verùm, vt hac parte satisfeciisse videor, ita necdum instare cessabunt, qui de Gigante, cuius tot extant monumenta, vt nefas videatur de illo dubitare, certò sibi persuadent, iis, quæ de manibus proiectis traduntur, non esse refragandum. Quocirca, vt hunc quoque crassum errorem & fœdam maculam de historiæ nostræ exordio tollamus, non inutile erit quæstionem de hac nostra immani bellua ad Gigantum vniuersitatem transferre; atque in ea considerare, fuerintne vlli vnquam Gigantes; &, si fuerint, quales fuerint, quantique. Primùm igitur videamus, quid Gigantis nomine significetur, & qua lingua significetur. Omnes tum Græci, tum Latini hac voce eum intelligunt, qui monstrosa corporis magnitudine ceteros mortales longè excedit. Græci, putantes suum vocabulum esse, originem domi suæ quærunt: quam alij ad γαόω, quod est, magnis diuaricatisque passibus incedo; alij à γίγνεσθαι ἀπὸ τῆς γῆς, quod est è terra nasci, petiuerunt. His Hesiodus adstipulatur, qui Erynnias & Gigantes è terra productos esse, in Theogonia cantat. iidem Orpheum testem denunciant: de quo quid sentiam, in Theologicis nostris explicabo. Eius ex octauo sacri sermonis hi versiculi citantur:

Marcgrauij officium.

Borggrauij munus.

Dijcgrauen qui sint, & eorum munus.

Gigantes an fuerint, & quanti.

Gigas quid apud Latinos & Græcos.

„ Οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσι,
„ Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος ἀνθρώποιο.

Qui sic reddi possunt:

Quos

„ *Quos inter Diuos appellant voce Gigantum,*
„ *Quòd sint è Terra generati & sanguine Cæli.*

Hoc est Virgilius secutus:

„ ——*Quintam fuge, pallidus Orcus,*
„ *Eumenidesque satæ: tum partu Terra nefando*
„ *Cœumque Iapetumque creat, saeuumque Typhoëa,*
„ *Et coniuratos cælum rescindere fratres:*
„ *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam*
„ *Scilicet, atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum.*

Hunc locum partim ex Hesiodi diuersis locis, partim ex Homero, vt suppositicium Orphea omittam, acceptum sic Virgilius suum fecit, vt imitatus vtrumque neutri totus consentiat. Montes euerso ordine collocauit. Epitheton Pelei Olympo tribuit. Fratres coniuratos cælum rescindere, si secundum Græcum poëtam Oetum & Ephialtem nobis indicarit, vti Seruius existimat, non Homero tantum, sed sibiipsi etiam repugnat. neque enim Terræ filij hi duo fuerunt, sed Neptuni & Iphimedææ: quod apertè sexto Æneidos suæ libro significauit, à marito Iphimedææ putaticio patre nomen filiorum Neptuni ducens:

„ *Hîc & Aloidas geminos, immania vidi*
„ *Corpora, qui manibus magnum rescindere cælum*
„ *Aggressi, superisque Iouem detrudere regnis.*

Verùm, quò doctissimus poëta à calumnia hac liberetur, accusandus est Seruius, quòd coniuratos fratres Oetum & Ephialtem fuisse scribat, cùm Virgilius omnes Gigantes coniuratos fratres appellarit, non Oetum & Ephialtem, vt è substructione montium dilucidè patefecit. Latinorum igitur & Græcorum opinione Gigantes nomen ex eo, quòd è terra nati sint, sortiuntur: quod illis admittemus, hac tamen conditione, vt si quid sanius à nobis adferatur, id vicissim non explodant. Nostratibus duplex w consonans, non multum à digammatis Æolici sono recedens, in vsu est frequentissimo: quam litteram nec figura, nec sono, vel Græci vel Latini, exprimere voluerunt, sed aliàs aliter commutarunt. Ex Wilhelm enim voce nostra, faciunt Guilhelmus & Gilhelmus: ex Wilbort Gilbortum: ex Wilbert Gilbertum, & ita ferè in aliis hanc consonantem mutauerunt. Sic ex Wart, quo corporis custodia significatur, Romanisantes Gardam fecerunt. Iam examinemus quid Wigant signifiicet, multorum apud Germanos proprium nomen. Wyt, vocali longa, latum longumque notare qui nescit, is linguæ nostræ est imperitus. De lati significatione dubium non est. longum autem tum notat, cùm dicimus,

Gigantes vnde dicti.

Duplex w qui mutatur.

Wigant quis dicendus.

cimus, Tis wijt van hier; id est, longè hinc est remotum. Sehant is dicitur, qui manus habet promptas. Vnde Sehandich id vocatur, quod manibus promptè & facilè tractari potest; & is etiam, qui ad res tractandas manus prõptas habet, si in agendi notione vsurpetur. Ex Sehant, concisione ad componendas voces contrahendásq; nobis ferè vbique gratissima, fit Sant. Swigant igitur, Tau è medio cõsuetudine nostra reiecto, idem est, quod Swijt Sehant, extra compositionem diceretur; quo notatur is, qui manus habet longè latéq; extensas. Hæc vox ad alios, quorum vernacula non est, commigrans, id passa est in prima consonante, quod in aliis modò annotaui. Sicut ergo ex Swart fit Sart, ex Swisheim Sisheim, ita ex Swigant natũ est Sigant: quæ vox ad terminationem Græcam accommodata, Gigas euasit. Rogo nunc æquos rerum æstimatores, si verum est, quod Græcorum primarij fatẽtur, antiquissima vocabula à Barbaris sumpta esse, atque ea, quæ ad Theologiam fabulosam spectant, ad Thracem auctorem referri debere, sitque Thracum vetusta lingua eadem cum lingua Dacorum & Getarum, cui nostra locutio tota consentit; quid vetat vocabulum hoc, quod in primis fabulis ab Orpheo profectis inuenitur, ad eius sermonis, quo nunc vtimur, origines interpretari? Comparentur ea, quę à doctissimis poëtarum de Gigantibus canuntur; confestim intelligetur, omnia non modò nominis causis apud nos inuentis consentire, sed clarè etiam, quæ alioqui obscura essent, ex hac interpretatione enucleari. Qui enim alij sunt Gigantes, quàm qui omnia violentis manibus latéque extensis agere contendunt, atque iis ita cõfidunt, vt & ipsum cælum, id est, diuinam mentis nostræ motionem, in qua ratio dominatur, conuellere nitantur? Quod igitur Virgilius de Aloidis dixit, id omnibus commune est Gigantibus: qui nihil aliud sunt, quàm immania corpora, corporea vi cuncta tentantia; adeò vt cælum velint rescindere, non ratione vlla humana aut diuina, sed manibus, id est violenta manuum iectione, in qua omne ius & omnem potestatem volunt esse constitutam. Hinc Briareus centimanus dictus, & à Virgilio centumgeminus, quòd centenas, quod est infinitas, manus haberet, quibus omnem Deorum potestatem siue totum rationis regnum territabat. Prisci enim illi sapientes omnem potestatem rationis terminis metiebantur, adeò vt hanc non in priuatis modò hominum actionibus, sed in omnibus quoque regum consiliis, iussis atque factis summum imperium habere vellent. Recta enim ratio nunquam ab actione cuiuspiam, qualis qualis sit, seiungi potest, vt non statim in vitium labatur; nisi Aristoteles errauerit, dum recta ratione virtutem definiuit.

Thracum, Dacorum, Getarum, & Teutonum eadem lingua.

Gigantes qui.

niuit. Qui igitur ab hac ad violentiam diſcedebat, is dicebatur ius in manibus habere, vti antiquo Græcorum prouerbio iactatur, quod Eraſmus ex Æſchine contra Timarchum, & Polybio docet, quorum vtrique ἐν χειρῶν νόμῳ, id eſt in lege manuum eſſe dicuntur, quæ violenta manu fiunt. Quicunq; igitur manuum lege populum gubernant, non ex ratione & æquabili iure, ij Gigantes propriè nominabuntur: nec hi ſoli, ſed illi etiam, qui magiſtratui à Deo conſtituto, & recta ratione gubernanti, violenta manu repugnant: æquè à Platone atque à D. Paulo caſtigandi, quos ambos vtinam nullos hac ætate videremus. Sunt verò & longæ multæque iis manus, qui multos habent, per quos, quæ velint, exſequantur. Sic Ouidius:

"*An neſcis, longas regibus eſſe manus?*

Non tamen omnes à manibus longis nomen accipiunt, ſed illi ſoli, qui in manibus ſuis omne ius conſtituunt, nihil penſi habentes, nec curantes, quid recta ratio dictet. Nomina enim ſemper danda de iis, quæ propria ſunt, & in re quaque maximè excellunt. Reges igitur tantiſper, dum legibus & bonis inſtitutis ſubditos gubernant, Gigantes dici nõ poſſunt; verùm ſi illuc ab æquitate & recta via labantur, vt auſint vel dicere vel cogitare, vel reipſa oſtendere; non rationem ſe & æquitatẽ ſequi, ſed libidinem ſuam & animi perturbationes, ira & dolore & aliis morbis à recto ſe abripi ſinentes; iam non amplius Reges, ſed Gigantes nominari merentur: eo quòd potẽtiam ſuam non ratione, ſed manibus ſuis dimetiantur. Sunt verò & ſub ipſis regibus conſiliarij non rarò, qui prætextu iuſtitiæ regum manibus abutuntur, atque eas longè lateq;, tanquam harpagonas, extendunt, ad ea, quæ velint, domum ſuam conuerrenda atque rapienda; eaq; de cauſa meritò Gigantes nuncupandi, æquè regibus ac populo peſtilentes: eò quòd horum culpa maxima frequenter imperia ſummas perpetiantur calamitates, & nonnunquam etiam ſupremam euerſionem. Hæc eſt ergo veriſsima Gigantum nõ interpretatio modò, ſed etiam definitio; qua eluceſcunt omnia, quæ à poëtis de iis produntur. nam è terra naſcuntur; eò quòd toti terrenis bonis inhiare videantur, nec quicquam cæleſte habent præter ſanguinem, id eſt, vitam brutalem, lumine mentis prorſus ſepulto ſub fœdo corporearum libidinum barathro. Terræ autem & ſanguinis ſymbolum non ſolum poëtis priſcis ita eſt vſurpatum, ſed in ſacris etiam litteris in eodem ſignificatu inuenitur; quod omnibus notius eſt, quàm vt exemplis ſit declarandum. D. Paulus ad Corinthios ſcribens, ſic de Adamo primo homine, & Chriſto loquitur: Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis: qualis terrenus, tales & ter-

Regum qui Gigantes, & qui non.

Terræ & ſanguinis ſymbolum.

terreni : & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem cæleſtis. Hoc autem dico fratres : quia caro & ſanguis regnum Dei poſsidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſsidebit. Hîc dum terrenum dicit Adamum,& Chriſtum cæleſtem, non de corporibus vtriuſque agit, ſed de operibus. Opera enim Adæ peccata erant, hominis mentem terræ affigentia. Opera Chriſti cæleſtia, mentem cælo conciliantia, & æterno patri hominem à terrenis operibus ablutum, reſtituentia. Caro autem & ſanguis nihil aliud ſunt,quàm operationes hominis, non ſpiritales,ſed animales ſiue brutales. Sic apud D. Ioannem filij Dei fiunt,non qui ex ſanguinibus,non qui ex voluntate carnis, non qui ex voluntate viri,ſed qui ex Deo nati ſunt.Optimè igitur Gigantes terræ filij dicuntur, & è ſanguine procreati; eò quòd in illis nihil eſſet cæleſte,nihil ſpiritale;ſed brutalia omnia, & talia, quæ cæleſtibus & rationis regno prorſus ex diametro repugnarent. Hinc igitur fabulæ doctiſsimæ poëtarum, qui non ſolùm hæc bruta animantia cælo bellum intuliſſe fingunt, ſed hoc etiam addunt, quod Plato ex eiſdem fontibus hauſit, Gigantes omnes poſt mortem in imo inferorum barathro iacere, atque illic flamis perpetuis torqueri : quamuis Plato non Gigantes,ſed Tyrannos ſic condemnarit. Sunt enim Gigantes & Tyranni iidem omnino, ſiue definitionem, ſiue vocum originem examinemus. Nam Tyrannus non à Tyrrhenis, vt Græci putarunt, dicti ſunt, ſed ex eadem lingua, vt & hoc obiter notetur, ex qua Gigantes nomen mutuantur. Dicitur enim Turannus,quaſi Τυρϸαντ, id eſt per manum : homo videlicet, qui per manum, non per rationem, gubernat, διὰ χειρὸς νόμον omnia menſurans. Sunt igitur Tyrannus & Gigas nomina eiuſdem ſignificationis, illis propriè tribuenda,quibus origo eſt è ſanguine & terra. Iam non è quouis ſanguine, ſed è ſanguine teſticulorum, quos patri ſuo Saturnus ſubdolè harpe ſua demeſſuit,nati dicuntur; videlicet quia nulla alia vita in illis appareret, quàm ea, quæ ſpurcis libidinibus per violentiam quandam taurinam omnia ſubiugaret : qua verò nota libidinem cæcam & effrenatam melius expreſſeris, quàm teſticulis ? deinde,ad violentiam taurinam ſignificandam,non alia pars corporis eſt aptior : eò quòd vis maſcula & effera in hac ſola ſede ſit conſtituta; qua ablata, bruta omnia manſueſcunt & domantur. Porro ſic de Gigantibus primos illos doctarum fabularum auctores ſenſiſſe, ſi non aliunde,de magnitudine tamen eorum quiuis queat exiſtimare, quam quia ad allegoriam Virgilius totam pertinere ſciret,non ad aliquam certam menſuram accommodauit, ſed maiorem etiam, quàm

Caro & ſanguis quid.

Tyranni etymologia.

Tyranni quare nati dicantur è ſanguine teſticulorum.

Enceladi vastitas. Homerus fecit. Encelado enim tantam molem impoſuit, vt, dum ſe moueret, tota Sicilia concuteretur.

„ *Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus*
„ *Vrgeri mole hac: ingentemque inſuper Aetnam*
„ *Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis:*
„ *Et feſſum quoties motat latus, intremere omnem*
„ *Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.*

Quo loco non ad terræ motus ſolùm in Sicilia frequentes, & flamas, fumumque Aetnæ reſpexit; ſed ad hiſtoriam etiam, quæ traderet plurimos in Sicilia Reges Gigantes fuiſſe; nomine illos quidem Reges, ſed reuera Tyrannos. Idem videtur de Iſchia ſenſiſſe, fortaſsis adductus etiam communi prouerbio, quo omnes inſulani mali, & inter eos Siculi peſsimi dicuntur. Typhoëum itaque, quem Homerus in Arimis ſepeliuit, ſpacio tanto, vt in longitudine quingentis, in latitudine quadringentis ſtadiis inter Myſos & Lydos extenderetur, Virgilius Iſchiæ ſiue Aenariæ ſubiecit. Nam cùm in dubiũ verti videret, quinam Arimi apud Homerum dicerentur; aliis Arimos eoſdem cum Aramæis, in Syria ſic nominatis, putantibus; aliis Tmolo eos attribuentibus; aliis aliter de iis arbitratis: ingenioſo commento nomen nouum inſulæ finxit, cui alioquin plura etiam nomina ab aliis dari videret. Iſchia enim ab his Pithecuſa, ab illis Aenaria nominatur. Quocirca poëta videns eam multis nomenclaturis gaudere, &, vt Timæus prodidit, multis fabulis eſſe nobilem; quò & ipſe loci genio gratus eſſet, addidit & quartum nomen, Inarimen vocans, compoſitione è Græca præpoſitione & Arimis: nec inconcinna hæc vocabuli noui fabrica fuit, ſed planè conueniens cũ anti-

Arimi qui ſint. quiſsimo inſulæ nomine, quo Pithecuſa à ſimiis vocabatur. Arimi enim, ſi Heſychio credimus, ſimiæ ſunt, quos Græci vulgò Pithecos nominant. Quamobrem qua ratione Pithecuſa, eadem Inarime dici poteſt: idque eò magis, quòd Tyrrheni, à quibus mare, in quo inſula eſt, vocatur, ſimias aliter, atque ceteri Græci, Arimos nominarent. Adſcribam igitur vtri uſq; poëtæ verſus, quò, de comparatione quæ diximus, intelligantur:

„ Γαῖα δ' ὑπωρονάχιζε Διὶ ὡς τερπνικεραύνῳ
„ Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἱμάσσῃ
„ Ἐν Ἀρίμοις ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Id eſt, de rudi noſtra ad verbum verſione:

„ *At terra ingemuit, veluti cùm fulmine gaudens*
„ *Jupiter iratus Typhoëo, ſæua flagella*
„ *Agro Arimo infligit, Typhoëus quâ cubat ingens.*

Virgi-

Virgilius ad hunc modum ſuccinuit:

„ *Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile*
„ *Inarime, Iouis imperiis impoſta Typhoëo.*

Præter hunc locum & alium ex eodem idem imitatus, ſic auxit, vt quiuis, quamuis obtuſi ingenij, intelligat eum ad allegoriam Gigantes retuliſſe. Homerus ad hunc modum:

„ Καὶ Τίτυον εἶδον γαίης ἐρικύδεος υἱόν
„ Κείμενον ἐν δαπέδῳ· ὁδ' ἐπ' ἔννεα κεῖτο πέλεθρα.

Quod Virgilius ſuum fecit, ita canens:

„ *Nec non & Tityon, terræ omniparentis alumnum,*
„ *Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus*
„ *Porrigitur.*——

In quibus proplethris iugera poſuit, quo magnitudo fieret monſtroſior. Quæ igitur poetæ de Gigantibus fabulantur, myſticôs ſunt intelligenda, longè aliud, quàm prima fronte pollicentur, ſignificatura; iis præſertim, qui Magicæ noſtræ Theologiæ fontes adibunt, in qua Gigantomachia, in peplo Palladis picta, tota explicabitur, & in cauſas ſuas reſoluetur. Eodem modo Cyclopes accipiendi, quorum immanis vaſtitas nihil aliud, quàm enormem rudis animi vaſtitatem crudelitatemque notat, qua multi paſtores ſi carerent, melius grex hominum paſceretur. Reges enim Homero hominum paſtores dicuntur; qui, ſi rudes ſint, & ingenio cęco, atque animo crudeli, Cyclopes dici merentur; non duobus oculis mentis & corporis, ſed vno duntaxat oculo rudis indigeſtique corporis videntes. Sed, ſi qui tales ſint, his precemur, vt Deus mentis oculum adiiciat, quem Oſiris in ſceptro ſuo Regibus præmonſtrabat. Titanes verò, quamuis à quibuſdam non ſatis à Gigantibus diſtinguantur, aliud tamen longè ſignificant, vt nos ſuo loco in Theologicis noſtris oſtendemus, in lucem vocaturi, ab Orphicis, & eorum vernaculo ſermone, nomen Titanum veniſſe, cuius veram ſignificationem quòd Græci ignorent, non rarò in fabulis de iis confictis turpiter hallucinantur. Qua verò de cauſa Gigantes anguipedes appellentur, id etiam illic declarabo: hîc ſatis ſit indicaſſe, priſcas de Gigantibus fabulas nihil facere ad hiſtoriam, quamuis non abſurdè quidam ad turris Babylonicæ fabricatores applicarint. qui reuera Gigantes dici poterant, quòd potentiæ manuum ita fiderent, vt iis crederent ſe Deo repugnare poſſe. Verùm, quamuis multa hoc loco obiter, quæ in peplo Palladis ex deſtinato, tamen hoc præterire non poſſum, quod ex Pindari Pythiis aliquando annotaui. Hic enim me

Poetarum fabulæ de Gigantibus, quomodo intelligendæ.

Cyclopum vaſtitas quid ſibi velit.

Babylonicæ turris fabricatores Gigantes.

docuit non ſolùm è primæ ſapientiæ regulis, ſed de naturæ etiam principiis multa ad Gigantum fabulas petita fuiſſe. Deinde Virgilium, licèt mihi ſemper admirabilem, fecit tamen hoc loco magis admirandum, dum animaduerti eum in Iſchia ſua Homeri & Pindari ſolertiam coniunxiſſe. Verba igitur adſcribam, quò cum Virgilij carmine conferantur:

„ Ὁς ἴ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖ-
„ ται θεῶν πολέμιος
„ Τυφὼς ἑκατονκάρανος, τόν ποτε
„ Κιλίκιον τρέψε πολυώ-
„ νυμον ἄντρον, νῦν γε μὰν
„ Ταῖθ' ὑπὲρ κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι,
„ Σικελία τε αὐτᾶ πιέζει
„ Στέρνα λαχνήεντα· κίων
„ Δ' ὐρανία σιωέχει
„ Νιφόεσσ' αἴτνα πάνετες
„ Χιόνος ὀξείας ἰθήνα.

Hæc, vt alia, quæ de Ætna addit, omittam, ſic oratione prorſa ad verbum reddam: Qui in horribili Tartaro iacet, deorum hoſtis Typhos, centum capita habens; quem quondam Cilicium nutriuit antrum multis nominibus decantatum: nunc verò litora ſalis muris incluſi vltra Cumas, & Sicilia ipſius premit pectora hirſuta: columna autem cæleſtis continet Ætna niuoſa, per totum annum acutæ niuis nutrix. Hîc clarè cernitur, Pindarum in Arimis Ciliciæ Typhonis educationem collocare, atque eius ſepulturam ſub Sicilia & Iſchia vltra Cumas Italiæ: quo quid aliud indicat, quàm totum illum tractum plenum ignibus ſubterraneis eſſe, atque in illis Tartarum eſſe manibus puniendis præparatum? Noſtrates Heclæ monti Iſlandię Tartarum adſcribunt eadem omnino de cauſa, quòd nimirum totus ignibus ſubtus ardeat, quamuis mare ac vicinia glacie rigeant, & cacumen niuibus candeat. Ex antiquiſſima ſanè Theologia hæ fabulæ manarunt, in qua traditum eſt, homines ſuppliciis æternis adiudicatos, ignibus ſubterraneis cruciari, quod Plato, vt antiquitatem doctrinæ indicaret, Hero Armenio genere Pamphylo adſcripſit, quaſi diceret ab Armeniis ſe præceptoribus id didiciſſe, quod de præmiis bonorum & ſuppliciis malorũ narraturus eſſet. Clemens Alexandrinus, vir plurimæ lectionis, de neſcio cuius auctoritate hunc Herũ eſſe ſcribit Zoroaſtrũ, quem Diodorus à Nino ſupera-

Tartarum vbi Pindarus conſtituat.

Hecla mons Iſlandiæ.

ſuperatũ in Bactris eſſe, Plinius artes magicas inueniſſe ſcribit, quem qua de cauſa Plato Armenum & genere Pamphylum fecerit, libro fortaſſe quinto exponam. De Zoroaſtri igitur doctrina diuinus diuinæ antiquitatis perſcrutator, ardentes & ignitos tortores in Tartaro eſſe dicit, qui Tyrannos, quos omnium mortalium ſceleratiſsimos & regibus diſsimillimos, alibi fecit, perpetuis & nunquam ceſſaturis ſuppliciis affligunt. Quos ergo Plato Tyrannos vocat, eos poëtę Gigantes nominarunt. Quamobrem maximo & ſæuiſsimo eorum Typhonis nomen dederunt, quo duo ſignificabantur. Alterum; locum tormentorum plenum eſſe materiæ eius, è qua ignes ſubterranei & fiunt, & nutriuntur. Alterum; eos, qui ad Tartarum deſcendunt, fulmine diuino ictos eſſe, quos D. Paulus diceret traditos eſſe in reprobum ſenſum. Typhon enim, qui & Typhos & Typhoëus & Typhaon dicitur, fumoſam exhalationem notat. τύφω enim eſt vrere & ſuffocare. τετυφωμένος is dicitur, qui fulmine ictus eſt, quem Latini attonitum dicunt. ληρεῖν καὶ τετυφῶσθαι Demoſthenes dixit, pro deſipere & mentem attonitam habere. Duplici ergo cauſa Typhon dictus eſt Gigas: & quòd mente, velut attonitus, captus eſſet, cor habens, veluti Pharao, induratum; & quòd poſt hanc vitam in fumos flamasque ſubterraneas eſſet præcipitandus. Ariſtoteles Typhonis nomen ad procellam eam ſignificandam vſurpauit, quam nos turbinem Latina voce dicimus, quæ hoc eſt in ventis, quod vortex in aquis, omnia vi ſumma contorquens. Proprium tamen eſt ignium ſubterraneorum, qui fumoſis exhalationibus aluntur, quique, vti fulmina, adurunt. Tribuunt autem Typhoni centum capita, tum de natura horum ignium, tum de conſuetudine Tyrannorum. Ignes enim quot crateres habent, per quos erumpunt, tot capita habere dicuntur. Tyranni verò tot capita habent, quot conſiliarios habent, quorum conſiliis tyrannidem exercent; qui ipſis Tyrannis tanto plerunque ſunt crudeliores, quanto vilioribus & ignobilioribus parentibus nati; & quanto pluribus indigere ſeſe putant, ad ſuæ auaritiæ & ambitionis voraginem implendam. Omnis hiſtoria, & omnis ætas non vetuſta tantùm, ſed noſtra etiam plena eſt exemplorum, è quibus facilè quiuis intelliget optima ratione Typhoni, perfectiſsimo Tyrannorum apud poëtas exemplari, centum capita attributa eſſe. Pindarus igitur & Tartarum de priſca Theologia ſulphureis ignibus repleuit, & ſub Typhonis nomine omnes Gigantes, ſiue Tyrannos, in Tartaro et flama infernali ſepeliuit: deinde vna indicauit plurimos eiuſmodi ignes in Sicilia et Iſchia cõtineri, quam ſe indicare de Cumis dedit conijciendum: quas eas eſſe quæ in Italia ſunt, Sicilia adiecta

Typhonis ſignificata.

Typhon cur Gigas dictus.

Typhoni cur centum capita.

iecta demonſtrat. Virgilius igitur cùm ex aliis,quas dixi,rationibus, tum ex hoc quoque loco è Pithecuſa fecit Inarimen, quam Iſchiam eſſe Prochyta ſimul nominata ſignificauit. Poëtarum ergo Gigantes nihil ad hiſtoriam faciunt,atque idcirco nihil contra nos. Verùm proſpicio ſtatim obiectum iri, Gigantes in terra ante diluuiũ fuiſſe, ſacra Moſis narratione conſtare; quos ſi perinde ad allegoriam & myſteria, atq; illos poëticos, referam; eiuſdem me criminis reum faciam, cuius Origenem quidam ſugillarunt. Confiteor equidem & tum Gigantes reuera fuiſſe, & hactenus plures eſſe, quàm rebus humanis conducat; ſed nego magnitudinem eam corporum fuiſſe, quam plerique ſomniarunt. Et quemadmodum Gigantis appellatio nullam corporis magnitudinem indicat, ita nec Hebræorum nomẽ, quo Moſes ſexto Geneſeos capite vſus eſt. Nephelim enim Gigantes vocat; quam vocem à Naphal,quod cadere ſignificat, deducunt Commentatores. Aben Eſra,& Rabbi Salomon in agendi ſignificatu eam interpretantur; quorum hic ſic dictos eſſe vult, quia mundũ ſubiecerint,& cadere fecerint,veluti Tyranni quidam: ille,quòd cadere fecerint eos, qui intuerentur, immani corporum vaſtitate quaſi attonitos & obſtupeſcentes. Nos cadentes eos reuera eſſe dicimus,propterea quòd à mente & ſpiritu, ſuprema & propria hominis arce,ad terram & ſanguinem prolapſi fuerint, verum animorum barathrum,tum ipſi,tum eorum parentes. Caini enim à vero cultu Dei & proximi caritate, duobus religionis apicibus, ceciderunt; atque idcirco filij hominum appellati ſunt eo modo, quo D. Ioannes è voluntate viri natos dicit: hos D. Paulus terrenos diceret, & hominis terreni ferre imaginem, qui à præcepto Dei eſt delapſus. At illi,qui perſtiterunt in vero cultu Dei,filij Dei nuncupati ſunt; quæ appellatio Sethinis remanſit. Quæ enim hîc de angelorum & feminarum concubitu, è quo Gigantes nati dicerentur,quæſita olim & diſputata fuerunt; iam ex animis hominum ſunt,ni fallor,profligata, & idcircò minimè repetenda. Cadentes igitur ſunt Gigantes, eò quòd & ipſi quotidie cadant, & parentes eorum turpiter lapſi fuerint. Quum enim cadere multis modis quis poteſt, tum nemo & altiùs & periculoſiùs cadit, quàm is,qui à cælo ad terram,id eſt à ſpiritu ad carnem ſe præcipitat; ita vt per caſus excellentiam meritò cadens dici poſsit. Iuſtus ſepties in die cadit, ſed adiumento gratiæ diuinæ reſurgit. Gigantes cadunt,et vbi ceciderint, in eo luto vitiorum, in quod ſunt prolapſi, veluti ſues, ſeſe volutant ac oblectant. Sed de verbo Naphal, et Cado Latinorum, et נפל ſiue נאל Cimbrorum, alibi fortaſſe plura. Nephelim igitur Gigãtes ſunt,eò quòd

in

Gigantes ante diluuium an fuerint.

Nephelim qui ſint, & vnde dicti.

Caini, filij hominum dicti.

Sethini, filij Dei.

Gigantes quare cadentes.

in cadendo perſiſtant, nec quicquam cogitent de reſurgendo: quales qui ſunt,ij omnia in lege manuum & violentia ponunt: adeò vt Hebræorum nomen cum Græca ac noſtrate voce de vnius ex altero illatione conſentiat.Hinc eſt illud,quod Chaldæi Gibaraia loco Nephelim poſuerint, quo non cadentes, ſed potentes ſignificantur. Nam in hoc mundo illorum maxima vis eſt & poteſtas, qui, deſerta ratione, deſerto Dei cultu, deſerta proximi caritate,ſolis viribus ius omne metiuntur. Hebræus textus in progreſſu hiſtoriæ Gibor vocem Nembrodo attribuit,vbi dicitur potens venator coram Domino. Potens igitur ſignificatur fuiſſe non vera & regia potentia, quæ ex Deo eſt;ſed potentia venatoria,quæ vi,non ratione, conſtat; hominibus capiendis applicata. Nam dicebatur venari,quod eſt vi capere inuitos in conſpectu Domini; quaſi diceretur, vim hominibus faciebat apertè, ipſo etiam Deo intuente, nihil veritus eius faciem, hoc ſuo facto ipſo Caino peior, qui dicitur fugiſſe à facie Domini præ pudore. Adam & Eua, primi peccati hominibus auctores, ſeſe abſcondetunt à facie Iouæ:at Nembrod nihil faciem Domini veritus,vim hominibus non ſecus,atque feris,inferebat. Eſt enim tribus his locis Panim, quo facies & aſpectus ſignificatur. Vox autem Sadim,dum ad homines,non ad feras,applicatur, hoſtes in ſacris litteris ſignificat. Cùm igitur Nembrod dicitur Gibor Said fuiſſe,id eſt, potens venator, docetur eum violenta manu homines, tanquam feras,tractaſſe,atque id adeò obſtinata & indurata mente,vt nec rationem vllam, nec vllam legem vel humanam vel diuinam vereretur. Hoc igitur ſignificatu Chaldęi Gibaraia ex Nephelim verterunt, vt indicarent homines, qui ex omni ratione ceciderunt, hanc potentiam habuiſſe, quam Moſes poſtea ſub eodem nominè Nembrodo adſcripſit. Viderentur alioquin cadentes & potentes inter ſe plurimum differre: eò quòd,qui potens eſt, ad caſum minime facilis, &, qui cadit, nullis viribus præditus eſſe videatur. Elegans igitur hic eſt in contrariis in ſpeciem Turgimani luſus; quæ vt verbis opponunrur, ita reapſe conueniunt atque concordant, iuxta eam, quam explicui,rationem intellecta & explicata. Græca interpretatio ſicut pro Nephelim Gigantes, ita pro Gibor Gigantem tranſtulit, non tam verborum ſignificata,quàm rei veritatem, quam expoſui, ſecuta. Nunc igitur videor mihi ſatis hunc locum de Gigantibus illuſtraſſe,ac docuiſſe magnitudinis corporum non magis in Nephelim & Gibaraia, quàm in Gigantibus eſſe ſignificationem. Eſt ergo ad illa nomina deſcendendum, quibus Hebræus ſermo vſus eſt in illis nominandis, quos vaſtis corporibus excelluiſſe prodit; in quibus

Gigantes quare Gibaraia dicti.

Nembrodus potens venator.

Gigantis nomē nō propriè ſemper accipi.

illud præmonendum,Gigantis nomen non propriè ſemper ab interpretibus accipi. Nam cùm vitium ſignificet, & grauiſſimum animi morbum, ab illis ad corporis magnitudinem ſignificandam de vulgi opinione, è poetis malè examinatis nata, ſæpè transfertur. Deuteronomij tertio Og dicitur ſolus remanſiſſe de ſtirpe Harephaim: quod vocabulum Græca tranſlatio, vt gentis proprium, retinuit: Latina Gigantes interpretatur. Eſt enim Rapha nomen viri, qui quintus fuit filiorum Beniamin,Raphaia aliter dictus: quo nomine & alij quoque vocantur,vt libri Regum ſecundi capite viceſimo primo, quatuor enumerantur filij Arapha, quod idem eſt cum Rapha, quos Græci,de ſtirpe Gigantum, verterunt. Rephaim igitur Gentile nomen poſterorum Raphæ ſiue Araphæ: qui corporis roboriſq; excellentia reliquis quòd præſtarent,in cauſa fortè fuerunt,vt maximus quiſque & robuſtiſſimus de genere ipſorum eſſe diceretur. Alibi eiuſcemodi homines nominātur Anakim, non ſatis aperta ratione; niſi quòd ſuſpicemur quempiam fuiſſe, qui progeniem tam validis magnisque membris reliquerit, vt haud aliter atque Rephaim, ita etiam Anakim omnes vocarentur, qui his corporis dotibus ceteris anteirent, quibus filij Anac excelluerunt. Sic Deuteronomij capite ſecundo legimus,Am gadol, verab, varam,caanakim rephaim: id eſt, populus magnus, & numeroſus, & altus, velut Anakim rephaim: vbi Rephaim ſic eſt vſurpatum,quaſi ſimpliciter, vel ſaltem vſitatiùs Gigantes ſignificaret. Sed eius vocis tam diuerſæ ſunt notiones, vt interpretibus videatur aliquando non paruam moleſtiam exhibuiſſe. Eſt enim vbi mortui ſiue Manes ſic dici videntur; eſt vbi Gigantes,cùm Medici tamen hoc nomine propriè & frequentiſſimè intelligantur. Qua verò ratione hæc ſignificatorum diuerſitas ſit inducta,Forſterus facilè explicaret, qui tot modos ſignificandi facit, quot habet cogitationes. Diceret enim forſan, Rephaim Gigantes eò vocari, quòd, qui maximis ſint & validiſſimis corporibus, firmiſſima quoque ſint valetudine; quoniam membrorum omnium functiones habeant quàm integerrimas,quibus ſumma ſanitas corporis definitur. Sic Athleticè & Pancraticè valere homines dici poſſunt, quibus, ad hæc certamina obeunda, vires ſunt à natura, exercitatione, atque victus ratione contributæ, quibus optima valetudo continetur. Quando item illi optimi medici vulgò eſſe videntur, qui corporibus ſunt quàm validiſsimis, & quàm optimè conſtitutis, quòd ſe ipſi videantur probè curaſſe; non mirum eſt apud Hebræos eodem nomine Gigantes & medicos vocari. Deinde quòd ij, qui ſucco plurimo turgent, & ſola carne perinde, atque belluæ, viuunt,

plera-

pleraque omnia non ratione, sed vi gerunt; factum est, vt Rephaim nomen ad impios & Tyrannos sit translatum. Quia verò eiusmodi hominum propria est sedes in tenebrarum infernalium ima parte, vt Plato quoque, vel ab Hebræorum philosophia in Ægypto, vel de Zoraſtri magia videtur didicisse; cœpit vox hæc, qua Gigantes notantur, ad inferos etiam atque manes, maximeque ad condemnatos æternæ caliginis barathro applicari. Siue igitur hoc modo, siue eo, quem prius indicauimus, de proprio gentis nomine Rephaim nominentur, nihil magnopere nostra interest. Pari ratione Anakim, vel de gentis auctore atque principe, vel de communi significandi modo, nominari possunt. Anak enim gemitum indicat; ac, cùm impij arripuerint principatum, populus ingemiscit, vt est Prouerbiorum duodetricesimo: qua de re Anakim dici iure possunt, qui gemitus eiusmodi causam præbuerunt. Atque hæc quidem satis de nominibus, quibus Gigantes apud Hebræos & Chaldæos nuncupantur: nunc de magnitudine dicamus.

Gigantes quare Anakim dicti.

Sed quia hæc non est certa mensura corporum comprehensa, vnum atque alterum locum considerabimus, è quo liceat facere coniecturam. Og, rex Basan, quantus fuerit, non est memoriæ proditum: illud verò proditum est, lectum eius cubitis nouem longum, latum quatuor fuisse. Quamobrem, si liceat de horum temporum consuetudine & perpetua cubandi commoditate argumentum ducere, verisimile est, lectū Regis paulo longiorem fuisse, quàm fuerit corporis statura: quo ceruicalibus, tegumentis, atque culcitræ aliquantum spacij relinqueretur. Alioquin enim facile fuisset, si fortè semisomnis altius se, vt fit, sustulisset; vt caput ferro, è quo lectus erat, illideret, atque minima quauis extensione frigidis durisque spondis lædere-tur. Nostro æuo, quamuis non ferè ferro, sed ligneis tabulis lecti compingantur; eam tamen magnitudinis rationem seruāt, vt communem hominum staturam duobus pedibus excedant; præsertim si mediocritate quadam vtensilium ad dormiendum commodorum sint instruendi. Durum sanè & reuera ferreum, non regium cubile esset, in quo continuò caput superioribus, pedes inferioribus lecti tabulis ferreis affricarentur: & quamuis æstate id fieri posset, hieme tamen nullo modo à quoquam toleraretur, cui alterius lecti parandi facultas esset. Lucretius, & eum secutus Virgilius mollia strata vocāt; quæ non mollia, sed dura, dici deberent, si ad hunc modum pararentur. Vt igitur lecti mediocres duobus pedibus excedunt; ita par est Regios tanto magis excedere corporis mensuram, quanto pluribus culcitris & tegumentis insterni ornarique solent. Si igitur sex

Gigantum magnitudo.

pedes duobus ſuperantur, non mala coniectura videtur eſſe, vt ſeptem cubiti duobus ſaltem cubitis excedantur: atque ita Og colligatur paulo plus minus ſeptem cubitorum fuiſſe. Nam ſi perpetuus hic eſſet ac certus lectorum & hominũ commenſus, qui eſt inter ſex & octo, neceſſariò ſequeretur, Og ſex cubitorum fuiſſe & dimidiati, & inſuper vnius quartæ partis: ita vt ſeptem integros cubitos vno quadrante minus impleret. Sed ne nimium videamur molliter Regem tractare, demus vt vno duntaxat cubito lectus fuerit, quàm ipſe maior. Et, ſi nec illud quidem placeat, includatur corpus & lectus eiſdem cancellis, & ſic hic noſter Ochus nouem omninò cubitorum; quò portentoſa magnitudo homines mirabilium, quàm verorum auidiores magis oblectet; atque etiam ne cogamur cum Ariſtotele pugnare, qui quæſtione Mechanicorum quinta & viceſima lectos ita coarctauit, vt ſex pedes longitudo, quatuor latitudo contineret; melior certè capulorum futurus, quàm grabatorum, architectus, ſi hæc de ſtratis ad ſomnum nocte capiendum ſint intelligenda. Mihi de lectis tricliniorum hic modus obſeruatus eſſe videtur, in quibus non ſic iacetur, vt totum corpus ſit extenſum; ſed vt, ſpina incuruata, caput eleuetur; ſitque medium quiddam inter iacendum & ſedendum, vt in marmoribus quibuſdam Romæ vidimus: inter quæ erant duo, in quorum altero Hercules & Omphale, in altero Bacchus & Ariadne diſcumbere videbantur. In his certè breuior menſura neceſſaria erat, quò firmius ad hunc modum, qui cibo capiendo erat idoneus, ſeſe diſcumbentes ſuſtinerent. Non impediet igitur Ariſtoteles, ſi ſic eſt intelligendus, quò minus ad Ochi longitudinem cognoſcendam ratiocinatione illa, quam expoſuimus, vtamur. Conſentit autem hæc examinatio cum iis, quæ de Goliath in libro Regum primo produntur, qui dicitur ſex duntaxat cubitorum fuiſſe & vnius palmi; cùm tamen inter maximos numerandus eſſe videatur, propter maximum corporis robur. Nam cùm ferrum haſtæ Teſbi, vnius de genere Arapha ſiue Gigantum, pondus haberet ſiclorum trecentorum; ferrũ in haſta Goliath ſexcentos ſiclos pendebat, id eſt, cùm illius eſſet duodecim librarum & dimidiatæ, calculo ad pondera Romana ſubducto, huius vicenas quinas libras habebat: quæ menſura, cùm prioris dupla ſit, duplum etiam robur & corpus maius videtur indicare. Quocirca, cùm nouem pedes & palmus vnus altitudinis totum exercitum Iudæorum horrore inſuperabili, & plus quàm Panico, attonitum tenerent, an non ſatis videmur altitudinis Ocho tribuere, ſi ſeptem paulo plus minus cubitos, id eſt, pedes decem & dimidiatum admetiamur? Verùm neſcio, quid ſibi volue-

Lecti Ariſtotelici.

Lecti triclinio-rum quales.

Goliath magnitudo.

voluerit Græca trãſlatio, quæ quatuor duntaxat cubitos & palmum vnum Goliath dedit, menſuram nimirum non hominum ingentium, ſed mediocrium: niſi fortè Interpres in librum inciderit, qui notam numeri duntaxat haberet, cuius figura vitiata eſſet, quod in his duobus numeris facilè fieri poteſt. Vt autem Goliath Benaim vocetur, non ſatis video, quid cauſæ ſit. Nam vox hæc, intelligentem ſignificans, cuiuis potius, quàm belluino huic monſtro, videtur conuenire: niſi, vt Saul indicat, intelligentem fuiſſe dicas, non in ſapientiæ aliqua parte, ſed in armorũ militiæque vſu, in quo ab adoleſcentia dicitur ſeſe exercitaſſe. Græcus interpres loco Benaim ſemel μεσαῖον, ſemel δυνατὸν, habet; ambiguus ſcilicet, vtrum ſignificatum amplecteretur. Certè medius dici potuit, quòd in medio duorum exercituum ad multos dies ſeſe iactabundus oſtentaret. Ceterùm, quod de eadem voce Spurium Latinus fecit interpres, longiùs recedit, niſi quem fortè crediderit propterea Benaim ſiue medium vocari poſſe, quòd ſine certo patre in medio omnium, nemine vt filium ſuum vindicante, relinquatur, eadem ferè cauſa, qua vulgo cõceptos nominamus. Sed hoc obiter: illud neceſſariò mihi monendum eſt; in metiendo lecto Regis Baſan eandem cubiti menſuram eſſe, atque in ceteris ſacræ ſcripturæ locis. Veruntamen, quoniam de lecto Gigantis agebatur, non malè adiectum eſt, cubito viri fieri mentionem, ne quis ſuſpicaretur cubito Giganteo ferreum grabatum mẽſuratum fuiſſe. Ægyptij enim docti (vt credo) ab Hebræorum maioribus, menſuras, menſurarumque nomina à ſymmetria corporis humani acceperunt: atq; quoniam non eadem eſt hominum magnitudo, coacti ſunt à media quadrataque ſtatura ſumere menſuras: &, quia medium etiam latitudinem non exiguam habet, in ipſo medio certam quandam, certisque terminis finitam membrorum magnitudinem ſtatuerunt, qua non hominum modò, ſed ceterarum quoque rerum omnium menſio conſtaret. Hanc autem acceperunt in illa ætate, in qua membra omnia omnibus magnitudinis & virium ſuarum numeris abſoluta vigent, quæ virilis vocatur. Siue igitur cubito te, ſiue cubito virili menſurare dicas, idem dixeris; hoc tamen loco, ne de cubito Gigantis locutus videretur, viri nomen Hebræus adiecit: quod quoniã nuſquã alibi feciſſet, Chaldæus Turgiman pro Beamath iſch, quod Latinis eſt in cubito viri, vertit; immo peruertit, Beamath Melach, id eſt, in cubito regis. Quo quidem fit, vt duo vitia cõmittãtur turpiſſima, ne dum à ſacris litteris aliena: alterum, quòd circulari hac explicatione, magnitudinis & principij petitione lector luditur, non docetur; quum è lecti longitudine Regis longitudo, & rurſus lecti

Menſuræ vnde deſumptæ.

longitudo & latitudo Regis cubito, cuius magnitudo in quæſtionem venerat,indagatur: alterum, quòd corporis humani cõuenientem vſibus ſtructuram vel ignorauit, vel contra narrationis ſcopum Gigantem ſic mutilauit, vt cubitos ei dederit tantò ceterorum hominum vlnis breuiores, quantò nona integri pars à quarta ſuperatur. Eſt enim bene formato viro ſuus cuique cubitus corporis pars quarta. Si ergo corpus Og æquale fuiſſet lecto, neceſſariò confitendum eſſet, cubitum ipſi nonam totius longitudinis tantummodò partem fuiſſe: qua membrorũ cõformatione nihil eſt ad omnia munia,præſertim armorum,obeunda ineptius;adeò,vt ſi in alteram partem exceſſus admittatur,prętantior ille ſit,qui longas dat,quàm qui manus curtas. Sin illi iuſtum membrorum modum tribuens, dicat lectum nouem cubitorum Regis fuiſſe, bis rurſus impinget: ſemel, quòd tantundem explicet ad menſuram cognoſcendam, quantum ſi tacuiſſet: rurſus, quòd lectum faciat duplo & nona parte maiorem, quàm Gigas eſſe potuerit, ſi cubiti corporisque proportionem ſeruabit. Qua de cauſa optimè Aben Eſra hoc loco Beamath iſch, interpretatur Beamath col-adam, id eſt omnis hominis, quod tamẽ ſic intelligimus, vt priùs expoſuimus, cubito accepto à mediocritate omnium hominum: alioqui rurſus nulla certa menſura oſtenderetur. Rabbi verò Salomon lapſus eſt, Chaldaicam ſequens verſionem, è qua putauit cubitum Regis Og capiendum eſſe. Nos tamen,vt nonnihil ipſum Thargum excuſemus, nec ſinamus tam fœdi erroris reum peragi, dicemus fortè eundem hîc Regis cubitum eſſe, qui apud Herodotum in iis,quæ de Babylonia ſcribit,Baſilicus vocatur; tribus digitis, quàm ſeſquipes,maior. Putauit enim fortaſſe virilem cubitum eſſe apud Hebræos,communi cubito tantò maiorem, quãtò Regius apud Babylonios. Sed hoc ipſum,quamuis minus ſit abſurdum, non eſt tamen admittendum, ne inconſtantia menſuræ ſacras litteras contaminet. Quocirca nec illorũ placet commentũ, qui in Ezechielis cap.quadrageſimo primo שֵׁשׁ אַמּוֹת בָּאַמָּה וְטֹפַח id eſt,ſex cubitorum,in cubito & palmo ſic intelligunt,quaſi Ezechiel cubito menſuraſſet,qui communem cubitũ vno palmo ſuperaret.Mihi placeret verba Hebræa ſic interpretari,vt ſex cubitorũ calamus fuerit in menſurandi ratione cubitali,& prętereà vnius palmi. Baamah enim idem eſt, quod Latinus diceret,ad cubitũ, ſiue in ratione menſurãdi cubito: ſicut illud,quod mox docebimus; in cubito conſummabis Arcam,nihil aliud eſt, quàm ſi diceretur,abſolues Arcam ad rationẽ cubitorũ tibi expreſſam,vt neque pauciores ſint, neque plures: cuius formula loquendi qui ignari fuerunt, ſenſa ſcripturæ in his locis nõ

Cubitus Baſilicus.

ſunt

sunt assecuti. Scio D. Hieronymum non parum ad hunc Ezechielis locũ offensum fuisse, in hoc tamen mecũ conuenire, quòd calamũ sex cubitorũ & palmi vnius fecerit; quod fieri nõ posset, si Ba Hebręũ ad Amoth & Tophach æquè referretur, vt ille putauit, qui phrases Hebræas exponẽs, hîc cubitos eos induxit, qui cubito vno & vno palmo cõstarẽt. Posset hîc quidẽ se tueri, si cubitus Babylonicus integro palmo, nõ tribus duntaxat digitis, vt ex Herodoto demonstraui, maior fuisset; dicendo Ezechielem cubito Babylonico fuisse vsum; at ea via est præclusa: qua de re cum D. Hieronymo, & ea ratione facio, quæ constantem, minimeque variam, in sacris mensuram admittit. Obseruata igitur pro eo, atq; sacrosanctã narrationẽ decet, certa cubiti mẽsura, Goliath nouẽ pedes cũ palmo altus fuit; vnus, vt ex hasta docetur, de maximis veræ historię Gigantibus. E quo fit perspicuũ, tribus dũtaxat pedibus & palmo ceteros homines superasse; & Saulẽ fortasse nõ pluribus, quàm duobus, quòd is quoque humerorũ tenus inter suos emineret. Nihil igitur sacra scriptura facit ad Gigantis nostri historiam tuendam, qui propior poëtarũ fabulis est, quàm veritati: quod, vt ex vngue leonẽ, ita ex vno ipsius dente, qui inter cetera ipsius ossa seruatur, ostẽdemus. Est hic hactenus palmo maior; cùm tamen particulę aliquot sint defractæ, quarũ vnam pollicarẽ vidi. Supputo verò latitudinẽ eam, quæ secundũ maxillaris ossis longitudinẽ consideratur. De forma verò coniicio molarem fuisse, vel genuinũ: fuerit ergo gelasinis, siue incidentibus atque caninis, duplo, vt plurimùm, maior: iam par est, & verisimillimum, numerum dentium in robusto corpore integrum; propterea quòd caloris exuberantis vi, quẽ necesse est in tanto corpore fuisse, dentiũ generatio potissimùm promouetur; ita vt masculis plures sint, quàm feminis, Aristotelis etiã testimonio. Existimemus igitur habuisse triginta duos, aut potiùs, quo infra etiam modũ iuri nostro detrahamus, duodetriginta, cuius dimidium alteram maxillam occupauit. At, quoniam diximus, hunc nostrum molarem esse, eumque dedimus duorũ alterius generis spacium tenuisse, fiet, vt totus ordo dentiũ septies huius dentis spacium cõtinuerit. Demus igitur, cùm integer esset, quinq; dũtaxat digitorũ fuisse, ne summo iure vtamur; quibus in septẽ ductis, longitudo totius ordinis existet quinque & triginta digitorũ, id est, octo palmorũ & trium digitorũ: cuius dimidium quatuor palmi & sesquidigitus, quæ mensura iusta est in quadrato homine, totius nasi vsq; ad discrimen medium superciliorũ. Si fingamus iam faciẽ à summo frontis ad imũ menti tribus nasis extẽdi, erit lõgitudo faciei totius tredecim palmorũ & dimidiati digiti, quã libẽter etiã aduersariis cõdonabimus.

Dens Gigantis Antwerpiani.

Quòd

Gigantis Antwerp. ex dente dimensio.

Quòd si nunc totum corpus nouem faciebus non deformi pictura terminabimus, cogemur fateri, Gigantem nostrum ad vndeuiginti cubitos, & dimidiatum, altum fuisse; atque ita quidem, quàm Goliath, triplo excelsiorem. Possemus aliter quoque calculum subducere, tribuendo toti vnius maxillæ dentium spacio longitudinem duarum palmarum in homine quadrato: quæ mensura, duodecima pars hominis cùm sit, docet decem & septem cubitos & dimidiatũ Giganti dandos esse, si triginta quinque digiti alteri maxillarum adscribantur: quod spacium duabus hominis palmis æquiparauimus. atque hac quidem ratione longiùs à pictoribus, qui corpora longiora faciunt; sed propiùs accedimus ad hominem è membris quadrandum. Hic enim à natura ita factus est, vt quaternario quàm aptissimè mensuretur, atque id quidem non cuiusuis membri quadratura, sed eo, quo omnium animantium corporea instrumenta superamus, cubito, dico, complectente quicquid est à flexu brachij, ad extremũ vsque medij digiti. Nam bono iure organum τῶν ὀργάνων, siue instrumentorum instrumentum dici meruit, propterea quòd eo solo plura facimus, quàm si omnia animalia omnia sua instrumẽta in vnum conferant. Qua de causa fortasse, si coniectare licet, Ama Hebræis dicitur, quasi ad cibum nobis dandum quærendumque in matris locum succedat. vnde & famulæ Amahot nominantur. Cubitus igitur quater acceptus, virum metitur: cuius pars nobilissima, palmus, rursus in quatuor digitos diuiditur: hic sexies in cubito continetur: quem in senarium ductus quaternarius, viginti quatuor palmos, iustam viri longitudinem, producit. Deinde tota proceritas, latitudini quadrupla, pulcherrimum commensum comprehendit: quo Homerus, tanquam margarito quodam splendidissimo, hos versus ornauit:

Viri dimensio, iuxta cubitum ac palmum.

„ Ἐννέωροι γὰρ τοίγε καὶ ἔννεα πήχεες ἦσαν
„ Εὐρὸς, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυοι.

Quam quidem diuinam poëtæ proportionẽ Eustathius vt admirationi veteribus fuisse, adnotauit, ita minimè intellexit. Arbitratur enim Orgyiam trium duntaxat cubitorum esse; quo fit, vt existimet probam eam esse membrorum conformationem, in qua longitudo latitudinis triplum comprehẽdit: falsus fortasse, quòd Orgyia etiam ad pedũ diuaricationẽ referatur, quę molesta est, si tres cubitos excedat. Sic enim apud Homerũ alio loco de Neptuno scriptũ inuenitur:

„ Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰὼν, τὸ δὲ τέταρτον ἵκετο τέκμωρ
„ Αἰγάς. ——

Est

Eſt igitur ὄργυια & pedum & manuum ſuprema extẽſio, ab ὀρέγεσθαι, quo hic poëta in progreſſu Dei vſus eſt, nominata, quæ ſex quidem pedes, quatuor verò cubitos complexa, perfectam hominis ſtaturam abſoluit. Hinc nunc perſpicuũ, qua de cauſa Oeti & Ephialtis corpora ſic formarit, vt nouem orgyiarum ſiue paſſuum longitudinem illa quidem haberent, latitudinem verò totidem cubitorum. Vt enim paſſus vnus ad cubitum vnum; ita paſſus nouem ad cubitos nouem, quadruplam habent collationem. Cùm igitur quatuor proportionem longitudinis ad latitudinem complecterentur, bene natura molita eſt, vt in quarta parte diuidenda ſenarius locum haberet, quo microcoſmus eſſe intelligeretur. Nam quatuor cubitales lineæ totius longitudinis humanæ mutuo contactu quadratam ſuperficiem conſtituunt, quæ deinde ſexies accepta, mutuo item contactu corpus cubicum comprehendit, rerum omnium ſtabilimen. Porrò ſex in quatuor ducta, ſemper in quatuor finiuntur; adeò vt ſenarius, in mutatione rerum perpetua, neceſſarius eſſe videatur ad quaternarij formam conſeruandam; quod quidem ipſa in ſe quatuor ducta commonſtrant, vltra decem in ſex finientia: ac deinde perpetuò, ſi vlteriùs per quatuor multiplices, quaternario terminanda. Sex autem in ſe ducta, in ſenarium ſemper reuoluuntur, perpetuum & vniformem motum apertè demonſtrantia. Quaternarius igitur ſtabilitatem formarũ ita incipit, vt eam citra volubilitatem ſenarij tueri non poſſit. Sed hæc altioris ſunt conſiderationis, & ad Tetractyos Pythagoricę ſacrarium ſpectant. Hîc ſatis ſit monuiſſe, horum numerorum proprietate & mutuo complexu totum mundum contineri: atque idcirco nobis indicatum eſſe in prima corporis noſtri diuiſione. Quatuor igitur digiti palmum faciunt, ſex palmi cubitum, quatuor cubiti integram ſtaturam. Quare, quæ ratio eſt digitorum ad palmum, eadem eſt cubitorum ad hominem: & rurſus, quæ comparatio eſt digiti ad cubitum, eadem eſt palmi ad integram longitudinem humanam. Natura igitur opifex corporis noſtri prima, & cuiuis adeò obuia, vt latêre non poſſit, dimenſione vocauit nos ad hanc numerandi ſcientiam; qua intelligeremus quaternario & ſenario, ſicut corpus noſtrum, ita totam mundi machinam perpetuo ſibi conſtare, ſtabilitate nimirum, & volubilitate, ideis duabus rerum & generandarum & conſeruandarum, vel in forma, vel in ſingulis ipſis & indiuiduis. Eadem corporis partitio in pede quoque procedit, ſed diuerſo modo. Neque enim ſtatim à quaternario ad ſenarium peruenitur, ſed tertio tandem gradu. Quatuor enim digiti palmum, quatuor palmi pedem, ſex pedes virum abſoluunt,

ſed non illa, quam prius oſtendimus, proportionum collatione. Relicta igitur pictoribus ſua proceritate, qua quidem pluſculum, quàm æquum ſit, delectantur, nos palmis viginti quatuor hominem metientes, duos tribuemus gingiuarum arcui; tantundem, quantum frontis latitudini; niſi quòd hæc ſit magis exporrecta, illa ordinis dentium longitudo ſic arcuata, vt videatur duobus ſemiſſibus portionum duorum circulorum conſtare, quæ ſe inter duos primores dentes contingunt: atque, ſi vltra dentes producti intimos, è regione eius loci ſe contingerent, quatuor palmos in circuitu continerent, & rhombum æquilaterum in ſe clauderent, è duobus triangulis iſagonis conſtantem. Subtenſæ igitur chordæ duabus portiunculis circularibus, quibus dentium ſeries deſcribitur, cum linea ab vltima parte genuini vnius ad extremam partem genuini alterius directa, triangulum talem conſtituunt, qualem Euclides primo ſuo problemate docet fabricari, qui totus palato continetur. Quocirca hac inita ſupputatione, qua duodecim in triginta quinque ducuntur, concludimus Gigantem noſtrum ſeptem & decem cum dimidio vnius cubitos altum fuiſſe: atque ita, quamuis non omnino triplo, paulò tamen minus, quàm triplo, Goliathi menſuram eſſe ſuperatam. Deinde quamuis daretur, quod abſurdum eſt, tantum omnino Og fuiſſe, quantus lectus eius fuit; tamen ab hoc noſtro ita vinceretur, vt ferè duplo minor eſſet: qui exceſſus vt enormis eſt & incredibilis, ita multò eſſet enormior, ſi pondus dentis appenderetur. Nã, ſi dens hominis maximus nunquam tantus eſt, vt drachmam vel attingat vel excedat, ſi intra hominum mediocritatem fiat examinatio; quãtum eum dicemus fuiſſe, cuius dens plus, quàm ſedecim vncias, appendit? Nempe, ſi ea eſt partis ad partem, quæ totius ad totum, ratio perinde in ponderibus atque in magnitudinibus, neceſſariò fateremur, hunc pluribus, quàm centum & viginti hominibus, præponderaſſe. Nec minor abſurditas enaſceretur, ſi dentis longitudinem, latitudinem, atque altitudinem in ſolidum cibum componentes, examinaremus, quot dentibus humanis poſſet æquari. Verùm, quia ſatis oſtenſum eſt fabulæ huius enorme monſtrum, non eſt operæprecium ei diutius immorari. Attamen, quò integrè ſolideque ſatisfiat iis, qui id genus nugis libenter aures commodare ſolent, dicimus oſſa hæc elephanti prouectæ iam ætatis fuiſſe, nec debere mirum videri, ſi in hac regione effoſſa aſſerantur. Proximis enim annis, cùm Bruxellani vt magno animo & generoſo auſu, ita ſumptu planè regio ab vrbe ſua ad Ripelam vſque foſſam ducerent, ad euitandam Machlinianorum moleſtiam, quam nauigantibus antiqua conſuetudine

Oſſa Gigantis Antwerp ſunt Elephanti.

dine exhibebant, iure quidem illud ſuo, ſed ſummo, & nimis contra vicinos rigido, inuenta ſunt circa Vuluordam duorum elephantorum oſſa vnà cum cornibus, ſiue exertis dentibus, quæ noſtris collata, certum indicium mihi dederunt, hæc noſtra quoque Elephantina eſſe. Licet enim non omnia duorum corporum oſſa Bruxellani inueniſſent, tot tamen ſunt reperta, vt liqueret elephantos hic duos ſepultos iacuiſſe. Quo verò tempore acciderit has belluas huc venire, vt certò explicare non poſſum, ita ſuſpicor à Romanis adductos fuiſſe, vel vt populo harum regionũ inſuetum ſpectaculum ad oblectationem offerrent, vel quò imperij vires, & latiſſimas ditiones oſtentarent, è quibus & Elephantes ad hunc vſque Germaniæ Galliæque limitem adducerentur. Poſthumum his locis ita carum fuiſſe, Trebellius Pollio teſtatur, vt contra Gallienum ſuis eum armis tuerentur, & annis ſeptem in imperio tenerent. An igitur huic boues hæ Lucæ debeantur, quamuis nihil habeam, quod affirmem, non tamen abſurdum ſit, ſi quis ita coniectet; eò quòd in Gallia Romanum imperium in priſtinam ſecuritatem reuocaſſe dicatur. Vel, quod mihi veriſimilius eſt, ſic credendum, Gallienum Salonino filio ſuo, quem Poſthumo crediderat, & in militari diſciplina erudiendum dederat, tres Elephantos vel plures etiam miſiſſe, quo Gallis Franciſque gratior euaderet. Legimus enim in vita Gallieni decem Elephantos Romæ fuiſſe, atque in pompa ab Imperatore ductos. Quis igitur dubitet, cùm horum copiam haberet, non aliquot ſaltem ad filium ſuum cariſſimum miſiſſe, quibus magnificentiam ſuam exteris hominibus raro & iucundo ſpectaculo demonſtraret? Et vix vlla gens in toto orbe reperietur, quæ ſit cognoſcendæ rerum varietatis ſtudioſior, quàm ea, quæ hanc regionem colit. Non igitur neglexerit vel Poſthumus, dum adhuc puerum gubernaret, vel ipſe etiam Saloninus, hanc gratificandi occaſionem; præſertim dum poteſtas daretur. Gallieni igitur tempore has belluas huc veniſſe, atque duas illarum citra Vuluordam quinque ab Antwerpia milliaribus, vnam verò, eamque maximam, apud Atuaticũ ſepultam fuiſſe, credamus; cuius hæc hactenus oſſa ſub falſa Gigantis opinione ſpectantur. Quod ſi quis femur, ſiue coxam tibiæ inferiori comparabit, ſtatim deprehendet non alteri animali hanc dimenſionem, quam inter ſe ſeruant, quàm Lucæ boui conuenire: nam tibia, quàm coxa, duplo breuior eſſe cernitur: qui commenſus proprius eſt elephantorum, quorum genua non altè ſupra pedes attolluntur. Dentis etiam magnitudo & forma, quæ tota ad molendum videtur facta, apertè demonſtrant elephantini oris laxitatem. Ariſtoteles enim in hiſtoria

Elephantorum oſſa iuxta Vluordam inuenta.

Dentes elephanti quos.

animalium libro altero docet, elephanto longè alium esse, quàm ceteris animalibus, dentium numerum. Cùm enim homini ad triginta duos ascendant, elephanto octo duntaxat sunt, quorum quatuor superni, quatuor inferni, quibus cibum ita conficit atque molit, vt veluti crassior farina, quam πρίμνον Græci vocant, euadat. Hunc sanè vsum optimè præbuisse videtur dens hic Antwerpiæ seruatus, qui molæ multis crenis asperæ formam refert. Eiusmodi igitur quatuor dentes totius rictus latitudinem metiuntur, nisi quantum duo cornua, siue dentes exerti, sibi sumunt. Ex hoc itaque fit, ne cogamur os, in quo dens hic fuit, latius fateri, quàm Lucanæ bouis fauces ferunt. Vidimus & nos Antwerpiæ Elephantum masculum, sed octo duntaxat annorum, in quo omnia Aristotelis descriptioni egregiè consentiebant; nisi quòd virgam genitalem non infra corporis magnitudinem habere videretur. Erat autem corporis longitudo, per directum à sincipite ad caudæ exortum accepta, octo pedum, cui altitudo quoque respondebat, à terra ad summum dorsi computata, ita vt par longitudo & altitudo esset. Huius mensuræ dimidium ab imo ventre ad summum dorsi corporis diametrus cõtinebat; reliquũ pedibus & cruribus tribuebatur: frons quadrata ab oculo ad summum sui duos pedes habebat, vt hinc de cerebro & ingenio liceat arbitrari: ab oculis item ad extremum promuscidis, quatuor pedes numerabantur, qua tam commodè vtebatur, vt nummos in terram proiectos tolleret, atque sessori suo porrigeret; scutellam quoque vino plenam ita ab humo eleuaret, vt citra effusionem sessori daret ebibendam: atque eadem sibi vna vice plures, quàm sedecim vini libras bibendas infunderet, quod toties iterabat, vt mensuram potus ab Aristotele proditam facilè æquaturus videretur. Pomis maiorem in modum oblectabatur, & tantum eorum deuorabat, vt modij quatuor excederentur: ab ore ad oculum spacium pedis vnius patebat. Coxæ ad mediam vsque flexionem genuum, ad duos pedes tenebãt. A genu ad imam flexionẽ, pes ferè vnus cum triente. Calcis siue plantæ imæ diametrus, pedis vnius & duorũ, paulò plus minus, digitorum erat. Cauda valde glabra, porcinæ similis pendebat, sub qua pellis inter crura tam laxa erat, vt subligaculis nauticis, quibus nunc etiam, Moria ridente, nobiles vtuntur, simillima prorsus esset. Dentium exertorum longitudo pedum duorum erat & dimidiati. Quæ de ingenio feruntur, omnia verissima in eo comperiebantur; & nõ secus, ac homo, magistro suo obtẽperabat in salutãdo, quẽ vellet, in procumbendo, in leuãdo, in aliis deniq; omnibus, quę imperasset. Ex hoc igitur, qui octo tantum annorum erat, licet æstimare, quantus

Dimensio elephanti.

tus esset euasurus, si crescat tam diu, quàm à scriptoribus memoriæ proditum habemus. Huiusmodi igitur Gigas fuit, cuius Antwerpiæ ossa magno miraculo imperitorum hominum ostenduntur; qui ante mille & trecentos annos atque eo amplius Antwerpiæ vixit, si, quæ de Gallieni ad filium misso munere coniectura secutus sum, pro veris sint tenenda. Et, ne putemus Saloninum solùm auidum fuisse, vt hanc belluam Gallis suis & Germanis ostenderet; hac nostra ætate Maximilianus Imperator fecit, qui & hunc, quem Antwerpiæ vidi; & illum, qui antè per Lombardiam & Alpes Tridentinas ad eum venit, adduci curauit, Rege Portugalliæ desiderio eius beneuolè magnificeque satisfaciente.

VIDEO sanè, quanta sit hominum tum facilitas ad vetustas fabulas recipiendas, tum pertinacia in illis retinendis, si veri aliqua similitudine defendi queant. Quamuis enim docuisse videar argumentis satis efficacibus, ossa hæc elephantina, non humana, esse; tamen video necdum sic posse falsæ huius de nostro, ac ceteris Gigantibus, opinionis tolli seminarium. Opponunt enim mihi D. Augustinum, cuius auctoritate conuincunt me decipi, dum cubitum non alium esse in sacris litteris puto, quàm eum, qui sex palmis definitur: is enim quæstione quarta in Genesim aliter de cubito sentit: cuius sententiam, quia non longa est, operę precium est adscribere atque examinare. Fortasis enim fabularum hæc tractatio occasionem nobis dabit veritatis aliquando in rebus quibusdam obscurioribus inuestigandæ, cuius inuentione tædium nostrũ leuetur. In dubium vocabatur, vtrum Arca nõ maior, quàm describitur, omnia animalia vnà cum esca capere potuerit? Hanc quęstionem (inquit Augustinus) cubito geometrico soluit Origenes, asserens non frustra scripturam dixisse, quòd Moses omni sapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, qui Geometricam dilexerunt. Cubitum autem Geometricum dicit tantum valere, quantum nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus, nulla quæstio est tantæ capacitatis Arcam fuisse, vt posit illa omnia continere. Sunt autem hæc ex Origenis Homilia secunda in Genesim accepta, vbi Apellis, Marcionis discipuli, impiam obiectionem recitatam, sic refutat de veterum sententia. Aiebant ergo (inquit Interpretis Latini lingua) maiores; quòd Moses, qui, vt de eo Scriptura testatur, omni sapientia Aegyptiorum fuerat eruditus, secundum artem Geometricam, quam præcipuè Aegyptij callent, cubitorum numerum in hoc loco posuit: apud Geometras enim, secundũ eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex solido & quadrato, vel in sex cubitos vnus de-

D. Augustinũ de cubito sententia.

Arca an omnia animalia capere potuerit.

Cubitus Geometricus.

putatur,si generaliter, vel trecentos, si minutatim deducatur. Origenes quæstionis solutionem,vt à maioribus accepit,ita eam obscurè recitauit,vt cogar dubitare,an penitus peruiderit atque intellexerit. Buteo post Augustini errorem,quem ex his verbis malè perceptis hauserat,ostensum,sic Origenis sententiam explicat: Quia longitudo Arcæ sexies latitudinem eius continet, in sex quadrata æqualia totum Arcæ fundum partitus, vniuscuiusque quadrati latus, quod est quinquaginta cubitorum, in se ducit. Vnde in singulis quadratis existunt cubitorum quadratorum duo millia, & quingenti. Hos rursus in altitudinem triginta cubitorum ducens, inuenit cubitorum cubicorum septuaginta quinque millia (sic enim legendum esse, non septingenta, vt est in libris excusis, calculus demonstrat) Hoc expedito, sic Origeni supputationem applicat. Hæc est sexta pars corporis Arcæ. Ergo, vt Origenes ait, vnusquisque talium cubitorum deputatur in sex: quoniam sexies septuaginta quinque millia cuborum cubitalium, producunt quadringenta quinquaginta millia eiusdem mensuræ cuborum. Vbi equidem haud clare video, quos tales cubitos appellet: an sextam partem, cuius cubitorum numerum inuenit, an singulos cubitos sextæ partis. Quod si sextam partem,quæ sexies accepta totam Arcam constituit, cubitum vocet; iam cubitus non sex modò cubitos, sed tot cubitos valebit, quot in sexta parte continentur. Quod si singulos sextæ partis cubitos accepit, verum quidem est eos sexies accipiendos esse, perindè atque totam sextam,cuius partes sunt, quò Arcæ corpus absoluatur: sed non video, qua tandem id fiat necessitate, vt embadon Arcæ in sex quadrata sit distrahendum, ad totius Arcæ capacitatem computandam; cùm multò faciliùs id recta via citra fundi distributionem, & tot quadrata, fieri possit. nam si quinquagies trecenta accipias, atque ea in altitudinem triginta cubitorum ducas, via ea, qua solida corpora omnia è tribus dimensionibus enascuntur; statim ea summa existet, quam per ambages & contra ductum naturæ quæsiuisti. Atque deinde, si hac via non capacitas maior demonstratur, quàm prima fronte longitudinem in latitudinem ac planitiem inde natam in altitudinem ducentibus apparet; quæ rogo hæc fuit Origenis,& qualis responsio? nempe friuola & inepta, in qua non eruditio Geometriæ profundior, quam in Mose prædicabat,sed peruersus corporum metiendorum ordo cerneretur. Præterea hi cubiti corporei sextæ partis, sexies accepti, quam habent rationem generis, vt meritò dicere possis, vnum cubitum generaliter in sex deputari? dum sic calculus subducitur specialiter siue minutatim,

Buteonis explicatio de Arca.

Buteonis explicatio examinatur.

tim, dum totam latitudinẽ ducis in altitudinẽ, atque deinde id, quod efficitur, in longitudinẽ. Nam ita dicis minutatim vnum cubitum in trecentos deputari, ſi triginta ducantur in quinquaginta, quo plani fiant cubiti mille quingenti, quorũ ſinguli, vt integrum Arcæ corpus exiſtat, in trecentos ſunt ducendi. Hæc enim poſterior ratio potiùs generalis erit, quàm illa prior: quia integra latera in ſe ducũtur, non confracta, aut in ſextas reducta minutias. Scio equidem partes illas maiores cenſeri, quarum nominator eſt minor, ſed hîc nulla fit partium ad partes comparatio. Nam quamuis in priore cõputu priùs planicies diuiſa ſit, quàm in altitudinẽ eſt ducta; in poſteriore tamen nec latitudo nec altitudo ſimilem diuiſionem ſubiit, vt poſſit partiũ fieri comparatio. Sed video, quò ſpectet collatio. Ex numeris latitudinis & altitudinis, in ſe ductis, fit ſumma quædam cubitorum, quæ tota trecẽteſima pars eſt corporis Arcę; minor ſcilicet multò, quàm ſit pars ſexta. Sexta igitur pars genus erit, & trecẽteſima pars erit illud, per quod minutatim cubiti ſinguli in trecentos deputãtur. Subtilis ſanè Dialectica, in qua pars vnius denominationis, genus eſt partis alterius denominationis. Origenes igitur, ſi hoc modo ſenſit, non tantum in Geometriam, ſed in Dialecticam quoque turpiter impegit. Quæ vitia, ſi luce aliqua obſcuris rebus illata compenſaſſet, poterat excuſari; ſed è contrario, omnia hæc non ſolùm ſunt impedita, & tricis plena, ſed arbitraria etiam, atque nullo rerum tractandarum impulſu introducta. Nam vt planũ Arcæ in ſex quadrãta diuidi poteſt, atque ita ſexta pars cum altitudine conſtitui; ſic ego quoque, ſi placet, in decem planicies quadrangulas diſtribuam, atque deinde dicam, corporis, quod inde cum altitudine producetur, ſingulos ſeſquipedales cubos decem valere cubitos: quia decies ſumendi ſint ad totius Arcæ compoſitionem abſoluendam. Eodem modo, ſi embadon in quindecim quadrangula partiamur, cubiti ſinguli in quindecim computabuntur. Hæc omnia igitur vt arbitraria, non è re nata, vt Sphinge digna, non interprete, vt abſurda, & à Geometria & Dialectica aliena, relinquamus, laudemuſque Buteonem de Origene quidem ſubtiliter magis, quàm ſermoni ipſius conuenienter explicato, & Auguſtino bene reprehenſo. Sed videamus an nihil reperiri queat, quod non modò verum ſit, ſed tale etiam, vt orationem & rei veritatem doceat conuenire. Verùm quia non de nuce caſſa, ſed de re longè maxima inſtituta eſt diſputatio, operæprecium eſſe duxi, Buteonis de hac re verba tranſcribere; duabus maximè de cauſis: altera, vt labor eius nunquam ſatis laudandus, & inſignis ſolertia doctiſſimi viri cognoſcatur, in hac quæſtione de

Buteonis ſolertia in Arcæ magnitudine explicanda.

de Arcæ magnitudine explicanda: altera,quo quiuis intelligat, quid ego ad hanc rem adiumenti vltra Buteonem & ceteros, ſi qui in ea laborarunt, attulerim; tum in verbis Moſis & Origenis explicandis; tum in Arcæ, ſiue Larnacis forma & magnitudine, iuſtis lineis & numeris definienda. Loquatur igitur priùs Buteo, & loquatur quidem tam prolixè per aliquot capita, vt non hæc modò, quæ de cubitorum magnitudine diſputamus; ſed reliqua etiam omnia, quæ ad Arcæ magnitudinem & ſtructuram pertinent, ab omnibus intelligantur. Eſt enim digniſsimus qui ab iis cognoſcatur, qui ſacræ ſcripturæ & eius veritatis defendendæ ſtudio tenentur; aduerſus eos maximè, qui inter tot hereſeôn,quot videmus, fluctus ad Diagoræ vel Epicuri inſanas opiniones declinant. Nec mihi turpe duco, doctiſsimi mathematici ſcriptis librum hunc augere: non magis,quàm Iamblichus, qui de vita Pythagoræ ſcribens, integram Nicomachi Arithmeticam operi ſuo attexuit; accuſandum ſe putauit.

Animaliũ recenſio nominatim per genera.

CVM iam ædificij formam, diſpoſitionis ordinem, atque magnitudinem, architectonicis geometricisque methodis tractauerimus; non parua ſupereſt in propoſito difficultas oſtendere,quemadmodũ Arcæ magnitudo iam data omnium,quę ſunt in terris, animantium genera cum annuis ſingulorum alimẽtis intra ſe recipiat: iſtud enim præcipuè cauillantur hæretici. Ad hæc igitur inueſtigatione facta ſedulò, ſecundum hiſtorias omnium, quibus curæ fuit poſteris iſta mandare, quadrupedum genera nominatim infrà diſponam, ſeptenarij binarijque numero, munda diſcernens ab immundis. Exploſa eſt enim communiter illorum ſententia, qui numeros iſtos in hac differentia duplicarunt. Et, quoniam non omnes omnibus ſpecies oculis, aut litteris ſunt exploratæ; ipſas in tria genera maximè nota, comparatione diſtribuam; quæ ſunt boues, & oues, atque lupi: quæ ſanè digeſtio ad intelligentiam rei præcipuè valet. Terreſtrium autem omnium (auctore Plinio) maximum eſt elephas, &, ſecundum Ariſtotelem, boue maior quadruplo. Propterea elephantes duos, ratione magnitudinis atque victus,ad locum occupandũ, pono valere boues octo. In Hercynia ſilua ſunt feræ,quæ Vri appellantur, magnitudine paulò infra elephantes, ſpecie & colore Tauri, de quibus neque Plinius, nec animalium hiſtoria meminit; ſed Cæſar in Commentariis; nec ſunt inter animalia munda numerandi: Quoniam ex feris (inquit Ariſtoteles) nullum adhuc ruminare conſtat, dempto ceruo. Æquiparabimus itaque Vros duos bobus ſex. In eadẽ ſilua bos eſt cerui figura, vnicornis, de quo etiam Cæſar

in

in commentariis. Pro his igitur pono boues duos. Quatuor ſunt genera camelorum, Arabica ſcilicet, & Bactriana, & quæ dicitur Dromeda. Item Cameleopardalis. Hæ ſimul fiunt paria quatuor, valore autem boues ſedecim. Rhinocerotes duo, æſtimatione verò boues quatuor. Monocerotes, duo. Biſontes, duo. Bubali, duo. Bonaſi, duo. Origes, ij. Tarandi, ij. Equi pennati, & cornigeri, quos dicunt pegaſos, ij. Boues Indici vnicornes, & ſolidis vngulis, ij. Struthiocameli ij. beſtiarum potiùs, quàm auium generis, ad hoc demum datis pennis, vt currentes adiuuent, cetero non ſunt volucres. Domeſtici boues, ſeptem. Cerui, ſeptem: æquiparatione verò boues quatuor. Tragelaphi, hoc eſt hircocerui, ſeptem: valore boues quatuor. Hippelaphi, ij. Equi domeſtici, ij. Equi feri, ij. Hippardia, ij. Hippopotami, hoc eſt fluuiatiles equi, ij. Aſini, ij. Onagri, ij. Aſini Indici vnicornes, ij. Vrſi, ij. Sues, ij. Apri, ij. Huiuſmodi autem animalia cuncta pabulo frugibuſque veſcuntur, aut ſimul ambobus, aut ſeparatim altero. In quibus autem non apponitur æſtimatio, pro pari boum ſumenda ſunt; quanquam ſit in aliquibus adiectione, in nullis autem detractione peccatum. Hæc igitur omnia proportione reſpondent boum paribus quadraginta quinque & dimidio. Ceterùm, ſi quid nunc vel diligentiam noſtram, vel eorum, qui præcedentibus ſeculis iſta perueſtigarunt, fortè fefellerit, per cauſam quaſi ſupplementi ex inuento numero $45\frac{1}{2}$, ſexaginta boum paria faciemus.

ARIETVM & ouium, tam ex manſuetis, quàm feris, quatuor eſſe genera leguntur; quæ, ſi omnia munda ſunt, explent numerum ſeptenarium quater, hoc eſt, fiunt oues viginti octo. Capræ etiam in plurimas ſimilitudines transfigurantur; veluti ſunt capræ domeſticæ, & ex feris dictæ capreæ, atque rupicapræ. Sunt item Ibices, pernicitatis mirandæ, onerato capite vaſtis cornibus. Sunt & Origes, contrario pilo veſtiti ad caput verſo. Præterea Damæ, & Pigargi, & Strepſicorotes. Hæc autem octo genera, vix eſt, vt ſint omnia munda: quoniam (vt antea dixi) nullum ex feris animal conſtat ruminare, dempto ceruo. Propterea caprinum genus vniuerſum æſtimo ad oues triginta. Simiarum præterea genus aliquot differentiis variatur; vt eſt Simia, Cæbus, Cynocephalus, Cercopithecus, & id genus alia, pro quibus oues pono decẽ. Lepus, ij. Lepus candidus in Alpibus degens, ij. Daſypus ex Leporum genere, ij. Cuniculus domeſticus, ij. Cuniculus ferus ij. Melis, aliâs Taxo, ij. Sciurus, ij. Glis, ij. Eſt etiã murium genus multiplex, inter quos talpas enumero. Quanquam ſunt, qui putent mures in Arca non fuiſſe, & id genus ſimilia; propterea quòd ex corruptione naſcantur: ſicut nec etiam mulos, quoniam ex

Animaliũ nomina minorum, quæ pabulo etiã frugibusque veſcuntur.

alio genere procreantur. Herinacei, ij. Hiſtrices, ij. Hæc igitur animalia minuta, à Lepore poſterius enumerata, ponimus valere oues quatuor. Quare ex ſupradictis omnibus ſumma creſcit ad ouium paria quadraginta.

Animaliũ nomina quæ carnibus veſcũtur.

INTER carniuoras animantes notiſsimus eſt Lupus: ad hunc igitur de ceteris comparatio fiet. Leones, duo. Pardi, ij. Leucocrutæ aſini ferè magnitudine, ij. Calæ, ij. Dracones, ij. Serpentes boe, ij. Iſta ſex paria ſingula æſtimo lupis quatuor. Fiunt igitur lupi quatuor & viginti. Tauri cornua habentes mobilia, venatu viuẽtes, ij. Manticoræ humani corporis vel præcipuè appetentes, ij. Pro duobus his paribus pono lupos duodecim. Pantheræ, ij. Tigrides ij. Lupi, ij. Lupi canarij, ij. Lupi ceruarij, qui & Thoës dicũtur, ij Chai, ij. Cephę, ij. Lynces, ij. Sphinges, ij. Crocutæ, ij. Axes feræ, ij. Parua quædã animalia victũ ab aquis petunt; ſic tamẽ, vt in terra degant, quorũ nomina ſunt hæc: Latax, Fiber, Satherium, Satyrum, Lutra. huiuſmodi quinque paria æquiparo lupis duobus. Hiena, quam alij Glauum vocant. Lycaon, Vulpes, Feles, Ichneumon, Viuerra, vulgò Furetus, Muſtella. In iſtorum ſeptem paribus, cùm ſint corpore modica, æſtimationem facio ad duos Lupos. Vituli marini cũ pennis, quibus in mari vtuntur, humi quoque vice pedum ſerpunt, ij. Omnium igitur ſupradictorum ſumma facit, luporum paria triginta duo; ſed in ſupplementum, pone, vt ſint paria quadraginta.

Diſpenſatio victus pro carniuoris, ſtabulationiſque omnium diſpoſitio, cũ ichnographia.

CARNIVORAS animantes ad luporum paria quadraginta recenſui; ſingulis autem paribus ad victum quatridui ouem vnam cõſtituo. Abſumũtur ergo pro cibariis omnium oues quotidie decem. Quas multiplicãdo in anni dies tercentum ſexaginta quinque, fiunt annuo cibatu oues tria millia, ſexcentum quinquaginta. His ita conſtitutis, ſupereſt, vt oſtendam quemadmodum omnes ſuperius enumeratæ quadrupedes, hoc eſt, boues centum viginti, oues tria millia ſeptingentæ triginta; lupi octoginta, ſtabulari poſſint in ea contignatione, (ſicut anteà dixi) quæ cubitis quatuor diſtat à baſi, à mediana autem cubitis octo. Primùm iam ab oſtio, quod viginti cubitis ad angulũ Arcæ diſpono, via lata ſex cubitos in totam longitudinẽ procurrebat, ſcalis vtrimque in ſuperiora ferentibus terminata. ad cuius mediũ alia, tertia parte latior, rectis angulis cõſiſtens oppoſito lateri iungebatur, nidos ſexaginta rectangulos lõgitudine cubitorũ quinque, latitudine verò triũ cũ duabus tertiis diſterminãs ęqualiter in duas partes, vtrimque productos ad viam primam inter ſe contiguè, niſi quòd diuerticulis duobus medianũ iter rectè ſecantibus diſtinguebantur, in ſex veluti conſepta, loculamentisq; ſuis decuſſata.

Quibus

Quibus ſingula ſingulis boum paria collocari poſſent. Inter quæ tamen neceſſe fuit aliqua fieri laxiora proportione beluarum magnitudinis; vtpotè duorum elephantorum ſtabulum, ſicuti boum paribus quatuor æſtimantur: ita & nidos quatuor occupare debuit. Alia deinde quadraginta minorum animalium paria diuerſi generis, ouili magnitudine cenſita, nidis ſuis rectangulis longitudine tricubitali ſerie etiam bipartita, latitudinem tabulati ad viam vſque iungebãt, interſtitio viarum duplici æqualiq́ue, & æquidiſtante mediano, à maioribus ſeparata. Ad hæc rurſum alia totidem parium pro carniuoris ſtabulatio dextra, ſiniſtraq́ue, ouilibus cohærebat, pari nidorũ latitudine; ſed excedente longitudine cubito. Quorum ordines terminabant duo limites cubitorum quatuor amplitudine, ſatis commodi, per quos miniſtrarẽtur ipſis carniuoris oues in cibum; idq́ue ab ipſarum ouium caulis duabus vtrimque, quod reliquum fuit, cõtignationis occupantibus, ambarum longitudine ſimul ducentũm viginti octo cubitorum, latitudine autem communi cubitorũ quatuor & quadraginta. Quæ quidẽ dimenſio, claudit decem millia triginta duo cubitalium quadratorũ. Quæ ſi diſtribuantur ad oues cibarias, tria millia ſexcentas quinquaginta; prouenit in partem ſingulis paribus quadratura pauxillo minor quinque cubitis cum ſemiſſe. Eſt autem non ab re ſciendũ, oues iſtas in cibum aliter, vel in Arcæ ſummo, vel in imo, & etiã alibi, ſi cogeret aliqua neceſsitas, poſſe ſtabulari. Et ita duplo, quàm recenſui, maioré nidorũ, animaliumq́; numerũ contignatio prima reciperet; cuius ichnographiã hîc appoſui.

Victus ratio animantium ceterarũ, quę non ſunt carniuorę.

SATIS iam demonſtraſſe videor omnis generis quadrupedes, tam ad vitam ſibi, quàm ad victũ alienũ, in vna contignationũ Arcæ, magno etiam laxamento poſſe conſtitui. Quod ad diſputationẽ ſuſceptam nondum ſatis erit, niſi & apothecarũ cibaria in anni vertentis vſum ſufficere probauero. Animal ferè nullũ eſt pabulo veſcens, cui non ſit etiam frugũ appetentia maior. Quarũ cõmeatus anguſtiùs & expeditiùs multò, quàm ipſi pabuli, conduntur. Quod dico tale eſt: Decẽ põdo fœni, aut viciæ pabularis, multò plus loci tenebũt, quàm decẽ pondo hordei, aut viciæ ſeminalis. Et quę menſura fœni ad vitã tolerandã boui ſatis erit in diẽ, eadẽ menſura farris ſiue farraginis, cuiuſlibétve grani, biduo, vel triduo ad ſaginã etiã corporis exuberabit. Sed quo validius Arcę capacitatẽ ab aduerſariorũ calũniis aſſeramus, demonſtrabitur tantũ in ea fœni potuiſſe recondi, qui cibus eſt omniũ impeditiſſimus, quãtũ ad vitã animaliũ tuendã largè ſuppetit in annũ. Iã enim in præcedẽtibus animaliũ grandiorũ corpora magnitudine peræquata redegimus ad paria boũ ſexaginta, qui fiũt boues

centum viginti. Minorum autem, quæ ſeruantur in ſemen, ad oues octoginta: Aliarum autem multitudo, quas pro cibatu carnario poſui, ſicut decade ſubducta quotidie decreſcit; ita & ipſarum cibatus ab anni ſumma decreſcere debent. Quo fit, vt iam dictus numerus gregis, tria millia ſexcentū quinquaginta, non plus impendat in annum, quàm numero ſemper eodem oues mille octingentæ viginti. Huius porrò ſupputationis formulam, cùm non ſit expoſita vulgò, aliàs explicui in opere logiſtico. Ad has igitur cibarias oues mille octingentas viginti, adde alias octoginta, fit ouium vtraque ſumma mille noningentæ. Sanè, quò fiat expeditior calculus ſequens, pone ſeptem oues, quod ad ventris, alimentorūque rationem ſpectat, æſtimari boue. Igitur oues mille nongentæ, valent bobus trecentis nonaginta vno, cum tribus ſeptimis vnius. Iunge ad boues centum viginti, fit ſumma boum trecentum nonaginta vnius, cum tribus ſeptimis. Sed, vt abundè ſint omnia, pono boues eſſe quadringentos in Arca, qui fœno pratenſi tantùm, inundationis tempore toto ſaturari debeant. Porrò, cùm fœni demēſum quotidianū ſingulis bobus inquirerem, experimento didici veriſimū eſſe, quod tradidit Columella, rerum ruſticarū ſcientiſsimus auctor, Ianuario ſcilicet menſe ſatis eſſe ſingulis bobus fœni pondo triginta: Martio & Aprili, quia terra proſcinditur, ſat eſſe pondo quadraginta ſingulis dari. Certum eſt, pondo idem eſſe, quod libram vnciarū duodecim. Quadraginta igitur pondo libras triginta nunc faciunt, vnciarū ſedecim ſingulas, more noſtro. Ego autē fœnum compreſſum, ſicut ſolet in magnis fœnilibus eſſe, poſtquam exaruit, curiosè dimenſus, inueni menſurā cubiti ſolidi paulò plus, quàm pondo quadraginta fœni, cōtinere. Propterea cubū vnum fœni (cubitalē ſemper intelligo) in capita boum ſingula diſtribui quotidie, nimiū eſſet: hac enim longa dieta ſaginarentur ſupra modū. Nam (vt ait Ariſtoteles) omnia animalia, & præcipuè quibus venter eſt calidus, quiete immotioneque pingueſcunt. Nihil itaque dubito, quin ſingulis bobus ocioſis in diem ſufficeret dimidium cubi, hoc eſt, fœni pondo viginti. Sed, vt contentioſis etiā ora compeſcam, volo cubū fœni ſingulatim in capita dari quotidie. Boues ergo quadringenti totidem cubos ſumptu diurno capientes, abſumunt anni ſpacio cubos centū quadraginta ſex millia. Iam verò ſuprà diſpoſui medium in arca tabulatum, decem cubitis à ſupremo diſtare, vbi etiam apothecas pabulorum, atque frugum omnis generis collocaui. Nunc autem ponamus illam Arcæ partem, duobus his tabulatis interceptā, totam eſſe pratenſi fœno refertā. Cùm igitur ſit fœnilis iſtius trecentū cubitorū longitudo, quinquaginta cubitorū

lati-

latitudo, & altitudo cubitorũ decem, ſumma fit in corpus cubitaliũ cuborum, centũ quinquaginta millia. Qui numerus annuum ſumptum fœni pro quadringẽtis bobus, quatuor cuborũ millibus excedit. Ex his itaque cernere datur, medianam hanc contignationẽ non ſolùm ſatis eſſe, ſed etiam exuberare quadrupedum alimentis, etiam ſi altero tanto plures eſſent, inter quas & reptilia grandiora collocaui, vtpotè dracones, crocodillos, hippopotamos, vitulos marinos, ſerpentes boas. Cetera autem corpore natura formauit exigua, veluti viperas, angues, aſpides, ceraſtas, hydras, baſiliſcos, lacertas præterea virides, aliasq; minuſculas, ſtelliones, camelcontes, ſalamandras, quibus tantus rigor, vt ignem tactũ extinguant, non alio modo, quàm glacies. Hæc autem, & ſi quæ ſunt id genus alia, circa ſtabulationes cauernulis, vel intra materiem perforatis, recipi commodè potuerũt. Canum porrò genus omne circa culinam, vnde paſcuntur, habitaſſe putandum eſt, quo nullum frequentius animal ſordes ſuas vomitat, eaſdemque remandit. Et tam ſibi, quàm aliis, rabie pernicioſa vexatur. Propterea videntur canes hæreticorum typum in Arca prętuliſſe.

Contignatio tertia.

IAM in cõtabulatione ſuprema habitationes hominũ volucrũq; omnium, cum apothecis cibiſque neceſſariis collocaui, nulla numeratione diſtinctioneq; generum facta, per loculos dimenſos, viasque ſeparantes; ſicut in ſtabulatione quadrupedum ordinaui. Cuius ſanè rei neceſsitas in hac quidem parte nulla eſt. Sed reddenda potius ratio, cur tanta loci magnitudo rebus tam modicis adhibeatur. Quamuis enim ſit varium volatile genus, & æquè multiplex propemodum quadrupedum generi; adeò tamen & corporatura, & commeatuum, habitandique ratione differunt, vt vix (etiam æſtimatore maligno) dici poſſint volucres gradientium quinquageſimæ partis. Sed cùm omnes quadrupedes tabulatum primum exceperit, ſequẽs autem pabulum ipſorum, quod reliquum fuit, bipedum genus, ponendũ erat in reliquo. Quanquam non eſt incredibile ipſum Noë, futuri præſcium, omnia ſcilicet corruptum iri cataclyſmo, copioſam ſupellectilem tam ruſticam, quàm vrbanam, ferramentorumque genus omne fabrilium, locis vacantibus repoſuiſſe. Si verò neceſſe fuit in Arca ſeruari piſces amphibiis in cibum, auibusque piſcariis, compingi piſcina potuit in hac parte, eo, quo ſuprà dictum eſt, modo, & Cteſibiana machina, alióve quolibet pneumaticæ rationis hydraulo facilè repleri, ſublataque per fiſtulam papilla depleri. Nunc igitur diſputationis noſtræ curſu eò peruentum exiſtimo, vt ſuper cubitis ſymmetriarum ſeſquipedalibus, nullus vltrà ſcrupulus relinquatur, quin ad vniuerſale viuentium ſemen, ab inundatione ſer-

uandum,in Arca largiſsimè ſufficiant. Cuius ſcenographiam ſecundum dicta priùs hic appoſui.

De nouem pedũ cubitis, quomodo proceſſerit error.

NON ſatis erit fortaſſe, ſeſquipedali menſura cubitum rationibus multis,& opere,probaſſe; niſi & ſexquiplo maiores, hoc eſt, nouem pedum cubitos, inueterata iam multorum opinione receptos, confutauero. Quam ab Origenis expoſitione malè percepta profectam inuenio. Is enim Homilia ſecunda ſuper arcæ fabrica loquitur in hunc ſenſum:His omnibus,tanta arte compoſitis, obiiciunt quidam quæſtiones, & præcipuè Apelles, qui fuit diſcipulus quidem Marcionis, ſed alterius hæreſeos magis,quàm eius,quam à magiſtro ſuſcepit, inuentor.Is ergo, dum. aſſignare cupit ſcripta Moyſis nihil in ſe diuinæ ſapientiæ,nihilque operis ſancti ſpiritus, continere; exaggerat huiuſmodi dicta,& dicit: nullo genere fieri potuiſſe, vt tam breue ſpatium tot animalium genera, eorumque cibos, qui per totum annum ſufficerent,capere potuiſſet.Quomodo(inquit)fieri potuit iſtud ſpatium quod ſcriptum eſt? vt quatuor ſaltem ſolos elephantos capere potuerit. Et poſtea addit: Conſtat ergo fictam eſſe fabulam. Quod ſi eſt,conſtat non eſſe à Deo hanc ſcripturam. Sed ad hæc nos, quæ à prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque à veteribus magiſtris didicimus, ad auditorum noticiam deferemus. Aiebant ergo maiores,quòd Moyſes, qui (vt de eo ſcriptura teſtatur) omni ſapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, ſecundum artem Geometricam, quam præcipuè Ægyptij callent, cubitorum numerum in hoc loco poſuit. Apud Geometras enim ſecundum eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex ſolido & quadrato; vel in ſex cubitos vnus deputatur, ſi generaliter; vel trecentos, ſi minutatim deducatur. Quæ vtique ratio ſi obſeruetur in huius Arcæ menſura,inuenientur & longitudinis & latitudinis tanta ſpacia,quæ verè totius mundi reparanda germina,& vniuerſarum animantium capere rediuiua ſemina potuerint. Hæc, quantum ad hiſtoriæ pertinent rationem, aduerſus eos dicta ſint, qui impugnare ſcripturas veteris Teſtamenti nituntur, tanquã impoſſibilia quædam,& irrationabilia continentes. Sic habet ad litteram Latinus interpres;nam auctoris Græca non extant. Sanctus autem Auguſtinus, vir in litteris ſacris eruditione præcipuus, libro Quæſtionum ſuper Geneſim locum hunc ita proſequitur: Quæſtionem (inquit) iſtam cubito Geometrico ſoluit Origenes, aſſerens non fruſtra ſcripturam dixiſſe, quòd Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, qui Geometricam dilexerunt. Cubitum autem Geometricum dixit tantum valere, quantum noſtra cubita ſex valent. Si ergo tam magna

magna cubita intelligamus; nulla quæſtio eſt tantæ capacitatis Arcam fuiſſe, vt poſſet illa omnia continere. Hæc Auguſtinus. cuius auctoritatem, quòd meritò magna ſit, omnes quotquot viderim tractantes iſta, ſequuntur. In quibus & ipſe fui, donec re perſpecta diligentius ipſa me veritatem Geometria docuit, qua qui ſunt deſtituti, nihil eſt mirũ, in iſtis errare; cùm ſint à ſenſu cõmuni valde remota. Si enim ex hoc Origenis loco cubiti lõgitudinẽ ſimpliciter extẽderis in ſex, itidẽ & vnũ extendá in trecentos; cùm vtrũque dixerit auctor. Sed hoc poſtremũ tam impudẽter auſus eſt dicere nemo: Et ſecundũ extenſionem huiuſmodi res eò deducetur, vt idem cubitus maior ſit & minor: quod eſt abſurdũ. Videndũ igitur, quanã diſcretione ſenſus, propoſitũ ſtare poſſit, vtroq; modo. Iã in præcedentibus oſtendi, Arcæ ſolidũ continere cubitales cubos quatercentum quinquaginta millia. Planũ eſt inſuper, Arcæ longitudinem ſuæ latitudinis fieri ſexcuplũ. Baſis igitur Arcæ in ſex ęqualia quadrata diuidi poteſt; quorũ commune latus eſt cubitorũ quinquaginta; quod in ſe multiplicando, facies cubitos quadratos, duo millia quingentos: id erit embadon vnius ſex quadratorũ in baſi. Rurſum multiplicando cubitos quadrati, duo millia quingentos, in triginta cubitos altitudinis; fient ſeptingenta quinque millia cubitalium cuborũ: quę eſt ſexta pars corporis Arcæ. Ergo (vt ait Origenes) vnuſquiſq; talium cubitorũ deputatur in ſex. Quoniã ſexies ſeptingenta quinq; millia cubitaliũ cubo rum, ſummã quatercentũ quinquaginta milliũ conſtituunt: quæ eſt Arcæ capacitas, eadem, quam per meum ante calculũ inueni. Alteram propoſiti partem, vnum cubitum ſcilicet in trecentos deputari, ſic oſtendo: Accipe alterutrum ex minoribus Arcæ planis, cuius vnum latus eſt cubitorum triginta, alterum verò quinquaginta; hæc inter ſe duo latera multiplicatione, cubita quadrata mille quingenta, producunt. Quem numerum multiplicans iterum in tertiam Arcæ dimenſionem, trecentûm cubitorum; ex vnoquoque minutatim cubito quadrato, trecẽtos ſolidos efficies, & in ſummam, quatercentũ quinquaginta millia: id autem eſt ſolidum Arcæ, ſicut priùs; quod erat demonſtrandũ. Et ita ſecundũ rationem Geometricam, ex ſolido, & quadrato verum habet Origenis dictũ vtroque modo. Nõ autẽ quòd cubitus Geometricus tantũ valeat, quantũ ſex noſtra cubita valent, vt aſſerit Auguſtinus. Nec cubito Geometrico, ſed cubicatione Geometrica quęſtionẽ ſoluit Origenes: cùm nõ cubitos Geometres; ſed cubicationem habeat ſeorſum ab vſu communi. Iſtiuſmodi cubitorũ multiplicatio verũ etiam habebit in priſmate, atque pyramide, & vniuerſaliter ad omne corpus, cui poſſit æquale fieri

ſolidum

ſolidum parallelepipedon ſuper baſi;quę ſit huic,quam habet Arca, ſimilis. Animaduertendum tamen in hoc Origenis propoſito illud eſſe vitioſum maximè, quòd res cum aliâs per ſe, tum artis ingenio difficilis, ænigmate quodam affectato, verborum & inuolucro ſic obſcuratur,vt diuinare magis oporteat,quàm interpretari. Planum enim, & ſecundum naturam erat, dicere, numeros iſtos cubitorum in deſcriptione poſitos, rationibus Geometricis inueniri, capacitatem quatercentum quinquaginta millium cubitorum in corpus efficere. Huiuſmodi præterea nouempedalis extenſio cubitorum recepta communiter, ſicut dubium capacitatis artem non intelligentibus aufert,ita & intelligentibus vaſtitatem enormem & abſurdam operis infert. Iam enim ſuprà demonſtraui arcæ magnitudinem ſeſquipedalibus cubitorum modulis cõſtitutam, ad animalium omniũ conſeruanda genera, annuosque commeatus comportandos,abundè ſufficere. Si autem ſupponatur Arca fieri ſimilis priori,ſed nouem pedum cubitis modulata, erit ipſa quidem ſexcuplo longior, latior, & altior altera:corpore verò ducenties,decies ſexies capacior. Quandoquidem ſimilium corporum inter ſe ratio eſt,laterum eiuſdem rationis triplicata. Verùm,ſi quis ex Geometricis elementis iſta non capiat,numeratione ſic inueniet: Quoniam cubitus nouem pedum, ſeſquipedalem cubitum ſexies in ſe continet. Longitudo igitur Arcæ maioris cubitos ſeſquipedales habebit mille octingentos, latitudo trecentos,altitudo centum octoginta. Quos numeros inter ſe multiplicando,ſicut in cubicatione priori factum eſt,ſummam conficies 97200000. hoc eſt, nonageſies ſepties millies mille & ducenta millia cubitalium cuborum, quæ eſt capacitas iſtius Arcæ maioris: quam partiendo in minoris alterius Arcæ cubos, quater centum quinquaginta millia; videbis ipſam in maiore contineri,quoties anteà dixi. Eſſet igitur Arca,ſecundum nouem pedum cubitos,ducenties quindecies maior, quàm oporteat; ita vt plus, quàm vna tota Arca æqualis priori, ſingulis boum paribus attribuatur. Quo nihil eſſe poteſt magis abſurdum. Ad hæc etiam dico,ſi Giganteos huiuſmodi cubitos reperis, ad fabulas quidem propè res rediit: nulla ſiquidem opis humanæ facultate, tam vaſtæ molis ædificium, nauigationis onerumque patiens, conſtitui mihi poſſe videtur. Neque enim omnia (vt ait Vitruuius) eisdem rationibus agi poſſunt; nec modum quemlibet incrementi opera recipiunt: ſed aut nimium ereſcendo dilabuntur, aut explicationem prorſus non habent. His itaque perpenſis diligenter, cubitos iſtos ſexcuplies, nulla ratione fundatos, opus noſtrum perdere magis, quàm probare, quis iam non

non videat? De quibus ipſe etiam Auguſtinus non omnino ſibi confidere viſus eſt, libro decimo quinto de ciuitate Dei, vbi ſolutionem quæſtionis aliam afferre conatur, ſic inquiens : Qui dicunt, non potuiſſe capere Arcæ illius quantitatem animalium genera tam multa, hi mihi videntur non computare, niſi trecenta cubita longitudinis, & latitudinis quinquaginta, & triginta altitudinis; nec cogitare aliud tantum eſſe in ſuperioribus, itemque aliud tantum in ſuperioribus ſuperiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum. Ex hoc Auguſtinus nihil aliud infert, quàm tria in opere tabulata ipſi baſi parallela intelligi debere, ſicut antea diſpoſui; quæ veluti tres Arcas particulares diuiſione ſua faciant. Et ita Arcæ longitudo triplicatur. De latitudine verò & altitudine quòd eodem modo ſimul fiant triplices, (vt ipſe ait) id omnino falſum eſt. Sic enim alicuius partes corporis maiores eſſent ſuo toto; quod eſt impoſſibile. Veriſſimè tamen ex hoc arguitur illorum computatio ridicula, qui citra planum & ſolidum dimenſione ſola linearum, corpus attendunt. Quod perinde valet, ac ſi quis verborum ſenſus ſolis notarum lineamentis, nihil aliud intelligendo, requirat. Verùm ea fuit ſemper hæreticorum peruerſitas; vt, quæ non intelligunt, pertinaciſſimè cauillentur, nec vllis rationibus cedant: ſed maledictis potiùs inſectentur eos, à quibus de veritate diſſentiunt. Quod ſum expertus in quibuſdam, aliquando mecum ſuper hac diſputatione congreſſis. Nam genus ferè nullum eſt ex damnatis olim, & exploſis erroribus, quod non aliqua ex parte nunc reuocetur in medium. Et quod in nouis aſtruendis ingenium negat; in veteribus aſſerendis pertinacia ſupplet. Ex quibus aliud aliis placet, nec quicquam tamen omnibus vnum. Nuſquam enim ſibi congruit malitia. Et hæc de cubitis quæ falſo dicuntur ab arte: qua prorſus non erat opus ad obiectum tam indocti cauillatoris. Quid enim cæco cum ſpeculo? vel graculo cum fidibus? vt habet parœmia vetus. Libet itaque nunc exarmato mihi congredi cum hoſte, etiam ſtipato ſuis elephantis. Quid ais ô Marcionita? quid in Arcam domini hæretice garris? immo barris, cum belluis iſtis non Afris aut Indicis, ſed planè monſtrificis, quibus dum Arcam ſolis quatuor imples, non Arcam beſtiæ modicam, ſed immodicas facit beſtias Arca, commentumque tuum belluinum equo Troiano fabuloſius reddit. Nam ſi quatuor ſaltem ſolos elephantos (vt tu exaggeras) capere non poſsit; altitudinem in ſingulis cubitorum plus, quàm triginta confingis, longitudinem verò decuplo maiorem, cum craſsitudine cubitorum plus quàm duo-

decim. Vbi non tam magnitudinis prodigio, quàm deformitatis vitio, peccas: cùm ſit iſta corporatura draconibus propior, quàm elephantis. Quos ſi diſponas aliter, eadem, quæ priùs, altitudo, cum ſexta longitudinis parte manebit, obtinebitque ſingulorum craſſitudo quartam ædificij partem. Cui portento quid ſimile dicam, nō inuenio. Conſtat igitur (vt tuis in te verbis concludam) fictam eſſe non capacitatis noſtræ, ſed ſtabulationis tuæ, fabulam. Eſt itaque (quod tu negas, & res ipſa probat) à Deo ſcriptura prophetæ: tua verò ſicut oſtendis, à Sathana patre, qui te tuique ſimiles generauit. Sed iam Momum iſtum, ſua ſibi monſtra fabricantem, relinquamus. Et præter eam, quam in præcedentibus explicaui, formam operis, alias aliorum, quales ſint, diſpiciamus.

Varię Arcę figuræ, & earū ſcenographia

Mosis deſcriptionem interpretati Doctores, baſim eandem omnes intelligunt, ſpecie ſcilicet (vt antè dixi) rectangula, altera parte longiore ſexies altera. Sed in ſuperſtructione fundamenti quatuor ferè modis, inter ſe variis, ædificant. Nam Origenes Homilia ſupradicta, Arcam (inquit) ego puto, quantum ex his, quæ deſcribuntur, apparet, quatuor angulis ex imo conſurgentibus, eiſdemque paulatim vſque ad ſummum in anguſtum arctatis, in ſpatium vnius cubiti fuiſſe collectam; ita vt cubitus ſit lōgitudo & latitudo cacuminis. Hæc auctoris deſcriptio nihil aliud eſſet, quàm pyramis abſciſo vertice, ſi planum ſectionis non quadratum, ſed altera parte ſexies longius eſſet. Alij porrò multi ſatis Hugonem ſequētes, Arcæ dimidium altitudine cubitorum quindecim in ſua baſi collocarunt, reliquos totidem pyramidato faſtigio, verticeque mutilo, Origenis more, complentes. Hanc autem ſic dimidiatam altitudinem quidam improbātes, totum Arcæ corpus ad ſuos triginta cubitos erectum, deacuminata pyramide ſimiliter contegunt; nulla tamen altitudinis iſtius teſtudinatæ menſura conſtituta. Nouiſſimè autem recentiores aliqui, quorum eſt Caietanus, Arcam noſtrā ea corporis ſpecie transfigurant, quod à Geometris priſma vocatur. Cuius duo ex oppoſito plana parallela, ſuper minoribus baſis lateribus, ſint trigona verticibus abſciſis, latitudine cubitali, reliqua verò tria plana parallelogramma. Huiuſmodi formas præter id, quòd ordinationi prophetæ non plenè reſpondent, alia etiam non pauca reprobant. Primùm enim pſeudopyramis iſta Origenis, atq; etiam priſma Caietani, quid habent cum Arca ſimile? Talis etiam cacuminis quadrata deformatio, vel deformitas potiùs, non ſolùm eſt aſpectu fœda, ſed etiam inutilis operi, de qua rationem nullam congruentem dicere poſſis. Et ipſa tota pyramis modum fabricationis habet impeditum, atque difficilem

ficilem ; & quo nullus ad ſtabulationem animalium magis ineptus, nec excogitari quidem poſsit. Ad nauigationem verò quòd inutilia ſint hæc corpora, communis nauigiorum diſpoſitio ſatis oſtendit. in quibus ſemper id, quod eſt contractum, vergit in carinam, & immergitur aquis, ſumma autem latitudo prodit in apertum, & ſupra fluitat. Pyramis igitur & priſma niſi ſtatuantur inuerſo corpore, vt ſit infrà vertex, fundus verò ſuprà; nihil ſupernatabit, ſed totum ſubmergetur. Ex capacitate autem, quam ſuprà demonſtraui neceſſariam, tertia pars ſolum, nec etiam tota, remanebit in pyramide : in priſmate verò paululum aliquid ſupra dimidium. Habet tamen hæc prima conſtitutio, tam abſurda, aſſenſores aliquot, (quorum fuit is cuius interpretatio dicitur interlinearis) rationem friuolam omnino præpoſteramque ſequentes. Qua & Origenes formam ſuam ipſe commendat, inquiens : Quantum ad neceſsitatem pluuiarum diluuij ſpectat, nulla potuit tam conueniens & congrua Arcæ ſpecies dari, quàm vt è ſummo, velut è tecto quodam, in anguſtum culmine ducto diffunderet imbrium ruinas. Hoc ego iam à principio reprobaui ſatis, vbi faſtigium cubitale tecto ſufficere probatum eſt. Sed ecce dum pluuiæ guttas iſti formidant, in fluctus profundos ſeſe demergunt. In tertia verò figura, quam Hugo cum Arca dimidiatam, atque teſtudine diuiduam facit, nihil ſanè eſt aliud, quàm cum vero miſcere falſum : vnde etiam, quod bonum erat, mali ſocietate vitiatur. Cùm enim ipſa pyramidata conſtructio, etiam ſuper baſi ſolida, modum habeat (ſicut dixi) perplexum atque difficilem, tum longè moleſtius & operoſius erit, atque etiam deterius fiet, ſi ſuper Arcæ dimidio collocetur: Ipſa namque diſsimilium corporum & contra ſe pugnantium commiſſura, niſi colligationibus robuſtis, crebrisque tranſuerſariis, & eriſmatum fulturis validiſsimè diſtineatur; pars inferior pondere, violentiaque teſtudinis, tota protrudetur. Et huiuſmodi cathenationes multo plus oneris, & impedimẽti, nauigio præſtant, quàm bona vecturæ pars. Talis præterea commiſtio, præter id, quod opus corrumpit, parte etiam ferè tertia quantitatem ab Arca detrahit. In qua ſanè perquirenda dum opus ſuum recenſeret Hugo, nõ alioquin ἀγεωμέτρητος, ſatis ſeſe diu fruſtraque fatigauit, multa ſuper trigonis, cathetis, hypotenuſis, diametris, tetragonicisque lateribus inculcans. Vnde cùm ſe non poſſet extricare, nec idoneum exitum inueniret, longam ſuam diſputationem ita concludit: In trigonis his (inquit) & tetragonis multa alia inuenies, ad ſubtilitatem Geometricæ diſciplinæ pertinentia ; quæ omnia nos propter faſtidium declinamus. Sed planè declinationem iſtam à propoſito,

non tam faſtidium, quàm imperitia fecit. Nam in ipſo calculo primùm turpiter errat, dicens: Diametrum baſis in Arca, &, vt ipſe vocat, diagonium, eſſe longam cubitos trecentum quatuor cum ſemiſſe cubiti. Quod non ita eſt, cùm ſit ipſa diametros, tetragonicum latus 92500. quod quidem trecentis quatuor cubitis & quadrante breuius eſt. Nihil itaque mirum, ſi nobis Hugo ſuæ domus interiora non oſtendit, quin in ipſo ſtatim limine pedem impegit. In quarta demum conſtructione figuram ex præſcripto nomenque ſuum obtinet Arca tota præter operculum, quod ſuper ea, quæ iam notaui, vitia teſtudinis, non magis error, quàm temeritas auctorum, facit aſymmetron. Supradictarum autem quatuor formarum Scenographias hîc appoſui, quibus & meam adiunxi, ſuper qua iam diſputatione, multa ſatis, & ſenſum meum comprobaſſe, & calumnias hæreticorum confutaſſe videor. Ceterùm, ſi in erroribus aliquorum notandis, meos ipſe fortaſſis, vt homo, protulerim; in his aſſerendis nihil ago pertinaciter; ſed orthodoxorum ſententiæ totum me planè ſubiicio. Abſit enim procul à me, vt Arcam Domini corpoream, quantum potui, diligenter perſcrutatus, ab ea, cuius fuit ipſa typus, hoc eſt, ab Eccleſia ſancta Catholica diuerſum quicquam aut diſſonum adſtruere velim. Et in hoc habeat ſuum finem commentatio noſtra. Hæc Buteo.

Buteonis pietas.

NOS VERÒ, vt ab Origenis verbis incipiamus, in quibus non omnino cum Buteone conſentimus, ſic breuiter ſenſa noſtra explicabimus. Apud Geometras (inquit Origenes) ſecundum eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex ſolido & quadrato, vel in ſex cubitos vnus deputatur, ſi generaliter, vel trecentos, ſi minutatim deducatur. Poſſemus faciliùs de Græco ſermone hæc interpretari; ſed virtus hîc, ſiue δύναμις, quod opinor, ſiue aliter nominetur, nihil aliud eſt, quàm poteſtas per multiplicationé producendi. Tantum igitur linea poteſt apud Geometras generaliter, quantum ipſa in ſe ducta producit. Hæc autem poteſtas lineæ duplex eſt: Vel enim in ſe ducitur ſecundum vnam dimenſionem, & facit quadratam planitiem; vel ſecundum duas dimenſiones, atque ita corpus abſoluit. Quocirca ſi linea cubitalis ſolidè & quadratè in ſe ducatur, cubus enaſcitur, qui meritò in ſex deputatur: quia totum illud ſpacium complectitur, quod ſex cubitalibus quadratis eſt comprehenſum. Non igitur, dum de cubiti menſura Moſes loquitur, longum cubitum aut quadratum tantùm cubitale propoſuit; ſed totam illam capacitatem, quæ ſex cubitalibus quadris continetur. Atque hæc quidem generalis eſt omnium linearum in ſe

Virtus apud Geometras quid ſit.

Linea quot modis in ſe ducatur.

pote-

poteſtas, è qua fit, vt cubitus omnis generatim, hoc modo in ſe ductus, tantum ſpacij comprehendat, quantum ſex cubitalia plana. Quare verò plana potiùs, quàm lineas teſſerarum, quibus plana terminantur, computauit? Quod ſciret nimirum locum contenti corporis ſuperficiem, vel ſuperficies eſſe extremas corporis continentis, non lineas, aut angulos, ex ipſa loci definitione, ſi neſciuiſſet, ſic docendus. Aptè igitur, cùm de ſpacio quæreretur rerum locandarum, dictum eſt, vnum cubitum in ſex deputari. Poterat etiam dici, vnum cubitum in duodecim lineas cubitales poſſe diduci: atque ita vnum cubitum duodecim valere, nedum ſex. Admirabilius illud quidem, ſed imperitè, eò quòd capacitas & loci natura non lineis, ſed ſuperficie definiatur. Atque hæc quidem vera ſunt, de linea cubitali generatim deducta, ex illa poteſtate ſiue virtute linearum omnium vniuerſa, qua tantum poſſe dicuntur, quantum ex ipſis in ſe ductis, vel vna vel duabus dimenſionibus, queat educi. Iam alia etiam eſt poteſtas lineæ, qua tantum quæuis linea poteſt, quantum ipſa in alias lineas ducta producit. Quia verò aliarum linearum multitudo nullo numero certo comprehendi poteſt, neque ſciri etiam poteſt, quantum ad alias comparata poſſit; cùm rei infinitæ nulla ſit ſcientia: igitur poteſtas lineæ in aliam lineam conſiderari debet particulatim in ſingulis. Aliud enim cubitus poteſt in duos cubitos, aliud in tres, aliud in quatuor; atque ita aliud in alios numeros, ad infinitum procedendo. Tanto autem plus poteſt, quanto numerus, in quem ducitur, maior eſt & potentior. Particulatim igitur, ſiue minutatim, vnus cubitus conſideratus tantum poteſt, quantum maximus numerus eorum, in quem ducitur. Quare in Arca vnus computatur in trecentos; quòd is maximus ſit numerus dimenſionum. Accipiantur igitur cubiti alterius cuiuſuis dimenſionis, non habita ratione, altitudóne ſit an latitudo. Sint igitur triginta, quæ ducantur in quinquaginta, enaſcuntur mille quingenti cubiti quadrati; quorum ſinguli tantum poſſunt, quantum trecenti. Nam idem numerus producetur, ſiue trecentos ducas cubitos in has cubitales quadras, ſiue ipſas quadras ducas in cubitos. Quamobrem ſinguli cubiti quadrati, valent trecentas cubitales teſſeras, ita vt enaſcantur quadringenta & quinquaginta millia ſeſquipedalium cuborum. Quamuis autem idem numerus enaſceretur, ſi in hac particulari computatione cubitorum, à longitudine ad latitudinem Arcæ procederemus, atque ad altitudinem poſtremò ſolidum corpus terminaremus; ducendo 300. in 50. vt exiſterent 15000. tamen, quia ſinguli horum cubitorum non valerent trecentos, ſed

Moſes quare in Arca potius computarit plana, quàm lineas teſſerarum.

duntaxat triginta cubitos tertię dimenſionis, ſplendidius fuit & magnificentius dicere, cubitum in hac Arcæ ſtructura trecentos cubitos valere. Nec verò Geometricôs loqueretur, qui diceret, in Arca vnum cubitum in triginta vel quinquaginta tantum deputari; cùm omnis virtus & poteſtas ſummis numeris ſit, non inferioribus, terminanda. Iam etiam, cùm res minutatim per cubitos examinamus, videtur à minoribus ad maiores numeros progrediendum. Quamuis enim in elementis demonſtratum ſit, tantundem poſſe maiorem numerum in minorem, quantum minor in maiorem; illuſtrius tamen & inſignioris virtutis eſſe videtur, tantundem poſſe minorem in maiorem. Extollenti igitur capacitatem maximi vaſis, aptius fuit, & ad fidem faciendam accommodatius, dicere; ſi minutatim res ſupputetur, ex vna quadra cubitali produci trecentas; quàm alia via in opinione capacitatis augenda turpiter & contra magiſtrorum leges videri minus dixiſſe, quàm res ipſa ferret. Hac igitur Origenis, aut potius eorum, quos eſt ſecutus, interpretatione intelligimus, vnum cubitum non eſſe longum cubitos ſex; ſed poteſtate generali ſex cubitos producere locales, & poteſtate particulari in hac Arca minutatim producere cubitos trecentos. Tantum igitur in rebus continendis vnum valere, quantum ſex; & particulatim in hac Arca vnam quadram cubitalem tantundem poſſe, quantum trecentos cubitos, ſecundum eam rationem, quæ virtus nominatur. Quamuis igitur vnus cubitus virtute tantum poſſit, quantum trecenti; non tamen vnus cubitus actu trecentos cubitos comprehendit. Nec etiam in quauis re vnus cubitus tantum poteſt; ſed in ea menſuratione, vbi maximum numerum dimenſionum faciunt trecenti. Quare ſicut nemo vnum cubitum Geometricum ex hoc loco trecentorum communium cubitorum eſſe dixit; ita nullus cubitus ſex cubitorum, ſiue nouem pedum, fingendus erit, vel ad Origenem tuendum, quod videmur nobis non minus perſpicuè, quàm breuiter, feciſſe: vel ad docendum, Arcam ſatis magnam fuiſſe omnibus capiendis, ad quę erat deſtinata; quanta vt omnibus appareret, Buteo ſumma pietate eſt aggreſſus, ſingulari diligẽtia eſt perſecutus, & ſolerti mediorũ omnium inuentione perfecit, qui nobis interim cõdonabit, immò gratias agere debebit, quòd eum adiuuerimus; tum ſanis Origenis verborũ ſenſis explicatis, aliter, quàm ipſe fecerat; tũ Arcæ magnitudine inſigni acceſſu adaucta, vti mox deinde ex iis, quæ neceſſariò addenda ſunt, perſpicuum euadet. Ego ſanè ſic eum de huius argumẽti tractatione laudandum cenſeo, vt à multis ſeculis nullum putem extitiſſe, qui tantum momentũ attulerit ad hanc Moſis hiſtoriam intelligendam,

Cubitus vnus quomodo & in qua re valeat trecentos.

qua

qua ſcio non olim modò, ſed hoc etiam tempore, quo indoctiſsimus quiſque in ſacras litteras inuolat, non paucos offenſos fuiſſe, dum ad rudem ſuum captum examinant & iudicant omnia, quæ ab illo ſcripta ſunt; qui non tantum omni ſcientia Ægyptiorum fuit eruditus, ſed à ſpiritu etiam diuino illuminatus. Impudens ſanè & deſpuenda temeritas vulgi eſt; &, vt, quod ſentio, fatear, minimè ferenda in R. P. bonis legibus conſtituta; velle citra ducem peritum diuina ſacroſanctæ ſcripturæ eloquia de libris cognoſcere, & de illis non apud ſe tantùm, ſed apud alios etiam diſputare; ad quæ intelligenda nihil diſciplinarum, nihil artium liberalium, nihil denique litteraturæ attulerit; ſed in ea vel è ſordida officina, vel è foro mercatorum, vel è popina etiam, nequid turpius dicã, illotis pedibus inſilit, pro arbitratu ſuo graſſaturus. Sed his miſsis, & ad medicos Anticyræos relegatis, tribus verbis, quod volo, concludam. Generalis poteſtas eſt vis lineæ in ſeipſam. Particularis poteſtas eſt lineæ vis in alias; quæ in tot minutias ſiue partes, eſſentia differentes, ſecatur, quot ſunt numeri, in quos explicatur. Quo quidem modo Origenes intellectus, non ænigma nobis; ſed rem perſpicuam propoſuit: non quæſitam; ſed ab ipſa efficacia linearum Geometrica natam. Manet itaque inconcuſſa hactenus, & certa, cubiti ſeſquipedalis menſura. In quo demonſtrando eò fui diligentior; quòd viderem, niſi hic locus clarus eſſet, Auguſtini auctoritate me obruendũ, cauſamque totam, contra falſam hominum de Gigantibus opinionem ſcriptam, deſerendam.

Auctoris explicatio de Arcæ magnitudine.

Verùm quod hactenus amoliti ſumus, quamuis in eo ingens adiumentum aduerſariis noſtris è manibus extorſerimus, tamen leuioris operæ videtur præ illo, quod rurſus obiici ab illis poteſt ex illo: quod mandatum eſt, vt in cubito Arca conſummaretur. Hic enim alius aliud intelligit & exponit, vti Buteo diligenter annotauit: atque adeò ferè omnes huius loci occaſione Arcæ formam corrumpunt. Quocirca, ne quis hîc maiorem quoque cubitum aliquem ſibi fingat, ne in abſurdas aliorum opiniones deſcendere cogatur, efficiendum mihi eſt, vt hic locus rectè intelligatur, atque id longè ſecus, quàm hactenus quiſquam tradiderit eorum omnium, qui in Biblia ſcripſerunt. Quod quidem non eò ſolùm nobis conducet, quò cubitus lecti Ogi certus emergat; ſed infinito etiam maius lumen Larnacis fabricę inferet, ad magnitudinem, quam nemo hactenus ſcriptorum animaduertit, peruidendam. Qua quidem acceſsione fiet, vt & menſura Ogi extra controuerſiam, in qua hactenus inuoluta iacet, emergat; & Arca omnibus ſuis numeris ſit abſoluta.

Dici-

Dicitur ergo apud Moſem, à Deo Noæ præceptum eſſe inter cetera, Feneſtram in ea facies, & ad cubitum conſummabis eam deſuper: vel, vt alij vertunt, conſummabis ſummitatem eius. Hîc primùm dubitatur, ad quid referatur *eam*, ad arcámne an feneſtram? quod in Latino ſermone planè dubium eſt. Loco feneſtræ Hebræis eſt צֹהַר vnde צֳהָרַיִם pro claritate meridiana poni volunt: quæ quidem vox maſculinam videtur habere terminationem, ad quam תְּכֻלֶּנָּה femininum, id eſt perficies eam, non rectè accommodatur. Sed quia non videbant, qui dici queat, ad cubitum Arcam conſummari ſupernè, maluerunt contra communem vſum Tſoar femininum facere; vt conſummatio ad feneſtram referatur. Iam, quia cubitalis feneſtra minor eſſet, quàm quæ toti Arcæ lumen poſsit diffundere, Aben Eſra putauit cubitum ad Noæ ſtaturam referendum eſſe, qui communem hominum poſteriorum magnitudinem longè exceſſerit; vt qui par Gigantibus eius ætatis eſſet. Deinde, ne hoc quidem ſatis momenti habere putans, quò ſplendor toti Arcæ communicaretur, adiecit; de altitudine feneſtræ hic fieri duntaxat mentionem, ſuppreſſa eius latitudine, quam ad ſex cubitos pro libito ſuo extendit. Quorum illud quàm ſit abſurdum, ſatis ſuperque in lecto Ogi oſtendimus. Hoc verò quis non videt commentitium eſſe, atque non ex hiſtoria, ſed cerebro ipſius, natum? Alij fuêre, quibus non feneſtra hic vlla ſignificari videretur, vt Rabbi Salomon indicauit; ſed lapis quidam egregij ſplendoris; perinde atque oleum, quod Tſoar ſæpius ſignificat, pellucens. Hunc tantum lucis atque radiorum per omnem Arcam effudiſſe volunt, vt eius fulgore tota illuſtraretur. Bellum profecto lapidem, ſiue carbunculum, ſiue alium ſomniemus, cuius tanta eſſet in lumine ſpargendo efficacia, vt ſolem Arca non deſideraret. Placet porrò commentum, ne, aperta feneſtra, pluuiam admittere cogantur. Sed ridiculi ſunt, qui ſic ſentiunt, cùm pòſt paulò חַלּוֹן feneſtra eadem nominetur, voce vt ad lapidem nihil alludente, (niſi dicant lapide Sphengite aut ſpeculari clauſam fuiſſe, qui Tſoar non de vi vocis, ſed de ipſorum figmento, fuerit dictus) ita communi & vſitata in feneſtræ ſignificatione, in qua nomen Tſoar nuſquam librorum inuenitur. Videntur autem in lapidis precioſi cogitationem veniſſe; tum de vulgari Pyroporũ, ſi licebit carbunculos ita per criticos nominare, fabula, quos ita noctu lucere multi ſtolidè putauerunt, vt lucernarum vice fungerentur: tum etiam ex eo, quòd צִיר & צוּר petram ſignificat, nec Tſoar in feneſtræ ſignificatu (vti modò dixi) à quoquam vnquam ſit vſurpatum. Græca interpretatio à verbo צָרַר videtur vocis originem duxiſſe;

xisse; cui pace aliorum suffragium meum, licet parum aut nihil habeat momenti, accedet, quo significatur concludere, coarctare, compingere, munire, atque etiam formare. Vnde צורה figura nominatur. Vertit enim Græcus interpres, ὁπτανάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν. quasi diceret, longitudinẽ, latitudinem, atque altitudinem in vnum colligens, facies Arcam. Sed videtur Moses conuenienter maiestati diuinæ, cuius est breuiter atque vbertim sua hominibus significare, voce hac vsus esse, ad quam si sententiam totam conformemus, tantundem dixit, atque si pluribus ad hunc modum locutus fuisset: Exposui tibi Arcæ longitudinem, latitudinem, & altitudinem: ad has dimensiones, in vnum coactas, Arcam tam aptè firmeque compinges, vt sit tibi præsidium ita securum in obsidione aquarum, quasi in rupe aliqua tutissima consideres, sisque tibiipsi צור, id est, munimentum, robur, & quasi Deus quidam: nam in manu tua est hanc diligentiam adhibere, posteaquam ego tibi, tanquam architectus, magnitudinem sum dimensus; quam sic ad summitatem vsque complebis, vt ne vel cubitus quidem ei desit: atque id si feceris, צוהר eris, id est compingens, formans, muniens; denique ipsi tibi robur, & tutissimum munimentum, contra obsidionem aquarum. Si ergò sic Tsoar interpretemur, clara erunt omnia, & significantissimè expressa, in breuitate quadam plus, quàm Laconica, nec à vocis originatione nec vsu recedetur. Quamuis autem צהרים meridiem significat, non tamen Tsoar in fenestræ notatione (vti dixi) vsquam inuenitur. Apud Hieronymum est in iis, quæ ad Genesim annotauit, Colligens facies Arcam, & in cubito consummabis eam desuper; pro eo, quod est, colligens facies Arcam: in Hebræo habet, Meridianum facies Arcæ. Quod manifestius interpretatus est Symmachus dicens: διαφανὲς, hoc est dilucidum facies Arcæ, volens fenestram intelligi. Hæc ille, in quibus est videre, quibus ambagibus ad fenestram sit ventum, quasi omnes fenestræ ad meridiem essent collocandæ, vnde pluuiis & insaluberrimis ventis est origo, & quasi pars illa Arcæ meridiei semper esset opponẽda, dum modò pluuiis ventis; modò desiccantibus, qui de opposita parte spirant, esset vehenda. Longissimè certè petita ratio, qua Symmachus è meridie ad perlucidum, & D. Hieronymus ad fenestræ significationem inductus est. Lux quidem in meridie maxima est, sed in aëre, non in domo; propterea quòd in regione calida æstate, cùm lumen est clarissimum, fenestræ claudantur, ne calor vnà cum lumine admittatur: quod iis, qui Hispali vel in aliis talis regionis locis fuerunt, non potest non esse notissimum. A meridiani igitur temporis nota si illud accipia-

Vera expositio Tsoar.

tur, quod excellentiſsimum eſt, non infimum aut mediocre; non venitur in cogitationem perſpicui aut feneſtræ, ſed contrà potiùs ad obſcuritatem & tenebras, quas in ædibus, cùm Sol altiſsimus ad capitis verticem aſcendit, quærere calidæ regiones conſueuerunt. Vnde igitur Symmachus, & alij, in feneſtræ, ſiue dilucidi cogitationem venerunt? An fortaſsis è Chaldaico Thargum? Minimè gentium. נָהַר enim è deriuatis idem videtur eſſe, quod iugo aut vinculo aliquo conſtringi: inde נִיר iugum boum, atque etiam hominum ſub dominio conſtitutorum. Hinc נִירָא agricultura, aratio, quæ coniunctis bobus fieret. aliquando etiam noualia, & נָר arauit. hinc igitur נָהַר videretur eum ſignare, qui in vnum coniungeret atque coniugaret: quaſi latera Arcæ iugo quodam firmiſsimo eſſent vincienda, quod tranſtris fit, & cantheriis, &, ſi cantherij longiores ſint, capreolis etiam, ad tecti firmius ſuſtentaculum. Vt verò credam hæc ita de communi quodam conſenſu linguarum, Hebrææ dico, Chaldææ, Græcæ, & Latinæ, ex ea quidem verſione, in qua colligens legit Hieronymus, loco priùs adducto accipienda eſſe, cum his, quæ dixi, tum hac etiam ratione adducor, quòd videam in progreſſu narrationis, vbi Noë feneſtram aperit, nec צֹהַר Hebræis, nec נָהַר Chaldæis eſſe voces eas, quæ dubitationem attulerunt; ſed apud illos חַלוֹן apud hos legi כַּוַּת, quibus feneſtra clarè ſignificatur. Miror itaque, cur Paulus Fagius, & ceteri, in Onkeli verſione, Nehor, quo coniugans & compingens ſignificatur, feneſtram interpretentur; atque id tam ſecurè faciant, vt Fagius ne meminerit quidem huius difficultatis. Si igitur de Arcæ firma compactione, Tſoar ex Græca & Latina, Hieronymi modò citata tranſlatione, interpreteris, non repugnante (vt oſtenſum eſt) Chaldaico Thurgimano, nulla hîc incidet de feneſtra mentio, nedum difficultas; nec erit, vt cubitum maiorem ſomniemus, quàm ſit is, quem ſeſquipedi æquamus. Nec fatebimur, magis ad Noæ cubitum Moſem hîc reſpexiſſe, quàm antè oſtendimus in Ogi lecto Ogi cubitum fuiſſe vſurpatum. Verùm quid, dicet aliquis, hócne ſenſu nobis feneſtram de iuſsis Dei tollis? Tollo equidem non de Arca, ſed de iuſsione & expoſitione Iouæ; nec hanc ſolam tollo, ſed omnia etiam cetera, quæ quamuis ad complementum totius Arcæ ſint neceſſaria, non ſunt tamen à Deo ſigillatim expreſſa. Noë enim cùm materiam, menſuram, & vſum didiciſſet, non fuit tam rerum in illa ætate imperitus, vt reliqua, quibus opus eſſet, de ſua induſtria addere nequiret. Addiderit ergo, & feneſtram

neſtram fecerit, ſicut feciſſe dicitur, cùm de clauſa feneſtra, & aperta feneſtra fit mentio; ſed an ad lumen ſuſcipiendum fecerit, non magnoperè intereſt; cùm aliunde potuerit ſuppeditari, nec vſquam hîc feneſtræ vſus à Moſe ſit expreſſus. Quocirca miror de magnitudine feneſtræ, & paucitate, inter eruditos viros motam eſſe quæſtionem; præſertim cùm in tanta pluuia, quantam fuiſſe par eſt, meridianus Sol, quem Tſoar eſſe putant, parum virium habere potuerit; vtpote qui non vna nube in vna atque altera parte, ſed infinitis, continentibus, & denſiſsimis fuerit, tantiſper dum plueret, obſcuratus. Quî, rogo, vltimi Lapponum, & Biarmiorum, & Engroenlandi, ad menſes aliquot citra Solis lumen vitam degunt? Profectò multò magis feneſtris opus fuiſſet ad internum aërem craſſiſſimum, ob tot animalium halitus & vapores, vt fœtores & fimum ſilentio præteream, euentilandum; ne fœda mortalitas intus omnia diriùs, quàm foris, vnda depopularetur, quàm ad lumen admittendum. Sed hæc omnia prudentiſſimo patrifamilias Deus cogitanda reliquit; quippe quem ſciret talem eſſe, vt non hæc modò facilè prouideret; ſed talem etiam, vt ex eo omnia ſcientiarum artiumque principia, & abſolutiſsima præcepta, ad omnes ſecundi orbis homines eſſent deriuanda. Eſtne quiſquam tam abſurdus, qui putet nulla fuiſſe emiſſaria, ad vrinam, & lotium, & fimum animalium eiiciendum; quia illa Deus non apertè fieri mandarit? Quemadmodum autem hæc fuêre citra iuſsionem expreſſam facta, ita feneſtra quoque, & non vna modò, quæ ad claudendum & aperiendum erat apta; ſed multæ aliæ paruæ in tecto ad aërem euentilandum ſic paratæ ac tectæ, vt pluuiam admittere nequirent. Menſuram duntaxat & firmitatem aduerſus fluctus & pluuias indicauit, quòd hæc non ab homine poterant, ſed à ſolo Deo præſcribi. Qui enim neſcit, quot diebus ſit nauigaturus, ignorat quoque quantum commeatus debeat parare; tametſi ſciat, quot animalia ſint nutrienda. Iam qui neſcit, quanta eſcarum copia ſit opus, hunc etiam neceſſe eſt ignorare, quantum loci ſit parandum: E continendis enim vehendisque, eius, quod continebit, magnitudo terminatur. Neque etiam bitumine opus fuiſſet, ſi non diu fuiſſet nauigandum. Temporaria enim opera, & non diu imbribus exponenda, fruſtra picarentur. Cùm igitur ſolus Iehoua temporis, durationisque pluuiarum, & inundationis conſcius eſſet, Arcam ea magnitudine & capacitate definiuit, quæ nec nimium parua eſſet, nec etiam maior, quàm oporteret; cùm, ſicut naturæ, ita eius opifici aduerſetur, quicquam facere fruſtra.

Mandauit igitur Noæ, vt ab imis fundamentis ad ſupremum vſque culmen Arcam fabricaret ea dimenſione, quam præſcripſerat, vt ne vel vnus quidem cubitus deeſſet. E quo fit perſpicuum, hîc cubitum non aliter, quàm ceteris ſcripturæ locis, vſurpari. Verùm dicet aliquis, Itáne tu contra receptam opinionem aſſeris, non ſolùm feneſtræ nullam, ſed ne tecti quidem vllam fieri mentionem? Aſſero ſanè, & non citra rationẽ aſſero, quo abſurdiſsimas de tecti forma, aliorum ſententias euitem. Nam quid opus erat Noachum de tecto monere, ſi dictum erat, ad cubitum vſque conſummabis? Quis enim neſcit, tectum è latitudinis menſura cuiuis fabro innoteſcere? quod ſic ad eam tamen eſt accommodandum, vt ab vſu præcipuè altitudo eius definiatur. Cùm igitur latitudo nota eſſet; atque certum pluuias fore tantas, quantæ vllæ vnquam fuiſſent; veriſimile eſt Noachum non vnius duntaxat cubiti perpendicularis, vt Buteo arbitratur, altitudinem eſſe machinatum, quæ à plano quàm minimum diſcederet; ſed tantam, quanta fieri ſolet in regione, pluuiis quàm maximè obnoxia. Omnes enim homines pro ratione cæli ſui faſtigia tectorum metiuntur. Aegyptij, quibus à pluuiis nihil eſt periculi, plana faciunt. Noſtrates, ob pluuias frequentiſſimas, cantherios in culmine ſic coniungunt, vt angulos faciant perquam acutos; quod contra ventorum vim tegulas etiam defendit, cùm ſubire recto impetu non poſsint. Itali, vt regione ac cæli temperie medij ferè ſunt, ita medium quoque ſequuntur inter extrema. Vitruuius, ni me fallit memoria, latitudinis nonam partem, ad perpendiculum erectam, ſatis eſſe credidit ad tecti ſummum faſtigium erigendum; quod plerisque viſum eſt, ne ad ornatum quidem ſatis altum, tantum abeſt, vt ad pluuias perpetuas ſuſtinendas ſatis ſit decliue atque præceps. Quod ſi ita ſit, quid faciet cubitus vnus Buteonis, pars quinquageſima latitudinis, ad procliuitatem defluxus in tecto, tam validis ac immanibus pluuiis obruendo? Credimus itaque Noachum omnibus artium ſcientiarumque numeris abſolutum, & experimentis multorum ſeculorum eruditum, nihilo fuiſſe noſtris plebeis fabris imperitiorem, atque tectum feciſſe ea altitudine eleuatum, qua noſtratia videmus, quod non ad imbres modò præcipitandos, ſed ad pabulum etiam continendum, non pœnitendam haberet vtilitatem. Si enim ars fabrilis in pluuioſo cælo hoc poſtulat, vt interſtitium parietum metiatur cantheriorum longitudinem, quibus tectum ſuſtinetur, atque ita triangulus fiat iſagonus atque iſopleurus è latitudine & cantheriis, ſupernè in cul-

Noe quare nulla mentio facta feneſtræ, aut tecti, in arca ædificanda.

Tectorum varietas.

Vitruuij opinio de tecto erigendo.

in culmine coniugatis; neceſſariò efficitur, vt Arcæ totius paulò antè explicatæ magnitudini accreſcat cubitorum numerus ingens. Sanè hæc cantheriorum ratio ſic noſtris moderata videtur, vt non pauca tecta, immò plurima, præſertim vetuſtiora, altiùs attollantur. Cùm igitur latitudo quinquaginta cubitorum triangulum eiuſmodi planum conſtituat, atque is in longitudinem Arcæ ducatur; fit corpus ſolidum trecentorum & ſeptuaginta quinque millium cubitorum: quo ſpacio facilè potuiſſent & aues, & omne pabulum iumentorum contineri. Tantam verò altitudinem latitudini potuiſſe imponi, nihil eſt miri; cùm holcades omnes altiores ſint quàm latiores. In lacu Nemorenſi ſimile ferè ædificium olim fuiſſe ſuper aquis extructum, reliquiæ docent, quæ magno ſpectantium miraculo à noſtrate quodam vrinatore ex aquis altiſſimis eruuntur; quod picatum fuit, non bitumine ſolo, ſed miſtione quadam adeò ſuaui, vt videatur è balſamo Breſiliano compoſita fuiſſe. Quod igitur Romana luxuria ſuper lacu facere potuit; quare negabimus idem potuiſſe & ab arte ſumma, & ſumma neceſſitate, Noachum doceri? Si hæc ita tenebimus, non arte modò, & ingenti Arcæ capacitate, ceteris interpretibus erimus ſuperiores; ſed verba etiam omnia Hebræa, Chaldæa, & Græca propriis ſuis & vſitatis ſignificatis videbimus conuenire, & omnes tollemus è medio Apellianorũ aduerſus Arcam calumnias, dubitandiq́ue occaſiones. Nam ex hoc tecti cum reliquo Arcæ corpore commenſu, fit forma Larnacis, id eſt, capuli mortuarij, in quo tectum ſeptuaginta quinque tantùm millia cubitorum, & minus continet ſpacij; quàm tota quadrãgula Arcæ capacitas. Nihil ergo opus eſt, cum Aben Eſra cubitum hîc de monſtroſa Noæ magnitudine comminiſci, quo ſufficiens vaſis magnitudo ſeruetur. Hac enim noſtra Larnacis delineatione, omnes magnitudine vaſis, & artificio, & elegantia ſtructuræ cum ſuperamus; tum facimus, vt Buteo nihil habeat, quod contra hanc formam obiicere poſſit, niſi fortaſſe diceret, naues hac forma nullas videri, & fieri non poſſe, vt tectum tam latè patens firmis compagibus vinciatur. Naues eiuſmodi non inueniri fateor, niſi parui ſint lintres, quibus in amnibus minoribus vti conſueuimus: ſed id non alia cauſa accidit, quàm quòd hæc forma ad aquas ſecandas, & celerem nauigationem ſit ineptiſsima; ceteroquin ad pondera ferenda quàm optima, & ad ſtabulorum commoditatem aptiſsima: quæ tamen ratio non nobis magis, quàm ipſi Buteoni, repugnaret, qui non in alio, quàm in tecti faſtigio, diſſentit. Tantum autem tectum imponi poſſe nemo negabit, niſi qui architectonices penitus ſit imperitus.

Tectum Arcæ Larnacis forma.

ritus. Atque idcirco longè ab eo abſum, vt verear, ne doctiſsimus vir in hac parte quicquam reprehendat: qui verò de auium natura & pabuli ratione cogitabit, is, opinor, fatebitur, non parum me ad commoditatem hanc attuliſſe, dum tectum in hanc altitudinem attollo. Deinde, ad reſpirationem liberiorem animalium, quis non videt hanc ſuperioris partis capacitatem plurimùm conducere, ne dicam neceſſariam eſſe: ad quem vſum plurima etiam credo foramina ſupernè facta, quibus interni halitus euentilarentur, atque per hæc decimo menſe montium cacumina apparuiſſe, ac ventum eum cognitum anteà fuiſſe, quo terræ deſiccantur, vti Moſes narrat: in quibus poſſet alioqui quiſquam interrogare, quî cacumina montiũ apparuerint, & ventus cognitus fuerit; ſi nullæ ſpeculæ in ſuperioribus tabulis fuerint factæ; quamuis nihil vetet, quo minus dicatur, & maiorem feneſtram anteà fuiſſe apertam, quàm aues ad explorandum emitterentur. Neque enim hiſtoriographo neceſſe eſt, omnes minutias ſigillatim explicare: & licèt nec feneſtellæ nec maioris feneſtræ reſeratæ ad ſpeculandum fecerit mentionem, aut modum addiderit, quo montium vertices viſi ſint, aut ventus Aquilonius cognitus, id tamen tam eſt de narratione manifeſtum, vt ſuperuacaneum apud virum cordatum videretur mouere, id Noacho de foramine vel feneſtella fuiſſe perſpectum. Neſcio equidem, quàm grata hæc ſint Theologis futura. Ego certè, vt morbum animi ingenuè aperiam, non parũ mihi placeo de vindiciis veritatis, hoc loco in libertatem ſuam reſtitutę, quæ multis variisque modis interpretationum in obſcuros carceres fuerat detruſa. Quamuis igitur apud neminem gratiam hoc meo beneficio fortaſsis initurus ſim, ſpero tamen apud ipſam veritatem mihi iuſtam non defore mercedem. Infinitos eſſe ſcio, qui hodie non ſecus, atque olim, Apelliani in Arcæ magnitudine offendantur; quos reor deinceps, noſtra & Buteonis diligentia ac ope ſubleuatos, lubentiùs Moſis hiſtoriam hac parte lecturos. Non ergo vana fuit nobis hæc de Gigantum magnitudine diſputatio: è qua tantum luminis ſacris litteris eſt illatum. Habemus enim & Arcæ capacitatem, & Ogi proceritatem certo cubito, non vago ac incerto, terminatam atque definitam. Quo fit, vt Gigantes nihilo iis, quos hodie iuſtæ ſtaturæ homines videmus, maiores ſint cogitandi. Neque enim Gigantis nomen ex origine Cimbrica, nec vox Nephelim, Hebræorum vernacula, magnitudinem aliquam ſignificat immanem, quod quidem in Gigantis interpretatione feci apertum. At Nephelim Latinis cadentes dicuntur, eò quòd à Cain deſcendant, qui primus extra Paradiſum cecidit turpiſsimo lapſu. Seruarũt enim

Vtilitas diſputationis de Gigantibus.

Gigantes iuſtæ ſtaturæ hominibus nihilo maiores.

Nephelim quare cadẽtes dicti.

ab

ab illo omnes nomen, quemadmodum, qui à Setho propagati ſunt, filij Dei ſunt nominati; quia à filio Dei deſcenderunt. Sed horum hîc ſatis, pòſt eadem latiùs. Qui arbitrantur Nephelim vocari, quòd alios, immani magnitudine obſtupeſcentes, cadere faciant, ridiculam mihi videntur adferre interpretationem, in quorum tamen numero Symmachus ceteris tolerabilior eſt; quòd violentos eos faciat, ita vt vi alios peſſundent, non verò magnitudine attonitos reddant. Ineptius illorum eſt commentum, quod Fagius refert, & ſequi videtur, qui dicunt ſic dictos, quòd reliquum hominum vulgus, propter immodicam ipſorum proceritatem, coram illis quaſi cadere videretur. Quamobrem, cùm ſalua hiſtoriæ ſacræ pace id facere poſſimus, audacter affirmabimus, homines olim generatim nihilo, quàm nunc ſint, fuiſſe maiores: & vt tunc monſtra fuerunt, vel ſeptem vel ſex cubitorum homines, ita noſtra quoque ætate accidere. Vidimus enim mulierem decem pedes altam. iuuenem item nouem pedibus non multò minorem: & alios quoque non ita multo inferioris ſtaturæ. Sed hi omnes non magis nunc, quàm olim fuerunt in admiratione. Habuerunt illi quoſdam de poſteris Anak, quoſdam de poſteris Arapha, ceteris hominibus celſiores: habemus & nos Waterlandios, & quoſdam nuper inuentos in nouo orbe, qui quòd inſigni ſint corporis magnitudine, cauſam dederunt, vt regio ipſorum terra Gigantum vocaretur. Sed hi omnes excedunt, & illi quidem; ſed non ita, vt quicquam ſimile habeant cum noſtro fabuloſo Gigante. Confidenter igitur de philoſophiæ præceptis ſtatuamus, nihil in humana ſtatura ab ineunte mundi ætate immutatum eſſe. Si enim eadem nunc eſt, quæ olim fuit, eſſentiæ forma, eandem neceſſe eſt teneri magnitudinis definitionem. Materia enim, ſua ſponte infinita, ab idea ſiue forma terminatur; vt Ariſtoteles etiam in iis, quæ de anima tradidit, annotauit, libro (ni fallor) ſecundo. Cùm enim corpus, corporiſque membra, ad vſum ſuum ſint comparanda, nunquam ita ſecundum naturam excreſcent, vt vſui ſuo ſint inepta. Sed nihil eſt tam verum, vt ſit extra aleam controuerſiæ, calumniæque. Dicunt paulatim corpora fieri imbecilliora, quòd vis ſeminis continuò imminuatur: atque idcirco etiam membra nõ tanta nunc, quàm olim, poſſe procreari. Ego verò id pernego, quòd ſeminis vis calori cæleſti reſpondeat, qui circulari ſua motione ſic eſt vniformis & perpetuus, vt non antè ſit immutandus, quàm ab opifice diſſoluatur. Quamuis igitur in corpore ſit potentia, tamẽ ipſum etiam, in quo eſt corpus, vi ſua excedit. Crebrò enim videmus à minimis homunculis

Mulier alta decem pedes.

In humana ſtatura nihil ab ineunte mundo immutatum.

Corpora an paulatim fiant imbecilliora & minora.

& fe-

& feminis non maioribus, homines generari valdè proceros. Sed medicorum pueros teſtes denunciant, qui dicunt olim medicamenta multo vehementiora data fuiſſe, quàm nunc hominum natura ferre poſsit. Rurſus & id nego, & eos, qui ſic arbitrantur, inſigniter falli, decipiq́ue contendo. Ferunt enim corpora æquè nunc Helleborum atque olim, eodem vel etiam maiore pondere, vt ipſe in aliis & meipſo ſum expertus. Verùm inſcitia eorum, qui nihil medici habent, præter titulum, veſtem longam, & impudentem arrogantiam, in cauſa eſt, vt ſic opinentur. Neque enim nouiſſe poſſunt, quibus, & quando, & quo pondere medicamenta danda ſint, & cetera, quæ oportunitatem neceſſario comitantur. Hinc fit, vt homines non ſcientiam, quam nuſquam apud noſtrates locorum ferè hac ætate vel inuenias egregiam, vel inuenias honoratam: ſed fortunam in medico quærant, contra quam Aſclepediarum lumen, Hippocrates, faciendum eſſe iudicauit. Immo è diuerſo liceret dicere, homines nunc eſſe, quàm olim robuſtiores, eò quòd tam malis medicis vſi, ad ætatem tamen perueniant eandem, ad quam olim homines doctorum hominum conſiliis vix attigerunt. Enecamur nouis & inauditis morbis, vnà cum auro, omnium malorum opifice, ab incognito priſcis ſeculis orbe deuectis. Accipimus Mercurium Chemicorum multis variisq́ue modis præcipitatum. Deuoramus ſtibium non vno fornace, nec vno modo, cruciatum. Bibimus Chalcantum ſæuis ignibus in liquores varios redactum, aliaq́ue multa non minùs noxia venena. His tamen omnibus natura humana non impeditur, vt non multi ad eam ætatem aſpirent, quam ſenij finem veteres ſtatuerunt. Accuſant alij crapulam atque molliciem, eaq́ue fieri dicunt, vt nunc ſimus, quàm olim minores. Quibus ego rurſus ætatem hominum oppono, quam eandem nunc eſſe, quæ olim à ſcriptoribus tum noſtræ religionis, tum exteris proditur, experimur. Excipimus tamen illos, quos benignitate quadam diuina humanæ vitæ terminos legimus exceſſiſſe, quò genus humanum multiplicaretur, & ſcientiæ artesq́ue abſoluerentur. Hanc enim longæ illius vitæ cauſam, inter ceteras Ioſepho video placuiſſe, qui dicit ſexcentis annis opus eſſe ad ſiderum accuratam obſeruationem, quibus magnum annum putat in ſe redire. Quod quoad verum ſit, non eſt huius loci examinare: cùm magnus annus ab aliis aliter computetur, & ſingulis ſideribus per ſe, & eiſdem ad alia comparatis tribui poſsit. Ne tamen nihil ad Ioſephi excuſationem adferamus, dicere poſſumus, ad ſexcentos ferè annos magnum annum Solis & Lunæ redire, ratione computationis per cyclum ſolarem & aureum numerum vocatum.

Medicamenta olim data, an nunc homines ferre poſsint.

Homines aliqui, quare terminos vitæ exceſſerint.

Magnus annus quando in ſe redeat.

Hi

Hi enim post quingentos & triginta duos annos orbem suum magnum, qui nascitur ex vno ductu in alterum, absoluunt; quem nisi magnum annum Iosephus appellet, nõ video, quî sententiam suam tueri possit. Fatemur sanè, ad omnium artium absolutam cognitionem, multis ætatibus opus esse; quod Theophrastus optimè indicauit, qui cum rerum natura expostulat, cornicibus plus æui, quàm hominibus dimensum esse, cùm tempore longissimo vix quisquam ad artem aliquam liberalem perdiscendam peruenire possit. Verùm ad Astronomiæ omnem varietatem, ad certas motionum regulas applicandam, non sexcenti tantùm anni sunt necessarij, sed multa millia; cùm multarum circuitionum nullus hactenus fuerit exitus. Præcessio enim æquinoctiorum, siue motus stellarum fixarum, quando tandem orbem suum absoluet? in quo de certo certorum annorum progressu non exigua hactenus est sententiarum diuersitas. Ptolomæus tantò post primos illos patres natus, quamuis quingentorum circiter annorum obseruationes haberet, ignorauit tamen absidem Solis moueri. Plurimis sanè annis obseruari sidera debent, quò tandem certi aliquid emergat. Et permulti anni necessarij sunt, immo quàm plurima secula, ad medicinæ cognitionem, idemque censendum in omni orbe disciplinarum. Quocirca tum hac ratione longæuos primos illos homines Deus singulari gratia fecit; tum illa etiam, quò hominum genus breui magna sumeret incrementa; quam equidem præcipuam esse credo. Quot enim liberos procreabit, qui tantum temporis proli operam dabit, quantum illi vixisse dicuntur? Scio primariis & sanctissimis illis paucos filios adscribi; sed vt hi continuerint sese ab hac exercitatione; non tamen idem quoque de ceteris suspicandum, qui voluptatem potiorem, quàm contemplationem & castitatem habuerunt. Verùm, quia apud Plutarchum legitur Barbaros quosdam tribus mensibus, Arcades quatuor, Acarnanes sex, Ægyptios vnico, ac deinde quatuor, annum terminasse; non defuêre profani quidam homines, qui Bibliis etiam eiusmodi annorum breuitatem inferrent; quos toto cælo aberrare, Mosis de diluuio, & morę Noachi in Arca narratio conuincit. Is enim eo loco menses eodem modo computat, quo nos, & annum totidem absoluit; cùm dicat Noachum sexcentesimo ætatis anno ingressum esse Arcam, mensis secundi decimo septimo die; & egredi iussum esse, anno ætatis sexcentesimo primo, mensis secundi die vicesimo septimo. Computat igitur hic annum duodecim mensibus, post primum diem mensis decimi, quo cacumina montium apparuerunt, quadraginta mox dies adiiciens, ac mox septem, atque iterum septem: ac

Astronomiæ quare multæ annorum millia necessaria.

Annus an sem per fuerit XII. mensium.

deinde menſem primum, cui adiecit menſis ſecundi dies viginti ſeptem. Apertum itaque hinc non decem menſibus, nec vndecim, & multo minus paucioribus, annum conſtitiſſe; ſed duodecim, quos Luna ſic metitur, vt ad eius curſum epactę ſint adiiciendæ, vndecim diebus conſtantes: è quibus enaſcuntur trecenti ſexaginta quinque dies, menſura iuſta annorũ Ægyptiorũ. Fuit ergo Noachus in Arca integro anno, cùm terram arefactã videret, vno minus die: quo die Deus iuſſit, vt egrederetur. Veriſimile igitur eſt vltimo die anni ſexcenteſimi primi, poſtridie, quàm Ioua mandaſſet, egreſſum fuiſſe, ipſo videlicet viceſimo octauo die menſis ſecundi. Ingreſſus enim eſt anno priore, menſis ſecundi die decimo ſeptimo; à quo ſi computes menſes Lunares, viciſſim triginta & viginti nouem diebus complexos, inuenies viceſimum, ſeptimum diem menſis ſecundi anni ſequentis, decimum eſſe diem epactarum; & totum annum poſtridie fuiſſe completum, à quo in Arcam fuerat ingreſſus. Hanc igitur ætatis menſuram priſcis hominibus datam fuiſſe credimus, cum ob alia, tum maximè ad generis humani celerem copioſamque propagationem, quam non alia via Deus expeditius conuenientiusque poterat moliri. Suos interim amicos electiſſimos oſtendit, maiorem rebus diuinis & contemplationi curam, quàm rei venereę, impendiſſe; cùm tres duntaxat Noachus proles maſculas in Arcam induxerit ætatis ſuæ anno ſexcenteſimo: niſi fortè quis ſuſpicaretur plures quidẽ fuiſſe filios, ſed eos cum ceteris à vero Dei cultu, & probitate vitæ, ante diluuium deſciuiſſe, atque idcirco patrem deſeruiſſe. Huic tamen obſtat tempus, quo vxorem dicitur duxiſſe; quo fit, vt in eo manendum putem, ſobrium Veneris vſum in iis maximè Iouæ placuiſſe, quos præ ceteris mortalibus gratiæ ſuæ priuilegiis vellet ornare. His igitur exceptis, quos Deus ipſe excepit, à communi naturæ curſu, dicimus hominis ætatem citra miraculum aliquod ſemper eandem fuiſſe, quam hodie experimur. Si enim à bis mille ſexcentis & amplius annis, qui ab eo tempore elapſi ſunt, quo Dauid ad citharam diuinas ſuas odas cecinit, nihil in hominum ætate eſt immutatum; conſentaneum rationi eſt, curſu quidem & ductu naturæ nunquam quicquam immutatum à diluuio fuiſſe: at illos, qui diutiùs vixerunt, vixiſſe diutius dono Dei ſingulari. Audiamus igitur quid Pſalmus dicat octogeſimus nonus. Anni noſtri, ſicut aranea, meditabuntur; dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Ceterùm, quia obſcura & parum elegans hęc eſt verſio, interpretetur idem Apollinarius, qui canit ad hunc modum.

Noachus quàm diu fuerit in Arca.

Amici Dei electiſſ. contemplationi incumbunt.

Hui-

„ Ἡμετέροις ἐτέεσσι πανείκελός ἐςιν ἀράχνης,
„ Ζωῆς ἀνδραμέης δεκάδες χρόνȣ ἑπτὰ πέλονται.
„ Ἤνδ' ἔτεα ζήσαιμεν ἐπὶ πλέον ὀγδώκοντα·
„ Τῶν δὲ κόπος καὶ μόχθος ἀεὶ βίȣ ἐςὶ πρῖσσόν.

Nos paulò clarius hoc modo reddemus:

„ *Par opus est nostris, quod texit araneus annis;*
„ *Septima namque decas finit sine viribus æuum.*
„ *Sin fors maiores vires octaua decussis,*
„ *Vlterius quicquid contingit, pœna dolorque.*

Hæc igitur cantilena siue Dauidis sit, in cuius Psalmis numeratur, siue Mosis, cui eam titulus adscribit; clarè docet ante tot secula communem hominum ætatem septuaginta, vel ad summum octoginta annis terminatam fuisse, tempore nihilo maiore, quàm nunc vita complectitur. Quî ergo fiet, vt quisquam dicere audeat, homines illo seculo, quàm nostro, robustiores fuisse, si grauissimo hoc testimonio constet, tum etiam eandem, quæ nunc est, humanæ naturæ fuisse imbecillitatem? Campania nostra Brabanta plurimos habet natu maiores octogenariis, qui suaui adhuc vita perfruuntur. Memini audire à patruo meo, qui nunc nonaginta annos attingit, se vidisse quendam insigniter grandæuum, in media solitudine vehiculum quatuor rotarum bigis tractum latere cocto onerantem; quem cùm post salutationem interrogasset, quotnam annorum esset, (valdè enim senem esse sciebat) respondisse iam senium se deposuisse, ac adolescentem esse quindecim annorum. Possem infinita longissimæ vitæ exempla adferre; sed quia nemo est, qui nesciat septuaginta annos à plurimis superari, non citra bonam valetudinem, & probam corporis mentisque functionem, nolo in re manifesta admittere prolixitatem minimè necessariam. Iam igitur, si validiora corpora tum non fuerint, nec maiora quidem fuerunt; cùm hoc prioris, non contrà, videatur corollarium. Quòd verò Moses, siue Dauid, ad iram diuinam hanc naturæ nostræ imbecillitatem referat, id quidem lubenter concedo. Neque enim mea refert, siue longam illam vitam Ogygiorum hominum ad Dei benignitatem, vti nos; siue annos nostros ad iram eius pertinere dicas. Nos enim naturã citra miracula diuina examinamus, & quod perpetuum est, id inquirimus. Si igitur à tanto seculorum interuallo diuina vindicta hanc vitæ breuitatem induxit, dicimus eam eandem perpetuò permansisse, nec immutandam, nisi Deo rursus placeat humanæ vitæ spacia minore tẽpore definire. Prętereà quamuis concederemus

Naturæ imbecillitas vnde.

longiorem tum vitam homini fuisse ; non tamen omnino necessariò sequeretur, magnitudinem quoque maiorem fuisse. Cornici enim ea est temperies, vt hominem longè vitæ diuturnitate vincat, non tamen idcirco corpus quoque maius sortita est. Quid? quòd in eadem specie videmus homines paruos longæuiores plerumque esse, quàm eos, in quibus statura est Gigantea? Est hoc ipso tempore quidam Heretansi (opidum hoc est, quinque hinc milliaribus situm) ad decem propè pedes longus, sed valetudinarius, & nunquam ad senium (ni fallor) peruenturus. Noui multos monstrosæ magnitudinis, sed inter omnes neminem, qui ad canos peruenerit. Quamuis ergo videantur prima statim fronte connexæ corporis vastitas & longa ætas, atque ambæ à validis viribus dependêre, non tamen ita res habet, si rectè examinetur. Sicut enim aurum, quantumuis paruum, consumi non potest, propter temperamenti firmum connexum; ita in hominibus quoque & ceteris animantibus res habet. Nam in his magnitudinis causa è copia fluxæ materiæ & abundantis pendet, non è proba eius & solida commistione, quæ vitæ diuturnitatem tuetur. Illud tamen ferè solet euenire, vt optimum temperamentum mediocris corporis magnitudo sequeretur. Sed ne id quidem perpetuum est, cùm homines plurimos sit videre ceteris multo longæuiores, qui infra humanæ staturæ mediocritatem consistunt. Quamuis igitur solius naturæ beneficio, nullo Dei miraculo, Mathusalem, & Noach, & ceteri patres tam diu vixisse dicerentur; nunquam tamen inde proba conclusione efficeretur, pro ratione longitudinis vitæ staturam quoque corporis fuisse maiorem. Nam perspicio equidem in hac nostra corporum huius ætatis mediocritate tale contingere posse temperamentum, & talem deinde viuendi rationem, vt illud, ab hac adiutum, hominis æuum multò longius producat, quàm communis hominum duratio ferat. Memini legere in obscuris quibusdam historiæ auctoribus, ad tempora Caroli Audacis peruenisse quendam, qui ter centum annos absoluisset; quod equidem nec facilè credere, nec confutare solida ratione possum. Malo tamen admittere, singulari aliqua mistionis firmitate tantum homini tempus contingere posse, quàm Theophrasto Paracelso credere, qui pollicetur se consecuturum, vt medicamẽtis suis hominem, communi conditione natum, ad plura secula deducat; cùm ipse hic, tam vasti hiatus promissor, ad quadragesimum octauum annum non peruenerit. Sed adferunt discipuli excusationem non minùs, quàm ipsa est pollicitatio, absurdam. Aiunt Paracelso tantum scientiarũ in illa ætate contigisse, vt frustra putaret se longiùs victurum, cùm omnis illa

Corporis vastitas & longa ætas, an semper connexa.

Theophrasti Paracelsi absurda pollicitatio.

ætas

ætas perdi videretur, in qua nihil amplius posset addisci. O stolidos & insanos homines, ô cæcas mentes! Adeóne barbarus ille omnem humani ingenij cultum absoluerat, vt nihil amplius in eo desideraretur? Sed missum faciam hoc omnis perfectionis exemplar, & cum eo etiam omnem vitæ longitudinem, quæ primis illis hominibus contigit. Siue enim primo quodam iure, siue temperamento, & ratione victus tantam ætatem sint consecuti, nego tamen hominum vitam continua successione fieri minorem. Alioquin enim à duobus millibus annorum & sexcentis non constitissent in eodem tenore. Qui namque semen continuò debilius reddi putant, egregiè falli docentur ex eo, quòd videamus è paruis magnos, è breuis vitæ hominibus longæuos non rarò procreari. Vis seminalis non è solius corporis temperamento, sed è calore cælesti, si Aristoteli & rationi eius credimus, proficiscitur: atque idcirco non veterascit, eò quòd causa eius præcipua senij capax non sit. Sed vlterius rogabo hos portentosæ magnitudinis auctores; An iumenta etiam tum maiora fuerint? &, si maiora fuerint, qua crapula, qua mollicie, quóve delicto factum sit, vt nunc sint minora? Si maiora non fuerunt, dicam nec homines maiores fuisse, ad quorum vsum sunt à natura comparata. Quamobrem miror, qua magnitudine equus esse potuerit, quo noster Gigas vehebatur; cùm de longitudine eius certò colligatur, vel elephantem potuisse subtus inter femora transire, si diuaricatus fuisset. Imperitè igitur & inconsideratè mentiuntur, qui eiusmodi fabulas nobis componunt, cùm omnia deberent sibi ipsa priùs conuenire, quàm credenda peritis viris obtruderentur. Si enim homines tanto fuerunt maiores; & equos tanto maiores fuisse, & asinos, & cetera iumenta, par est. Et, si illa maiora fuerunt, adferenda est causa, quæ non homines modò, sed hæc etiam reddiderit minutiora. Sed hæc inueniri, quod equidem sciam, hactenus non potuit; nisi fortè ad mundi senium cõfugiant, quo nihil potest esse magis absurdum, propterea quòd motus circularis cælorum, & materia elementorum, & ideæ æternitatem omnium, stabilitatemque nunquam fatigandam conseruent. Fabulosa igitur sunt, & longè à veritate remota, quæ in hanc sententiam à poëtis canuntur, vt est illud apud Homerum de viribus Diomedis:

Hominũ vita an minor fiat continua successione.

Semen non fit continuò debilius.

Mundus an senescat.

„ —— ὁδὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
„ Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν.
„ Οἷον νῦν βροτοί εἰσ', ὁ δὲ μὶν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

Quod Virgilius, perinde atque alibi, è plethro fecit iugerum;

Virgilius in mentiendo Homero tolerabilior.

sic auxit, vt de duobus fecerit duodecim, Turni robur extollens; quo videlicet ostenderet, se poëta Græco in mentiendo non esse inferiorem; sed tolerabiliorem tamẽ, quia sic mentiretur apertè, vt nemo non cerneret mendacij enormitatem:

„ ——*Saxum* (ait) *circumspicit ingens,*
„ *Saxum antiquum, ingens campo qui fortè iacebat*
„ *Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.*
„ *Vix illud lecti bis sex ceruice subirent;*
„ *Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

Si enim à Troiano excidio ad Homerum vsque ea facta fuisset roboris imminutio, quantam ad nostram vsque ætatem factam esse deberemus suspicari? Iam, si robur maius, corpusque maius priscis hominibus tribuendum fuit; modus etiam cibi diurni maior tribuendus fuisset. At hic ab Homeri vsque tempore, atque adeò ab ipso Troiæ excidio idem fuisse videtur: canit enim ille ad hunc modum verba Telemachi:

„ Οὐ γὰρ ἄνεργον ἀνέξομαι, ὅσσεν ἐμῆσγε
„ Χοίνικ' ἄπλητα καὶ τηλόθεν εἰλήλουθώς.

Id est,

„ *Haud etenim quenquam, longinquus sit licet hospes,*
„ *Absque labore feram contingere Chœnica nostram.*

Chœnix demensus cibus vnius diei, quot vncias contineat.

E quo coniicere licet, Chœnica demensum cibum diei vnius fuisse, non solùm posterioribus seculis, vt Hesychij Milesij, & ceterorum Grammaticorum testimoniis est perspicuum; sed etiam ante Homeri ætatem, qui hunc sermonem Telemacho accommodauit. Chœnix autem vncias capit quadraginta, & dimidiatã, quæ nostrates maiores libras duas faciunt & dimidiatam cum semuncia. Hanc tritici mensuram militiæ etiam obseruatam fuisse Herodotus demõstrat, cùm tantum viritim in exercitu Xerxis distribuit. Vnde quidẽ in fictitia sua Vranopoli hemerotrophida Chœnica nominauit, vt est apud Athenæum. Latinorum etiam demensum quatuor fuit modiorum in singulos menses, ita vt in singulos dies sextarij duo enascantur, qui faciunt vncias quadraginta. Sed quia demensum duorũ dierũ, sextarij nempe quatuor in quatuor modiis vltra triginta dies supersunt, si vnciatim res supputetur, atque hi duodecies accepti viginti quatuor dies reddunt, fit vt toto anno demensum plus quàm octodecim dierum supersit. E quo coniecturam facere quis posset, tempore eo, quo res Romanæ floruerunt, plus panis singulis datũ fuisse,

Latinorum demensum quantum.

fuiſſe, quàm tempore Xerxis, atque ita non imbecilliores ab illo ſeculo ſed robuſtiores euaſiſſe. Verùm, quia hoc non quærimus; ſatis erit illas ætates cum noſtra conferre, in qua plus, quàm tres libras noſtras maiores, in ſingulos dies deputamus; ſi duos Muddos, quam menſuram vni homini in annum tribuimus, in vncias partiamur. Quamobrem ſi rationi conſentaneum eſt, vt corpora maiora & robuſtiora ſint, quæ alimento indigent copioſiore, quod illi indicarunt, qui Herculi bouem integrum deuorandum dederunt; cogemur fateri homines huius ætatis robuſtiores maioresque eſſe, quàm Romani Græciq; olim fuerunt; quippe quibus demenſum ſit maius concedendum. Verùm hoc nolumus contendere: ſatis eſt ſi pares ſtatuantur, conſtetque tot ſeculorum interuallo nihil humanam ſtaturam decreuiſſe. Porrò, ad hoc euincẽdum, quid efficacius eſſe queat, quàm de pede Romano ducere argumentum; cui cùm mediocrium huius æui hominum pedes pares ſint, quid vltrà dubitemus aſſerere vana eſſe, quæ contrà diſputantur? Statura mea mediocritate breuior eſt; palmis tamen meis quatuor pedem, Romæ in marmor exciſum, non æquo ſolùm, ſed etiam nonnihil excedo. Hoc experimento clariſſimè obtinemus, in quo à mille quingentis, immò bis mille atque amplius annis, à quibus pedis menſura eadem Romanis fuit, nihil eſt variatum, in eo ne in ſex quidem millibus annorum quicquam variatum fuiſſe. Manet igitur inexhauſta materia, cùm nihil poſsit in nihilum corrumpi, nec fatigantur ideæ, vt nunc minus poſsint materiæ eſſentia ſua formare, quàm olim formarunt. Continetur itaque hominis menſura certis terminis, vltra quos ſe formarum poteſtas non extendit: quæ poteſtas cùm perennis ſit, & nulli corruptioni aut laſsitudini obnoxia, neceſſariò ſemper iidem termini permanebunt, intra quos humanæ ſtaturæ, ſicut ceterorum animantium, modus atque dimenſio eſt concluſa. Quamobrem, cùm nec hiſtoria ſacra, nec tot ſeculorum obſeruatio me cogant quicquam contra hanc philoſophiæ aſſertionem confiteri; confidenter negabo, Gigantes vnquam alios fuiſſe, quàm hodie etiamnum cernuntur. Rarum eſt quidem cùm locis, tum temporibus, ſpectaculum; ſed tale, vt ne olim quidem fuerit frequentius, ceteroqui non tanto in ſacris litteris miraculo referendum. Plinius autem, ſeductus poëtarum fabulis, arbitratur, corpora paulatim minora fieri ob aduſtionem, in quam mundi vergat æuum, hac vbertatem ſeminum in dies magis atque magis conſumi. Quod equidem in hoc auctore non miror, vtpote qui putarit Solem atque cetera ſidera vaporibus nutriri. Quod ſi ita eſſet, poſſet ſenſim totus hic mundus inferior abſumi:

Noſtrarum dimenſum quantum.

Pedi Romano pedes huius æui pares.

Sol an vaporibus nutriatur.

absumi; vel, vt melius dicamus & rationi conuenientius, iam olim absumptus esset. Solus enim orbiculus solaris, vt de toto eius cælo sileamus, quanto tempore potuisset tota elementorum omnium copia exsatiari, quæ magnitudine sua tam immani discrimine excedit? Si corpus nostrum, quod ducentas, vt demus, libras appendit, vix quinquaginta diebus cum ducentis libris cibi atque potus durare posset; quantulo, rogo, tempore tota terra satis erit Soli alendo, fonti omnis tum luminis, tum caloris? cùm terra vix æquet centesimam & sexagesimam eius partem. Mitto iam cetera astra, mitto immensa cælorum corpora, quæ si eisdem escis sint refocillanda, tota elementorum compago ne vnius quidem boli pondus implebit, tantum abest, vt vel vno temporis momento satis esset ad nutriendum. Sed hæc crassiora sunt quàm vt vel à pueris philosophorum somnientur. Qua de re fit, vt nec illud, quod de adustione dixit, sit dignum viro in naturæ comtemplatione versato: quanquam Cleanthi hanc opinionem adscribi sciamus. Si certè cælum & astra nutrimentum desiderarent, corruptionem etiam internam metuerent, quando nihil aliud est nutritio, quàm eius, quod in corpore deperiit, restauratio. Quia enim in naturali actione id, quod aliud immutat, id ab eodem etiam patitur, atque paulatim iam sæpius repassum, redditur debilius; necessariò consequitur, vt tandem etiam corrumpatur. Tota igitur illa cælestis machina iam à tot seculis aliquid passa esse cerneretur, vel in corporum magnitudine, vel in mouendi facultate: quippe, quæ senescunt, tardiora redduntur & strigosiora. At nihil tale quisquam adstruere vera ratione potest. Immò contrà in motionibus quibusdam videmus euenire. Nam stellæ fixæ, inter Hipparchi & Menelai ætatem, in cetum duntaxat annis vno gradu promouebantur; cùm posteriùs multo à Menelao ad Albategnium, ad gradus vnius spatium conficiendum, non plures, quàm sexaginta sex annos, sibi postularint; & hinc etiam paulò minùs, si obseruationes veterum veritatem custodiant. Non igitur defatigantur astra, sed modò citiùs, modò tardiùs orbis sui viam metiuntur, pro eo atque ratio corporum cælestium ad nos comparata id exigere videtur. Idem in declinatione liceret videre, quæ inter Eratosthenem, Hipparchum & Ptolomæum nihil ferè fuit variata, si rectè illi supputarunt, cùm pòst plurimum mutationis acceperit. Nam à viginti tribus partibus, & quinquaginta vno scrupulis, cum viginti secundis, quod priscorum obseruatio deprehendit; ad partes viginti tres, & viginti octo scrupulos peruenit, Solem tanto æquatori propiùs admouens, quàm olim fuisset. Quæ ergo hic lassitudo? quæ tardi-

Cælũ & astra an nutrimentũ desiderent.

tas?

tas ? Minor declinatio à Ptolomæo euasit, motu minimè segni, cùm anteà ferè constitisset; nec nunc quoque quiescit, sed rursus maior euasura videtur, cùm à viginti tribus partibus & viginti octo scrupulis rursus dilatata sit ad viginti tres gradus & viginti nouem scrupulos, vt Erasmus Reinoldus deprehendit. Taceant ergo illi, qui nutritionem, atque ex ea corruptionem, & necessariam quoque fatigationem, aut tarditatem, inducunt; sciantque cælorum orbes indefessa motione statis temporum interuallis certas partes absoluere, nec quicquam in illis lassitudinis causa immutari; adeò vt plurimæ motiones nunc celeriores, quàm olim fuerint, esse cernantur, quod prorsus repugnat illorum assertioni. Quocirca, si elementorum, & eorum, quæ ex his constant, vis omnis à superioribus illis corporibus gubernetur; necesse est confiteri in his perinde atque in moderantibus eandem constantiam perpetuò manere, materia nunquam in nihilum abitura, nec gubernantium vi vnquam lassanda. Sed obiiciunt hic quidam ingens (vt putant) assertioni meæ impedimentum. Aiunt Solis absida, siue apogeum iam terris propius admotum esse, quàm olim fuerit; atque id ita à Copernico computatum ex obseruatione æquinoctiorum & solstitiorum, adsumptis etiam aliis locis, quò minus falleretur, vt concludat eccentroteta sui temporis esse partem vnam cum quinquaginta sex scrupulis proximè (vt ipsius verbo vtar) quantas partes semidiametrus habet sexaginta, siue tota diametrus centum viginti: ita vt eccentrotes tota tricesima prima pars sit semidiametri, cùm tempore Ptolomæi fuerit vigesima quarta pars; id est, partes duæ cum toto partis vnius dimidio: maior nimirum triginta quatuor scrupulis, siue parte dimidiata & quatuor scrupulis, quàm nostra sit ætate. Tota igitur eccentrotes cùm sit tricesima prima pars totius semidiametri eccentrici solaris, atque semidiameter huius contineat mille, centum, sexaginta quinque semidiametros terræ proximè; terræ verò semidiameter milliaria nostratia octingenta, quinquaginta nouem, dando vni gradui sexaginta Italica, siue quindecim nostratia; habebit triginta duo millia milliariorum nostratium, & ducenta octoginta duo ferè. Discrimen igitur triginta quatuor scrupulorum, quibus nunc, quàm Ptolomæi ætate, Sol terris est vicinior, dabit nouem millia milliariorũ quadringenta quinquaginta tria proximè, multo nimirum pauciora, quàm à quibusdam video computari, qui miraculum hoc, vt ipsis videtur, stupendum, & plenum certarum prædictionum, si Deo placet, adeò auxerunt, vt Solem nostra ætate viciniorem terræ faciant, quàm fuerit imperante Hadriano, ad viginti sex millia milliariorum, sexcenta,

Solis absis an propior terris nunc sit, quàm olim.

cùm Ptolomæi ætas ad duos gradus & dimidiatum, Solem terræ viderit propinquiorem in Capricorno, quàm esset semidiameter eccentrici; iam verò vno duntaxat gradu & quinquaginta sex scrupulis accedat: necesse est fateri nunc in ipso hiemis frigore Solem remotiùs à terra abesse triginta quatuor minutis, quàm fuerit, cùm terras Hadrianus moderaretur. Expostulare certè cum Deo terra posset, Quid hoc est, bone Deus, cùm tota frigore perhorresco, & alto gelu constringor, & niuibus stridentibus iaceo sepulta, Solis radios longiùs à me iubes discedere: & contrà, cùm summis ardoribus squalesco, & vix sitientibus herbis ipsa mea medulla opitulari possum, tum tu facis, vt Sol propiùs me exurat? Quæ hæc rogo est medendi ratio? Si hoc est boni medici frigidam me maiore frigore affligere, arescentem vehementiore squalore ad tabem compellere, næ ille optimus erit medicus, qui ad mortem tendentibus venena dat bibenda, quò celeriùs extinguantur. Si hoc est curare, nescio quid sit occidere. Si Solem mihi propiùs nũc, quàm olim, vis admouere, tum propiùs admoue, cùm magis opus est, cùm frigore hiberno senile meum corpus congelascit. Olim in hieme curabas, vt centum quinquaginta scrupulis propinquior fieret, quàm semidiametri spacia dispescerent, nunc satis tibi videtur, si ad centum & sedecim propiùs accedat. Profectò longè aliter sentiret, qui scit senili corpori maiorem calorem ad refocillandum necessarium esse; præsertim eo tempore, quo frigidus Ægoceros è montibus in campos descendit, & omnia latè frigore constringit. An non iusta hæc videretur querela? Mihi sanè iustissima. Quid ergo dicemus ex hac obseruatione Astronomica colligi posse? Nescio equidem. Hoc interim scio, nihil minus, quàm quod de senio sibi finxerunt. Contra potiùs sic erat ratio concludenda. Si omnia iustissimo aptissimoque ordine inter se consentiant, sitque sol nunc in hieme longiùs à terra, quàm olim remotus, consequens est non tanto calore illi in hieme opus esse, quanto olim fuit. Rursum si feruente æstate à terra non tam, quàm ante quatuordecim secula, remotus discedit, necessariò colligitur, non tantum ab æstu & siccitate periculi terris esse, quàm olim fuit, cùm Sol altius attolleretur, ne radiis rectioribus terræ squalorem ac tabem induceret. Cuius igitur ætatis est hieme minoris egere caloris, & æstate minus vereri, ne feruor æstatis ariditatem inducat! Eius certè, quæ calore & humore interno abundat, quæ nihil minus esse potest, quàm senecta. Potiùs igitur terra iuuenescit, si tantum in hoc propinquitatis distantiæque discrimine momenti est, quantum illi esse putauerunt, qui hoc miraculum exaggerarunt. Argumentum itaque adduxe-

Terra, cũ Deo expostulatio.

runt

runt vt ipſis videtur, admirabile, vt mihi videtur admirabilius: quia tale nimirum ſit, vt contra eos ipſos pugnet, à quibus in auxilium vocatur. Verùm vlterius excutiatur tam inſignis ratio. Monui craſſo indicio & omnibus obuio, quanto ſpacio Sol propinquior ſit æſtate de Copernici obſeruatione, quàm fuerit quondam ſub Principe Hadriano: quod ſanè aſſero, ad vim caloris, exiguum perpuſillumque, & ferè nullum habere momentum. Cùm enim tria maximè ſint, experimẽtis, rationi, & Auicennæ conſentaneè, quæ adiuuent corpora calefacientia, propinquitas radiorum, rectitudo, & mora: eorum nullum eſt, in quo minus ſit virium, quàm in propinquitate, ſi cetera deſint: nullum quod per ſe plus poſſit, quàm mora & diuturnitas calefaciendi. Nam manum per directas flamas ducere, ſi celeriter id agas, citra noxam queas, quas ne ad obliquos quidem radios, & longiùs paulo ab igne, diu continere poſſis. Æſtatis igitur calor à directione radiorum magnam quidem habet rationem, ſed multo maiorem à mora corporis calefacientis. Propinquitas igitur illa tam exigua, quàm eſt diametrus Solaris, Epicureis pedalis fortè iudicanda in tanto interuallo, quantum eſt inter cælum Solis & terram, vix eſt mentione digna, dum non de proſtaphæreſi ſupputanda: ſed de calore augendo ratiocinamur. Si dicerem in hieme è tota eccentrotete, qua Sol tum terris eſt vicinior, nullum ſentiri calorem, haberent aduerſarij, quod obiicerent radiorum obliquitatem & exiguam moram. Quamobrem hoc miſſo, tranſeamus ad aliud argumentum. Sol, cùm propinquiſſimus eſt terræ, per vertices eorum fertur, qui partem Breſiliæ ad circulum Capricorni incolunt: at, cùm eſt à terra remotiſſimus, illos deſpicit, qui feruentiſſimas Libyæ & Indiæ regiones habitant. At conſtat omniũ eorum confeſsione, qui ad illam partem Breſiliæ commorati ſunt, regionẽ eſſe citra Tropicũ Capricorni temperatam, &, ſi qua re peccet, nimio humore peccare, cùm è diuerſo bona pars Libyæ feruentiſsima ſit, & tota ſqualeat. Non eſt igitur pondus aliquod in propinquitatis illo diſcrimine, ſed aliunde cauſæ caloris maioris, minorisue ſunt petendæ, alioqui Libya ſitientiſsima minùs, quàm Breſiliæ pars illa, torreretur: cùm Sol ab illa longiùs, quàm ab hac, ſit remotus, tanto interuallo, quantum dat tota eccentricitas. Si ergo in tota eccentricitate nihil ſit momenti, quid erit momenti in triginta quatuor vnius gradus minutis? Quouis ergò potius hæc centrorum propinquatio, quàm ad mundi ſenium eſt referenda, pace tamen illorum, qui contra ſentientes arcana nobis myſteria ex hoc Tantali fonte (quo eum nomine non immeritò

Corpora calefacientia quæ adiuuent.

Calfaciendi mora potentior rectitudine.

Breſiliæ pars ad circulum Capricorni temperata.

ritò appello)hauſerunt. Longè verò illud eſt putidius, hinc velle de fine mundi vaticinari, quem volunt tum interiturum eſſe, cùm centrum terræ cum centro orbitæ ſolaris coiuerit, quod poſt quinque ſecula futurum minantur, de neſcio cuius Heliæ ſcriniis oraculum conſentaneum addentes. Verùm demiror quis docuerit hanc tantam fore centrorum permutationem, vt gradum vnum & quinquaginta ſex ſcrupulos appropinquatio perficiat intra quingentos annos, quæ intra mille, quadringentos, & eo amplius, triginta duntaxat ſcrupulos perfecerit. Sed hæc fortaſſe motuum analogia, ſiue potiùs portentoſa anomalia ex Heliæ etiam adytis eſt profecta. Quid ego hîc prius admirer? inſaniam ne illorum, qui ex ordinato aſtrorum progreſſu eius corporis ſolutionem interitumque ſomniant, in quo omnia ſtato & perpetuo motu voluuntur, nec à tot ſeculis vnquam vel minimum errorem commiſerunt! an verò alterum quòd ex centrorum coniunctione conflagrationem mundi augurentur? quæ ſi coniuncta eſſent, hoc facerent, vt Sol terræ ſemper æquè propinquus eſſet, atque tantum adhuc diſtaret, quantum ſemidiameter eccentrici ſolaris comprehendit? Atqui hoc tempore Sol in perigæo multo propiùs accedit, & nullum tamen aduſtionis adfert diſcrimen, ne illis quidem terris, quas rectis radiis deſuper intuetur. An verò illud magis ſtupendum, inueniri homines tam vecordes, qui non cogitant illiùs ſolius eſſe mundum diſſoluere, qui compegit, & eum nunquam ſigna corruptionis ei corpori infixiſſe, quod ſic creauit, vt à nullo, nec interno, nec externo contrario, corrumpi poſsit. Quid hoc eſt, bone Philoſophe? in re ſuapte natura incorruptibili, cuique nec intus nec extra quicquam eſt contrarium, ſigna quæris corruptionis, atque ea ſumis ex ordinaria naturalique cælorum motione. Supra naturam eſt, cælum diſſolui. Non eſt ergo in cælo ſignum corruptionis quærendum, cùm in eo cauſa nulla corruptionis extet. Solius illius eſt, qui molem compegit, quando eam diſſoluturus ſit, præuidere. Hic ergo conſulendus, non aſtra, non cæli, non cælorum imaginaria centra. Quod ſi induciæ nobis dentur, dum centrum orbis eccentrici Solis cum centro terræ coëat, nihil adhuc de interitu aut conflagratione metuendum. Nam ſi eodem greſſu pergat ire, quo ſolet ante quatuor millia annorum, de quingentis annis & pluribus etiam nihil cogitandum. Atque hæc quidem contra illos, ex ipſorum permiſſu, quibus centrum eccentrici ſemper deſcendere contra Arzachelem concedimus. Tantiſper tamen id futu-

futurum dici poteſt,dum,quo deſcendat, non amplius habebit: vnde rurſus neceſſariò aſcendendum, niſi præter ſolitum ſit ei quies perpetuò danda. Nec eſt igitur materia aduſta, nec aduretur, nec Solis calor corpora abſumit;ſed alit, vegetat,vitam infundit;& infuſam conſeruat. Abeat igitur Plinius cum ratione ſua ad alium aliquem Empedoclis mundum, in quo hanc ſuam ſapientiam pinguem venditet,atque tradat. Non credam itaque cadauer in Creta, vel terræ motu, vel fluminum impetu detectum fuiſſe, quod ſex & quadraginta cubitorum Plinius facit, aliis Orionis illud, aliis Oëti fuiſſe arbitratis; tametſi Lucius Flaccus, & Metellus qui viſum iuiſſe dicuntur, per capita ſua iurarent. Aut marinæ belluæ oſſa fuerunt,aut dæmonis arte conficta, qui eiuſcemodi ludibriis credulos homunculos dementat, & à veritate ad falſas de rebus omnibus opiniones deducit.Ex eodem fonte manauit illud Plutarchi & Strabonis, qui aiunt à Sertorio in Tingi Mauritaniæ ciuitate, nunc Tanger nominata, corpus inuentum eſſe ſexaginta cubitorum, quod Antei fuiſſe putabatur. Nec diſsimile eſt, quod Boccacius in Deorum genealogia commemorat ſuo tempore contigiſſe: corpus non longè à Drepano inuentum eſſe, ſiue Erycis, ſiue alterius Gigantis,quod contactum ſtatim in puluerem ſit diſſolutum: de coxa tamen & tribus dentibus, quæ oſſa ſola remanſerant, inita ratione deprehenſum eſſe, totam longitudinem ducentos cubitos impleuiſſe. Eodem pertinet & illud corporis oſtentum, quod ad Valentiam Rhodanus detexit, longum ad pedes triginta. Porrò, quod in annalibus annotatum inuenimus, de Pallantis corpore non procul ab vrbe inuento, quod ad Henrici vſque ſecundi imperium duraverit integrum: vix video,quam poſſit habere explicationem. Refert Martinus, vt Bergomas Heremita tradit, ab agricola illud inuentum fuiſſe, atque vnà lucernam, quæ extingui priùs non potuerit,quàm foramen in fundo eius factum eſſet. Vulnus autem letale à Turno illatum,quatuor pedum hiatu patuiſſe, & altitudinem totius corporis muris Romanis ſuperiorem fuiſſe. Quæ omnia ſic dicuntur, vt non modò non videantur vera; ſed ne veriſimilitudinem quidem cuſtodiant. Egregia certè & commoda ratio ſtaturæ metiendæ, cadauer muris applicare, atque ita erectum ſuſtinere, quò altitudo innoteſcat, quaſi vel cubiti vel pedes ad menſurandum defuiſſent; aut forſitan non tanti fuiſſet miraculum, vt accurata dimenſione dignum putaretur. Iam cùm non eadem ſit murorũ vbique altitudo, debebat ſaltem moneri, cui parti admi-

randus hic menſor corpus contuliſſet. Nec illud ſilentio fuiſſet prætereundum, quî lucerna ardere potuerit citra aërem ; cùm id non rationibus modò naturalibus, ſed experimentis omnibus aduerſetur, quæ docent ad luminis tutelam in metallicis fodinis cuniculos aliquando maximis ſumptibus excidendos eſſe, præter eos, qui ſunt ad venam neceſſarij. Deinde quæ vecordia & inſania fuit, lampadem tot ſeculis ardentem extinguere velle, quaſi non precioſiſſimis illa gemmarum flamis ſplendoribusque fuiſſet preferenda? Nec ſatis fuit monſtroſum corpus mœnibus Romanis, tanquam vlnis, menſuraſſe, niſi vulnus quoque quatuor pedum addidiſſet; è cuius ſpecus capacitate craſsi corporis craſſa anima in auras euolaſſet. Elegans etiam epitaphium adiecit, dignum ſcilicet auia Pallantis, carminum & litterarum inuentrice, quod ſic habet.

„ *Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni*
„ *Militis occidit, more ſuo iacet hîc.*

Vbi quid ſibi velit putidum illud alterius verſiculi fartum, *more ſuo*, vellem equidem doceri. Sed legendum fortè, morte ſua, quod rurſus haud ſatis intelligo: cùm morte ſua quiſque tum interire dicatur, cùm non violenta nece exterius illata, ſed ægritudine aliqua ex intemperie humorum, & ſpirituum exorta occumbit. Nec video quamobrem Turnum militem vocet, cùm eſſet dux exercitus; atque is quidem ſtrennuus ac tantus, vt, quemadmodum Homerus Achillem Hectore deuicto, ſic poëta Mantuanus Æneæ in Turno ſuperato, ſummum militiæ decorum atque triumphi adornarit. Sed credo illa ætate glorioſius fuiſſe exiſtimatum, Euandri filium à gregario milite vulneratum occubuiſſe, quàm commiſſa pugna ſingulari, cum fortiſsimo imperatore, illuſtriſsimo mortis genere vitam finiiſſe; atque idcirco videlicet dixiſſe poëtam, Pallantem lancea Turni, non regij iuuenis, non eximij ducis, ſed militis duntaxat eſſe trucidatum.

Videmus quàm hi verſus lucernam Carmentis oleant, quàm omnia reliqua narrationis membra aſſenſum extorqueant, vt etiam ipſi Epicharmo, qui monuit μέμνησο ἀπιστεῖν ſe poſſe, probare videantur. Nos tamen non à Siculo monitore, ſed in ſcholis Peripateticorum didicimus, contra rationis leges nullius auctoritatem recipiendam eſſe. Quocirca nec Myſo illi credam, de quo Pauſanias didicit; corpus Aiacis tantum fuiſſe, vt mola, qua genu tegitur, par fuerit diſcis illis, quibus Athletæ quinquertiones vtuntur. Nec magis

gis admitto Asterij magnitudinem, quem idem prodidit decem cubitis longum fuisse: nec Hylli item ingentia ossa, cuius sepulcrum tempestatibus fuerit arrosum. Verùm quia Aiacis, Asterij, & Hylli sepulcra maris tempestatúmve vi recluſa dicuntur, facilè in eam suspicionem venio, vt belluarum ingentium, quales mare varias alit, ossa fuisse credam, quæ vana hominum credulitas humana fuisse fingit, non secus atque Andouerpiæ elephanti ossa pro humanis in Curia spectantur. Præterea nescio, an natura aliquando in terræ vtero figuras quasdam producat, quæ ossium similitudinem gerant, astrorum influxu materiam idoneam formante ad hominis quidem similitudinem; si Orion, Cepheus, vel aliud quoduis humanæ figuræ sidus, influentes cæli vires moderetur & gubernet. Sed de hoc rursus mox erit agendum: satis nunc esto causam indicasse. Videor sanè mihi legisse, Theophrasto etiam quædam terræ ossa nota fuisse, quæ ad eandem hanc causam erunt referenda. Neque porrò absurdum esset, si quis cogitaret in tanto fabularum studio, quo poëtæ hominum priscorum animos imbuerunt, in tanta etiam ambitione diuinitatis opinionem apud posteros consequendi, potuisse fieri, vt Reges quidam eiusmodi sceleta fingi sibi celarive sibi curasse de Balenarum ossibus, atque ea sepeliuisse: quò secutura ætas, hanc augustam magnitudinem admirata, crederet non hominum, sed deorum filios fuisse, quorum tanti artus inuenirentur. Postremò illa est dæmonum calliditas, vt eiusmodi ostenta ab ipsis proficisci posse, non sit alienum existimare, quibus homines impellant ad deorum heroumque stolidam credulitatem; faciantque, vt cùm omnis diuini verbi notitia, tum verus Dei Iehouæ cultus animis hominum eximatur. Vt ergo tandem hæc Gigantomachia defungar, dico nec Andouerpiæ, nec vsquam gentium hæc hominum portentosa corpora extitisse. Est tamen hoc reliquum docere; quare domus in summo arcis constructa, domus Gigantis vocetur. Quod quidem facillimum est, si consideremus eadem ferè voce, eodemque pæne sono, Gigantem & Rutenũ apud nos nominari. Est autem domus hæc, & ante multas ætates fuit, Rutenorum. Cùm igitur vulgus fabulam de Gigante audiuisset, statim commenti sunt has vetustas ædes Gigantis fuisse. Quando verò, & cuius beneficio, Russorum esse cœperit, in progressu historiæ explicabo.

Belluarum ossa humana credita.

Dæmonum calliditas.

Domus summi Arcis Antvv. quare domus Gigantis.

Insignia porrò manuum quam habeant originem, non æquè in promptu est videre; illis præsertim, qui falsa vectigalis opinione sunt

Insignia manuum quam habeant originem.

ſunt anticipati. Mihi non perinde eſt difficile, omnes quæſtiones in rerum, de quibus tractatur, principia reſoluenti. Nam ſi conſtet Atuaticum ſic nuncupatum eſſe, quò ea, quæ manibus accepiſſent, manibus tenerent, vti anteà docui; non alienum fuit ab eodem propoſito duas manus inſignibus aptare. Verùm quoniam inſignia hæc antiquiſsima ſunt,& plurimum continent præceptorum, ad Remp. bene rectéque gubernandam; operæ mihi precium facturus videor, ſi ea ſigillatim exiguo libello declarauero: in quo demonſtrabo manus has nihil ad Gigantem, nihil ad Brabonem, nihil item ad vectigal illud, quod comminiſcuntur, pertinere. Sed, ne ſtatim id iam faciam,aliud adfertur impedimentum: &, quò promiſſum hoc diutius differam, tanto maiore cum fœnore, vt Iani Antwerpiani anatociſmus poſtulat,me ſpero ſoluturum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

NILOSCOPIVM,

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Atuaticum Ægyptumque negat vi fluminis ortum
Tertius, & cauſſam renouat, qua Nilus inundet,
Antiquumque decus, tenebris cedentibus, addit
Cimbris Oceanum ſolitis inuadere ferro.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

NILOSCOPIVM,

LIBER TERTIVS.

ANTVERPIÆ.

AD ILLVSTRISS. DOM. GOMEZIVM SVAREZ DE FIGVEROA DVCEM FERIÆ, &c.

IOANNIS GOROPII BECANI PRAEFATIO.

CVM DILIGENTER DISPICEREM, *Dux Feriane Illustrißime, cuius nam auctoritate, et fauore hic tertius meus liber, cui Niloscopium titulum feci, Regiæ Maiestati potißimum commendari posset, neminem inueni, qui omnibus partibus tibi par videretur : tũ quòd argumentum è summo poëtarum petitum gratißimum tibi fore cõfiderem ; tum quòd scirem Regi non posse displicere, quæ tibi placuisse cognouisset. Quamobrem vt mox intelligas quid offeram, & titulũ, & materiam breuiter explicabo. Dum Antverpianorũ antiquitates scrutater, obiecerunt statim quidam ipso primo limine absurdè à me fieri quòd illic vetusti aliquid quærerem, vbi omnia noua esse scirentur : propterea quòd tota hæc camporum planicies, in qua Antverpia inter ceteras vrbes habet principatum, ex illuuie maximorum fluminum sit enata. Horum rationes, quamuis variæ essent, & copiosæ, & magna subtilitate collectæ, omnes tamen videbam easdem esse, quibus ij ducti sunt, qui Ægyptum ex Niliaca inundatione extitisse scriptis suis prodiderunt. Conspicatus itaq; nihil ab aduersariis meis adferri, quod non pariter multis ante seculis, ab Herodoto, Platone, Aristotele & ceteris antiquißimis scriptoribus dictum fuisset, malui cõtra ipsos duces, quàm cõtra velites inire certamen. Quãta igitur potui diligẽtia ea omnia, quæ de Nili inundatione scribuntur, discußi libro etiã inde nuncupato ; tum quòd totus ferè in Nilo considerando versaretur ; tum quòd quemadmodũ Niloscopium Memphiticos monebat quot cubitis Nilus exundasset ; ita hic quoque doceat, quam ab omni æuo excrescendi decrescendique rationem seruarit. In hac autem inuestiganda multa mihi opinionum monstra oblata sunt : quorum quædam ex Ægyptiorum sacerdotum fabulis Herodotus produxit : quædam in Græcorum scholis nata sunt, & non paruo insignium virorum studio enutrita. Illa facilè profligaui, eò quòd ab imperitis mentiendi profecta sese non bene possent tueri : hæc verò difficillimè, propterea quòd patronos haberent grauißimos, & rationibus non Peripateticorum tantum, sed omnium Philosopho-*

losophorum sese defenderent, & his non contenta Homerum etiam velut Achillem quendam mihi obiicerent, cui resisti posse non videretur. Apparebat autem mihi in his omnium stultissimum, quòd Aristoteles Aegyptum è Nili illuuie inuectam doceret, & simul fateretur in ea antiquissimam hominum sedem fuisse. Plurimi sanè huius faciebam auctoritatem: sed non tanti tamen, vt non putarem examinandum, an rationi ipsi consentiret, memor illius, quod hic ipse me docuerat, Socratem et Platonem viros illos quidem esse magnopere venerandos; sed longè tamen magis venerandam esse ipsam veritatem. Dum itaque priscam historiam cum iis, quæ hac ætate nostra contingere videmus, confero, atque omnia accuratè voluo et reuoluo, deprehendo hic omnes insigniter aberrasse, & falsæ rei, quam sibi persuaserant, vanas quæsiuisse caussarum laruas, et totum hoc erroris flumen ex Homerico fonte manasse: quem si liquidum purumque bibissent, nunquam tam absurda de Aegypti natalibus somniassent. Hic Pharum cecinit secunda vnius diei nauigatione ab Aegypto abesse: quod non intellectum primam mihi videtur huius erroris ansam dedisse, quã omnes auidè alius post aliũ arripuerũt. Quocirca plurimum hic laborandum fuit, quo obscurus poetæ locus illustraretur, cuius occasione non alij modò graues et primæ classis auctores; sed ipse etiam Aristoteles omnium veterum cum ingenij dotibus, tum eruditionis varietate facilè Princeps cespitarit. Doceo itaque ab Homero non omnem tantum disputandi per compositionem, et resolutionem viam, et rationem cognitam traditamque fuisse, atque præterea totius naturalis scientiæ principia et fundamenta apud eum egregiè fuisse delineata, quamuis inuolucris quibusdam Protei, et Idotheæ tegerentur; sed Niliaci etiam diluuij caussam apud neminem verius, quàm apud hunc inueniri: quam equidem, quia succinctè indicauit, latiùs euolutam omnibus aperire contendo, non paulo aliter & operosius, quàm quisquam antè tentarit. Non possum diffiteri materiam viribus meis longè esse superiorem: sed minimè turpe mihi fore putaui, si oneri ei succumbam, cui ferendo nemo hactenus par est inuentus. Hoc saltem mihi videor assecutus, vt summum diuinissimi poetæ artificium nemo peruiderit acutiùs, nemo explicarit accuratiùs, nemo maiore laude celebrarit: quo vel solo labores hos meos apud doctos viros commendatum iri spero. Quoniam itaque optimè mihi hoc libro meo videor mereri de principe poetarum; nec quenquam inter principes summos inueniam, qui poetarum sit, quàm tu, studiosior, certa mihi fiducia persuasi, scriptum hoc meum tibi fore gratum, et fauore tuo sic Regi placiturum esse, vt nec me laboris, nec te commendationis pœnitere possit. Quamuis ergo Horatius perpetuus tibi et assiduus sit comes, ita vt elegantissima eius carmina ad nullius lyram sæpius, quàm ad tuam canantur, non excludes tamen huius vatis laudes, et interpretationem, qui omnis et Græcæ et Latinæ sapientiæ, atque adeò totius poeseos et cyclopediæ

clopediæ primitias ſibi vindicat, non vnius aut alterius, ſed omnium confeſſione: inter quos Horatius tuus præcipuus teſtis videtur, qui Troiani belli ſcriptorem et Crantori et ceteris omnibus philoſophis prætulit iis verſibus, quos memoria te, vti ceteros omnes, ſcio tenere. Quamobrem huius vatis ſuauiſſimi, et familiariſſimi tibi patrocinio apud te vtar: qui cùm tanti Homerum fecerit, quanti neminem mortalium, non poterit tibi hæc opera mea non gratiſſima eſſe: quæ tota ad id confertur, quo liqueat, quanto hic ceteris in difficillima hac omnium ætatum quæſtione præſtantior diuiniorque ſit habendus. Nec poſſem equidem apud te oratore vti excellentiore ad id, quod rogo, exorandum, quàm hoc familiari hoſpite tuo aſſiduis te cantionibus demulcente. qui mihi non iudicio tantum tibi, quo maximè polles; ſed fato etiam quodam alligatus videtur: cùm amborũ genij et tuus et illius ſingulari quodam modo conſpirare videantur. Quemadmodum enim ille, dum viueret, maximo cuique principi fuit cariſſimus, et in primis Mæcenati, et Agrippæ: ita nunc quoque operibus eius vſu venit, dum ea tibi maximè cernimus placere, in quo et Mæcenatis, et Agrippæ genius ſic viget, vt dubium ſit, vtrius dos in te clarior debeat haberi. Cum enim ille conſiliis, hic rebus gerendis apud Auguſtum ſummo loco fuerit; tu vtranque laudem apud regem nihilo minorem mereris, cui et primus es in conſiliis, et in armis non aliud quàm dextera manus corpori præſtas: quandoquidem et in bello et in pace Regiæ cuſtodiæ his præfectus. Iam quamuis Horatius tuus canat Mæcenatem atauis regibus editum eſſe, non poterit tamen ne hac quidem parte efficere, quo inferior cenſearis illuſtriſſima generis claritate. Quid enim Aguillara, et Cordubenſi nobilitate vel vetuſtius, vel rerum geſtarum memoria in annalibus, et frequentius, et celebrius? quam ſi reuoluerem, omnis mihi ordo militaris D. Iacobi ab ipſis ſtatim initiis occurreret; in quo quamplurimi maiores tui ſummum magiſtratum cum ſumma laude geſſerunt: quos omnes ſiquis enumerare vellet, maximum volumen, non epiſtolam, aut prologum impleret. Quis enim in Hiſpania neſcit, cuius gentis virtuti tota ferè Betica debeatur, in qua ſola nonaginta opida magna, præter minora, hactenus ordini D. Iacobi alligantur, eò quòd à maioribus tuis in libertatem Chriſtianam aſperrimis multorũ ſeculorũ bellis ſint reſtituta. Verùm horũ decora minimè neceſſaria ſunt, ad te laudibus cælo tenus euehendum; cum ipſe virtute tua plurimum ſplendoris clariſſimæ genti tuæ adieceris, quæ tanta in te effulſit, vt Rex optimus cum virtutum cenſor et æſtimator, tum honorum diribitor, è comitum dignitate ad excellentiſſimum Ducum ordinem te promouerit: propterea nimirum quòd te videret non generis modò nobilitate, et conſiliis cum Mæcenate certare: ſed Agrippæ etiam laudem mereri; qui primos, et ſummos honores in exercitu ſub Auguſti auſpiciis ducendo eſt conſecutus. Quamobrem te rogo, et oro, et per genium Horatianum obteſtor, vt, quemadmodum

hic tibi vnicè carus est, & singulari amore deuinctus : ita te quoque mihi præstes Mæcenatem, et haud secus, atq; ille poetis, et omnibus litterarum studiosis Augusti fauorem patrociniumque conciliabat: ita tu quoque me maximo Regi commendes, si non propter vlla merita mea; at saltem ob id, quòd summo studio Homeri vatum omnium patris manes hoc libro meo honorarim. Complexus autem sum eo non diuinum tantum poetæ artificium: sed difficillimas omnium, quæ in historiis ab omni æuo occurrerunt quæstiones, in quibus pleraque quamuis noua sint & paradoxa, firmissimis tamen rationibus ex ipsis philosophorum scholis contra philosophos inuenies disputata. quibus omnibus contendo regionem hanc nostram ab omni æuo talem fuisse, qualis hactenus videtur, perinde atque Delta quoque Aegypti nego vnquam aliud, quàm nunc cernitur, fuisse, reiectis omnium eorum falsis assertionibus, qui contra senserunt, et Aristotelicæ collectionis acumine retuso, quo perpetuam maris terræque permutationem se statuisse existimauit. Sed quid ego multis mea commendem, apud eum præsertim, qui hæc omnia malit in ipso opere, quàm in præfatione cognoscere? Hoc vnum satis esto, me hic ad ipsa naturalis philosophiæ intima adyta penetrauisse & caussas inundationis Nili, & pluuiæ Aethiopicæ longè alias, quàm ceteros explicasse, si non omnes, at saltem plures et veriores, quàm quisquam hactenus potuerit expiscari. Non ignoro me minimè omnibus satisfacturum; immo fateor ne mihi ipsi quidem in omnibus satisfactum esse. Sed quid facerem in tanta rerum abditissimarum obscuritate? in quibus multo plura latere, quàm ad veras solidasque caussas posse reuocari ille mihi minimè negaret, qui se hoc vnum scire dixit, se nihil scire. In simplicium medicamentorum facultatibus examinandis tandem venitur ad eas quas occultas vocant, quarum nullæ manifestæ caussæ sensuum nostrorũ adiumento queunt inueniri. Ad hoc genus facilius sit referre illud, quod quæri solet, cur in Aegypto non pluat, quàm eius veram euidentemq; caussam explicare. Coniecturis vbique locus est: sed eæ nihil certi plerumque concludunt: sed tales ferè sunt, vt solidis rationibus confutatæ doceant, quàm omnis humana scientia ignorantiæ tenebrarumque terminis includatur, aut potius quàm omnis scientia in ignorantiam finiatur. Certè quanto quisque indoctior, tanto minus dubitat: quia scilicet ad initium difficultatum, quæ in abditis rerum caussis latent, necdum penetrarit: qua de causa fit, vt illi omnium maximè se iactare soleant, qui quàm minimè sunt in naturalis scientiæ arcanis versati: perinde atque illi ad aggrediendum audendumque sunt celerrimi, qui ad deliberandum quàm minimum solertiæ prudentiæque adferre possunt. Mihi quidem in omnibus, ad prima sua elementa reuocandis, non exigua semper fuit sedulitas: sed quanto in ea res procedunt argutius, et subtilius, tanto me sentio in labyrinthos rapi perplexiores. Quocirca sic omnem hanc industriam meam interpreteris, vt cogites conatum me magis, quàm

successum

ſucceſſum tibi probare velle. Si enim humanitas tua Regem ſtudiis meis propitium reddiderit, fiet, vt hæc, quæ nunc de rebus difficillimis ex tempore & tumultuariè ſunt effuſa, ea labore curaque ſecunda cultiora reddantur; non in hoc tantum libro, ſed in ceteris etiam omnibus, quos vel Regiæ Maieſtati modò dedicaui, vel quos etiamnum iis parturio, qui poeſeos, & priſcæ Theologiæ ſtudio tenentur. quod ſi in quo alio, in te profectò ſummum eſſe, non ego tantum de claris indiciis credo; ſed ab aliis etiam prædicari frequenter audiui. inter quos primas tenet Arias Montanus, qui cum mihi frequens hic intercedit conſuetudo. Bone Deus, quem virum nactus es laudum tuarum præconem, qua diſciplinarum omnium cognitione, qua linguarum peritia, qua Theologiæ ſcientia, qua vitæ morumque integritate, quo candore! Huic igitur nonnihil etiam te daturum ſpero, etſi cetera parum poterunt (quod omen Iupiter Philius auertat) huius ſaltem commendatio efficiet, vt & tutelam meam lubentius ſuſcipias, & Rex etiam facilius in animum inducat, vt ea, quæ per te offero, grata ſibi fuiſſe teſtetur; quandoquidem tanti hunc faciat, vt Biblia Complutenſia ei commiſerit & elegantius, & copioſius excudenda. Quid? quòd in ipſo quoque Rege non parum præſidij mihi ad fauorem repoſitum cerno, dum animaduerto quanta diligentia doctos homines vndique in aulam ſuam conquirat. Nulla enim è re facilius qualis Rex ſit cognoſcas, quàm ſi de comitatu conſiliariisque argumenta ducas; qui ſi docti ſint, dubium eſſe non poteſt, quin Rex quoque liberalium artium omnisque litteraturæ amore capiatur. Plurimos equidem noui, quos ſumma eruditio ad ſummum dignitatum in Hiſpania culmen perduxit, non in ſacris modò ordinibus, ſed in ipſa etiam ciuili adminiſtratione: in qua vt è multis vnum nominem, Velaſcum licet videre, qui quòd eximiæ iuris legumque cognitioni reliquum quoque diſciplinarum orbem adiunxiſſet, gradatim eò euaſit, vt iam in ſummo Senatu nemo videatur eſſe, cuius humeris plus regij oneris incumbat. Quid dicam de Joanne de Ouando, quid de Lodouico Manriko, quid de aliis multis, quos ob ſingularem liberalium artium eruditionem Rex ſibi accerſiuit? Quid aliud ex his coniectem, immo quid aliud neceſſaria concluſione colligam, quàm Regem omnis litteraturæ omniumque eorum, qui humanioribus artibus ſe tradiderunt, amantiſsimum eſſe, cùm hos & id genus alios ad res ſummas gerendas adſciſcat? Confido ergo nulla te difficultate conſecuturum, vt hæc mea quoque benigno animo à Rege ſuſcipiantur: quæ ſi placuiſſe ſenſero, maioribus quibuſdam occultioribusque inuentis in publicum edendis totum me deuouebo; ad quæ tanto magis mihi properandum, quanto minus me ab ætatis meta abeſſe cerno. Quid de hoc ſtudio meo alij ſint iudicaturi, ſusque déque fero, modò hunc candorem meum tibi probare poſſim: quo totus ad id incumbo, vt totius Orphicæ Theologiæ arcana, quæ hactenus alta caligine iacuere ſepulta, in lucem proferam, doceámque ſub eorum inuolucris

veram

veram Christianorum religionem cõtineri: quod propositum meum tanto magis tibi promouendum, quanto è poetarum lectione plus percipis voluptatis. Quod si ad hoc honestissimum studium tu te mihi Mæcenatem præbueris, pro eo ac genius tuus postulat, non dubito, quin Philippus mihi sit futurus Augustus: de quo ille cecinit, Deus nobis hæc ocia fecit. Nec alius omnino mihi scopus in his ad te mittendis fuit, vt ingenuè quod sentio fatear, quàm quò apud Regem, apud quem plurimum te posse scio, tantulum mihi ocij fauore tuo impetretur, quantum satis sit ad ea, quæ primus post omnem litterarum memoriam inueni, simpliciter & candidè citra omnem inuidiam communicanda. Rogo igitur te etiam atque etiam, vt te sinas à Niloscopio hoc meo & moneri, & exorari, vt quemadmodum Nilus inundatione sua totam Aegyptum læta fruge beat; ita tu quoque è largis regalis gratiæ fontibus pauxillum ad nos deriues, cuius irrigatione fructus edere possimus, & te, & posteritate dignos.

I. GOROPII BECANI

NILOSCOPIVM.

LIBER III.

CVM NVNC PROPE GIGANTOmachia mea defatigatus, confiderem à contentionum turbis eluctari me posse; alia sese acies obiecit, atque ea nihilo minùs, quàm prior, ad pugnam instructa. Cui adeò impar videor, vt non armis me, sed hostili duntaxat risu, & solo classico superatum iri aduersarius arbitretur. Ex hac enim vnus de primoribus, Quid, inquit, tu in hac regione antiquitatem quæris, & Atuaticum in ea veterum statuis, in qua non ante ita multos annos non hominum, sed piscium, domicilia fuerunt? Quod si nescis, vallum vrbis intuere, quod nihil aliud esse videtur, quàm testarum coagmentum; cùm tamen ad quadraginta pedes facilè è terræ plano assurgat, & vltra sexaginta, vbi minimum, in latitudinem porrigatur. Si igitur tantum concharum hîc sit effossum, quî fieri potest, vt mare hîc fuisse neges? Impudentis enim sit, vbi conchylia tanta copia inueniuntur, illic mare aliquando fuisse, non confiteri. Deinde tota hæc planities nihil aliud esse potest, quàm maximorum fluminum illuuies, paulatim è superioribus locis inuecta. Hæc, atque his confinia, cùm videam mihi obiici; atque iis, qui obiiciunt, omnes passim consentire, nec id facere citra rationes & auctoritates primæ classis scriptorum; cogor certamen inire, non de finibus tantùm regionis, sed de re omnium longè præstantissima: de ipsa nimirum veritate. Periclitandæ hîc vires ingenij, & primùm contra illos, qui primos ordines apud aduersarios ducunt. Horum princeps est Herodotus, historiæ (si Ciceroni credimus) parens. Is igitur à conchyliis & aliis quibusdam argumenta ducens, maximam Ægypti partem ex Nili alluuione accreuisse contendit; eam præsertim, quæ à montibus Memphiticis ad mare vsque exporrecta fluminis incrementis latè irrigatur. Huius in sententiam omnes ferè, quotquot pòst fuere, cùm philosophi, tum historiographi, descendunt. Quamobrem huius rationes & argumenta principiò diligenter sunt expendenda,

videndumque, num neceſsitatem adferant ad aſſentiendum. Nam cùm iiſdem noſtri aduerſarij nitantur, mea tueri non potero, niſi anteſignani huius omnia tela confringam. Operæprecium igitur eſt verba eius audire, quò vis ipſorum propiùs intelligatur, in quibus obiter quædam emendabuntur:

Herodoti locus caſtigatus.

Τὰ μὲν Αἴγυπτον ὧν καὶ τοῖσι λέγουσι αὐτὰ πείθομαι, καὶ αὐτὸς οὕτω καὶ δοκέω εἶναι ἰδὼν τε τὴν Αἴγυπτον προσκειμένην τῆς ἐχομένης γῆς κογχύλιά τε φαινόμενα, καὶ ἐπὶ τοῖσι ὄρεσι καὶ ἅλμην ἐπανθέουσαν, ὥς κε καὶ τὰς πυράμιδας δηλέεσθαι καὶ ψάμμον μοῦνον Αἰγύπτου ὄρεος τοῦτο τὸ ὑπὲρ Μέμφιος ἔχον. πρὸς δὲ τῇ χώρῃ οὔτε τῇ Ἀραβίῃ προσούρῳ ἐούσῃ τὴν Αἴγυπτον προσεικέλην, οὔτε τῇ Λιβύῃ, οὐμὲν οὐδὲ τῇ Συρίῃ (τῆς γὰρ Ἀραβίας τὰ πρὸς θάλασσαν Σύριοι νέμονται) ἀλλὰ μελάγγεόν τε καὶ κατερρηγνυμένην ὡς τε ἐοῦσαν ἰλύν τε καὶ πρόχυσιν ἐξ Αἰθιοπίης καταφερομένην ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ· τὴν δὲ Λιβύην ἐρυθρήν τε γῆν καὶ ὑπόψαμμον ἐοῦσαν, τὴν δὲ Ἀραβίην τε καὶ Συρίην ἀργιλωδεστέρην τε καὶ ὑπόπετρον ἐοῦσαν.

Quæ nos ſic Latina fecimus. Quæ igitur de Aegypto feruntur, ea ſic habere cum eorum fide adducor, qui mihi ſic retulerunt; tum verò de mea ipſius opinione in hanc item ſententiam deſcēdo, propterea quòd videam Aegyptum continenti ſibi terræ præiacere, & conchylia in ipſis etiam montibus cerni, necnon ſalſuginem quoque efflореſcere, adeò vt & pyramidibus noxia ſit: tum etiam montem eum, qui Memphi imminet, ſolas arenas habere. Præterea Aegyptum neque Arabiæ ſibi confini, neque Libyæ, atque adeò ne ipſi quidem Syriæ (Syri enim partem Arabiæ maritimam incolunt) colore ſimilem eſſe; ſed glebam habere nigram, & rimis fatiſcentem, vtpotè quæ limus ſit, & illuuies, ex Aethiopia flumine deuecta. Libyam autem ſcimus terram habere & rubentiorem, & nonnihil arenoſiorem: Arabiam porrò & Syriam magis argilloſam, & quaſi lapideſcentem. Hæc qui Vallæ verbis contulerit, videbit eum non parum falli, & auctoris mentem non modò non aſſequi; ſed ne ſtructuram quidē orationis. Loco προκειμένην legit προτεινομένην. Loco χρώῃ placuit χώρῃ. nec aduertit, quam Græci vocant orationis parentheſim, quam tamen ſententia & verborum ſtructura monſtrabat, nec non vis ipſa collectionis. καταῤῥηγνυμένην fragilem dixit, cùm arenoſa fragilis ſit, & friabilis, non cœnoſa, quæ ad ducendum, quàm ad terendum, facilior eſt. Quæ quidem eò moneo, non quò virum optimè de litteris meritum ſugillarem; ſed quòd neceſſaria mihi eſſet

esset proba huius loci & intelligentia & explicatio: cùm in eo sit ferè robur omne eorum, qui aliter, quàm ego, de antiquitate nostra sentiunt. Addit deinde Herodotus his, quæ ipsemet conspexerat, aliud argumentum, à Sacerdotibus adductum:

Ἔλεγον καὶ τοδὲ μοὶ μέγα τεκμήριον ἀπὸ τῆς χώρης ταύτης ἱρέες ὡς ἐπὶ Μύριο βασιλῆος ὅκως ἔλθοι ὁ ποταμὸς ἐπὶ ὀκτὼ πήχεας τὸ ἐλάχιστον ἀρδίεσκε Αἴγυπτον τὴν ὑπὲνερθε Μέμφιος, καὶ Μύριος ἔκατον ἦν ἔτεα, ἐννακόσια τελευτήκως, ὅτε τῶν ἱρέων ταῦτα ἐγὼ ἤκουον. νῦν δὲ εἰ μὴ ἑκκαίδεκα ἢ πεντεκαίδεκα πήχεας ἀναβῇ τὸ οὐλάχιστον ὁ ποταμὸς οὐκ ὑπερβαίνει ἐς τὴν χώρην. id est,

Dixerunt verò & illud mihi Sacerdotes; vnde magnam coniecturam de hac regione facio, quòd, regnante Myri, cùm fluuius ad octo vt minimum cubitos excresceret; satis irrigabat Aegyptum, Memphi inferiorem. Et Myris quidem necdum nongentis annis, cùm hæc ego de sacerdotibus audirem, è viuis excesserat. At nunc, nisi sexdecim vel quindecim vt minimum cubitis ascendat, regionem non inundat. Atque hæc quidem ex Herodoto nobis obiiciuntur. Eiusdem de Aegypto sententiæ est Aristoteles libro Meteororum primo, quam dicit in dies magis magisque exaresceere, & à Nilo totam esse inuectam aggeratamque. Sed quia longo temporum tractu paludes oblimentur, & habitationi reddantur idoneæ, initium rei obliuione inuolui. Atque idcirco ab Homero Thebaidos mentionem duntaxat fieri, Memphi vel nondum enata, vel necdũ eò progressa, vt digna commemoratione haberetur. signum etiam esse, quod paulatim sit aqua exsiccata, quòd Sesostris didicerit, mare rubrum altius esse Aegypto; atque ea de causa, quod in animo habebat, fossam à mari Erythræo in Nilum non duxisse. maiorem igitur Aegypti cauitatem, quàm eius aluei esse, quo Erythræum mare continetur. Iam verò, si Aegyptiorum regio, quos omnium mortalium antiquissimos esse credit, ita recès sit enata, vt tanta ab Homeri tempore facta sit commutatio; par est de ceteris quoque terris idem existimare, & tantò posteriùs exsiccatas esse, quantò homines in iis habitantes, Aegyptiis sunt posteriores. Atque hinc iam effici, vt neque flumina vlla sint perennia, neque semper mare illud fuerit, quod nunc mare esse cernitur; sed vicissim modò mare, modò terras, eadem loca fieri, certis quibusdam temporum conuersionibus, quibus fato quodam nunc maximè siccitates, nunc maximi humores aliis atque aliis locis existant: atque id quidem in longissimo quodam anno fieri, haud aliter, quàm in anno commu-

ni æſtatem & hiemem fieri videmus. Ita Tanaim, & Mœotida paludem, & ipſum etiam Pontum exſiccatum iri, atque ſimiliter omnia permutanda in temporis infiniti infinita duratione. Hæc & eiuſmodi plura Ariſtoteles, partim ex Herodoti de Ægypto hiſtoria, partim de Platonis Atlantide inſula videtur hauſiſſe. Putat enim cum Platone, mare extra columnas Herculis vadoſum eſſe, & nauigiis maioribus minimè peruium; non alia (vt opinor) cauſa, quàm quòd ſic à magiſtro ſuo didiciſſet. Hiſtoria verò, quæ à Platone de Atlantide inſula, & antiquitate Ægyptiorum eſt conſcripta, omnibus eſt notior, quàm vt à me hîc ſit referenda; neque etiam magnopere facit aduerſus ea, quæ nos de vetuſtate regionis noſtratis aſſeueramus. Plutarchus in Oſiride, vbi plurimus eſt in Ægyptiorum antiquitatibus inueſtigandis, aduerſariis meis plus adfert adiumenti, cùm de Homeri teſtimonio docet Pharon vnius diei nauigatione ab Aegypto remotam fuiſſe, & totam Aegyptum mari olim ſubſediſſe; eò quòd ſuo etiamnum tempore conchæ in fodinis & montibus etiam plurimæ inuenirentur, & omnes putei & fontes aquam ſalſam & amaram haberent; illius videlicet maris reliquias, quod loca ea olim occupauit. Polybium non adduximus, propterea quòd is videatur Ariſtoteli eſſe pedaneus in timore, quo veretur, ne Pontus aliquando nauigationem excludat. Neque verò alios rogabo ſcriptores, quid hac de re ſentiant, poſteaquam video totius eruditionis coryphæos, & non anteſignanos modò; ſed ipſos etiam imperatores omnium diſciplinarum in eadem eſſe ſententia, &, vt ſint, eiſdem rationibus niti.

Non igitur eſt mirum, ſi noſtrates quoque homines eiſdem argumentis inducti, quibus priſci illi ſcriptores, nihil certius habeant, quàm totam hanc camporum latitudinem, quę Moſę, Scaldis, Oceani, Arduennæque finibus continetur; Delphinorum, & reliqui Phorci exercitus ſtationem quondam, non terreſtrium animalium, fuiſſe. Videndum igitur mihi, an quicquam contradici queat, quo vetuſta hæc, & ferè Ogygia aſſertio vel eleuetur, vel (quod fore ſpero) tota nihili eſſe & flocci pendenda videatur; ſi modò rationum pondera, non magnifica teſtium nomina, ſtateræ appendantur. Primùm igitur illud, quod de conchyliis magno applauſu argumentum Herodotus & Plutarchus ducunt, vanum omninò & quauis palea leuius eſſe contendo. Eodem enim peruinci queat, ſummos Alpes aliquando ſub Oceano latuiſſe: quod ſi admittant, non plus contra regionis noſtræ, quàm contra omnium terrarum, vetuſtatem pugnat; nam & in illis conchæ & oſtreorum teſtę inueniuntur. Nihil eſt tam

Conchylia an maris argumentum.

altum

altum, nihil tam ab æquoreis fluctibus remotum, in quo non ſit reperire teſtas eorum, quæ in ſolis aquis marinis vitam agunt. Quod equidem cùm aliorum relatu, tum experimentis diuerſorum montium ſum edoctus. Cùm in Alpibus Tridentinis, & vicinarum gentium, perreptarem altiſſima quæque montium cacumina, vtroque pede ſenis vncis innixo, & manibus pinnato baculo greſſum firmantibus, & ipſe conchas inueni, & ab iis, qui Capricornos, ſiue Ibices, & Damas inſectantur, didici non rarò inueniri. Et crebriùs haud dubiè inuenirentur, ſi lapides æquè illic, atque infimis locis, excinderentur. Nunc cùm vectura illinc nulla eſſe queat, nulla eſt lapicidina, niſi cùm arces ex ipſis rupibus excauantur, anguſtis præcipitiis, & capreolorum ſemitis, vel funibus ſubeundæ. Cùm igitur eiuſcemodi teſtæ internis vel terræ vel ſaxorum viſceribus deliteſcant, & in ſummis Alpium rupibus rarò interna tententur; non poteſt fieri, vt illic crebrò videantur. Videntur tamen, ſaxis torrentium vi derafis, vel immani gelu, magno tonitru diuulſis, vel fulmine, turbine, aquarumve violentia præcipitatis aut diſruptis, vel alia vi quapiam naturæ dehiſcentibus; quibus fiat, vt, quæ intus condita fuêre, prodantur. Apud vicinos noſtros Limburgos, Leodios, Chondruſos, Namurcos, Hannonas, Atrebates, Tornacenſes, & alios multos, à quibus vel marmora nobis, vel alia lapidum genera aduehuntur, non parua eſt teſtarum copia & varietas. Vidi ipſe in marmore cæruleo ſolidiſſimo pectinem & ipſius ſedem ita affabrè delineatam, vt nihil ars ſimile poſſe videretur. Vidi in ſilice duriſſimo, Bethunis aduecto, quo viæ apud nos ſternuntur, tot conchulas totas lapideas, & concluſis valuulis integras, magna vt cura & arte ex illis fuiſſe cœmento aliquo compactus iudicaretur. In ſuburbano Pariſienſi agro qui ſuperne copioſa fruge luxurians, ſubtus cauus magna ſui parte eſt, & vehiculis peruius, inueni teſtas non paucas turbinum marinorum, elegantiſſimo ordine & tortas & tuberculis inſignitas, atque ita omnibus modis perfectas, nihil vt, præter viuum piſciculum, ad integritatem deeſſet. Vidi in Anglia lapidem, è ſummis montibus exciſum, qui percam ad viuum exprimeret, ne minima quidem lineola ad perfectionem deſiderata. Nec pauca mihi monſtrauit Venetiis Andreas Lauredanus, antiquitatum omnium & naturæ miraculorum diligentiſſimus obſeruator & cuſtos. Quid multis? neminem eſſe credo non omnino ocioſum naturæ ſpectatorem, qui non ſimilia multa obſeruarit. Omnibus ergo eiuſmodi locis mare aliquando ſuperius fuiſſe, neceſſe erit fateri, ſi proba illa ſit collectio, quæ de conchyliis marinis Neptunum aruorum finibus induxit:

atque ita nihil mihi oberit, quò minus dicam noſtram regionem non minùs antiquam eſſe, quàm ceteras omnes, in quibus id genus conchylia ſunt inuenta. Satis hoc quidem mihi eſt ad Herodoti & Plutarchi concluſionem infirmandam. Sed, quia abſurdi illatio, quamuis ſatis ea vnde proceſſit, falſa eſſe oſtendat; non tamen rei, de qua quæritur, naturam explicat; atque idcirco animum dubitationi non eximit, ſed plerumque magis inuoluit; ſatius erit veram adferre ſolutionem. Hæc tamen non poterit ex hiſtoriæ monumentis adferri, ſed petenda tota eſt è philoſophiæ penetralibus, ad quæ rapi videmur hac mirabilium conſideratione. Sed quia naturæ arcana non ſunt nobis hîc tractanda, obiter & breuiùs, quàm res poſtulet, diſputationis munere defungemur. Materia generationi ſubiecta ſicut omnes formas æquè recipere poteſt, ita de ſuo ſinu ſiue potentia nullas educit. Si enim educeret, antè habuiſſet; deinde educere, agentis eſt: actio verò omnis formam præfuiſſe monſtrat. In materia igitur forma fuerit, cuius efficacia aliæ formæ producantur; quod eſt abſurdum. Aliunde igitur formæ procedunt atque rerum eſſentiæ. Non ab elementis, non à cælo, quorum formæ ſunt actionibus propriis quibuſdam & motionibus addictæ, ita vt nihil poſsint excellentius efficere, quàm ipſorum mouendi poteſtas ferat: niſi velimus dicere, quicquam eſſe, quod alteri vitam dare poſsit excellentiorem, quàm ipſummet poſsideat. Quomodo igitur dicitur, Homo generat hominem & Sol? eo nempe, quòd homo & Sol materiam præparent, vt idonea ſit formæ recipiendæ. Cælum enim hominem ſi generet, id faciat, quod longè ſit cælo excellentius, cogitandi intelligendique facultate. Non igitur cælum formas dat: ſed, ad formas recipiendas, materiam diſponit & aptat. quæ quidem diſpoſitio couſque pertinet, dum id tantum producitur, quod caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, & reliquarum qualitatum, quæ his ſunt ſecundariæ efficaciæ, produci poteſt. Figuræ igitur forſan quædam cælo debentur; ſed ſi vita accedat, alius nunc opifex quærendus qui cælo ſit præſtantior. Hunc formarum datorem nuncupemus, qui ſe per totum vniuerſum inſinuans, vbique adeſt, vbique materiæ præparatæ formas dat, & eas in ea tantiſper conſeruat, dum materiæ cõpago & præparatio ferre poteſt. Hic, ſiue vnus ſit, ſiue multas ſub ſe intelligentias habeat, imperio & poteſtate ſua totum formarum orbem adminiſtrat, & cuique materiæ dat pro eo, atque ad ſuſcipiendum eſt idonea. Hic ranis, & piſciculis in aëre, hic muribus, & vermibus, & ceteris animantibus è limo genitis, materia priùs à cælo præparata, formas infundit. Vbicũque igitur humor ſiue liquor inue-

Materia omnium formarũ capax.

Formæ vnde procedant.

inuenitur ad teſtaceorum vitam idoneus, viua teſtacea generantur. Vbi verò materia erit capax illa quidem formæ eius, quæ dat, vt teſta quid ſit & vocetur, non poſsit vero viuo piſciculo liquorem idoneum præſtare; fiet vt teſta dun taxat, non piſciculus, generetur. Formas autem iſtas, ſiue figuras accuratas, & animalium proprias, non cælo adſcribo, quod inſtrumentorum peculiares formas dare non poteſt; ſed ipſi formarum datori: quem ſingulis ſpeciebus alium & alium adeſſe, tanquam efficientem quandam ideam, ſi dixero, id dixero, quod poſſem tueri. Antwerpiæ latomus quidam viuum buffonem in medio marmore inuenit. Quod ſi eo loco aptus humor buffoni fuit inuentus; quid vetat quo minus aliquando liquor in ſaxis inueniatur, quo marina quoque animalia generentur: viua quidē, ſi locus & humor ferat, corporata verò tantum, ſi humor vitā non admittat? Opifex enim progreditur eò, quoad eius materia patitur, vltrà progreſſurus, ſi loci & materiæ inopia non excluderetur. Non eſt igitur mirum teſtas in montibus ſummis inueniri: minùs verò mirum in illis inueniri, in quibus ſalſugo aliqua eſt, marinæ ſalſuginicompar. Similis enim materia ad formas recipiendas eſt apta. In Ægypto igitur, regione non ſalſuginis modò, ſed nitri etiam ferace, quis admirabitur conchylia generari? quis etiam in noſtrę regionis ea ſubterranea arena, quæ loco & natura marinis vadis reſpondet, illa admirabitur? cùm ea temperamentum quoddam liquoris marini exugat, Oceano in terras ſurſum per omnes canales magna vi irruente. Cauis igitur ſubterraneis, & maximè ei arenæ, quæ proxima eſt aquis, per orbem terræ ſubtus meantibus, liquor quidā apud nos communicatur, qui conchyliorum figuras facilè induit, vitam etiam accepturus, ſi locus viuum piſciculum alere poſſet. Videmus itaque Antwerpiæ quibuſdam locis, poſtquam ad aquam hanc ſubterraneam fodiendo ventum eſt, magnam quandam cruſtā ad duos pedes, vel plus eo craſſam, aliquando etiam tenuiorem, quæ tota eſt ex eiuſmodi varia conchyliorum congeſtione coagmentata, quaſi vena quædā lapidis aut marmoris eſſet. Nec porrò vſquam in mari aut litore tanta congeries concharum cuiquam viſa eſt, vt frūſtra ſomniemus, ita paulatim mari recedente fuiſſe cōgeſtam. Nam, ſi ita hoc euenisſet, cerneremus adhuc in Zelandiæ, Hollandiæ & Flandriæ litoribus, tantæ craſsitudinis cōgeriem iacere. Quid? quod pectinum in litoribus noſtris magna eſt raritas, adeò vt à D. Iacobo è mari Gallaico pro monſtris adferantur? at è foſsis noſtris infinita copia eſt educta, quā in vallo, quod mōtis inſtar eſt, cuiuis licet videre. Et, qui conchulas legere volet; ei nihil opus eſt ad litora proficiſci:

in

in mœnibus habet plus multo, quàm litoribus abundantiæ. Ego igitur non magis hîc mare fuiſſe credo, quàm in lapicidinis Megarenſium, è quibus lapis effoditur cõcharum marinarum coalitu conſtans, ceteroqui candidiſſimus; quem à re ipſa Conchida appellarũt. Quòd ſi mare huic originem cauſamque naſcendi dediſſet, in Piræo potiùs debebat inueniri. Iam cùm tota Græcia variis promontoriis in mare excurrat, variis finibus mare admittat, nuſquam tamen Conchis, quàm Megaris, inuenitur. Vtinam noſtra cruſta ſic induruiſſet, vt lapidem quoque ſolidum componeret. Nam Megaricus ille adeò ſolidè coiuit, vt Caris, Phoronei filij, ſepulcrũ, & alia non pauca opera ex eo facta fuiſſe, Pauſanias teſtetur. Ad eandem cauſam dentes illi, in foſſis inuenti, referẽdi ſunt, qui Carchariæ dentibus ad amuſſim reſpondent, niſi quòd de terra, in qua diu iacuerunt, pro candido, pullum colorem videantur traxiſſe: in his aliqui ſunt ſerrati, aliqui citra ſerram in acumen tendunt; omnes tamen acutiſsimi. Sed quia pauci ſunt, qui Carchariæ canis dentes viderunt, fit vt nõ dentes, ſed linguæ ſerpentinæ vulgò nominentur; quibuſcum tamen nihil habent ſimilitudinis. Huius generis, ſiue dentes, ſiue linguas, è foſsis circa Antwerpiam frequenter extrahunt minore miraculo, quòd piſcem, cuius dens videri queat, non cognoſcant; alioqui clamaturi, Carcharias hîc olim habitaſſe. Quibus lapides hi linguæ videntur, Gloſſopetras eas nominarent. Nos pari ratione Bugloſſum lapidem illum vocabimus, qui ſimiliter è foſsis vrbis noſtræ eſt extractus. Huic longitudo ſeſquicubitalis; latitudo, qua maximè patet, dodrantem æquat, paulatim in cuſpidem obtuſam ad linguę formam producta, colore & duricie Baſaltem refert, pondere ferrum, parte ſui latiore & craſsiore foramina duo habet ea amplitudine, qua in caluaria equina oculorum cauitates videntur, cetera linguæ bubulæ non diſsimilis; vt meritò vel ab ea, vel ab ingenti magnitudine Bugloſſus vocari poſsit. Cuius, rogo, marinæ belluæ, & quod os hunc in lapidem tranſiiſſe dicemus, ſi omnia id genus ad animalium partes ſint reuocanda? Ego certè nullam inuenio, nec fuiſſe quidem opinor, non magis, quàm animal aliquod fuiſſe, cuius vel lingua, vel dens Gloſſopetra dicatur. Nam quamuis his locis à mari non longo interuallo diſsitis ſuſpicari quiſquam poſſet Carchariæ dentes eſſe, non tamen idem ſibi perſuaderet in colle illo, qui Aquis-Grani imminet, tantum id genus piſcium fuiſſe, quantum fuiſſe de Gloſſopetrarum copia coniectari deberet. Generantur hæc in terra perinde, atque alij infiniti generis lapides, nihil cum viuis animantibus habentia commune. Eodem, & ad eoſdem fontes, amando ſer-

Bugloſſi lapidis deſcriptio.

pentes

pentes ſaxeos Irlandiæ,quorum vnum in Anglia vidi ſpiris in ſe contortum; qui non alia ratione prouenit in lapidum metallis, quàm conchæ apud Megarenſes. Apage illos, qui viuos hos ſerpentes fuiſſe, & incantamento in lapidem verſos eſſe, de quibus neſcio fabulis perſuadere nituntur. Naturæ ſunt hæc, non hominum, miracula: & ne miracula quidem, cùm videntur perinde,atque cetera, è cauſis ſuis apta. Quòd verò quædam inter hæc lapideſcant,quædam non; id ſuccis & frigori tribuendum. Multi enim humores ſiue liquores ſunt, qui lapidis indurandi vim habent. In teſtis igitur conchyliorum quaſdam eſt videre teſtas adhuc eſſe, alias etiam in lapidē tranſiiſſe. Cancros vidimus totos ſaxeos, in quibus cruſta & quicquid intus erat,in lapidem degenerarat. quo minus eſt mirandum,ſi in conchis id fiat, natura ſua multo durioribus. Sed quid ego de cruſtaceis dico, cùm percæ etiam ſaxeæ ſint inuentæ, atque adeò lapidei ſerpentes? Ad vim itaque formatricem in conchyliis noſtris recurrimus, quæ in quaque re id facit, quod præſtantiſsimum in ea fieri poteſt, pro elementorum miſtione. Vbi ergo viua fieri non tulit materiæ diſpoſitio, aut locus, illic figuram ſaltem induxit, vitam additura, ſi locus & temperamenta permiſiſſent. In litore Anconitano ſaxa magni ponderis, quinquaginta & plurium etiam librarum, è mari trahuntur: his colos & conſtitutio exterior ea eſt, quæ lapidi Aëtiti, rudis nimirum & non difficilis læſu aut tritu; interior verò cruſta aut tunica dura eſt, & quæ poliri poſsit, haud ſecus, atque interior Aëtitæ tunica: colore etiam ſubcæruleo, ne hac quidem nota ab Aëtite diſcedens. Rumpuntur hæc ſaxa maioribus malleis ferreis, magna vi impactis, non quò intus, vt in Aquilæ lapide, alius calculus inueniatur; ſed quò piſciculi delicatiſsimi extrahantur eiuſdem generis cum Solenibus, quas Cappas longas Veneti appellant; ſed eò delicatiores, quòd non aqua marina, ſed rore quodam tenuiſsimo, per lapidem imbibito, paſcantur. Hi plures numero, ad viginti, modò plures, modò pauciores ita ſaxo includuntur, vt ſingulis ſuus ſit nidus, ad magnitudinem & figuram piſcis omnibus lineamentis reſpondens. Inter nidos ſaxeo interſtitio relicto, ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes, ad palatum & lumbos delicatiorum plurimum facturi. In his igitur ſolidiſsimis ſaxis, in quibus aqua nulla, nullus liquor, inuenitur, præter eum, quem piſcis continet, non figura modò Dactyli ſiue Solenis, ſed vita etiam & omnis piſciculi laus perficitur & abſoluitur, melior vt multo ſit, quàm ſi in ipſo mari extra lapidem natus fuiſſet. Si igitur in his ſaxis viuos abſolutosque cum

Quædam lapideſcũt, quædam verò non.

vnguiformi ſua fiſtula Solenes intelligẽtia hęc, formarũ diſpenſatrix, formauit; quid ni eidem fuiſſe dicemus, figurati quidem ad piſcem hunc corporis, non verò viui procreandi, facultate? Figurarũ enim, quæ animantium corporibus ſunt propriè, tum earũ etiam, quæ corporibus non viuis eodem ſemper modo inſunt, conſtanti ſimilitudinis perennitate, cauſam ego ab effectricibus ideis, non à cæli duntaxat materia & forma, eiuſque motione circulari, pendere credo: atque ita in vniuerſum ſtatuo vim vnamquamque formatricem tantum vbique producere, quantũ materia capere poteſt, atq; ita multa corporatura quidem hoc vel illud animal eſſe, vita verò nequaquam:

Figurarum ſimilitudinis cauſa.

„ *Eſt aliquò prodire tenus, ſi non datur vltrà.*

Sic animalium etiam terreſtrium oſſa, nedum marinorum, in terra generantur; atque modò quidem oſſa perdurant, modò verò ſucci locique natura in lapides tranſeunt. Georgius Agricola in agro Luneburgenſi teſtis eſt oſſa belluarum marinarum orta eſſe, & in lapides conuerſa. Habeo equidem oſſa ſaxea ingentia, Balenarum oſsibus maximis æqua, quæ Nicolaus Rokokius, ciuium apud nos frequens magiſter, domi ſuæ vidit è terra erui, dum aquis hauriendis puteum fieri curaret. Plinius etiam è Theophraſto oſſa in terra naſci, & in lapides tranſire auctor eſt. Huc fortè referenda ſint oſſa illa enormia, quæ Gigantum fuiſſe vana hominum ingenia crediderunt. Verùm ne vlteriùs, quàm conchylia noſtra & oſſa belluina poſtulant, naturæ ſcrinia excutiam; hîc finem huic conſiderationi impono, certus neminem fore, qui noſtra hæc bene ruminarit, quin mox ſit concluſionẽ illam è conchyliis connexam deriſurus. Hoc igitur in commune reſponſum ſit omnibus iis, qui conchas & magna piſcium oſſa nobis ingeſſêre. Miror equidem Plutarchum, hominem philoſophũ, iſtud non animaduertiſſe, vel ex eo ſaltem, quòd in mõtibus etiam diceret conchylia inueniri. Quod ſi verũ fuit, quare non æquè aſſeruit, ſuperiorem Aegyptum atque inferiorem mari coopertam fuiſſe? Hoc ſi fateretur, in Thebaïda tandẽ & ipſam Aethiopiam mare deduceret, & ipſos tandem Alpes ſummergeret hac ſua collectione. Verùm enimuerò illud videtur magnũ pondus habere, quòd idem Cheronæus de puteorum aquis ſalſis mare inuexit: quod tamen, ſi vel leuiter attrectetur, ſtatim dilabitur & euaneſcit. Putei ſalſi ſunt, ergo mare aliquando Aegyptum occupauit. meliora quæſo. Halæ ad Oenum, altiſſimum montem, vidi totum è ſale conſtare, ergo & illis Alpibus mare aliquando fuit ſuperius. In Salinis Burgundiæ perenni ſalſedine fons eſt, fuit igitur Burgundia mari aliquando ſummerſa. In Gothalanis Pyrenæi radices copioſum ſa-

Putei ſalſi an mare argumẽt.

lem

lem ſubminiſtrant; fuerit igitur & Pyrenæus aliquando ſtabulum Balenarum. Bene quidem hæc omnia, ſi antè docuiſſet, nuſquam quicquam ſalſi inueniri, quò non ante mare ſalſedinem inuixiſſet. Cùm tam variis orbis partibus ſal in montibus reperiatur, miror ſanè tam leue argumentum tanti apud doctiſſimum ſcriptorem fuiſſe. Nil eſt ad fallendum potentius, quàm grauium auctorum ſententiis antè occupari, quàm, quid in re quaque ſentiendum ſit, diligenter & accuratè ſit examinatum. Id ego hîc Plutarcho eueniſſe video, qui Herodoti, & Ariſtotelis, & aliorum etiam aſſertionibus anticipatus, non inquiſiuit, an alia in puteorum ſalſedine cauſa inueniri poſſet. Cauſa, quæ mare ſalſum reddat, ab Ariſtotele ſatis eſt explicata: at illa in puteis valere non poteſt, multò verò minus in montibus. Succus eſt terræ, qui in ſalem abit, congelandus, ſi quæ concurrũt congelationẽ iuuent, & tanto magis cõgelandus, quantò cauſæ congelationis fuerint potentiores. Strabo fontis meminit, cuius aqua tanta celeritate concreſcat, vt ſi auium alæ ea madefiant, volatum impediat; & ſi corollæ intingantur, ſtatim totæ rigido ſalis gelu conſtare videantur. Hic gignitur interno aliquo terræ calore, quemadmodũ in mari Solis ardore exhalatio, & ſalſa redditur ipſa, & mare ſalſum reddit. Si maior calor fuerit, non ſal gignitur è ſucco, ſed nitrum, quod vi caloris maiore amareſcit, vt Galenus doctè in ſimplicium facultatibus examinandus demonſtrauit. Sicut igitur multis in locis, & propè infinitis, ſucci ſalſi in terræ viſceribus concreſcunt, quò res, hominum vitæ maximè neceſſaria, plurimis locis inueniatur; ita in Ægypto ſub arenis ad Peluſium ſal effoditur, Plinio ita prodente. Deinde copioſum nitrũ cùm in arenis, vbi ſunt; tũ in montibus Aegyptiis efflioreſcit; adeò vt nitro illic ferè omnia, perinde atque apud nos lixiuio, ſoleant expurgari. Tota enim Aegyptus nitroſa eſt: qualis niſi eſſet, fruſtra aqua Nili, quæ dulciſſima eſt, & ad bibendũ ſuauiſſima, in ſtagna immitteretur ad nitri cõpoſitionẽ. Si igitur terra nitroſa eſt; quid mirũ puteos ſalſos & amaros eſſe? ſalſos quidẽ, ſi liquor ſiue ſuccus minùs ſit aduſtus: amaros, ſi pluſculũ ſucci ſuſceperint, vel quem ſuſceperunt, cauſa aliqua magis aduſſerit. Neminẽ opinor eſſe tã inſigniter ab omni ratione alienũ, vt velit agrum Toletanum, vmbilicũ ferè Hiſpaniæ, mare aliquando fuiſſe. Atqui hic lacus eſt, è quo copioſum nitrum conficitur, quo Reginæ noſtræ vinum ſuum ſolent refrigerare, aut potiùs congelare, ne tepidum potarent. Si illic igitur mare non fuit, quia lacus eſt nitroſus, qui par eſt, vt ex Aegyptiis puteis mare fuiſſe in Aegypto colligatur? Sed vereor, ſi multus ſim in hac concluſione infirmanda

Sal à quo gignatur, & à quo nitrum.

Tembliz.

manda, ne ego priùs ambitioſæ in re clara reprehenſionis accuſer, quàm Plutarchus inconſiderantiæ. Multò certè priùs Eratoſthenes ſeſe torſit in conchulis, & ſalſuginis cauſis apud eos inuentæ, qui à mari longè ſunt remoti; præcipuam illam quæſtionem eſſe aiens, Quinam fiat, vt duobus tribuſque ſtadiorum millibus à mari intra mediterranea, plurimis locis, concharum, & oſtreorum, & cheramydum, ingens multitudo cernatur: & præter hæc ſalſi etiam lacus inueniantur, quaſi maria eſſent (vti fit) circa templum Hammonis: & in ea, quæ ad illud ducit, via, quæ ipſius teſtificatione longitudinem habeat trium millium ſtadiorum. Hic enim plurimam oſtreorum colluuiem eſſe, & ſalis etiamnum multum inueniri, & marinas exhalationes in ſublime ferri: prope ipſum etiam nauium maritimarũ fragmenta monſtrari, quæ hiantibus terris ſint effuſa: tum etiam columellas extare, ſuper quibus Delphini ſunt, habentes hanc inſcriptionem, κυρηναίων θεωρῶν. His Eratoſthenes inductus, Stratonem Phyſicum, & Xanthum Lydum laudat, qui inter cetera, quæ multa recitat, exiſtimarint ipſum Hammonis templum priùs ad mare ſtetiſſe; ac deinde, mari defluente, in mediterranea regione manſiſſe: atque oraculũ, quia mari adiaceret, eò celebritatis & nobilitatis peruenisſe, non eſſe à ratione alienum: alienum verò à ratione eſſe, ſi dicatur, quam habet claritatem & exiſtimationem hoc tempore, eam in tanto à mari interuallo acquirere potuiſſe. Aegyptum præterea priſcis temporibus ad Peluſias vſque paludes, & montem Caſium, ac lacum Sorbonidem, maris inundationibus fuiſſe ſubiectum, indicio eſſe cùm ſalſugo effoditur, puteos ipſos arenæ & concharum plenos inueniri, quaſi mare antea regio fuiſſet. In his Xanthi dictis nihil Strabo inuenit abſurdi, ſed ad Stratonem reprehendendum tranſit, qui inter cetera argumentum de fundo maris attulit, quod nec Straboni probatur, nec quicquam habet momenti ad ea, quæ modò ſtatui, eleuanda. Aduerſus autem Eratoſthenem, Stratonem, & Xanthum, eadem dici intelligantur, quæ contra Herodotum & Plutarchum ſunt à nobis dicta. Quid verò miri in vaſta, & plana arenarum ſolitudine, lacus ſalſos reperiri? maximè in tanto Solis feruore, quantum illic eſſe par eſt, vbi terra perpetua arenarum planitie longè lateque extenſa iacet? Si pluuiæ in ea frequentes, & copioſæ eſſent, dulcibus aquis Solis aduſtio impediri poſſet, quò minùs lacus ſalſos efficeret; quibus & terræ dilutæ ſalſuginem poſſent exuere. Sed iam contra habet. Vndique enim circumcircà vaſtitas arenarum templum cingit, quæ non magis ferè pluuiis, quàm Aegyptus, madeſcit. Hinc de Bacchi ſiti, & de fontis (bene-

(beneficio Iouis) inuentione fabula, ariete iter præmonſtrante. Quæ igitur hîc cauſa ſalis, vel ſub arenis, vel in lacubus reperti? quæ alia, quàm aduſtus vapor, & radiis Solis perpetuò toſtus? Regiones enim planæ, imbribus ob ſiccitatem terræ non irrigatæ, plurimum ſemper roris habent, qui matutino tempore arenis inſidens, ac iis ſe miſcens, Solis deinde feruore coquitur vel in ſalem, vel in nitrum, ſi vehementior ſit exuſtio. Eodem Solis calore lacus, nullis arborum aut montium vmbris defenſi, nec imbribus diluti, ſalſuginem contrahunt. Nec abſurdum ſit, ſuccos etiam internos in tanta camporum ſiccitate ſalſos etiam ſub terra inueniri, non à Solis tantũ radiis, ſed ab aliquo calore ſubtus alimentum in venis habente percoctos. Sed nihil opus eſt ſalis cauſis immorari, quas nemo Phyſicorum eſt, qui ignoret, niſi tam ſit ab vſu & experimentis alienus, vt neſciat vnde lixiuium nitri vim acquirat; neſciat etiam, quid ſudorem ſalſum reddat. Profectò Strato non videtur Phyſici nomine dignus, qui, ſalſugine ſeductus, Hammonis templum mari olim vicinum fuiſſe, arbitratur. Diceret idem totam Germaniam ſub mari fuiſſe; quia ſalis & nitri in mediterraneis, nec parum, nec paucis locis, habere noſcatur. Quòd autem Hammonis fons dulcis ſit, non eſt abſurdum, cùm arborum circa templum ad quinquaginta ſtadia in mediis ſolitudinibus arenarum tantum ſit, vt (Curtio teſte) Solis radij nuſquam admittantur. Non vnus igitur fons dulcis hîc eſt; ſed plurimi per totam ſiluam arbores irrigant. Principis verò omnium aquas Soli ob id ſacras priſci fecêre; quòd intelligerent, eò dulcem eſſe, quia Solis vi non inficeretur ſalſugine: quaſi dixiſſent, Sol huic fonti, tanquam amico, ſic præ ceteris eius ſolitudinis, extra ſiluam inuentis, pepercit, vt dulcedinem nullo ſale corruperit. Vide quantò doctius illi fabularum textores, quàm Strato Phyſicus, de ſalis origine ſenſerint, quam ad Solem, non ad Neptunum, alligarunt. De conchulis & oſtreis ſatis eſt reſponſum; illic ea nimirum reperiri, vbi ſuccus idoneus ad ipſorum generationem inuenitur, nulla maris delapſi inducta neceſsitate. Miror cur non addiderit Strato, hîc greges arietum olim ſubmerſos fuiſſe; propterea quòd arietũ cornua in lapides cõuerſa, vt videri queat, plurima inueniantur, quę Plinius non rectè (mea quidẽ ſententia) inter gemmas recenſet. Melius Solinus, Illic & lapis legitur (inquit) Ammonis vocant cornu. Nam ita tortuoſus eſt & inflexus, vt effigiem reddat cornu arietini: fulgore aureo eſt. Prædiuina ſomnia repræſentare dicitur ſubiectus capiti incubantium. Georgius Agricola, cuius in re metallica exquiſitę diligẽtiæ & incõparabili notitiæ nihil habet antiquitas, quod cõparet,

Salis cauſa ſub arenis, vel in lacubus.

Hammonis fons cur dulcis.

eiuſmodi quoque cornua in Germania inueniri tradit, quæ inter lapides hoplitas collocauit, id eſt, inter eos, qui metallo aliquo exterius armati vidétur; cùm nihil eius contineant. Nos vidimus vnum eiuſmodi cornu, nullo illud quidem metallo exterius armatum, ſed candido veluti marmore obductum, & ita ſpiris in ſe conuolutum, vt ne exiguum quidem foramen in medio relinqueretur. Mirus ſanè hic naturæ luſus eſt, quæ tanto artificio illud fingit, quod difficile ſit dictu, quorſum & ad quid ſeruire poſsit. Ex his cornibus fabulam de ariete, Dionyſium ad fontem deducente, ortam credo. Geterùm quid ad illud reſpondendum, quòd fragmenta nauium hîc inuenta dicantur, & non quarumuis; ſed earum, quibus maria ſulcantur? Victus forſitan hîc quiſquam eſſet, cui non ſuboleret fraus collectionis. Num quia nauium fragmẽta reperiũtur; idcirco neceſſe eſt fateri, ſub terra reperta eſſe? Atqui in templis Chriſtianorũ etiam inueniuntur, ad quæ non è terra prodierunt; ſed à voti reis ſunt allata. Guadalupa templum habet diuæ Virginis auguſtiſsimum, ad quod ab omnibus ferè Luſitaniæ & Hiſpaniæ totius nautis donaria apportantur; inter quæ ſi nauis fruſtum ſit allatum, an idcirco dicetur illic è terra emerſiſſe? atque hinc concludetur, mare meditulliũ Hiſpanię, & hos montes, in quorum amphitheatro templũ eſt, olim occupaſſe? Quid verò potiùs naufragus templo conſecret, quàm fractæ nauis fruſtum, quo enatarit? Multo id potiùs ei ſit, quàm tabulam pictam parieti adfigere: ſiquidem in omni naufragio pars nauis auferri poſſet. Nam veſtimenta quoque, quibus induti euadunt, Neptuno dicare ſolent:

Nauium fragmenta vnde delata ad templum Hammonis.

„ *Me* (inquit Horatius) *tabula ſacer*
„ *Votiua paries, indicat vuida*
„ *Suſpendiſſe potenti*
„ *Veſtimenta maris Deo.*

Eodem igitur modo ad templum Hammonis nauium fragmina venerunt à Cyrenæis, quo Guadalupam adferri poſſent; cùm idem ferè ſit vtriuſque loci à mari interuallum, trium ſcilicet millium ſtadiorum. Friuolum etiam illud eſt, ſi tanto interſtitio à mari Hammonis lucus olim abfuiſſet, nũquam ad tantam nominis claritatem potuiſſe emergere. Nam contrà potiùs ſentiendũ. Quæ obuia ſunt, & nullo labore adeunda, ea ferè nõ magni fieri, aut potiùs contemni. Difficultas itineris, ſolitudo locorum admirabilis, & ſingularis quæpiam nota, religionem in hominum animis vbique & ſemper auxerunt. Quid autem magis mirandum, quàm in tanta arenarum vaſtitate obſcurum hoc & irriguum nemus iacere? quid difficilius,

quàm

quàm illud adire per ſqualentia locorum caluitia, & ſolitudine vaſta incutientia horrorem? Quinam rogo Guadalupa, eodem interuallo & maiore etiam inter montes aſperos ſita, à nautis viſitatur; & nobilitatem acquiſiuit, non in omni modò Europa, ſed ad Gangem etiam, & Indum, & orbem illum maximum, veteribus ferè incognitum? Sunt iſta ridicula argumenta, & indigna ſtratiote, nedum Stratone. Sed illud videlicet aliquid erit: Delphinos columellis impoſitos ad Hammonis videri, atque iis Cyrenæorum nomen adſcribi. Egregium verò & magnæ ſubtilitatis argumentum, quo è Delphinis lapideis, vel ligneis, vel æreis etiam, colligitur mare ad Hammonis vſque templum olim pertigiſſe. Nunquid videtis, boni viri, qui hæc litteris mandaſtis, nihil poſſe ineptius concludi? Delphinos Cyrenæi dedicarunt, ſymbolum, quo Deum ſupplices monebant, vt, quemadmodum Delphini nauigantibus alludere videntur, & benigni eſſe; ita & ipſe lętus adeſſet, atque ea celeritate ac ſecuritate nauem duceret, qua Delphini maria tranant: quod copioſiùs equidem, ſi opus eſſet, explicarem. Verùm ipſa inſcriptio ſatis aperit, à quibuſnam Cyrenæis columnæ Delphiniſque poſiti fuiſſent. Nam vox θέωρος, quamuis ſpeculatorem ſpectatoremque ſignificet, peculiari tamen vſu de illis etiam dicitur, qui oracula ſcitatum mittuntur. Ita enim Plato in epiſtola tertia ad Dionyſium θεωροῦντας vocat, quos ille Delphos nomine ſuo miſiſſet; vbi ridet ſtolidam ſalutationem, quam ſcriptam per eos Apollini miſerat, in qua erat.

Delphines quare dicat ſ Hammonis templo.

„ Χαῖρε, & ἡδόμενον βίοτον διάσωζε τυράννε. *id eſt,*

„ *Saluete, & ſuauem vitam ſeruato Tyranno.*

Hîc clarè videmus quos vocarit θεωροῦντας, eos nimirum, qui ad oraculum conſulendum è Sicilia Delphos miſſi fuerant. Quis igitur non mox videat qui fuerint θέωροι Cyrenæi: nõ vicini certè magis ipſi olim templo, quàm Siculi Delphis eſſent, quò Theori mittebãtur. Immo ipſa illa vox longinquitatẽ quandã videtur indicare; vnde & nauis illa, quę quotannis Athenis in Delum nauigabat, Theoris eſt vocata. Cippi igitur illi inſcripti Cyrenæorum Theororum nihil aliud monſtrant, quàm Cyrenis ſolere mitti, qui Hammonem conſulerent, & vna illa obſecrarent, quæ Delphini teſſera denotantur. niſi ſcirem, quantum cæcitatis mentibus inducant præiudicia eorum, qui claris titulis in ſtudiorum vniuerſitate præfulgent, mirarer maiorem in modum tam claris nominibus tam ineptas adſcribi concluſiunculas. Quod verò Herodotus dixit, Pyramidas è ſalſugine montibus efflorescente corrumpi, multo eſt abſurdius, ſi conferatur

Theori qui ſint.

ad

ad docendum, mare aliquando in montibus illis conſtitiſſe. Neque enim in Aegypto tantum, nitri feraciſsima; ſed aliis etiam locis non paucis, montes nitrum exudant. Nec tamen ob id de maris inundatione quiſquam cogitauit, certus alias ſalis & nitri cauſas in terra inueniri. Neque verò, ſi mare Aegyptum quondam tenuiſſet, ex eo conſequeretur, ſalſuginem ex eo reliquam adhuc manere. Mare noſtrum nemo neſcit ſalſum eſſe: at arenæ, quas modò relinquit, nihil retinent ſalſuginis, tantum abeſt, vt poſt tot ætates, quot Aegyptij computant, retinerent. Magno id nobis emendum eſſet, vt quocunque mare influxiſſet, tantum ſalſuginis relinqueret, vt ea terris efflorescceret. Nam ſi id eſſet, non foret ſal maximis impenſis ad nos inuehendus: atque iterum è pullo colore in candorem coquendus. Arenas enim ſat eſſet coquere; & terrā, quam mare quotidie reliquiſſet. Certè, ſi in Aegyptiorum puteis ſal adhuc à mari reliquus eſt, conſentaneum eſt rationi, multò prius noſtram regionem ab vndis liberatam, quàm Aegyptiorum: eò quòd in puteis noſtris ne minimum quidem veſtigium ſalſuginis reperiatur; atque ita licere hîc potius quàm illic, quærere antiquitatem. Reiecta igitur hac de ſalſugine puteorum inſulſa collectione, pergamus ad reliqua indicia, de quibus in eam venitur opinionem, Aegyptum à Nilo inuectam eſſe. Quia ſcilicet Aegypti glebam diſsimilem eſſe contiguis regionibus colore Herodotus videret; putauit quærendam terram, vnde hæc eſſet inuecta. In promptu verò illud fuit inuenire, propterea quòd Aegyptia gleba pulla ſit. Vnde autem pulla terra inuehi rectius putetur, quàm ex Aethiopia, in qua cùm homines nigri ſint, neceſſe eſt & terram nigram eſſe. Argutum profectò, Herodote, argumentum, Homines nigri ſunt, terra igitur nigra: illi prorſus ſimile, quod alibi ſecutus videris, cùm de colore Aethiopum nigrum Aethiopum ſemen induceres. Sed demus, non de eiuſmodi aliqua ratiocinatione te perſuaſum, terram nigram in Aethiopia ſtatuiſſe; ſed de auditu apud Elephantinam, quouſque te profectum fuiſſe dicis, didiciſſe. Sit igitur iudicio tuo ob eam cauſam, Aegypti pulla gleba, quia talis eſt terra, vnde eſt illata; atque ita colligamus: Quæcunque gleba aliunde inuehitur fluminum impetu, eam neceſſe eſt colore reſpondere ei terræ, à qua eſt flumine deraſa. Si igitur hæc campeſtris Brabantia fluminibus inuecta eſt è locis ſuperioribus; ratio poſtulabit, vt naturam ſuperiorum regionum ſequatur. At Rhenus, Moſa, Scaldis, argilloſæ terræ colorem, naturamque præ ſe ferunt, qualis ea eſt, è qua ad nos manant. Erit igitur & noſtra talis. At planè contrà res habet. Noſtra enim vel nigra eſt, vel arenoſa, atque adeò maxima ſui parte

Aegyptus à Nilo inuecta an ſit.

parte ſterilis,vt nihil præter ericam ferat. tantum abeſt, vt pinguiſſimos Cliuiæ,Iuliaci,Thungrorum, Atrebatum, ceterorumq; agros, per quos flumina deſcendunt,imitetur. Nihil certè eſt in tota hac Ægypti regionumque noſtrarum collatione,quod apertiùs conuincat, campos hos noſtros à fluminibus non eſſe deuectos. Quamuis enim ceteris regionibus, non aliter atque Ægyptus, præiaceant ad fluminũ maximorum latiſsima oſtia,non poterit tamen in eam quiſquam venire cogitationẽ,è ſuperioribus locis, quæ fertiliſsima ſunt, ſterilem hanc glebam importatã fuiſſe. Quòd ſi importata nõ eſt,ne recens quidem eſt: atque ita nihil vetat, quò minùs hîc vetuſtã rerũ memoriam inueſtigem. Adiuti igitur ſumus hac parte ab Herodoto, vt à Plutarcho etiam in puteorum ſalſedine. Quod ſi non agnoſcerem, vt ſtupidus; ſi non confiterer,vt ingratus,accuſari iure poſſem. Iam nunc tandem ad illud ſe cõuertat oratio, in quo Halicarnaſſęus robur putat eſſe triarium totius ſuæ diſputationis. Regnante Myri, cùm flumen ad octo cubitos excreuiſſet,ſatis irrigabat Aegyptũ; ſed nongentis paulò plùs minùs pòſt annis, tempore Herodoti; niſi ad quindecim vt minimũ excreuiſſet,non ſatis inundaſſet:è quo cõſtat, ex illo tempore Aegyptũ tanto factam eſſe altioré. Poſſem hîc interrogare; ſi octo cubiti ſatis erant,an nihil damni Nilus inferebat,ſi ad quindecim excreuiſſet, vti nunc damnum inferre ſcimus, ſi optatam menſuram plurimùm exceſſerit? Sed ſcio Aegyptium flumen tantum ſemper diuinitatis habuiſſe,vt accurata quadam diligentia, prudentiq́ue conſilio terræ ſemper altitudinem modũ faceret ſui incrementi. Cùm igitur humilior erat terra, bonus amnis & benignus humiliùs ſe attollebat. Cùm terra iam altiùs è limo ſuccreuiſſet, plus aquę in clepſydrã infundebat; quo campis neceſſarius humor non deeſſet. Fidem igitur habeamus ſacerdotibus,de quibus Herodotus hęc audiuerat; &, illo dato, pergamus videre, quot nunc hac noſtra ætate cubitis attolli flumen neceſſe ſit,quo iuſtã irrigationẽ diſpenſet campis, ita paulatim è limo adfluente ſuccreſcentibus. E proportionũ igitur collatione,tribus terminis notis,quartum inueſtigemus. Intra nongentos annos,& paulò minùs,ad ſeptem vt minimũ cubitos terram altiorem,quàm antè fuiſſet,euaſiſſe pronuntiant. Iam à tempore Herodoti ad ætatẽ hanc noſtram anni elapſi ſunt non pauciores bis mille. Quocirca ex illo tẽpore neceſſe erit Aegyptum ab ingeſto luto plus, quàm quindecim cubitis (ne calculum nimis morosè ſubducamus) factã eſſe altioré. Si igitur campi nunc tanto ſunt altiores,opus eſt vt Nilus pro veteri ſua prudentia tantò etiam altiùs exundet, ſi irrigationis munere ſit bene functurus. Quamobrem, ſi tẽpore He-

rodoti quindecim vt minimũ cubitis opus erat, hac noſtra ætate neceſſariò ad triginta vt minimùm cubitos increſcet, vt campos inundet. Hoc verò quàm ſit à veritate alienũ, non eſt quo multis docere nitamur; cùm res ipſa monſtret, hactenus etiam non pluribus, quàm quindecim vel ſedecim cubitis opus eſſe ad irrigationẽ. Eadem nunc eſt menſura inundationis, quæ fuit circa annum Romæ conditæ, trecenteſimum decimũ; quo tempore Herodotus (Plinio auctore) apud Thurios hiſtoriam ſcripſit. Pluris igitur ſtatuariũ facio, qui Nili ſtatuam (qualem Romæ in horto Vaticano, inſigni vetuſtæ artis ſtatuariæ templo, videre non ſine magna voluptate ſoleo) ad eum modum fecit, vt ab imo pede ad ſummũ vſque caput ſedecim faceret luſitantes puſiones, totidem in creſcendo cubitorũ indices, intelligens perpetuam hanc & ſtabilem fluminis naturã eſſe, vt ſi vltra ſedecim cubitos inundaret, periculum adferret meſſis ægrè perficiendæ. Eſt hactenus in ea ripa Nili, quę ad Pyramides ſpectat, è regione frontis inſulæ, Cerbic nomine, columna è lapide cocto, in quo incrementum fluminis notatur: quod ſi quindecim cubitos ſuperet, annonam vberem præmonſtrat: ſi vltra ſedecim progrediatur, damnũ adfert: ſi ad octodecim vergat, inſignem regioni cladem denuntiat. Nihil igitur ab Herodoti ætate ad hunc vſq; diem in Ægypti irrigatione eſt immutatum, nec terra vel pilo altior facta eſt, quàm olim fuerit. Nimis ergo fluxo, immò falſo, & mendaciorũ pleno, fundamẽto Ariſtoteles vſus eſt, dũ ſic colligit: Si Ægyptus, patria hominũ antiquiſſimorũ, mare aliquãdo fuit, nõ poteſt negari ceteros mortales, qui poſt Aegyptios extitêre, regiones colere, quę pòſt mari emerſerunt. In primis enim illud, Omnium hominũ Aegyptios eſſe antiquiſſimos, teſtificatione ipſorum Aegyptiorũ apud Herodotũ ſcripta, falſum eſt. Nam Phrygios vetuſtiores eſſe, Pſamnitichus deprehendit; quàm vero atque certo ſigno, nunc non quæro, aliàs dicam. Deinde regionem ipſorum mare aliquando fuiſſe, tantum abeſt vt confiteamur, vt omnia argumenta quibus id erat collectũ, nullius omnino momenti eſſe, videar mihi demõſtraſſe. Verùm enimuerò, quia omnes ab Homero, vt ſic crederẽt, videntur inducti; neceſſariũ erit eius verſus diligẽtiùs examinare, ac videre, an nos cogant cõfiteri alium olim Phari, quàm nunc, ſitũ fuiſſe. Menelaus igitur in patriã rediturus, in Aegyptũ venit; è qua ſoluturus ventis aduerſis eſt ad Pharum retentus; vbi ab Idothea Protei filia didicit, quinam Protea capere poſſet, atque ex eo moræ ſuæ cauſas ſciſcitari. E Proteo igitur ligato filiæ proditione didicit, Ioui & ceteris diis ſacra facienda, atque ea quidem eſſe debere Hecatombas. Sed loquatur ipſe Menelaus:

Αηὺ-

„ Αἰγύπῳ μ' ἔπι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νέεσθαι
„ Εσχον, ἐπεὶ οὐ σφὶν ἔρρεξα τελήεσσας ἑκατόμβας·
„ Οἰὸν αἰεὶ βούλοιντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων.
„ Νῆσός ἐπείλά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
„ Αἰγύπτῳ προπάροιθε, Φαρὸν δ' ἐκάλησκουσι.
„ Τόσσον ἄνευθ', ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
„ Ἤνυσεν, ἢν λιγὺς οὖρος ἐπιπνείησιν ὄπιθεν.
„ Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ὅθεν τ' ἀπὸ νῆας ἐίσας
„ Ἐς πόντον βάλλουσιν, ἀφυσάμενοι μέλαν ὕδωρ.
„ Ἔνθα μ' εἴκοσιν ἤματ' ἔχον θεοὶ, οὐδέ ποτ' οὖροι
„ Πνείουσιν φαίνουθ' ἁλιαέες, οἵ τε νηῶν
„ Πομπῆες γίνονται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.

Hæc nos ſic, craſsè numeros & verba ſecuti.

„ *Dij me molitum cupidè huc appellere, proram*
„ *Aegypto retinent, quòd non feciſſem Hecatombas.*
„ *Nam meminiſſe volunt iuſſorum numina ſemper.*
„ *Inſula namque vagis ſpectatur in æquoris vndis*
„ *Aegypti ſub fronte, Pharum quam nomine dicunt;*
„ *Inde procul, quantum nauis bene ſcalpta volaret,*
„ *Toto pulſa die ventis à puppe ſecundis.*
„ *Hìc fidus portus: portu ſimul hauſerit vndam*
„ *Nauita purpuream, claſſem deducit in æquor.*
„ *Hoc dij bis denis me continuêre diebus,*
„ *Per quos non vlli venti ſpirare notati,*
„ *Qui naues poſſent pelagi perducere dorſum.*

At Proteus, conſilio filiæ cõprehenſus, Menelao percontanti, quiſnam immortalium reditum ſuum impediret, ita reſpondit:

„ Ἀλλὰ μάλ' ὤφελλες διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν
„ Ῥέξας ἱερὰ καλὰ ἀναβαίνεμεν, ὄφρα τάχιστα
„ Σὴν ἐς πατρίδ' ἵκοιο, πλέων ἐπὶ οἰνοπα πόντον,
„ Οὐ γάρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
„ Οἶκον εὐκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
„ Πρὶν γ' ὅ τ' ἂν Αἰγύπτοιο διίπετέος ποταμοῖο
„ Αὖτις ὕδωρ ἔλθῃς, ῥέξῃσθ' ἱερὰς ἑκατόμβας
„ Ἀθανάτοισι θεοῖσι, τοι οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
„ Καὶ τότε τοι δώσουσιν ὁδὸν θεοὶ, ἣν σὺ μενοινᾷς.

Nos ſic ex tempore verſui verſum repoſuimus:

„ *At tu debebas demum conſcendere, poſtquam*
„ *Sacra Ioui, reliquisque deis, deuota dediſſes,*
„ *Ocyus in patriam quò per mare puppe venires.*
„ *Nam nec fata ſinunt caros inuiſere amicos,*
„ *Nec bene conſtructas ædes patriamque videre,*
„ *Aegypti donec fluuij Iouialis ad vndas*
„ *Rurſus eas, faciasque dijs ſacras Hecatombas:*
„ *Qui latis cæli ſpaciis ſine morte fruuntur:*
„ *Tunc iter hoc tibi fata dabunt, quod feruidus optas.*

Homeri admirabile artificium.

Admirabile eſt Homeri hîc artificium, dum fabulam, naturæ arcana tegentem, hiſtoriæ accommodauit. Heraclides Ponticus inter cetera hunc etiam locum attigit, cuius verba in Latinum ſermonem à Conrardo Geſnero conuerſa (ne Græcis recitandis ſim prolixior) apponam. Quinetiam ſermo de Proteo, qui tam copiosè à Menelao recenſetur, ſtatim figmenti phantaſiam offert, ceu planè fabuloſus, dum infelix incola anguſtæ in Ægypto inſulæ narratur, addictus perpetuis pœnis, nunc in mari, nunc in terra degens, miſerè cum Phocis dormiens, vt illic cruciaretur: tum filia eius Idothea, per iniuriam & proditionem patris, beneficium hoſpiti præſtans, dein vincula & inſidiæ Menelai commemorantur: poſteà multiformis, in quaſcunque res voluiſſet, Protei permutatio: quæ omnia poëticæ & monſtroſæ fabulæ videntur, niſi quis diuina Homeri myſteria, velut ſacra, mente cæleſti tractet. Enimuerò hæc fabula primogeniam vniuerſi originem conſtituit, qua omnes mundi partes confirmatæ illam, quam nunc videmus, ſpeciem effecerunt. Erat enim olim mundus informis & cœnoſus, nondum diſcretis rerum notis integritatem ſuæ formæ adeptus. Nam neque dum tellus centrum ſuum pro fundamẽto rerum omnium ſtabilierat, neque cæli perpetuus motus certa ſede voluebatur, ſed omnia ſine Solis vſu immota, triſtique ſilentio depreſſa, languebant. Aliud extabat nihil, quàm informis diffuſæ materiæ ſegnities, antequam principium illud, à quo producta & conſtituta ſunt omnia, ſalubrem vitæ modum depromens, mundum mundo redderet, cælumque à terra, & pelagus à continente, diſtingueret. Quo tempore primùm elementa quatuor, ex quibus, ceu radice ac generis principio nihil nõ gignitur, ordinem ſuum ac formam propriam acceperunt. Hæc igitur cùm diuina prouidẽtia diſpoſita ſint, numen illud, quod informem priùs indiſcretamque materiam certis formis obſignauit, ab Homero Protei filia, Idothea, nominatur; id-

Fabula de Proteo quid ſignet.

Protei filia quare Idothea dicta.

que

que bono iure, vt quæ εἶδος ἑκάστου θεὸν, hoc est, ideæ seu formæ cuiusuis inspectionem exhibuerit. Quocirca Proteus, qui vna prius natura fuerat, in multas deinde species à prouidentia formatus, diuiditur: *Protei multæ species, & quid significent.*

„ *Principio est visus speciem subiisse leonis,*
„ *Mox aper, inde draco fieri, fera pardalis, inde*
„ *In latices etiam se vertit, & arbore formam*
„ *Mutauit priscam ramis, ac frondibus alta.*

Per leonem, animal igneum, ætherem indicat. Draco tellus est, vtpote indigena, & è terra natus. Arbor autem quæuis, cùm augeatur, & à terra semper in sublime natiuo motu feratur, symbolum aëris est. Aquam verò, vt clariùs vim ænigmatis demonstraret, suo nomine manifestè vocat, inquiens: *In latices etiam se vertit.*

Proinde conuenit informem materiam Proteum appellari, Idotheam prouidentiam quæ singulis formam effigiemque suam addidit, & vniuersam molem, ab vtrisque discretam, in continuas sibi & perficientes mundum partes diuisam esse. Probabiliter autem & insulam, in qua hæc facta sunt, Pharum appellauit. Nam φέρσαι generare significat, & Callimachus sterilem terram ἀφάερτον dixit. ἀφάερτος οἷον γυνὴ, id est, ceu mulier sterilis. Itaque naturaliter locum, parentem rerum omnium, nuncupauit Pharum, per vocis etymologiam à fecunditate ductam, quid sibi vellet, insinuans. Ceterùm, quibus epithetis Proteum ornauerit, iam consideremus.

„ *Huc Halio, veróque seni, concedere mos est.*

Senectus quidem antiquissimam & primitiuam substantiam denotat, & à temporis politia materies informis commendatur. ἅλιος verò cognominatur, non per Iouem, vt marinum dęmonem, ac inter vndas viuentem, intelligamus, ἀπὸ τοῦ ἁλὸς, id est, à mari; sed aliquid ex multis variisque rebus congestum & accumulatum. ἁλίζειν enim Græcis congregare sonat. Verax quoque meritò dicitur. Quid enim illa substantia verius, ex qua omnia genita sunt, existimaretur? Hæc ille. In quibus an pro *politia* legendum sit *polia*, vt de temporis canitie intelligatur, aliis relinquo videndum. Proteus ergo Heraclidis auctoritate materia prima erit, atque (siquid iudicare ausim,) Proteus dictus est, quòd illi πρωτεῖα totius generationis debeantur. Nam eodem etiam primatus iure materiam Peripatetici primam vocauerunt, quòd primum sit subiectum omnium generandorum. Quamuis autem apud poëtas vetustos masculo nomine Proteus vocetur, adscribitur tamen illi tantum mutationis per omnes rerum formas, vt quiuis inde intelligat, dum varias formas suscipit, subiecti *Protei epitheta & eorũ ratio.*

non cauſæ efficientis,habere rationem. Atque id præterea hoc maſculo nomine videntur indicaſſe, non ſolùm in efficiente, & formali cauſa,maſculam Dei vim eſſe; ſed in materiali etiam, qua idonea eſt, vt omnibus formis exordium præbeat. Spiritus igitur Dei materiam ſic diſponens,vt apta ſit ad quaſuis viciſſim formas recipiendas,Proteus nominatur, qui ſe tot in ſpecies transformat, quot in omni generatorum varietate queunt inueniri.Huius filia eſt Idothea, quam Heraclides ſic interpretatur, vt Thea hic coniugatum ſit Theatro, ſpectaculum ſiue oſtenſionem ſignificans:atque hac via illa vis diuina notetur, quæ informem & vagam materiam certis formis conſtrinxit. Cetera Heraclidem admiror, hoc illi aſſentiri non poſſum; Idotheam enim ego deam formarum intelligo, τὴν τῶν εἰδῶν θεὰν Græcis nuncupatam. Alioquin enim Protei filia dici non poſsit,propterea quòd numen illud, quod materiam formis diſtinguit, & iis alligat,non poſsit dici produci ex materia. Hoc enim officium non eſt formæ,ſed cauſæ efficientis,formas materiæ imprimentis. Qua verò cauſa Dea formarum filia dicetur Protei? Nempe quòd forma omnis educatur de potentia materiæ,tanquam eius quædam filia. Eſt enim (teſte Ariſtotele)materia cauſa generationis,ſicut mater. Quid verò fit in matre à cauſa efficiente ſiue patre,ſi non ipſa forma? Quia ergo materia veluti mater quædam ſit, de cuius gremio ab opifice omnis formarum diuerſitas educitur,dicta eſt Idothea Protei eſſe filia, quæ alia conſideratione vxor etiam dici poſſet. Sed ratio prior longè diuinior eſt,& ab altioribus principiis deducta. Voces enim apud priſcos illos Theologos primùm poſitæ ſunt primis & altiſsimis principiis, atque inde per analogiam quandam Phyſicis elementis applicatę. Infinitas ergo patris ſiue Vnius(vt cum Parmenide loquar)Proteus primò & propriè vocatur,eò quòd in omnibus rebus πρωτεύῃ, id eſt primas teneat. Quia autem in ipſo vno res nihil inter ſe differunt, ſed omnes vnum ſunt (vti Platonici demonſtrant è Parmenide, quem, iniquiſsima calumnia & peruerſa interpretatione diſtortum, Ariſtoteles impiè reprehendit)factum eſt,vt de vno diceretur,ipſum omnes res fieri: &, Sicut omnia in Vno ſunt vnum,ita vnum fieri omnia; non aliter atque ex vno omnis numerorum diuerſitas enaſcitur. In varias igitur ſpecies vnum(quod alibi à Platone patris nomine vocatur)permutatur, atque in omnibus tamen Proteus eſt, id eſt,primas tenens. Ex Vno ergo primum procedit τὸ ὄν,id eſt ens,quo vnum ad actu eſſe contrahitur. Sed hæc altioris ſunt contemplationis, quàm vt hîc breuiter & abſolutè tradi queant. Satius igitur ſimilitudinem in numeris Pythagorico more cõſiderare. Vnum ergo prin-

Idothea interpretatio.

Protei filia quare dicta dea formarũ.

principio parit duo, in hoc infinitam potentiã ſuam perdens. Eodem modo materia, vni reſpondens, infinitæ eſt potẽtiæ; & in omnia rerũ genera permutatur: atq; idcirco πρωτὴ à Peripateticis vocatur ratione eadem, qua vetuſti philoſophi ſiue poëtæ Protea eam nominarunt. Quemadmodũ igitur ab Vno omnia procedũt, vti primo & generaliſſimo principio, omnibus rebus interius, & in apice ſubſtãtiæ, inexto; ita à materia quoq; omnia corporea, tanquã à primo principio, dependẽt. Per hanc igitur analogiã Proteus pater dictus eſt Idotheę; nõ aliter, atque vnũ pater eſt, reſpectu duorũ, ſiue entis. Præterea qui primũ domus quærit principiũ, ad fundamẽta deſcẽdit: ita, qui corporũ omniũ primũ quęrit principiũ, ad materiam primã cogitatione deducitur. Non immeritò igitur ab vno analogia ad materiam primã deſcendit: &, ſicut illic maſcula natura propter principatũ duntaxat ſignificatur, ita ad hanc quoq; maſculũ genus peruenit. Poſteà, quẽadmodũ ab vno binarius primo oritur, ita ſeruata ratione ſimilitudinis è potentia materię primò educitur forma, nõ hæc aut illa quidẽ forma, ſed forma generatim, ſiue (vt loquũtur ſcholæ) ipſa forma: atq; idcirco à poëtis nõ εἶδος, ſiue forma, ſed εἰδοθέα, id eſt dea formarũ nominata. Eſt enim ipſa forma, ad hãc vel illam formã, veluti dea quędam; eò quòd res, quanto ad vnũ propius accedunt, tãto ſunt diuiniores. Hæc ergo fuit antiquorũ cõſideratio, qui omnia ab vno perpetua quadã & continenti per omnes rerũ gradus cathena deducebant, & eiſdem paſſibus ad vnũ referebãt. Quia igitur in reſolutione vltimũ eſt materia, neceſſariò erit prima in corporum compoſitione; atque ea cauſa meritò materia Proteus erit in Phyſicis, quemadmodum vnum Proteus in prima ſapientia dicebatur. Et quia forma penultimum eſt in reſolutione, neceſſe eſt, vt ſecunda ſit in compoſitione; atque ita rationem ſubeat binarij, cuius natura Pythagoricis feminea eſt. Scio in omnibus rebus diuerſas poſſe conſiderationes eſſe, & diuerſas ſimilitudines, & analogias: atque ita, quia forma dat eſſe, atque materia per formam eſſe recipit, dici poſſe formam rationem habere virilem, quod habeat actiuitatem: materiam verò muliebrem, quia nimirũ perfectionem eſſentiæ ab alio ſuſcipiat; atque hoc modo intelligendũ, quod Ariſtoteles primo primæ philoſophię libro Platoni tribuit ex parte formæ vnitatẽ, ex parte materiæ dualitatem eſſe. Eſt enim ratione actualitatis, ſiue actiuitatis, forma prior materia, ſed ordine compoſitionis & reſolutionis (quibus duabus viis omnis rerum ſcientia quærenda, quamuis Galenus fruſtra tertiam adiecerit) materia, ſicut nomine, ita reapſe, prima eſt, & forma ſecunda: atque idcirco optimè illi priſci, ſiue poëtæ, ſiue ſophi, ſiue etiam

Forma quomodo prior materia, & quomodo poſterior.

etiam magi, naturæ ordinem in rebus componendis & reſoluendis ſecuti, materiam Protea nominarunt, & deam formarum ſecundam ſtatuerunt, illius perinde filiam, atque dualitas eſt vnius. Cùm ergo in analyſi & ſyntheſi medulla Dialectices contineatur, quæ duæ viæ hic ſignificantur; quis poſthac audebit huius artis principatum & primos honores patri poëtarũ denegare? Vt ergo Proteus primus eſt in compoſitione, ita nomẽ ſortitur maſculinũ. Eadem ratione Oceanum patrem, Tethyn matrem ſtatuerunt. Sed de his alibi fortè latiùs. Hic ſatis ſit, veram veterum poëtarum ſententiam aperuiſſe, & Ariſtotelem neceſſariò alterius accuſandum, vel mendacij vel ignorantiæ, dum primo libro Poſt naturaliũ aſſerit, nihil dixiſſe antiquos de forma; &, ſi dixerint, non tamen dixiſſe, vt forma eſt. Dixerunt enim de forma, non ſolùm vt forma eſt, ſed vt omnium formarum forma eſt atque dea. Deam enim primam rationem formæ nominant, quod, quanto quæque res propiùs ad vnum accedat, tanto ſit diuinior. Cùm igitur ipſa prima formalitas omnibus formis, vt formæ ſint, cauſam & rationem præbeat, bene eam Idotheam dixerunt. In eo enim omnes formæ conueniunt, atque vnitatem quodammodo ſeruant; quòd omnium natura ſit materiæ generalitatem ad certam ſpeciem contrahere. Hæc igitur ratio Idothea nominatur, eo quòd Dea ſit formarum. Heraclides parum hæc intelligens, putauit Idotheam dici inſpectionem ſiue ſpectaculum formarum; quaſi ab ea nobis formarum fieret inſpectio. Id verò nequaquam ita eſt, eò quòd homines ea, quæ cognoſcunt, in ſingularibus priùs, quàm in ſuperioribus, agnoſcant. Deinde reliqua, quæ addit, ad cauſam generantem ſiue efficientem, non formalem, ſpectant. Poetæ igitur hoc modo pro eo, ac debent, explicati, longè diuinius de materia prima & prima forma ſenſerunt, quàm ipſe Ariſtoteles, atque voces etiam per analogiam longè doctiùs è prima philoſophia ad naturalem tranſtulerunt; quàm quiſquam eorum, qui aliam viam ſunt ingreſſi. Non eſt dubitandum, quin hæc omnia æquè ac magis etiam, quàm nos, intellexerit, cùm poëſeos fuerit doctiſsimus: ſed quo princeps philoſophiæ eius, quam tractabat, videretur, ſtudioſè contendit omnium priorum opiniones euertere: in quo illo præſertim auxilio vſus eſt, quòd omnium ſententias obtorto collo aliò traheret; quàm eò, quò ab auctoribus ſuis erant deſtinatæ. Quod ferè omnibus iis, qui nouas ſectas & hæreſes condere nituntur, quarum nomine celebrari volunt, diligenter vbique eſt tenendum; vti hac noſtra infeliciſſima ætate eos facere videmus, qui nouarum in religione factionũ terribilem quandam hydram, variis capitibus, & ferè

Prima ratio formæ, cur antiquis dea dicta.

Idothea quare non dicatur inſpectio.

ferè innumeris virus ſuum ſpirantem, peperêre. Ceterùm Ariſtoteles tolerabiliorem ſeſe præſtitit, qui, quamuis à veteri Theologia videri vellet diſceſſiſſe, idem tamen eiſdem pæne nominibus docuit, ſolo fabularum tegmine remoto, materiam τὴν πρώτην ὕλην, εἰδοθεὰν εἶδος appellans. Iam, qua ratione materiam primam ſub ſpecie dei marini texerint, nemo ignorabit, qui ſimilitudinem humidi cum materia conſiderabit. Humidi enim proprium eſt, ipſo etiam Ariſtotele, iniquiſſimo vetuſtiorum cenſore, definiente, quod facillimè terminos accipit alienos. Cùm enim forma, quæ extra rationem materiæ eſt, materiam terminet, & ea facillimè omnes formarum terminos ſuſcipiat, atque ægerrimè eos, ſub quibus eſt, cuſtodiat; quę res ſenſilis poteſt inueniri, quæ propiùs naturam materiæ exprimat, quàm ipſum humidum? quod, quamuis in aëre etiam ſit (quia tamen per vim & efficaciam non percipitur, nec oculis item vulgò comprehenditur) non alij potiùs corpori, quàm mari & Oceano, ſiue aqueo elemento, eſt attributum. Proteus igitur in humido elemento verſatur, quòd eius naturam ex humidi definitione intelligamus. Phocas cuſtodit, quia amphibion animal omne animantium genus, terreſtrium & aquatilium, deſignet; atque hoc ſymbolo ſignificetur materiam eo ipſo, quod omnes formarum terminos ſuſcipiat, omne animantium genus perpetua ſucceſſione tueri. Deus etiam hic prodit è mari in terram, vtrique nimirum elemento materiam ſuppeditans. Quando verò prodit? meridie: quo tempore vera generantis cauſæ imago, & in generantibus cauſa princeps altiſſimè ſupra terram eleuatur. Quo quid aliud denotatur, quàm tum Proteum ab hominibus cerni poſſe, cùm formas diuerſas à generantis excellentia ſuſceperit, quam Sol meridianus ſignificat. Numerare autem tum dicitur ſuum pecus, eò quòd totius eius regni latitudo, quæ in diuerſitate formarũ conſiſtit, quæ de eius potentia à generante educuntur, tum maximè cernitur, cùm vis Solis maximè ad nos accedit, quod tempus ſicut in die meridies eſt, ita in anno æſtas. Hoc Ariſtoteles ita ſuum fecit, vt diceret Solis per obliquum circulum motione generationem & corruptionem euenire; & generationem quidem eo accedente, corruptionem verò diſcedente. Proteus ergo diuitias ſuas computat in vigore generationis. Hunc verò filia eius, de gremio eius educta, hominibus prodit; quod magiſter etiam noſter Peripateticus aliis phaleris ornatũ, pro ſuo vendidit, dum libro primo Phyſicorum dixit, Materiam cognoſci in analogia ad formam. Ergo falsò idem ſequenti libro aſſeruit, antiquos materiam duntaxat cõſideraſſe, cùm hîc apertè poëta

Materia prima cur ſpecie Dei marini tecta.

Humidi proprium.

Proteus quare & quando dicatur prodire è mari in terram

Proteus quãdo numeret pecus ſuum, & quare.

doceat, Proteum non fuisse videndum, nisi Idothea prodidisset: quo significatur, materiam per formam agnosci eo ordine, quo scientia nostra resolutione ad prima acquiritur, contrario ordine, quàm res sint compositæ. Sed quæ via est, aut quod medium ad cognoscendum? Quod aliud, quàm si considereturex vno fieri aliud, & quod nunc est aqua, mox aërem fieri, atque inde ignem & aërem rursus in aquam transire, ac hanc quoque in terram, atque id non in simplicibus modò elementis, sed in compositis etiam corporibus euenire? Hìc enim, cùm nihil in nihilum corrumpatur, necesse est aliquid semper vnum manere, quod omnem hanc formarum varietatem accipiat. Quod vbi quis intellexerit, & cogitatione omnem hanc diuersitatem peruiderit, tum amplius Proteus siue materia prima eluctari non potest, quin comprehendatur, non corporeis quidem vinculis, sed iis, quibus mens nostra capit atque comprehendit rerum siue essentiam siue naturam. Proteus igitur in varias sese formas vertit, & tantisper id facit, dum tandem à constante mentis consideratione capiatur. Quocirca totam hanc physiologiam, & naturalium rerum captum, ingeniosus poëta Menelao accommodauit, quasi diceret hanc primam materiam à Dea formarum non cuiuis indicari, sed ei duntaxat populo, qui maneret constans in rerum contemplatione. Menelaus enim dici videtur ceu μένων λαός, id est, populus permanens; quod nomen fratri Agamemnonis conueniebat, eò quòd ipse in causa esset, vt populus ad Troiam moraretur. Videmus ergo, qua occasione naturæ rerũ inspectionẽ Homerus Menelao applicet. Verùm quid hoc rei est, aut potiùs mõstri, dicet aliquis, tantum philosophiæ occultioris applicare ad tam humilem quæstionẽ, qua non aliud agebatur, quàm quis deorũ, quo minus Menelao ex Ægypto reditus daretur, impediret? Haccine causa Proteus siue natura ad vltimam vsque resolutionẽ erat consulenda? Erat sanè, si rectè omnia, quæ quęstione hac continebantur, examinentur. Appulerat in Ægyptum Menelaus, atque à Thoni, rege Memphitico, & eius vxore Polydamna, magnificè fuit exceptus. Hinc igitur sub ipsum illud tẽpus discessit, quo Nilus erat exundaturus: quod accidit adhuc ipso in Phari portu ventos ad vicesimum vsque diem exspectanti frustra. Cùm igitur tum nouam formam maris terrarũque videret, ex ea occasionem accepit cogitandi, quid causæ subesset, vt Pharus insula esset vnius diei nauigatione à continẽti remota. Deinde hæc forma, & tam noua rerũ facies, à poëta Idotheæ nomine indicata, monebat, vt Proteum obseruaret, id est, vt naturales causas ad primã vsque resolueret, atq; omnem eius varietatẽ tantisper inspiceret, dum eius, quod

Menelai etymon.

quære-

quærebat, cauſam comprehenderet. Quid ergo reſpondit Proteus iam comprehenſus? Malè profectò Menelaum feciſſe, quod benignè hoſpitio ſuſceptus, tam ingratus fuiſſet, vt antè diſcederet, quàm Ægyptio flumini feſti dies peracti eſſent. Debuiſſe enim cogitare, ſi per Nilum Memphim vſque vectus ad optimum regem fuiſſet, tantam ſaltem eius beneficij memoriam fuiſſe conſeruandam: vt, quod ab omnibus Aegyptiis fieret in fluminis honorem, id ipſe ſingulari munere accepto non negligeret, neque parui æſtimaret. Neceſſarium ergo eſſe ad Aegypti flumen reuerti, id eſt, ad ea loca, quibus flumen adhuc fluminis naturam retineret, ac vbi ſummi honores ei perſoluerentur. Infra enim Pyramides Memphiticas non fluuius nunc, ſed pelagus erat: in quo opida aggeribus munita, veluti Cyclades in Aegæo, iacebant. Ad Memphim igitur Ioui & ceteris diis hecatombas faciendas, id eſt, centum diebus feſtos dies, & Geniales agendos apud ipſum regem, quem ante perſolutum hoc annuum ſacrum reliquerat. Aegyptij enim, durante Nili inundatione, continuò Genio atque epulis indulgent, vt Diodorus, & huius temporis conſuetudo, ab antiquo durans, teſtatur. Hactenus enim totum illud tempus, per feſtos lætosque dies, & per mille cantiones tranſigunt, adeo vt ſacrilegum videatur, in præſenti numinis fauore, quod totam regionem fœcundat, non lætari; & omni hilaritatis genere beneficum flumen excipere. Peccauerat ergo Menelaus, quòd ingratus antè diſcedere tentaſſet, quàm vnà cum hoſpite ſuo centum hos dies honori fluminis conſecraſſet. Hoc enim Proteus monebat, id eſt, diſpoſitio materiæ elementorum talis erat, vt antè diſcedere Menelaus nequiret. Nam principio prodromi venti ſpirant; deinde Eteſiæ ſuccedunt, quorum neutri ad exeundum iuuant, immò exituris aduerſantur. Hoc nimirum è reſolutione rerum in ſuas cauſas intelligebatur. Quod genus vaticinij Proteo meritò adſcribitur; eò quòd is in vltimo & abditiſsimo naturæ penetrali lateat, ad quod qui penetrare poteſt, certa oracula reportat. Prodromi igitur & Eteſiæ Menelaum adhuc diu demoraturi erant, quibus Thales Mileſius cauſam incrementi Niliaci attexuit. Non igitur ante centeſimum diem fas eſſe in patriam redire, quantum tempus feſtis lætisque conuiuiis impendi Aegyptus, ſiue alio nomine Nilus, Aegyptiorum præcipuus deus, poſtulabat. Hæ erant igitur Hecatombæ; id eſt, centum boum ſacrificium, in ſingulos dies ſingulos boues deputando. Maxima ergo cauſa erat, ob quam Proteus ad quæſtionem vocaretur. Mirabatur enim meritò Menelaus, Pharum tanto interuallo pelagi vndis contineri, cùm antea continenti vidiſſet hærere, deinde ventos

continuò & obſtinatè cõtrarios manere,cùm anteà quàm hæc facies rerum videretur,crebras habuiſſent & permagnas mutationes. Ventorum enim proprium videtur, nullam habere ſtabilem conſtantiam,cùm eos,quorum leuitatem notare volumus, Tritonibus ventorum indicibus alligatos dicere ſoleamus. Ad hanc igitur dubitationem tollendam opus erat, vt cauſa incrementi Niliaci intelligeretur. At ea ex intimis naturæ arcanis,quibus Proteus præſidet, erat expiſcanda. Non ergo ad humilem,vilem,plebeiamque quæſtionem Proteus ab Homero eſt aduocatus, ſed ad difficillimam & generoſiſſimam; & talem,vt in ea non olim modò, ſed ſuperioribus etiam & noſtris annis doctiſsimus quiſque plurimum laborarit. Quum ergo videret reditum ſibi aduerſis ventis impediri, non parua hæſitatione tenebatur, quanto tempore hi duraturi eſſent: & quamdiu pelagus Pharum occluſurum impediturumq;, quò minus commeatus è vicinis agris ſuppeditaretur. Iam enim ſociis ad calamum & hamum vita redierat,omnibus agris,campisque ſubmerſis. Neque enim perinde,atque Aegyptij,futuræ neceſsitati conſuluerant;quòd non credidiſſent ſe illic detinendos; &,ſi detinendi fuiſſent, è proximis agris putarent ſe poſſe, quæ ad vitam eſſent neceſſaria, comparare. Proteus igitur interrogatus centum dies Hecatombis ſuis indicauit, quos feſtos Aegyptij agunt tantiſper, dum flumen alueo ſuo rurſus comprehendatur. Principem verò cauſam incrementi Proteus aperuit,cùm dixit,Ioui Hecatombas faciendas. Et flumen Diopetes nominauit,id eſt, è cælo delapſum. Si enim Hecatombæ cuipiam Deorum offerendæ, illi certè maximè, cui augmentum fluminis præcipuè acceptum ferebatur. Is igitur cùm Iupiter ſit; quis non videt apertè denotari, à Ioue incrementum proficiſci? Quæ verò aquæ à Ioue veniunt,niſi illæ,quæ pluuiis è cælo cadunt? Quamuis igitur in Aegypto non pluat, Nilus tamen æſtate Diopetes vocatur, eò quòd imbribus increſcat. Dio igitur ſiue Ioui hecatombæ faciendæ, eò quòd is pluuiis è cælo cadentibus præſideat, quibus Nilus augetur. Hoc ſi Thales rectè examinaſſet,ac deinde ceteri omnes, qui de propoſita quęſtione ſcripſerũt,ſtatim intellexiſſent ad pluuias regionum ſuperiorum incrementi cauſam referendam. Quamobrem hecatombas Ioui præcipuè, deinde ceteris diis fieri debere Proteus monuit, indicans illi quidem primas in hoc beneficio, nonnihil tamen & ceteris Diis adſcribendum. Nam & Cybele, quatenus hiemis domina eſt; & Oreades,montium cuſtodes, & Sol hibernus, ſuas etiam vires contulerunt:vti mox perſpicuum reddam. Sed dicet quis,quare Ioui imbres tribuantur, cùm Iunonis videantur proprij

Vnde cauſa incrementi Niliaci petenda.

Nili incremẽtum vnde.

Ioui quare imbres tribuãtur, non Iunoni.

prij, cuius Iris miniſtra, nunciaque fingitur? Huic principio verſus, Orpheo ab Apuleio & aliis tributos, aduocabo, in quibus inter alios hic etiam legitur:

„ Ζεὺς ἄρσεν γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Id eſt, vt Apuleius vertit:

„ *Iupiter & mas eſt, & femina, neſcia mortis.*

Hinc ſtatim colligitur, Iouem & Iunonem idem numen eſſe; at diuerſa conſideratione diſtingui: Iouem quidem dici, quatenus agit; Iunonem, quatenus vim agentis ſuſcipit. In eiſdem verſibus eſt & alter:

„ Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Id eſt, eodem interprete:

„ *Iupiter eſt caput, & medium, Iouis omnia munus.*

Quòd ſi omnia à Ioue procedunt, quid ni in primis ei acceptum feratur, præclariſſimum illud donum, quo Aegyptus omnem accipit vbertatem? Virgilius Iouem Aethera vocauit, imbres etiam ei adſcribens:

„ *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Aether*
„ *Coniugis in gremium lætus deſcendit, & omnes*
„ *Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.*

Eodem modo dixit Horatius, *Sub Ioue frigido*, apertum aërem intelligens; quod aliter diceretur ſub Dio. Menelaus ergo debuiſſet Ioui maximè Hecatomben offerre, cuius munere Aegyptus illa acceperat omnia, quibus apud regem opiparè fuerat exceptus. Huic conſentit epitheton, Aegypto fluuio attributũ. Sic enim Nilus olim vocabatur, toti regioni deinde nomen impartitus. Vocatur namque à Proteo Diopetes, quod idem eſt, ac ſi dicas, à Ioue cadens. Simulacra igitur, quæ fingebantur è cælo delapſa, (quo ſuperſtitio maior in hominum imperitorum animis naſceretur) dicebãtur Diopetea: qua voce in Actis Apoſtolorũ Artemidis ſtatua nominatur; quia cælitus demiſſa à ſtolidis crederetur. Sic Plutarchus ancile Romanorum Diopetes dixit; quod cælo delapſum ferebatur. Homerus itaque, arcanorum Protei conſcius, Nilum Diopeten vocauit, voce nõ perpetua, ſed pro tempore eo, quo exundabat, tribuenda. Neque enim ſemper talis erat, ſed tum duntaxat, cùm pluuiis cælo delapſis auctus Aegyptum irrigabat. Aliàs enim non ſecus, ac cetera flumina è fontibus ſuis deriuabatur. Quod niſi ita eſſet, torrens, non amnis, eſſet vocandus. Ex hoc igitur liquet, quo anni tempore Proteus hæc Menelao reſponderit; eo videlicet, quo Pharus inſula erat, vnius

diei ſecunda nauigatione à Memphiticis montibus remota. Ad Memphiticos verò montes antiquiſsimam regum ſtationem fuiſſe, ante ipſum etiam Homerum pyramides, & reliqua vetuſta monumenta teſtantur, quorum tanta eſt antiquitas, vt Diodorus fateatur nihil certi nec à ſcriptoribus, nec ab Aegyptiis, de illis prodi. Quod ipſum indicio eſt, longè ante Homeri ætatem eas fuiſſe conſtructas. Si enim citra, mirabile ſanè ſit, tam dubiam de iis eſſe narrationem. Equidem certò mihi perſuadeo, iam tum, Herodoti tempore, nõ ſolum certá regum priorũ hiſtoriam obſcuram fuiſſe, ſed hoc etiam, vix tum vllum fuiſſe inuentũ, qui Hieroglyphicas notas legere poſſet. Nam ſi legere potuiſſent, non tanta fuiſſet de Pyramidum auctoribus diſſenſio. Quis enim dubitet, quin nomen iis ſuum reges inſcripſerint, quæ ad nominis immortalitatem tantis ſumptibus erigebãt? Credo itaque illuſum Herodoto ab Aegyptio fuiſſe, qui ſic Hieroglyphicam ſcripturam in quadam Pyramide interpretabatur, quaſi diceret, mille ſexcenta talenta in apium, cepas, & allium, inſumpta fuiſſe. Miror, quamobrem non eadem ratione omnia ſibi legi reddíque curarit, quò tandem certi aliquid de ſtructuris illis admirandis poſteris tradere poſſet. Eiuſdem farinæ & illud credo, quod Germanico à ſenioribus ſacerdotum legere iuſſis eſt reſponſum, contineri litteris illis Aegyptiis, quæ Thebanis molibus erant inſculptæ, fuiſſe
Rhamſes Rex. quondam regem Rhamſem, qui ſeptingentis millibus totum orbem ſubegerit. Nam, ſi id verum eſſet, quid vetuiſſet, quò minùs Strabo, Diodorus Siculus, & reliqui antiquitatis & hiſtoriæ Aegyptiæ diligentiſsimi ſcrutatores, diſcere potuerint è Sacerdotibus, quæ Pyramis, à quo Rege, & quo tempore, & ad quid facta fuiſſet? Quocirca nec Hermapioni credo, qui Pyramidem Rameſſæ, ſiue (vt Græcus ſcripſit) Rameſtæ apud Ammianum Marcellinum interpretatur; vbi multa & inepta dum in Græcum ſermonem transfert, ne verbum quidem addit de tempore, quo facta ſit. Nos igitur Diodoro & Plinio facilè aſſentimur; nihil de Pyramidum auctoribus, vel à ſcriptoribus, vel ab Aegyptiis, certi haberi poſſe.

Pyramidum autem earum, quæ ad Memphim ſunt, quæ maxima eſt, à quibuſdam Chembæ, vel (vt alij legunt in Diodoro) Chemmi tribuitur, quem aiunt poſt Proteum, & eius filium Remphim, ſeptem interiectis ætatibus, regnaſſe. Quod equidem nullo modo credam. nam, ſi verum eſſet, quod dicunt, non multis ætatibus hæc Pyramis ante Herodotum facta fuiſſet; eò quòd Proteum tempore belli Troiani regnaſſe prodant, contrà quàm Homerus docet. Hic enim illo ipſo tempore Proteum deum facit, & Thonem regem conſti-

conſtituit Ægypti, à cuius vxore, Polydamna nomine, Helena Nepenthes accepit. Sanè ſi rex quiſquam fuit omnino, qui Protei ſibi nomen arroganter ſumpſerit, vt Commodus Hercules vocari voluit; eum neceſſe eſt tempore Troiani belli mortuum fuiſſe, ac in Deorum numerum relatum, ſi Homerus quidem recipiendus. Neſcio quis Euſebij Chronicis infarſerit Thuorin, regem Aegypti, ab Homero Polybum vocari, & vxorem eius Alchandram, apud quos Menelaus & Helena hoſpitio fuerint excepti. Dolendum profectò, hunc auctorem tam corruptum extare, cuius ferè ſolius auctoritate omnium temporum ſcriptores reliquias ſuas, quamuis exiguas, conſeruarunt. Si Euſebius Homero conſenſit, loco Thuoris Thoon vel Thonis eſſet legendum, & Polybi & Alchandræ nomen ad piper ablegandum. Quod verò ab Ariſtotele dicitur, Memphim Homeri ætate vel non fuiſſe, vel tantam non fuiſſe, vt digna videretur, cuius mentio fieret, id parum apud me habet momenti ad perſuadendum. Neque enim ij, qui volunt videri ad intima regionis penetraſſe, de proximæ ciuitatis deſcriptione hoc docebunt; ſed illam depingent, quæ ad intima vſque atque ſuprema regni eſt remota. Quocirca Homerus Thebas potiùs, quàm Memphim depinxit, ac huius occultè tum meminit, cùm vnius diei nauigationem velificam ad flumen Aegyptum, (id eſt, ad Nilum) vbi adhuc integer eſt, & vnus eſſe dixit: quod, nulla ratione ad Thebas referri poſſe, locorum docet interuallum. Pharus enim plus quàm ad quinque integros gradus in latitudine, Thebas ſuperat, quibus lõgius ab Aequinoctiali abeſt, vt interim diſcrimen longitudinis & fluminis ambages negligamus. Si igitur ad flumen duntaxat nauigandum fuit, non erat opus Thebas proficiſci; ſed ad caput Delta vſque aſcendere, vbi fluuius totus eſt, & nullas in partes diſtractus. Iam falſum quoque eſſet, Pharum à continenti tantum abeſſe, cùm ſupra Delta mox montes incipiant, quos multò ante Homerũ illic fuiſſe qui mihi negabit, eũ ſibi ſapere ſinam, & ſomniis ſuis, quando & vbi velit montes excitare. Ab ipſa Memphi ſeries montium incipit, qui inter mare rubrum & Nilum ad ipſam vſque intimam Aethiopiam procurrunt. Hos ſi poſt Homerum enatos dicemus, non naturæ nunc ſecreta & hiſtoriam quærere videbimur, ſed prorſus inſanire. Verùm quo clariùs cernas, Memphim, non Thebas, vſque iter ab Homero deſcriptum eſſe, Strabonem & Ptolomæum conſulas, qui mox ſupra Memphim Troicum montem ponunt; quem aiunt inde nomen habere, quòd Menelaus Troianos captiuos illic reliquerit, fortaſſis (vt ego ſuſpicor) ad Latomiam vel venditos vel donatos. Sunt enim illic lapides,

è qui-

è quibus Pyramides factæ ſunt, effoſſi, vti Strabo oculatus teſtis ſcribit. Eſt etiamnũ quiſquam tam impudenter obſtinatus, vt necdum fateatur ad Memphim, non Thebas, interuallum illud ab Homero notatum, referẽdum eſſe? Dicet quiſquam adhuc, Omnes hos montes poſt Homerum enatos, qui ad Nilum vtrinque ad Thebaida vſque porriguntur? Vel tollant ergo mihi aduerſarij hanc Aegypti continentem terram, & montibus ſaxeis plenam; vel confiteantur neceſſe eſt, à Memphitica regione vnius diei nauigationem eſſe ſupputãdam. Ipſum certè priſcum montis nomen, à Troianis ſumptum, contra Ariſtotelẽ clamat, non exiguam tẽpore Menelai Memphim fuiſſe, ad quã Troianos nimirũ reliquerit. vbi enim reliquerit, niſi vbi fuit? at vbi fuit? apud Thonẽ nempe regẽ hoſpitio exceptus. Habuit ergo hoc loco Thonis regiam ſuam, ad quam Troicum montem inuenimus, & ſub eo verſus flumen Troiam opidum, ab ipſis Troianis à Menelao vel relictis, vel profugis (vt alij dicunt) & conditum & nominatum. Pharus ergo à Memphi, regia Thonis, vnius diei nauigatione abfuit. Et quanquam alio loco Thebarum meminit Homerus, præterita Memphi; id tamen non ſic fecit, quaſi Memphis non eſſet; ſed quò homines intelligerent, vlteriora etiam ab eo cognita perſpectaque fuiſſe. Iam quod de Thebarum à Pharo interuallo dixi, de latitudine duntaxat computato, id poteſt indicare, quantò plura ſint millia paſſuum, ſi ſecundum fluminis decurſum & obliquitates iter computaretur, vti faciendum eſſet nauiganti. Aegyptus ergo, quæ Delta vocatur, tota pelagi formam induit ad montes vſque Memphiticos & Troicos, & id ad centum dies, quibus creſcit & decreſcit, donec totus alueo rurſus comprehendatur. Non poſſum ſatis mirari, quid Herodoto in mentem venerit, qui centum dies increſcere dicit, & totidem rurſus decreſcere, niſi fortè totum tempus decrementi, donec minimus fluat, computarit: quo quidem calculo intra alueum ad tres menſes diminueretur. Quod non admodum ſanè abſurdè, immò conſentaneè nomini, quo Aegyptus vocatur, vt mox docebo, dixit: melius tamen iuxta Homerum & veritatem, dies tantum diluuij notaturus. Quis nunc non admiretur poetæ ſummum artificium? Atqui non tanti artificium ingenioſiſſimum facio, quanti artis ipſius ſummæ admirabilem & occultam diſſimulationem, qua videtur omnes, quotquot hactenus in hunc locum inciderunt, fefelliſſe. Adducatur quiſquam omnium veterum, qui Protea & Iſotheam citra errorem explicarit. Nominetur aliquis, qui intellexerit, quænam Protei ſint oracula; aut qui oſtenderit hæc optimo iure à Menelao de reditu ſuo fuiſſe conſulta; aut qui reſponſum

Homeri laus.

ſum à Deo breuiter datũ ſic euoluerit, vt eo cauſas incrementi Niliaci viderit contineri, & tempus ipſum deſcribi, quo Menelaus in Aegypto fuerit detentus, & dies numerari, quibus lætis feſtisq; conuiuiis in ea ſolet indulgeri. Hæc ſanè omnia breuis Protei reſponſio continebat, quæ in diuina hac pictura tali velo Homerus obduxit, vt nemini in mentem venerit, velum ſe tantum, non picturam, videre. Verùm quia nos primi (ni fallimur) diuinam hanc rerum naturalium delineationem aperuimus, non videbimur ſatis grati genio doctiſsimi vatis eſſe, niſi doceamus non cauſas modò inundationis Nili arbitrarias, quales plerique omnes attulerunt, ſed veras etiã & naturæ conſentaneas depingi: adeò vt optimè illius perſona in ſcenam ducatur, qui in abditis naturæ penetralibus primatum tenet. Augetur igitur Nilus à pluuiis. Sed quia ignoratur à quibus, nihil hactenus certi poteſt pronuntiari. Diodorus Siculus, cùm plurimos in quæſtione hac variè exercitatos reiecisſet, tandem aſſeruit Agatarchidem Cnidium proximè ad veritatem acceſſiſſe. Relictis igitur illis, quos ſigillatim confutauit, huius vnius ſententiam rogemus. Ait quotannis à conuerſione æſtiua ad Aequinoctium vſque autumnale continuas pluuias in montibus Aethiopiæ decidere: nihil igitur miri eſſe, ſi Nilus hieme intra alueum contractus ſit, & à Solſtitio diffuſus per campos latè vagetur. Hanc aſſertionem Diodorus non putat reiiciendam, tametſi nemo extaret, qui cauſam pluuiæ illius reddidiſſet. Multa enim paſsim occurrere ac videri, quorum cauſæ ab hominibus nõ comprehenduntur. Homines autem, qui in locis illis Aethiopiæ degunt, rem ita habere teſtificari, atque idcirco fidem adhibendam Agatarchidi; quamuis imbrium cauſæ, vt multarum aliarum rerum, ignorentur. Atque eo quidem modo ſcriptor hic contentus nihil vlterius inquirit. Ioannes Baptiſta Ramuſius, qui nauigationum & terreſtrium itinerum hiſtoriam tribus voluminibus lingua ſua complexus eſt, de Nili incremẽto Hieronymum Fracaſtorium conſulens, omnes omniũ opiniones, quas Diodorus expoſuit, ſigillatim recitauit. quarũ Fracaſtorius aliquas repetiuit. Nos tã ambitioſi non ſumus, vt, quò Siculũ auctorem legiſſe videamur, putemus multum nobis operæ chartæque impẽdendum, ad diuerſitatẽ hanc opinionũ, & earum confutationẽ, hîc prolixè adiiciendã; quas, qui volet, melius ſuauiusque de Græco fonte bibet. Interim non abs re erit iudiciũ acutiſsimi philoſophi, & longè melioris poëtæ audire; propterea maximè, quòd Agatarchidæ opinionẽ ſecutus, cauſas etiã, quas ille omiſit, adiecerit; atq; ita ſi veritatẽ eſt aſſecutus, effecerit; vt Homeri ſententia meliùs certiusq; intelligi poſsit. Porrò, ſi Straboni

Inundationis Nili veræ cauſa.

credendum,nõ meliùs de Agatarchide merebimur, quàm de Aristotele,cuius hanc itidem sententiam fuisse testatur.Aiunt enim(inquit) si Latinè vertas, Callisthenem causam ex imbribus æstiuis assignasse; atque id ab Aristotele accepisse; atque hunc ex Thrasialco Thasio, qui vnus fuerit è Physicis vetustis; ac illum iterum ex alio, qui tandem ab Homero illud didicerit, Nilum διοπετέα, id est, à Ioue delapsum nuncupante. Quo loco interpres Latinus,nescio quod exemplar secutus,pro Callisthene Eratosthenem supponit.Aristoteles certè libro primo sublimium de pluuiis agens,& earũ generationis causis, prodidit, in Arabia & Aethiopia in æstate cõcitatas vehementesque pluuias decidere, atque id sæpiùs aliquando vno die, propterea quòd nubes vehementius calefactæ faciliùs à frigore mediæ regionis ad imbres constringãtur, perinde atque aqua calida citiùs,quàm aqua frigida, congelascit. Aphrodisæus ad hunc Aristotelis locum (nescio quàm verè) alterum eiusdem auctoris adducit, ex libello, vt ait, De Nili incremento: quo dicit Aristoteli visum fuisse, nubes eas, è quibus pluuiæ in Aethiopia per æstatem fiunt, esse illuc aliunde illatas Etesiarum flatu. Quòd de pluuiarum generatione & eius causa Aristoteles dixit, placet sanè: at, quod Alexander addidit, nequaquam; eò quòd eius commento consentaneum esset, non solùm in Æthiopia, sed in Ægypto etiam, imbres eodem tempore plurimos fieri, ad quam Etesiæ antè pluuiæ materiam, quàm in Æthiopiam, adferrent. Neque credo libellum illum De Nili incremento,principis Peripateticorum germanum esse fœtum,cùm eius neque Diodorus Siculus, neque Strabo fecerit mentionẽ. Opinio enim de pluuiis ex hoc Meteorôn libro adscripta ei videtur, non è peculiari libello: quanquam id parui refert.Nec Siculus scriptor Cnidio potius historiographo,quàm Aristoteli ex professo causam hanc priùs expiscato, sententiam adscribere debuisset; si verum quidem esset,quod Aphrodisæus affirmat. Reiecto ergo hoc cõmento de imbrium causa,quod magistro suo tribuit Alexander, Fracastorium audiamus, sed in Latinam linguã,& in compendium reductum,quo à nostratibus intelligatur. Ad pluuiæ generationem(inquit) primò opus esse materia, è qua vapores, quos Georgius Agricola halitus maluit nominare, gignantur. Ea in humido vel maris, vel stagnorum, vel fluminum, vel terræ humectæ, consistit. Deinde causam agentem necessariam eam esse, quæ satis virium habeat, ad multos vapores eleuandos, quod Soli ferè tribuendum. Hinc locus inueniendus, in quo vapores vniti nubem faciant. Vniuntur verò duabus maximè de causis: altera, quòd simile suo simili gaudeat, quo contrariis resistat: altera

Cur in Arabia & Aethiopia æstate frequentes pluuiæ.

Pluuiarum generatio.

altera per antiperiſtaſim, id eſt, contrariorum circumſtantiam, quæ illic fit, vbi radiorum Solis reflexorum vis terminatur. Eo enim aëris loco plurimum eſt frigoris cùm alias, tum maximè cum montes excelſi eo pertingunt, quorum vertices frigidi ſunt; tum ob terream naturam, tum ob ſolaris reflexionis defectum. Deinde, quo pluuia fiat, neceſſe eſt vt vapor ad priſtinam naturam reducatur, quod fit deperdito calore per frigus circumſtans, & proprium nubis temperamentum. Vapor itaque, condenſatus in aquam, cadendo pluuiam facit. Cum igitur cauſæ hæ validæ ſunt, atque omnes concurrunt, validæ quoque pluuiæ fiunt. At ſi aliqua deſit, generatio impeditur, præſertim ſi non ſit materia. In Libyæ plurimis locis omnia ſabulone ſqualeſcunt, quocirca nec imbres gigni queunt. Apud nos æſtate Sol humorem omnem abſumit, quò fit vt ne hic quidem tum pluat. Eſt quando materiæ ſatis inuenitur, ſed cauſæ agentis imbecillitas obeſt, quò minus vapores eleuentur: quod ad Septentrionem in ſummo gelu uidemus euenire. Aliquando materia eſt, & eleuatur, ſed non vnitur, vel calore diſſoluta, vel ventis diſperſa. Nonnunquam materia eleuatur, & vnitur; & illud quidem in loco, in quo oportet: ſed non fit pluuia; propterea quòd frigus circumſtans non ſit in analogia & illo commenſu, quo imbres; ſed quo nix, aut grando, aut ventus etiam, ac procellæ, creantur. Sumit deinde locis illis, quibus Sol eſt perpendicularis, quotidie aliquo ſaltem tempore pluere. Quod confirmat eorum relatu, quos Ramuſius dedit legendos. Prætereà, cùm Sol ad Tropicum Cancri verſatur, non ſolum pluuias fieri iis, quibus eſt perpendicularis, & finitimis vltrà citraque; ſed quædam quaſi pluuiarum diluuia: quod tempus Aethiopes hiemem appellant, perdurans toto Cancro, & parte Leonis. Atque eodem tempore Nilum increſcere ad quadraginta dies; & deinde rurſus decreſcere, donec in Libra totus alueo ſuo capiatur. Iam & illud, in Aethiopia, & Aegypto ei vicina, cathenas eſſe montium maximorum. Dicunt verò eodem item tempore Nigrum creſcere, qui per Aethiopiam in Oceanum fluens, ab accolis Senega nominatur. Nunc ergo quærantur cauſæ incrementi fluuiorum, relictis tamen illis quæ monſtroſæ ſunt, aut rariſſimæ; ad quas lacus Albanus, inſolito quondam auctu exundans, cùm Veios Romani expugnare niterentur, referendus; cum nullis cæleſtibus aquis, cauſáve alia, quæ rem miraculo eximere poſſet, increuiſſet. Duæ omnino ſunt exundationis amnium cauſæ non prodigioſæ. Vna, ſi oſtia impediantur, quò minus aquas effundant. Altera, ſi plures ſolito aquæ recipiantur. Quod fit duobus modis, vel niuibus ſolutis, vel pluuiis

Fluuiorum incrementi cauſa.

ingentibus præcipitatis. Prior cauſa Thaleti placuit, qui Eteſias decurſum Nili ſuſpendere dixit. Quod tamen nullo modo teneri poteſt, ſi vera ſunt, quæ Plinius de iis ſcripſit: eius enim hæc ſunt libro ſecundo verba: Ardentiſsimo autem æſtatis tempore exoritur Caniculæ ſidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies decimus quintus ante Auguſtas Calendas eſt. Huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Poſt biduum autem exortus iidem Aquilones conſtantiùs perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocant. Huic Columella & Seneca conſentiunt. Cùm ergo non paulò pòſt ſpirent anniuerſarij hi Aquilones, quàm Nilus creſcere incipiat, non poſſunt ſibi augmenti cauſam vindicare. Alterius cauſæ incrementorum partem priorem Anaxagoras arripuit, qui putauit è niuibus liquefactis flumen augeri. Verùm id minimè credi poteſt; eò quòd niues in Alpibus tum liqueſcant, cùm Sol Taurum ingreditur, tanto à tropico & maiore multo à Sole interuallo. Quæ igitur niues eodem tempore in Aethiopia eſſe poſſunt, cui Sol tam immenſo ſpacio tum eſt vicinior? Iam vt detur, aliquas etiam niues tum deliqueſcere, quia tamen id abſurdum eſt, ea potius cauſa tenenda, quam non noſtræ modò ætatis homines, ſed vetuſtiſsimi etiam confirmant; in quibus eſt Ariſtoteles princeps Peripateticorum. Hoc ergo pro certo ſtatuamus, ad ſecundam ſecundæ cauſæ partem confugiendum, atque extra dubitationem omnem ponendum, vehementibus pluuiis Nili incrementa deberi: Pluuias autem has fieri, non è nubibus aliunde per anniuerſarios ventos importatis, (vt Alexander credidit) ſed in ipſa Aethiopia eleuatis. Nunc ergo imbres quotidiani, quos diximus à radiis perpendicularibus excitari, generantur: quia materia à ſinu Arabico, & Oceano, & fluminibus, ex altis montibus corriuatis, ſatis multa ſuppeditatur; & Sol vim agendi per rectos radios demittit: deinde vaporum his attractorum vnio frigore medij aëris fit; maximè vbi alta ſunt montium cacumina, quæ terreno ſuo frigore frigus medij aëris augent & intendunt. Quo fit, vt, quod à Sole eſt attractum, diſſolui non poſſit. Verùm hi imbres quotidiani Nilum augere nequeunt, eò quòd à terra excalfacta antè abſorbeantur, quàm in flumina poſsint coire. Immo nec illi quidem, qui ad tropicum tempus hibernum Aethiopibus faciunt, priùs flumen augent, quàm Sol ad Cancrum venerit. Hoc quo liquere poſsit, ſumendum gyros, quos Sol ad Aequinoctialem deſcribit, latiore ſpacio inter ſe diſtare; quàm eos, qui ad tropicum fiunt. Et quanto huic circulo propiùs Sol acceſſerit, tanto gyros hos fieri anguſtiores; ſicut contrà, quanto

Pluuiæ, quibus Nilus intumeſcit, vnde.

pro-

propinquior Æquinoctio eſt, tanto fieri rurſus ampliores. Iam & hoc: Diem tanto fieri longiorem, quanto Sol Cancri primæ parti fuerit vicinior. Ad Æquinoctialem ergo fiunt imbres illi quidem quotidiani: ſed quia Sol eidem terræ parti non diu ſuperſtat, propter diurnarũ gyrationum amplitudinẽ; deinde quia dies breuis eſt, non fit attractio tam vehemens, vt imbres copioſos producat. Augetur paulatim quidem dierum longitudine, & ſpirarum ſolarium anguſtia; ſed citra magnum pondus, niſi vbi iam ad anguſtiſſima ſpacia circulorum, & longiſſima dierum, fuerit ventum. Hîcigitur in fine Geminorum pluuiæ multæ & copioſæ fiunt. Sed qui à terra needum tota interiùs humecta eſt, adhuc imbibũtur; atque id tantiſper, dum intus & exteriùs ita tota humore quotidianorum imbrium turgeat, vt amplius imbibere non poſsit. In Geminis igitur materia pluuiis incrementi cauſis præparatur, ſed necdum flumen excreſcit: pòſt verò in Cancro imbres concitatiores cadunt; quia plus humoris in terra eſt collectum, & quia Sol etiam vehementius trahit propter vehementiorem calorem. Hoc igitur tempore, cùm terra plus imbibere non poſſit, & omnes aluei aquarum iam ſint pleni, incipiunt flumina exundare: atque id tam diu, donec longitudo dierũ & amplitudo gyrorum cauſam agentem diminuant, & in priſtinũ ſtatum reducant. Hæc ferè ſunt, quæ Fracaſtorius doctè, & multò copioſiùs lingua ſua diſputauit; in quibus multa ſunt, quæ videntur primò inſpicientibus abſurda. In pluuiarum cauſis vniuerſim rectè verſatur. Sed in Aethiopicis plura fortaſsis quiſquam deſideraret. In eo, quod ſibi ſumit, omnibus iis locis, quibus Sol radios perpendiculares demittit, pluuias fieri, minimè verũ eſt, niſi illud falſum ſit, quod in nauigatione Magellanica à M. Antonio Pigafetta Vicentino ſcriptum eſt. Hic enim in Breſilia, in latitudine Antarctica viginti duorum graduum, à feſto Luciæ, quo Sol meridianus erat perpendicularis, ad duos integros menſes dicit nunquam pluiſſe. Quem locum Ramuſius quoque in compendium ſuum tranſtulit. Aloiſius item Dacadamoſto refert in regno Senegæ ab Octobri ad finem vſque Iunij nũquam pluere, & à Iulio pluere ad finem vſque Septembris. Clariſsima hęc ſunt teſtimonia, vt plurima alia omittamus, quibus docetur, nõ ſemper pluere, cùm Sol eſt hominibus intra Tropicos perpendicularis. Scio id annotatũ eſſe in Diui Thomæ inſula, in qua Martius & September pluuiis abundant: at in aliis non ita euenire, cùm inſula Iacobæa, ad decimũ quintum Arctici poli altitudine ſita nullas in Tauro pluuias habere dicatur, ſed tum demũ, cùm Sol ad Cancrũ peruenerit, ſi vera Comes Rimondus ſcripſit. Aliun-

de igitur videtur cauſa petenda, quàm ex hac de perpendiculo radiorum ſumptione minimè vniuerſali. In montibus Aethiopiæ, quibus nomen eſt à monaſterio Viſionis, ad decimũ quartũ latitudinis gradũ in regno Barnagaſsi ſitis, hiems eſt à Februario ad finem vſque Aprilis, id eſt cælum pluuium, per quod tempus milium ſeritur; cùm in planitie Barrę, in eadem poli eleuatione, tum nulli imbres cadant. Non eſt igitur cauſa in radiorũ perpendiculo, quòd eo tempore Sol perpendicularis non ſit, nec item in ſpirarum anguſtia, quæ illo loco ſatis magno interuallo diſtant. Verum autem eſſe, quod dico, Franciſcus Aluarus capite viceſimo quinto peregrinationis Aethiopicæ teſtabitur. Idem in eadem latitudine Barræ, hiemem incipere ait à decimoquinto Iunij: quo tempore Sol Cancrum ingreditur, longè diſsitus à Barranorum vertice. Eodem tempore Calecuti item hiems incipit, vndecim graduum ab Aequinoctiali interuallo, tantum abeſt, vt regnum illud tunc rectus deſpiciat. Nec alias pluuias oſtia Indi fluminis, ad Cancri circulũ ſita, & tota Indiæ maritima, quàm eas habent, quæ ad æſtiuum ſolſtitium exortæ, ad tres ſequentes mẽſes durant; ita vt hoc tempus vniuerſalis hiemis intra Tropicos nomen ſortiatur. Illa verò, quam in montibus monaſterij Viſionis cõtingere ad Martium dixi, ſingularis ſit illius regionis, & regni Dobaſij, & Damæ, ſubditæ Barnagaſſo: quæ tamen loca inter ſe magnis terrarum ſpaciis diſtant. His enim duæ hiemes ſunt: altera vniuerſalis; altera ſingularis. Nullo igitur modo nec vniuerſalis, nec ſingularis à perpendiculo radiorum originem ducit. Aliquid dixiſſet Fracaſtorius, ſi plueret eo tempore duntaxat in Aethiopiæ & Aegypti confiniis. At nunc videmus per totam Aethiopiam ſuperiorem validos imbres ruere, nec differri, dum Sol ad punctũ Verticale, ſiue Zenith, in meridie peruenerit. Certè vt hæc ratio, ita & ipſe Fracaſtorius, vult ad ſuperiorem Aegypti partem, & infimam Aethiopiam, has pluuias præcipitari, quibus Nilus exundat. Quod tamen non ita eſſe, ipſum vniuerſalis hiemis nomen, & omnium confeſsio, ſatis declarat. Gonſalus Ferdinandus Ouetanus, de India Occidentali ſcribens, oculatus eſt teſtis, ad ipſum Aequinoctialem in Caſtilia aurifera maximas pluuias eſſe, ad natalem Diui Ioannis Baptiſtæ; & ſummam ſiccitatem ad natalem Chriſti ſeruatoris noſtri. & quamuis caloris & frigoris perpetua illic ſit temperatura, hiemem tamen dici dies eos, qui Solſtitium æſtiuum ſequuntur: contrà, qui poſt tropicum Capricorni ſereniſsimi ſunt, eos æſtatis nomine vocari. Quid hîc dicemus de Solis perpendiculo? Num fortè Sol Cancrum permeans iis, qui ad Aequinoctio-

rum

rum circulum habitant, perpendicularis dicetur? Quorsum igitur anguſtia ſpirarum radij recti, longitudo diei, & montes altiſſimi, ad Syenem quæruntur, ad pluuiæ generationem: cùm eodem tempore non minus pluat ad Aequinoctialem, quàm ad Tropicum? Communi tot regionum pluuiæ ſiue hiemi (vt Indi & Aethiopes nominant) communis quoque erat cauſa inuenienda, quæ nec in rectis radiis, nec longis diebus, nec arctis gyris diurnarum Solis motionum, conſiſtere poteſt. Quarum rerum nihil eſt ad Aequinoctialem, vbi dies longi non ſunt, nec radij tunc recti, nec mora Solis ſuper eiſdem terris, è quibus tum vehementiùs halitus traheret, quos, in pluuias coactos, in Caſtiliam auriferam præcipitaret. His recentiorum obſeruationibus antiqui etiam conſentiunt, qui imbres illos, quibus Nilus augetur, non ſuperiori Aegypto & eius viciniæ: ſed ſuperiori Aethiopiæ, atque in ea vltimis montibus tribuerunt. Sed quando hoc ex diametro cum Fracaſtorio pugnat, Strabonis teſtimonium ad verbum adſcribemus, qui cum Aelio Gallo in ipſam vſque Aethiopiam penetrauit:

Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι ϛοχασμῷ τὸ πλέον οἰδ' ὕϲερον αὐλόπαι γενηθέντες ἤδονλο ὑπὸ ὄμβρων θερινῶν πληρέμμον τὸν Νεῖλον τ Αἰθιοπίης τ ἄνω κλυζομένης καὶ μάλιϲα ἐν τοῖς ἐϲχάτοις ὄρεϲι, παυϲαμένων ϑ τῶν ὄμβρων παυομένλω καὶ ὀλίγον τὴν πλημμυρίδα.

Id eſt, Antiqui quidem coniectura vt plurimum, poſteriores verò ipſa etiam inſpectione cognouerunt, Nilum ab æſtiuis imbribus impleri, tũ cùm ſuperior Aethiopia illis diluitur: & id maximè in extremis montibus. Hîc videre licet, non ſatis Straboni fuiſſe, Aethiopiæ ſuperiori hos imbres attribuiſſe, niſi hoc etiã addidiſſet, eos maximè fieri in extremis ſuperioris Aethiopiæ montibus. Quod ſi ad illam Aethiopiæ partem, quæ proxima Cancri tropico adiacet, hæ pluuię, Niliaci diluuij genitrices, decidерẽt; nõ potuiſſet id latere vel Romanas cohortes, quæ preſidio eam regionẽ tenebãt; vel ipſum etiã Straboně, qui eouſq; diſcendi cauſa fuerat progreſſus. Herodotus, ad ſuperſtitionẽ vſq; diligens Aegyptiarũ antiquitatũ perſcrutator, ad elephantinã vſq; cognoſcẽdi ſtudio profectus, cùm ſumma cura creſcẽtis amnis cauſas inueſtigaret, nullorũ imbriũ ad Syenem mentionem audiuit. Alioqui nunquã rationẽ ſuam ſtolidã de incremento adducturus fuiſſet, quæ ineptior eſt, quàm vt mereatur reprehenſionẽ. Hi ergo duo oculati teſtes, & naturę arcana ſumma diligẽtia perſcrutati, cogũt me à Fracaſtorij aſſertione diſſentire. Præterea ſi ob anguſtiam illam ſpirarũ Solarium, & radiorũ directionẽ, & diei longitudinem, & mon-

& montium altitudinem, vehementia hæc imbrium ad Cancrum accideret, non ſolùm æſtate, ſed hieme etiam Nilus exundaret. Eadẽ enim omnia in circulo Capricorni eueniunt, quæ Fracaſtorius in Cancro cauſatur; & multo etiã euidentiora & efficaciora. Nã vt gyros & radios perpendiculares, & dierum longitudinem, quæ eadem ſunt vtrobique, omittamus; illud certè conſtat, ad plagam Capricorno ſubiectam, maximos in Africa montes eſſe, & eorum plurimas catenas, in quibus non exiguum robur rationum ſuarum collocauit. Contrà ad Syenen, ingentium montium nec ab Herodoto, nec à Strabone vlla fit mẽtio, quamuis cataractam vtramq; non omiſerint: ex qua tamẽ montiũ altitudo non poteſt colligi; eò quòd cataractæ magis præcipites, quàm ſint in Nilo, ex minima altitudine frequẽter cernãtur; vt ſub Arpino in Liri, ſtatim ab eo loco, vbi Fibrenum gelidiſſimum recepit, fieri videmus, qui bifidus opidulum complexus, cui à re Inſulæ nomen eſt, geminam facit cataractam; alteram, quæ ſiniſtra eſt, ſecundùm fluminis decurſum prorſus præcipitem, ita vt rupes ſubtus tremat; alteram, longo caſu ſpumas voluentem. Quid quòd Strabo plauſtro è Syene Phylas vectus ſit, per campum valdè planum? vbi per totam viam vidiſſe ſe narrat lapides quoſdam altos, rotundos, & valdè politos, ac leues, atque eos ſuper maioribus collocatos, deinde ſuper his rurſus alios, ceu Hermæa eſſent, id eſt (pace interpretis, qui vocem non intellexit) lapides Mercuriales, ad iter demonſtrandum poni ſolitos; quos dicit proximè acceſſiſſe ad illum lapidem nigrum, durumque, è quo mortaria fiunt: quo loco exemplar meũ habet εὐθεῖαι, pro eo quod eſſe debebat αἱ θυῖαι, vt obiter hanc maculam tollamus. Vehiculo Strabo proficiſcitur, planiciem docet ſe & lapides Hermæis ſimiles vidiſſe; at rupium & montium non meminit, additurus haud dubiè, ſi vidiſſet, æquè atque illa quæ minoris ſunt momenti. Deinde Petronij expeditionem in Aethiopiam enarrans, montium nullorum obſtacula recitauit; ſed tumulos quoſdam arenaceos, quibus Cambyſis exercitus obrutus fuiſſet, ſuperatos priùs dicit, quàm ad Premnam veniretur; atque iter omne tam facile, vt vno quaſi impetu cum alias vrbes, tum Napata, regiam Candaces Aethiopum reginæ, caperet. Sed dicet quis, vt in recto itinere ſecundum flumen montes non ſint, vtrimque tamen incumbunt. Sit ita ſanè, modò rurſus detur eos non tantos eſſe, vt ex eis flumen aliquod memoratu dignum emanet. Nemo enim omnium, qui iter illac fecerunt, vllius fluuij inſignioris, vel in Nilum, vel in Erythræum mare decurrentis, mentionem fecit; ita vt ſuſpicer, tales plerosque eſſe, quales ad Memphim incipiunt: & in

Strabonis locus emaculatus.

iis

iis marmorum quidem, & ſaxorum, & arenæ ſatis; ſed humoris & aquæ parum inueniri. Ad Capricornum itaque, & plures, & altiores, & magis humecti, montes ſunt, quàm ad Cancrum: qua de cauſa & materiæ plus imbribus illic, quàm hic, ſuppeditabitur. Deinde, quia Fracaſtorius ſinum etiam Arabicum ſibi auxilio eſſe voluit, erit & hac parte Capricornus conſiderandus, in qua immenſo interuallo Cancrum vincit; cùm Sol in Capricorno totum Oceanum Indicum pertrãſeat infinito, quàm Sinus vel Perſicus, vel Arabicus, maiorem. Quamobrem, licet cetera paria ponerentur, hoc tamen ſuperaret Cancrum Capricornus in pluuiarum materia. Quid igitur? Si plus maris eſt, ſi plus altiſſimorum montium; quid cauſæ, vt, cùm reliquis non ſint impares, non tantum hiberno Solſtitio, atque æſtiuo, imbrium ſentiantur? Adde nũc ad Capricorni lineam lacus eſſe quamplurimos, & maximos, & fluminum inſignium non paucos exortus, quibus non exigua quoque materiæ pluuialis copia ſubminiſtrari queat. Porrò aliud eſt, quod, ſi cum Fracaſtorio feciſſet, egregiè fuiſſet ponderatum. Sol in Capricorno, cùm ſit in ima ſua ſede, multo terris eſt, quàm in Cancro, vicinior. Cùm igitur corpora calefacientia magis agant è propinquo, quàm longinquo; oportet Solem in Capricorno eos, quibus perpendicularis eſt, magis calefacere, quàm in Cancro eos, quos tum rectus aſpicit. Omnibus ergo rebus ſuperior eſt Capricornus in pluuiis generandis, ſi Fracaſtorij rationes valebunt; atque idcirco confiteri oportet, cùm Nilus ortum ad montes Lunæ habeat, maximè eo tempore auctum iri, quo Sol ad hibernum Solſtitium verſatur. Atque hæc ſatis ſunto contra hanc ſubtilitatem, tantiſper dum quisquam exiſtat, qui melius eam tueatur. Sed quid ergo tandem dicemus de pluuiis, quibus Nilus increſcit? Video profectò Homerum minimè cæcutiiſſe, dum quæſtionem hanc Proteo dedicauit, quippe quæ digna ſit, vt ab eo ſolo tractetur, qui in penetralibus naturæ omnia poteſt ad vltimã vſque cauſam reſoluere. Verùm, quia id hactenus à plurimis tentatum, à nemine perfectum cerno; non verebor & ego vires in hac palæſtra experiri, in qua adeò turpe non eſt ante victoriam deficere, vt doctiſsimus quisque in ea fruſtra ad hunc vſque diem deſudarit. Si ergo labemur, illud nobis continget, quod cum eruditiſsimis quibuſque erit commune. Principia igitur pluuiarum multa ſunt, vti bene Fracaſtorius exponit. Materia proxima halitus eſt, quem plerique vaporem maluere nominare. Halitus materia omnia corpora humecta ſunt: vt mare, paludes, lacus, flumina, vuidæ ſiluæ, roſcida prata; & generatim, quæcunque ſpiritus exhalant. Halitus Sol extrahit, præcipua cauſa efficiens

Nili incremẽti cauſa.

Pluuiarum multa principia.

ciens. Hanc Luna iuuat, & Venus, & Iupiter etiam; tum verò ſtellæ fixæ quoque, adeò vt quibuſdam earum à pluuiis nomen detur. Hyades enim, ſi Tullio Tironi, M. Ciceronis alumno & liberto, & in litterarum ſtudiis adiutori, credimus, ἀπὸ τοῦ ὕειν, id eſt, à pluendo dictę ſunt. Eius verba ſuper hac re ſunt in Noctibus Atticis: Adeò (inquit) veteres Romani litteras Græcas neſciuerunt, & rudes linguæ Græcæ fuerũt, vt ſtellas, quæ in capite Tauri ſunt, propterea Suculas appellarint, quòd eas Hyadas Græci vocant, tanquam id verbum Latinum Gręci verbi interpretamentum ſit; quia Græcè ὗες, Sues Latinè dicantur. Sed ὕαδες (inquit) ἐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, ita vt noſtri Opici putauerunt; ſed ab eo, quod eſt ὕειν, appellantur. Nam & cùm oriuntur, & cùm occidunt, tempeſtates, pluuias, largosque imbres cient. Pluere autem Græca lingua ὕειν dicitur. Hanc Tironis contra veteres Romanos obiectionem, ceu Opici agreſtesque fuiſſent, A. Gellius ſic reiicit, vt dicat Latinis Hyades primò Syades, deinde Suculas nominatas; perinde atque ex ὑπὲρ ſuper, ex ὕπτιος ſupinus, ex ὑφορβὸς ſubulcus, ex hypnos primò ſypnus, deinde ſopnus. De quibus quid equidem ſentiam, nolo latiùs explicare: hoc vnum ſatis eſto annotare, minimè mihi videri Latinos primùm Syades dixiſſe, ac deinde Suculas; ſed, ſi à Græcis ſumpſerunt, ex ὗς fecêre Sus, & à Sus formula diminuentium Sucula. Deinde, quòd Tironi obiicit, falſum eſſe, Suculas in capite Tauri eſſe; cùm ſint ipſum Tauri caput, ita vt nullas alias putet eſſe, è quibus illud conformetur, nemini Aſtronomorum probabit: quibus omnibus notiſsimum eſt, præter quinque hyades, alias etiam eſſe, quæ ad imaginem capitis effingendam conducunt. Et, ſicut ab auctore Noctium Atticarum liberè diſcedimus, ita nec Tironem per omnia laudamus. Neque enim verum mihi videtur agreſtis hominis fuiſſe, ex ὗς facere Sus, nec rurſus à Sus Suculas. Nam quòd dicit ab ὕειν Hyadas dici, verum quidem illud eſt; ſed & ab eodem ὕειν, ὗς etiam pro animali vſurpatum deriuatur. Sus enim animal eſt, pluuiis & aquis perpetuò gaudens, atque idcirco à Græcis ab ὕειν, quod eſt pluere, nomen duxit: è quo ſi Latinè Sus redditur, nõ negatur eo Suculas quoque à pluendo, tanquam à primo fonte, nuncupatas. Quod tamen vtcunque habet, certum eſt in veteri Pontificum diſciplina Suem hiemis & pluuiarum ſignum eſſe; eò quòd nullum animal ſit terreſtre æquè atq; Sus, aquis & luto gaudens. Quocirca in operibus, immortalitati dedicatis, quibus quatuor anni partes pro perennitatis nota inſculpuntur, frequenter Sus pro hiberno anni quadrante ſpectatur. Quamobrem Græci & Latini ab aquis, quarũ initium à pluuiis eſt, Hyades & Sucu-

Suculas nominarunt ; & prius quidem forſan ὗς animal , quàm Hyas ſtellam,notauit: eo quòd ab animalibus ad cælum, non è contrario,nomina venerunt.Siue igitur Latini à Græcis, ſiue è libris Põtificum, ſtellas has Suculas nominarunt, noſtra parum refert ; cùm vtroque modo conſtet apud vtramque gentem in his ſtellis pluuiarum ſymbolum contineri . Sunt enim Hyades Græcis , & Suculæ Latinis dictæ, quòd pluuiis gaudere cernantur. Intellexerunt igitur priſci illi, nõ Soli tantũ halitus ad imbres excitandi vim eſſe, ſed eandem etiam aliquibus fixis ſideribus conuenire . Sunt igitur & hæ in efficientium cauſarum numero , & non in poſtremis quidem computandæ . Nam, ſi præter Solem aliis planetis & ſtellis vires non eſſent, ordinarios imbres quotannis videremus. Nunc, ex diuerſitate pluuiarum in eadem regione , neceſſariò colligitur magna quoque diuerſitas cauſarum. Sunt ab Aſtrologis multi radiorum coniectus, & commiſtiones notatæ,quas plerunque pluuiæ ſequuntur,& inter alias eæ , quas vocant portarum apertiones . Sed vel tanta noſtra eſt negligentia,vt,præter paucas, omnes ignoremus; vel tanta eſt aſtrorum poſitus varietas , atque ex ea efficiendi quoque diuerſitas , vt humano ingenio infinitas hæc commiſtionis radiorum percipi non poſſit . Quis elementorum , quæ tactu cognoſcimus, temperiem & pondera in iis diſcernere poteſt,quę ex elementis natura conſtruxit? Quod ſi facere non poſſumus ; quis ſperet ſe in cauſis peruiſurum, quod in euentis nequit obtineri ? Facile eſſet nobis metalla componere,facile ranas fingere, facile multa alia imitari, ſi iuſtam commiſtionis rationem teneremus. Quòd ſi in rebus obuiis hoc facere nequeamus , cuius impudentiæ ſit,in cauſis cæleſtibus tantum ſibi ſumere , vt ex earum ordine & poſitu ſe quis iactet aëris temperiem perpetuò poſſe præuidere? Nec dum nobis ſtellarum numerus conſtat: multas quidem, ſi ad captum humanum ſpectes,nominatas habemus ; ſed perpaucas omnino , ſi totam earum varietatem conſideres. Tot igitur, & tam variarum cauſarum quot erunt permiſtiones, ſi ex quatuor elementis tantam videamus rerum diuerſitatem exoriri ? Infinito igitur plura ignoramus , quàm à tot hactenus ſeculis ſint percepta. Verùm, quamuis diuerſiſſimæ ſint in cælorum ignibus vires, omnes tamen Sol calore ſuo excitat, atque ad agendum quodam modo deducit. Hic Luna,quòd terris proxima ſit,& plurimum Solaris luminis in terram reflectat,ſecundas partes tenet. Atque hæc quidem de cauſa effectrice euaperationis. At vapor ſiue halitus pluuiam non faciet, niſi cogatur , & in aquam concreſcat. Id facit loci, ad quem eleuatur , frigus , quo nubes , halitu conſtans, denſatur in

aquas,quæ deinde natura ſui ponderis deorſum feruntur.Frigus autem aëris fit ab elementis frigidis, aqua & terra, quod radiis reflexis ex imo in mediam regionem pellitur, atque illic augetur antiperiſtaſi, ſiue coactu corporum circumſtantium contrariorum, quæ vndique fugiens, in ſe contrahitur, ac vires vniendo fortius euadit. Deinde augetur etiam frigidis montium cacuminibus, quæ ſe vltra in aërem porrigunt,quàm Solis radij reflexi pertingũt. Vicinũs item aër vicino frigus communicat,& niues in montibus, & aquæ quouis modo conſtitutæ,& ſaxa,& frigidæ marmorum rupes,illud augent. Sed hæc notiora,quàm vt iis ſit immorandum. Iam noctium longitudo maximas vires habet; eò quòd, quanto diutius aqua, & terra, & ceteræ frigoris cauſæ, citra Solis impedimentum aërem refrigerant,tanto par eſt maius frigus generari: quod deinde,ſi ſubita antiperiſtaſi, qualis per radios directos fit,concludatur, tanto vehementius euadet,quanto magis in ſe erit coactum. Nunc ergo tempus eſt, vt hæc ad pluuias eius regionis conferamus,quas inter Tropicos cadere diximus,eo tempore,quo Sol Cancrum, Leonem, & Virginem tranſit. In primis perſpicuum ex iis, quæ ante è diuerſis adduxi, hiemem illud tempus nominari, quo intra Tropicos pluit; alia longè ratione,quàm ab aſtronomis. Nam his hiems eſt, cùm Sol longiſſimè à verticali puncto receſſit. Vbi igitur eo tempore pluit, quo Sol remotiſsimus eſt, illic hiems naturalis, ſiue pluuium tempus cum hieme aſtronomorum eodem tempore definitur: at vbi pluit aliis temporibus, illic hiems alia eſt aſtronomorum, alia hiems imbribus iudicanda. Qui ſub æquinoctiali ſunt, & proximis vtrimque partibus, iis hiemes duæ ſunt, Sole ad Tropicos diuerſante: duæ item æſtates,dum ad æquinoctia,hinc vernum,hinc autumnale,peruenit, ſi Aſtronomos conſulamus. Sed hæc è Sphæricis rudimentis ſunt aperta.Iam igitur ad quæſtionem, Quibus de cauſis plurimæ pluuię ſunt in ſuperioris Aethiopiæ extremis montibus, Iunio,Iulio & Auguſto? Quia nempe tum plurimæ illic cauſæ ad imbrium generationem concurrunt.Nam tum temporis omnibus iis hiems eſt aſtronomica conſideratione, qui ad ſupremas partes Aethiopiæ habitant; atque adeò,dum Sol in Cancro eſt, omnibus hiems eſt, qui à Tropico Capricorni ad ipſum vſque Aequinoctialem commorantur: quo tempore Sol tantum receſsit ab illorum vertice, qui ad Capricorni circulum habitant, quantum à nobis abeſt, cùm verſatur ad medium Arietis. Quocirca,ſi cauſæ materiales non deſint, ſi longitudo diei non impediat, materiam diſſoluendo abſumendoque, quid vetat, quò minùs tum illic ingentes imbres fiant? & tanto fiant maio-

res

Frigus aëris vnde fit.

Pluuiæ plurimæ quare ſint in Aethiopia menſe Iunio, &c.

res, quantò cauſæ illic ſunt, quàm apud nos, maiores? Tota illa regio, in Aethiopiæ extremo, montibus altiſsimis eſt inſignis; deinde paludoſas, & lacuſtres planities habet plurimas, necnon fluminum ſtagnorumque ingentium maximam copiam; & Solem accipit, proximè Oceani vaſtiſsima ſpacia emenſum, multis, vt par eſt, halitibus attractis. Præterea nox non ita multùm à die ſuperatur, & radij obliqui ſunt non aliter, atque apud nos in principio Veris. Omnes ergo cauſæ coniunguntur, quibus imbres generari videntur. Adde quòd eodem tempore Sol ſit in Cancro, domo Lunæ propria, quæ illic Solis radiis adiuta, & ad vim ſuam exercendam excitata, non parum ponderis ceteris cauſis adiecit. Quæ res hîc accuratè conſideranda; eò quòd habeat præcipuam cauſam imbrium, non illorum modò, qui in ſuperiori Aethiopia, ſed illorũ etiam, qui citra Aequinoctialem, ferè ad ipſum vſque tropicum Cancri, cadere narrantur. Eſt tamen hîc aduertendum, longè diſparem eſſe rationem earum regionum, quæ ad Aequinoctialem, & citra eum iacent; & earum, quæ ſunt ad tropicum Capricorni remotæ. Nam hîc hiems eſt, atque ea maximis imbrium cauſis adiuta: illic pluuiæ duntaxat, à quibus hiemis ſimilitudinem ſortiuntur. Verùm hi imbres non tales ſunt, vt iis flumina ſic creſcant, vt exundent. Nam quo tempore hi cadunt, Aethiopes arua ſerunt, & ad finem pluuiarum fructum colligunt. Quod indicium eſt nõ maiores eſſe, quàm iis terra madefiat, & humoris tantum imbibat, ne nimium exſiccata fructus alere, & educere ad iuſtam menſuram, nequeat. Nam, ſi eſſent continuæ & maximæ, non ſolùm ad ſationem & fertilitatem non prodeſſent, ſed omnem etiam prouentum euerterent. Quòd autem illo tempore homines in illa regione non ferè iter faciant, id ex eo fit, quòd hi imbres ſubitò, & cum tonitruis frequenter, & fulminibus, decidant, & homines & iumenta ſubitis torrentibus inuadant atque ſuffocẽt. Quæ res in aſperis locis, quibus caua multa ſunt, & exiles valles, ſalebroſis collibus ſubiectæ, periculoſiſſima eſt, quoniam ex tempore dorſa omnia multis canalibus aquas præcipitent: quæ, quia tam ſubitò dilabi non poſſunt, altiùs aſſurgunt, & ſaxa & arbores ſecum trahunt. Verùm paulò pòſt omnes euaneſcunt, vbi nimirum in latiores alueos deſcenderint. His igitur pluuiis Nili incrementa adſcribi non poſſunt, cùm tam citò diſſipari atque à terra imbibi cernantur. Quod ſi in illis magnum eſſet momentũ ad flumina maiora ita augenda, vt exundarent; neceſſe eſſet confiteri, Nilum etiam Februario, Martio & Aprili, plurimùm excreſcere: quo tempore in montibus Viſionis, & quadam parte regni Barnagaſſæ, & tota re-

Cur Aethiopes iter nõ faciant cadẽte pluuia.

gione Dobasia, imbres, vt ipsi nominant, hiberni cadunt: è quibus locis insignes amnes in Nilum deferuntur. Quid autem causæ sit, vt tum illic potiùs, quàm alibi, pluat, id terræ situi adscribendũ videtur, in quo montes plurimi sunt, qui, Sole ad Aequinoctialem accedente, vapores plurimos emittant, quorum materiam in eius absentia, dum ad Capricornum versabatur, per hiemem ipsorum astronomicam maiorem collegerant. Eos Sol in Capricorno, ratione situs alicuius peculiaris ipsorum montium, nõ efferebat in aërem, quos pòst radiis paulò rectioribus mouet, fortassis stellis etiam aliquibus verticalibus adiutus. Verùm, quia hæc ad situm præcipuè spectant, vt occultiores siderum vires omittamus, nobis non sunt vlterius examinanda, præsertim cùm videamus ex illis pluuiis nihil admodum Nilo accrescere. Et fieri potest, vt Aluarus non exactam omnino rationem iniuerit, dum pluuias Februario tandem fieri scribit in his montibus. Nam hiems, de Solis recessu computata, illis incipit post solstitium hibernum: quo tempore frigus summum ibi esse non est dubitandũ; cùm mõtes Buganæ, in latitudine septem paulò plùs minùs graduũ, in principio Septembris, quo Sol rectus eos despicit, frigidissimi dicantur, vt idem asserit capite quinquagesimo secundo, monasterium Diuæ Virgini dedicatum, & in spelunca cõstructũ, describẽs. Montes igitur altissimi in regno Barnagassæ, & in regno Dobasio, & maximè ad Visionem, non possunt non esse frigidissimi, Sole ad Capricornũ versante. Sed, quia inferior regio, montibus subiecta, ad imbrium generationem eo tempore non iuuat; eò quòd terra sicca sit, & halitus nõn emittat: deinde, si emittat, non fiat tanta antiperistasis, quanta fit per radios rectiores: tum verò etiam, quia Capricorni signum siccum terreumque sit, & Saturni domicilium, & Martis exaltatio, aridorum & squalentium planetarũ: prætetea quia radij sunt obliquiores, quàm vt in tãto frigore multũ possint; fit vt in Decembri & principio Ianuarij non pluat. At, Sole rursus appropinquante, nonnihil ad finem Ianuarij, & iam in signo aërio, & moderatè humido diuersante, terra montium præparatur ad imbres, humore iam sideris cum frigore montium concurrẽte, & radiis paulò rectioribus redditis. Pòst verò in fine Ianuarij & principio Februarij, Sole signũ aqueum permeante, in quo Iupiter domum habet, & Venus exaltatur, imbres incipiunt cadere, quibus terra ad sationẽ fit apta. At illi tanti non sunt, vt Nili faciant augmentum, notatu dignum, eò quòd mox in planitie absorbeantur. Iam videamus quî fiat, vt generatim per totam Tropicorum latitudinẽ, ad Iunij medium, imbres cadant. In primis igitur cogitandum, ingens frigus & gelu inter eos nõ fieri in lo-

Imbres quare cadant per totam latitudinẽ Tropicorum, ad mediũ Iunij

in locis planis;eò quòd Sol nunquam tantum recedat, quantum ad id esset necessarium. Quid igitur Sol facit, cùm longissimè ab illis remouetur? Idem,quod in eadem apud nos distantia: pluuias puta. Et, quemadmodum frigus apud nos post conuersionem Solis maius est,quàm antè; ita apud illos æstimandum in causa pluuiarum, quæ post Solstitium eorum hibernum ,computu astronomico,vehementiores existunt,præparatione iam satis magna prægressa. Quocirca nihil est mirandum, ad montes Lunæ pluuias in æstate nostra fieri, cùm Sol ab illis tanto spacio est remotus, in quanto apud nos etiam imbres solet excitare,tametsi ceteræ causæ deessent. Eodem tempore circa Æquinoctialem pluit;quia & radii obliqui sunt, & noctes diebus pares; ita vt Sol diurnus obliquis suis radiis non tantùm possit absumere,quantum vaporum eleuatur. A circulo igitur Capricorni ad ipsum vsque Æquinoctialem, hiems astronomica, & hiems imbribus definita,conueniunt; data semper ea terra, in qua halitus eleuari possunt.Nam,si tam sicca sit,vt nihil reddat,ne pluuias quidem recipiet.Iam deinde versus tropicum Cancri aliæ causæ adiungendæ, quarum prima sit, pluuij cæli vicinia. Sol enim imbrium materiam ad se trahit. Cùm igitur tota plaga ad Aequinoctialem vsque à Capricorno media nubibus abundet, ratio postulat, vt Sol inde non parum ad vicinum aërem exugat,atque eum nubilum quoque reddat. Huic si locorum natura accedat, montibus frigidis, aut lacubus aut paludibus humecta,erit non solùm è vicinia halitus trahendus;sed ex ipsis etiam subiectis locis. Si his addatur alia quoque causa,maior item exurget imbrium copia. Sol igitur in Cancro, in domo Lunæ, hospitio exceptus est, cuius vires radiis suis excitat. Eodem deinde loco Luna cum Sole congressa, summas vires capit, &, quicquid vsquam humoris inuenit, adauget. Hanc igitur Lunam nautæ, qui maria illa inter tropicos norunt, vocant *La Luna de las aguas*, id est, Lunam aquarum genitricem. Quare igitur non eodem tempore apud nos quoque pluit? Quia ceteræ causæ non adsunt; breuitas nimirum diei, radij sideris Cancri, & radij Lunares vel directi, vel directis proximi; antiperistasis permagna; atque deinde etiam montes,& terra humecta. Horum cetera in causis pluuiarum vniuersalibus satis sunt exposita. Illud interim annotandum, maximas vires stellis fixis esse in eos, quos rectis siue perpendicularibus radiis intuentur. Præterea Lunæ hanc domum non ea ratione datam esse, quam Ptolomæus sibi finxit:ex qua sequeretur (vti Cardanus etiam fatetur)iis,quibus tum hiems est,cùm nobis æstas; Capricornum esse Lunæ domum; & Aquarium Solis; ac vlterius, stellis fixis

Circa Aequinoctialem cur æstate pluat.

fixis vires eas, quas eis tribuunt, non esse proprias; sed aduenticias extrinsecus,è coniectu radiorum Solarium respectu nostri. Quod vt intelligatur,loquatur Ptolomæus; sed Latinè, ne simus prolixi sine causa. Quia(inquit) ex duodecim signis duo proximè accedunt ad Verticale nobis punctum, ideò calores & æstus generant. Ea sunt Cancer & Leo. Quocirca placuit illa duobus præcipuis & maximis attribuere luminibus: Soli quidem Leonem,propterea quòd masculum; Lunæ verò Cancrum, quòd femininum sit signum. Egregiam verò rationem, bone vir, attulisti, ob quam Cancer & Leo Solis & Lunæ essent regna; quia nimirum maximis luminibus loca ea conueniant,in quibus Sol maximos calores facit. Nil igitur plus similitudinis est inter Lunam & Cancrum, ratione efficaciæ in hæc inferiora; quàm inter Lunam & Capricornum. Neque enim natura siderum mutatur, quia nos aliter ea vel oriri vel occidere videamus, quod illis prorsus est externum. Conuenienter sanè Ptolomæo Cardanus intulit,dum dixit,apud homines Notios Capricornum Lunæ, Aquarium Solis domum esse, sed non admodum conuenienter Physicis rationibus. Quis enim credat, nullas singulorum siderum proprias vires esse, perinde atque sunt singularum plantarum, & ceterarum rerũ,quæ in his inferioribus generantur? Idem Ptolomęus de Luna dixit, eam ob id plurimum humectare, quia terræ proxima esset,è qua humidi halitus efferuntur. Humectat igitur Luna, quòd prius sit à terræ vaporibus humectata. Contrà igitur euenit, quàm Aristoteles dixit. Is enim putabat cęlestia corpora elementaribus esse contigua,vt elementa,& ex iis composita, à supernis corporibus gubernarentur. At Ptolomæus Lunam propterea humidam dicit,quòd terrę vaporibus sit vicina. Sed hęc scholis Physicorum vel deridenda vel excusanda relinquamus. Vellem equidem Ptolomęus veterum duntaxat obseruationes & assertiones proposuisset, citra causarum appendicem, in quibus reddendis nescio quàm feliciter sępe versetur: hoc scio,mihi non posse omnia probari. Principio bene confessus est,Lunam humidis præesse; sed hoc loco, dum humorem à terra petit, ineptus videtur, nisi quis circulares rationes admittat. Nos igitur singulis stellis suas vires esse credimus peculiares, quibus in hæc inferiora perenni motione operantur; atque ex eiusmodi efficacia factam esse à priscis planetarum & stellarum fixarum comparationem, in qua Cancrum Lunæ domum fecerunt; eò quòd animaduertissent eius vim in hoc signo potissimùm regnare. Deinde ex eiusmodi etiam consideratione nomina sideribus posuerunt; Cancrum vocantes illam cæli partem, in qua vis esset maximè resistens rabi-

Cancer cur Lunæ domus.

rabidis æſtibus. Eſt enim Cancer animal, cuius temperamentũ tale eſt,vt nihil ſit ad rabidi canis morſum præſentius. Bene igitur natura ſummos Solis ardores hac humectandi, infrigidandiq́ue vi temperauit. Sed non ignoro non ſimplicem ſemper eſſe & vnicam appellationum rationem,ſicut nec vna eſt ſymbolorum,quibus doctiſſima vetuſtas naturæ arcana ſignificauit. Neque enim hic locus cæli ob id duntaxat,quod expoſui, nomen hoc eſt adeptus,ſed illa etiam cauſa,quòd Sol ab exordio eius ſigni,ad morem Cancri,retrò greſſus ſuos agat. Sed prior ratio eſt potior, qua vis & efficacia ſideris indicatur. Verùm hîc maior latet difficultas, non ſatis hactenus à quoquam vel animaduerſa vel explicata. Crebrò vates Aſtrologos imperitiores deriſi, dum iudicia ſua ſtruerent ſuper ſignis nonæ ſphæræ, in qua ſtellæ nullæ inueniuntur; & quæ non alia ratione eſſet inuenta,quàm vt hypotheſes iuuaret,quibus motionum varietas ad regulas certas refertur. Hactenus certè neminem quicquam ſani reſpondiſſe memini; eò quòd nihil reperirent, cui has vires ineſſe dicere poſſent. Ipſæ enim ſtellæ fixæ longè receſſerunt ab ipſis principiis ſignorum,quibuſcum eadem nomina ſortiuntur. Ceterùm,cùm lõga plurimorum ſeculorum obſeruatione conſtet, quædam euenire perenni quadam & immobili ratione, videtur neceſſariũ hæc euenta ad cauſas quoque perpetuas & conſtantes referre: ſiquidem omnia, quæ in elementis hiſce fiunt, cauſas habeant & efficientes & conſeruantes,à cælo pendentes. Non equidem primus ſum,qui cælum immobile aliquod eſſe cogitarim,hac (qua dixi) ratione ductus;ſed alij multò priùs idem tradiderunt. Vocarunt autẽ illud alij Empyreum, alij Cryſtallinum,ſiue aqueum, vtraque pars ſuas cauſas ſecuta,quas hîc explicare non eſt neceſſarium,eò quòd ſatis ſit cælum nobis dari immobile, quocunque tandem nomine ſit vocandum. Quò ergo aſtrologicas prædictiones excuſem, quæ non ſolùm octauæ ſphæræ ſignis,ſed illius etiam cæli vtuntur,in quo nulla ſidera cernunt; dicam quietum aliquod corpus ſtatuendum extra omnia illa,quę mouentur, non tantùm ad motionum menſuram imaginandam,ſed ad omnia illa gubernanda & conſeruanda, influxu ſuo perpetuo ſibi conſtante,quæ nullas vnquam acceperunt mutationes. Phyſici,dum certas quaſdam & peculiares proprietates ſub eiſdem lineis parallelis inuenirent, immani diſcrimine inter ſe differentes, atq; eas nulla cæleſtium corporũ motione hactenus variatas;putarunt ſibi neceſſariam eſſe eius corporis cęleſtis poſitionẽ, quòd diuerſa partiũ ſuarum natura hanc,quam in regionibus in eiſdem Zonis videmus,diuerſitatem perpetuam perpetuò conſeruaret. Hanc rationem alibi fortè

exemplis illuſtrabo : hoc loco ſufficit præſenti quæſtioni applicare. Hoc igitur illud eſt, quod contendo, cælũ quoddam fixum eſſe, cuius partes diuerſas habeant vires, è quibus non inconcinnè nomina diuerſa ſortiantur. Cancer igitur, non ſolùm in octaua ſphęra mobilis, ſed ille etiam in cælo immobili cognominis vires illas ab opifice habet, quibus nomen vetuſtum conuenit. Quod niſi ita eſſet, non admodũ antiqua aſtrologica hæc nomina dici poſſent, nec ante annos illos inuenta, ad quos ſigna octauæ ſphæræ mobilia, & ſigna immobilia, ſibi reſpondebant. Certè, cùm Cancer octauæ ſphęræ totis triginta gradibus Tropen æſtiuam pręcederet, non merebatur nomen à retroeunte animali ſibi ſumere, cùm ſol adhuc procederet: merebatur tamen ex eo, quòd animalis illius temperamento vi efficiendi ſimilis eſſet. Cùm ergo ſigna octauę ſphęræ, & ſigna immobilia ſibi reſpondent, fateri oportet inſignes tum vires ipſorũ eſſe; pręſertim poſt principiorum coniunctionem ad ſex gradus: quod contigit eo tempore, quo Chriſtus naſci voluit, ita vt optima cęli conſtitutio perfectioni humanę abſolutæ conueniret, atque tũ illud fieret coniugium perfectũ, quod Deus cũ ſponſa ſua contraxit; perinde atque octaua ſphęra cum nonæ ſexto gradu congruebat, ſenario numero coniugiorũ proprio, cõtrà quàm video quibuſdam placuiſſe, hoc indicãte. Quòd ſi altiùs hęc expendas, videbis antiquiſſimos illos horũ nominum auctores, diuina quędam vaticinia his nominibus occultaſſe, & quodammodo dixiſſe, tum ſalutẽ generis humani futurã, cùm ſidera ſic poſita erunt, vt nomina ſua optimè mereantur. Nunquam autem meliùs merentur, quàm tum, cùm Cancer octauæ ſphęræ cũ Cancro ſphęræ immobilis (ita vti dico) quadrabat. Eſt enim in tardis motionibus eorũ, quæ eas conſequuntur, tardus euentus: & quemadmodũ in ipſo meridie minus caloris eſt, quàm poſt meridiem hora prima & ſecunda; ita de coniunctione quoque ſphęrarum, & eius euentis, analogia & proportione quadam cogitandum. Habet enim Chriſti epoche quinque gradus & dimidiatum in motu octaui globi, ita vt à coniunctione ſignorum tantum temporis, quantum his gradibus debetur, fuerit elapſum. Sed hæc contemplatio ingens ſibi volumen poſtularet, ſi pro dignitate & meri[illegible]o eſſet explicanda. Quocirca, illa miſſa, ad id, quod quæritur, reuertar. Cancer igitur non is ſolus, qui in octauo orbe cernitur, Lunæ vires auget; ſed is etiam, qui perpetuo initio ſuo Tropen æſtiuam nobis definit. Neque hîc diſputo, an nona hęc ſit ſphęra, an vndecima, vt de motionũ numero cælos fabricantur. Satis eſt immobilem eſſe, & omne motionum genus ad alios orbes relegandum. Cancer itaque huius cæli domus eſt,

Salus humani generis quãdo futura.

Lunæ vires à quo augeantur

eſt,in qua Luna regnat;atque idcirco plurimum iuuat ad pluuiarum generationem. Præter igitur ceteras cauſas hæc etiam vna eſt de potentiſsimis, quæ plurimum illic poteſt, vbi humoris plurimum ad illud tempus inuenitur.Quare autem intra Tropicos plus eſt humoris? Dixi modò aliquot cauſas,quibus & hæc annumeratur.Quanto Sol rectius adſcendit & deſcendit,tanto crepuſcula ſunt minora : & conſequenter tantò citiùs calor diei terminatur, & tanto rurſus magis ſubitò fit antiperiſtaſis matutino tempore, frigore nocturno ſubito à radiis ſe mox erigentibus in ſublime fugiente, & illic contracto. Aloiſius Dacadamoſta cùm crepuſculorum anguſtiam admiraretur, in regno Senegæ & Gambræ, planitiem terræ in cauſa eſſe putauit, ſed ridiculè, deceptus à Strabone,ni fallor. Is enim cauſam quærens, quare mox poſt Solis occaſum nox ſequeretur ad Gades: dixit,iis,quibus Sol poſt montes occidit, lucem diutiùs durare, propterea quòd circa montem, poſt quem occidit, diffundatur; at iis, quibus in plano occidit,non diu durare, quod hæc circa montes radiorum diffuſio,quam nos fractionem dicimus, fieri non poſſit. Effugium hoc fuit Strabonis,non quæſtionis vera ſolutio. Ego crediderim veteres,qui ante Poſidonium fuerunt, audiuiſſe ad Heſperios poſt Solis occaſum mox noctẽ occupare; atque id ad eos,quos ad Occidẽtem vltimos nouiſſent,retuliſſe. Rectitudo adſcenſus & deſcenſus in cauſa eſt,quæ facit,vt Sol ſubitò vel plurimũ ad horizontẽ accedat,vel ab eo extemplò plurimum demergatur. Nam,cùm Sol eſt in æquinoctiali circulo, intra horæ ſpacium tantum deſcendit illis, qui ſub Aequinoctiali habitant; quantum Antwerpianis in æſtatis principio tum demergitur, cùm media nocte longiſsimè ab horizonte remouetur. Non mirum igitur, nobis crepuſcula longa manere,& illis breuia decidi : atque ita pro ratione rectitudinis vel obliquitatis vel diminui vel augeri. Huic connexum eſt, tantò citiùs frigus noctis inualeſcere, quantò citiùs radios ſuos, frigus impedientes,ſubtraxerit:& contra, tanto matutino tempore celeriorem fieri frigidi vaporis fugam, & eius obſidionem, ex qua antiperiſtaſis conſtat.Augetur autem hæc ad meridiem vſque,ita vt tum frequenter fulmina & imbres præcipitentur. Ex his igitur perſpicuum fit, qua de cauſa noctes ſub Aequinoctiali plurimum habeant & ſubitaneum frigus,cui ſi accedat humida materies,non poteſt fieri, quin ſemper plurimum vaporum Soli ſuppeditetur ad eleuandum; quos, quia paulatim non conſumit, ſed mox ſe erigens à terra in ſublime reuerberat,fieri non poteſt, quin imbres frequentes, & fulmina nubes,ſubitò coactę,eiaculẽtur.Hęc cauſa in omni regione ferè valebit,

Inter Tropicos cur plus humoris.

Nox cur ſtatim ſequatur poſt Solis occaſum ad Gades.

in qua imbres è perpendicularibus radiis decidunt; ſed tantò minùs, quantò plus à recto diſceſſerit. Hîc ergo videmus, qua de cauſa in Martio & Septembri, illic ſub Aequinoctiali pluat, vbi humida materia non deeſt. Hinc quoq; efficitur in Geminis etiam nonnullis pluere; ſed non tanta vehementia, quantam in recto adſcenſu & deſcenſu videmus. In Cancro verò omnes iam cauſæ concurrunt ad Nilum augendum. Pluuiæ enim illæ particulares nihil admodum ad eius augmentum faciunt; quòd nec continuæ ſint, nec diu ſuper terra maneant, quin imbibantur. Præcipua igitur cauſa eſt pluuia hiberna ad montes Lunæ, quæ paulatim, Sole in Geminis verſante, incipiens, & proximos quoſque alueos implens, hoc facit, vt materia inferioribus etiam regionibus ſuppeditetur ad vaporum generationem, atque ita imbres vbique circa flumen, maximè verò in montibus, excitentur. In Cancro igitur, iam omnibus alueis repletis, incipit inundare ad vltima vſque loca, & mox per omnem Aethiopiæ & Aegypti planitiem diffundi. Pluuias autem montium Lunæ & aliorum, quibus tum Sol longiſſimè abeſt; iuuant pluuiæ illæ regionum inferiorum, natæ ex illis (quas diximus) cauſis. Lubet hic adſcribere Statij de Nili incremento verſus, quibus pluuiarum cauſam hiemi, de Solis diſceſſu computatæ, optimè tribuit; hoc ipſo ceteris omnibus præferendus, eò quòd æſtiui imbres iuuare, non facere diluuium Aegypti poſſint.

„ *Qualis, vbi auerſi ſecretus pabula cæli*
„ *Nilus, & Eoas magno bibit ore pruinas:*
„ *Scandit fontis opes, ſeptemque patentibus aruis*
„ *In mare fert hiemes, penitus ceſſere fugatæ*
„ *Nereides, dulcique timent occurrere Ponto.*

Hîc & illud obiter noto, Pontum ab eo inundationem vocari, perinde atque ab Homero Pharus inſula Ponti dicta eſt; quò ſi fortaſsis alluſit, mecum & cum veritate ſenſit. Sed, ſi hęc vera ſunt, quid ni & Nilus augeatur, cùm Sol eſt in Capricorno, ob eam cauſam, quòd tum ad tropicum Cancri hiems ſit, atque idcirco videatur neceſſariò conſequi, pluuias etiam fieri illis, à quibus Sol longiſsimè remouetur? Reſpondendum, multas hic cauſas deeſſe, & in primis materiam, eò quòd pars Aethiopiæ, ad Cancrum ſita, ſaxoſa ſit & arenoſa, ita vt Cambyſes hic obrutus fabulone dicatur. Deinde mõtes, montibus Lunæ pares, non habet; vt è longa planitie, à Strabone & Herodoto annotata, docetur. Neque etiam lacus eos & paludes, quales ad Nili exortus cùm ſint, plurimum obliquis Solis radiis materiæ ad nubes euehendas ſubminiſtrant. Præterea nec Cancer illic

Nilus quare nõ augeatur, cùm Sol eſt in Capricorno.

illic est, Lunæ domicilium ; cuius tanta vis est, vt nautæ, qui maria illa, inter Tropicos sita, tentant, Lunam in Cancro conceptam, Lunam aquarum vocent; indicio apertissimo, ad Lunæ regnum hanc æstiuorum imbrium copiam pertinere. Nostrates vno consensu omnes, tum nautæ tum agricolæ, semper vel pluuias vel ventos, pro eo ac cetera accedunt, è Luna ominantur, si die Lunæ Soli se coniunxerit. Quòd si tantum virium exiguum hoc habet dominium, quòd Luna in die sibi cognomini tenet, in quo & alij planetæ suas habent horas; quid existimandum de domo & de eius regni potestate, quam in Cancri sidere sortitur? Admirabiles sanè sunt veterum hominum obseruationes; sed causarum explicatum, ad normam & veritatem naturalis scientiæ, non video quis hactenus sit assecutus. Quid est hoc, bone Deus, sic nomina ponere sideribus, vt eadem locis cęli immobilis applicata, & naturam ipsorum interpretentur, & præterea illud contineant oraculum, tum perfectionem omnium seculorum nascituram, cùm superior globus immutabilis coiuerit cum inferiori, continuæ permutationi obnoxio? Quorum vnio an aliud significat, quàm diuinam & immutabilem ęternitatis imaginem, & progeniem vniendã esse cum natura microcosmi, id est, natura humana, vt hæc ex illa accipiat vitæ æternæ, perfectæ atque idcirco quietæ, communionem? Nomenclaturas verò multis ante seculis stellis & signis positas esse, quàm signa octauæ sphęræ cum signis immotis conuenirent, Homerus & Hesiodus testificabuntur, quibus eędem, quibus posteritas vsa est, notę fuerunt, vt illis liquet, qui in illorum lectione versantur. At hi ante Christi natiuitatem annos circiter mille, vel plus eo, floruerunt. Cùm igitur è commensu motionis orbis stelliferi constet, tum temporis imagines non conueniisse cum signis immotis, necessariò confitebimur, nomina data esse, neque à Solstitiis, neque ab Aequinoctiis, sed ab ipsa in hac inferiora efficientia, atque eadem ratione ab Astrologis cæli immobilis partes à potestate dictas fuisse, priùs quàm cum signis octaui orbis quadrarent. Si tandem ad natalem Christi seruatoris nostri, & perfectionis omnium seculorum, voces hæ ab octauo orbe ad superiorem transissent; dicere possemus, id ita factum esse, quòd tum conuenirent. Chaldaica certè Geneseôn obseruatio multò est antiquior Mose, in qua tamen intelligimus, signis immotis vires quoque suas esse attributas, vti ex illis Manilius, & pòst Ptolomæus tradiderunt. Nam, nisi hîc ita veteres scripsisse sciuisset, nunquam causam domicilij Lunaris ad Tropen & Solis vires retulisset; at potiùs ad ipsas stellas octaui orbis. Idem, cùm proprias gentium notas per signo-

Siderum vnio quid signet.

rum diuersitatem deduxisset, tandem adiunxit: non ea tantum considerandа; sed addendas etiam stellas fixas, quæ in signis illis reperiuntur. E quo liquet, non de mobilibus octauæ sphæræ, sed de immobilibus signis priùs locutum esse. Sed de his alibi. Sumam mihi hoc loco signa quædam, vetustis cognita, præter ea, quæ in octauo cælo conspiciuntur: atque illis maximas è longis plurimorum obseruationibus facultates adscriptas fuisse; quas, cùm Ptolomæus explicare studet, causas operationum Soli adscribit, vario modo varios homines contuenti, quàm bene, & quàm (non dico veteribus, sed sibiipsi) consentaneè, non est huius loci prolixiùs persequi. Sol igitur in Cancro post æstiuam Tropen, ratione domus Lunaris, & reginæ ipsius coniunctę, ingentes vires accipit ad imbrium materiam ab Æquinoctiali vsque rapiendam: cui cùm præparationes illæ atque causæ (quas diximus) accesserint, non mirum videri debet, si ad Cancri, non ad Capricorni, exordium pluuiæ fiant. Capricorni sidus siccum est, atque id quidem non mediocriter: qua de causa in eo Saturnum regnare,& Martem summis honoribus excipi, veteres dixerunt, qui ambo siccitate gaudent. Videmus itaque quantum sit discriminis inter Cancrum & Capricornum, tantum nimirum, quantum inter humidissimum & siccissimum. Si verò hæ qualitates ad Solis efficaciàm referantur, vt Ptolomæus plerumque causas quęrit, fatendum erit voces has ab iis factas esse, qui mundi partem Notiam habitarunt. Illis enim Cancer humidus, & Capricornus siccus erit; eò quòd Sol illis in Capricorno æstiuam siccitatem, in Cancro humores efficiat hibernos. Quod si absurdum est, & à communi sensu scriptorum alienum; cogimur dicere, ipsis signis hanc naturam ex suo ipsorum adesse, non aliorum comparatione. Hæc dum contemplor, eius in mentem venit, quod est apud Aristotelem, polum Antarcticum superiorem cęli partem tenere, motione prima ita demonstrante, quę à dextris communi naturæ ductu exorsa, & ad Meridiem progressa, caput ad Antarcticum ponendum esse conuincit. Quod vt ob oculos scholæ Physicorum ponant, Atlantem suum comminiscuntur. Sed eadem collectione Antipodes concludent, polum Arcticum esse superiorem. Non igitur hæc consideratio partium cęli naturā, sed positus earū ad homines diuersos diuersitatē declarat. Suspicor ex antiquis id Aristoteli subolevisse; atque hinc ratione, ob quam ita esset, de Sole, ab Oriente ad Meridiem accedente, quęsiuisse. Esaias Luciferum inducit ita sese iactantem: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testaméti, in lateribus

Aqui-

Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Scio hæc diuini vatis verba ſymbolicôs intelligenda; ſed & hoc ſcio, non temere & indoctè ſymbola à priſcis vatibus fieri ſolere. Forſan ergo colligendum, antiquis opinionem fuiſſe, è multis euentis natam, Polum Auſtralem ſuperiorem, Aquilonarem inferiorem eſſe, atque idcirco Aquiloni malorum originem attributam: factumque inde, vt maximum Draconem ea in cæli parte collocarint, certum Luciferi, ſiue hoſtis noſtri, ſignum. Quod ſi ita eſt (vti ſuſpicor) Capricornus ſupremam obliqui circuli partem tenebit, & ea cauſa ſupremi quoque erit planetæ domus. Cancer inferiorem, & idcirco infimi poſtremique planetæ ſedes, opifice res omnes mirabili conſenſu inter ſe deuinciente. Eſt enim Capricorno vis maieſtatis ſingularis, quæ emicuit in Auguſti Genethliaco, qua ſupremum ei terrarum imperium decernebatur. Quod quia ab Aſtrologis perſuaſum ei eſſet, numum excudit Capricorni imaginem præ ſe ferentem, confeſſus eius ſe radiis ſummum orbis culmen obtinuiſſe. Sed neque hoc ſolum ſignum eſt Aegocerotem, ſupremam ſigniferi partem habere; eodem tempore alterum acceſsit, longè, quàm illud, magis admirandum. Sol, in Capricorno hoſpitio exceptus, Saturnum ſiue opificem rerum omnium nobis repræſentans, ad imum barathrum noctis deſcendit; eo ipſo temporis momento, quo Chriſtus naſcebatur, certo nobis ſigno ſupremam Dei poteſtatem illa hora veniſſe, qua tenebras noctis & vmbræ mortis diſcuteret, atque nos ab infima terrenæ obſcuritatis caligine ad hoſpitium Saturni, quod eſt loco ſupremo, reduceret. Symbola profectò hæc mihi perſuadent, ſingulares cuiuſque partis cæli vires eſſe, à vi ſolari & ab aſtris octaui orbis minimè pendentes. Saturnus apud vetuſtos Magos ſapientiæ præſidere fingebatur, & mentem ad rerum contemplationem, maximè diuinarum, reddere aptiſsimam; cui Heraclitus alludens dixit, Mens ſicca, mens ſapientiſsima, cùm è diuerſo mentis errores & ſtoliditatem Luna humore ſuo facere dicatur: vnde & maniacis apud Græcos, & Lunaticis apud Latinos, nomen inditum eſſe, nemo eſt, qui neſciat. Si ergo in poſteriorum qualitatum mixtione tantum poſſunt tum Luna & Saturnus, tum Cancer & Capricornus, quantum virium habebunt in humore & ſiccitate, qualitatibus primis generandis? Luna ſingulis ſuis augmentis & decrementis animantium humores auget atque diminuit, vti in oſtracorum carnibus & animalium medullis experimur. Quid dico de incremento & decremento? An non ſolo ſuo acceſſu & receſſu, per diei quadrantes totam Oceani molem modò ſurſum, modò deorſum trahit, & id tanto facit *Lunæ vis.*

cit insignius,quantò magis Solis radiis iuuatur? Quid igitur faciet Sol in Lunæ regno, maximè in præsentia reginæ;si tantum Luna potest quotidianis experimentis? Vis autè tanto intra Tropicos maior est,quanto radiorum maior rectitudo.Non est itaque vlteriùs admirandum,qua de causa plus humidorum halituum in Cancro, quàm in Capricorno, trahatur, tametsi nulla essent locorum in terræ positu discrimina. M. Antonius Pigafetta scribit, sub Aequinoctiali in Moluccis insulis garyophylla quotannis bis colligi; semel in Iunio, & rursus in Decembri. sed aërem in Decembri meliorem esse, quàm in Iunio; eò quòd calidior sit & siccior: & bene quidem, quia Sol in Cancro humores & imbres trahat,nõ autem in Capricorno; quamuis,in hoc sidere cùm est, per vastissimum Oceanum feratur, & in Cancro terras,non mare, è regione Moluccarum, perambulet. Fit igitur hæc Iunij intemperies non à strictis Solis spiris, quas æquè habet Capricornus; nisi regulam illam discriminis computes, quæ fit ex augmento ad imam absidem motionis in eccentrico, quam ego nihili pendo. non item à materia remota; eò quòd terra, quàm aqua minus sit humecta. Nec etiam à rectioribus radiis, quorum vtrobique eadem ratio: nec item à maiore vi Solis, cùm is in Capricorno terræ sit,quàm in Cancro vicinior. A quo igitur? Certè à natura signi Lunaris,quando aliud inuenire nequimus. Capricornus ergo siccus est;& Sol in eo tanto facit maiorem siccitatem,quanto est terris tunc vicinior, & quanto dies naturalis est longior. Quæ duo non eò addo, quòd in illis multum virium esse contendam, licet sit aliquantulum; sed quò subtilioribus, contrà ex eiusmodi minutiis disputandi occasionem præcidam. Fracastorius enim in summis radiorum viribus,modò materia ad extrahendum in sublime non deesset,summam imbrium abundantiam collocauit. Quod si rectè sensisset, sub Capricorno potiùs, quàm sub Cancro, Garyophyllorum insulæ pluuias timerent. Habemus ergò quæ causa pluuiarum sit intra Tropicos: & qua de causa generatim ferè hiemem illam, quam imbribus definiunt,ad Cancrum, non ad Capricornum, sentiant; præterea vnde tanta vis aquarum descendat, vt Nilum campis vndique infundat. Maximas enim pluuias ad montes Lunæ fieri diximus, in quibus non pluuiæ modò, sed niues etiam in summitate fieri possunt: cùm sub Aequinoctiali etiam, & citra, niues in Peru regionis montibus altissimis semper inueniantur, nec vnquam etiam in Atlante penitus deliquescant, & apud nos minore Solis interuallo, quàm Sol à Lunæ montibus tum discessit, niues in Alpibus cernantur. Sed quæ illic tum recens in montium latera cadunt, pleraſque veri-

verisimile est interdiu deliquescere,& vim pluuiarum augere; perinde atque apud nos in Maio aliquando accidere videmus. Deinde & illud hinc colligitur, proprias quasdam esse singularum regionum proprietates, tum è cælo immobili, tum è stellis octaui orbis, quæ plurimùm possunt intra Tropicos,propter paruam dierũ & noctium inęqualitatem,minimum verò apud eos,quibus Horizon valde obliquus est; propterea quòd longa & diuturna Solis mora terrã paulatim exhauriat,& penitùs arentem reddat, nihil vt halituum euehi possit. Sic contrà in hieme, ad calorem augendum,parum momenti vel ipsæ stellæ Verticales habent; propter longam diuturnamque Solis absentiam, quamuis natura sua sint Martiales. Intra Tropicos igitur, propter hanc partim siderum, partim terrarum varietatem, imbrium siccitatumque magna est diuersitas. In Peru, in planitie maritima, quæ à Tumbes exorsa ad aliquot centenarios milliariorũ nostratium extenditur, nec pluit,nec tonat, cùm viginti à mari milliaribus, & eò minùs, pluuiæ sint frequentes & copiosissimæ; quæ de montibus corriuatæ aquas & ad bibendũ, & ad irrigandum subiectis campis subministrant. In horum montium culminibus perpetuæ sunt niues, quæ catenatim infinita terrarum spacia complectuntur, & flumina effundunt, quæ multò sunt, quàm vel Asia vel Africa vel Europa etiam habeat,maiora; adeò vt sinus potiùs ingentes, quàm amnes, videantur. Accedunt his lacus & stagna innumera, vt par est fieri, vbi eiusmodi montium immensa spacia complurimas valles & planities comprehendunt. Eadem igitur est huius regionis vltra Aequinoctialem natura, quæ est montium Lunæ: atque inde Sol in Cancro plurimas sibi aquas attrahere cõtinuatione quadam vaporum & nubium potest, cùm citra etiam Æquinoctialem longè extendantur. Deinde mare vtrimque magnam etiam copiam humorum Lunæ regno suppeditat. Quo fit, vt in Messico Iunius item imbrium solenne tempus reducat, & similiter, atque in Africa, extendat. Si enim totum Oceanum per ipsam intermediam terram ducere potest; quanto faciliùs per aërem humores trahet, ac è subiectis etiam campis, & lacubus, & montibus, eleuabit, adiuta totius regni sui viribus,ac præterea Solis in domo sua præsentia? Bene igitur Plinius Nili crescentis tẽpus Luna noua, quęcunque post Solstitium est, definiuit. Coniunctio enim Lunæ & Solis in domo Lunæ, in materiam antè ad pluuias præparatam, quid non virium habebit? Plenis enim omnibus anteà alueis, partim ex imbribus,ad Æquinoctialem & citra cadentibus, partim è fluuiis descendentibus è montibus, quibus tum hiems est ob Solis longinquitatem, procliue est,

maximis viribus & ſumma poteſtate ingentes mox pluuias in ſuperioris Æthiopiæ montibus excitare, atque eas continentes reddere ad ipſum vſque circulũ Cancri: quæ humore paulatim aucto tũ fiunt vehemẽtiſſimæ, & ita Nili ſummum augmentum in Leone demum abſoluunt, propter magnum defluxus interuallum: deinde diminui incipiunt, donec Nilus in Libra totus intra alueum ſuum conſidat, ſpacio centum dierũ creſcendi initium, & decreſcẽdi finem, ad aluei capacitatem metiente. Quod Homerus Hecatombis elegantiſsimè expreſſit, vnà indicans gratũ Ioui & ceteris diis ſacrificium quotidie faciendum, atque ex eo epulandum. Tradit enim Plinius, hoc tẽpore Regibus & Prẹfectis per eum nauigare nefas eſſe. Incidit igitur Menelaus in piaculum, quod illi tum erat condonandum, cùm ſolenni Ægyptiorum ritu centũ diebus epulatus fuiſſet. Rectè ergo Plinius nos commonefecit, Lunę cum Sole cõitũ hoc diluuium excitare, non quouis quidem loco, ſed poſt Solſtitium, in ipſo nimirũ Lunę regno. Nec credo temerè montibus, è quibus accipit incrementi præcipuas aquas, nomen à Luna datum fuiſſe, quamuis id hactenus fortè ſit neglectum. Priſci enim illi, à quibus Ptolomæus id accepit, videntur hanc augmenti cauſam cognouiſſe; atque idcirco Montes Lunæ vocaſſe, quòd in iis ingentes imbres præcipitent, cùm Luna Solem domi ſuæ hoſpitio excepit. Ariſtoteles hũc montẽ, è quo Nilus fluit, Argyrũ, id eſt, argenteum vocauit, voce ob id ab antiquis data, quòd argentum Lunę, vti aurum Soli, debeatur. Eadem igitur ratio vtriuſque nominis, niſi quòd Ptolemaicum Ariſtotelici videatur interpretamentum. In vocibus certè huic amni propriis, inſignes notationes continentur. Nilus enim dictus eſt, quia νεὰ ἴλυς, id eſt, nouus limus quotannis ab eo inuehatur; docta ſanè elegantiq́ue compoſitione, quæ nouitatem hanc annuam ſic indicauit, vt & vtilitas irrigationis intelligeretur, & litterarum numeratio dies totius anni cõtineret; quibus abſolutis, rurſus nouam campis vliginem induceret. Quod illi videbunt, qui annum Ægyptium in hoc nomine, ad germanæ originis rationem ſcripto, Græco calculo computabunt. Ægyptus verò an à Rege, vt omnes volunt, dicatur, an contrà, Rex à flumine vocetur, dubitare magis, quàm expedire poſſum. Cùm ceteri amnes, Grẹcis hominibus cogniti, ad Capricorni ſignũ maximè turgeant & quaſi exiliãt; ſolus Aegyptus eo tẽpore ſupinus in alueo iacet, tanquã omnibus viribus amiſsis. Quocirca à propria nota ſic dictus eſt, quòd ὑπὸ τοῦ αἰγὸς ὕπτιος κεῖται, id eſt, quòd ſub ſigno Capri ſupinus iaceat; cùm in Cancro totus exurgat, & extra ripas ſaltet, contrà quàm cetera flumina facere conſueuerunt: quæ ratio ſi placebit,

Montibus Lunæ non temerè nomen datum.

Nili etymologia.

Nomen Aegypti etymon.

Regi,

Regi,ſi quis hoc nomine fuit;flumen, non Rex, flumini nomen dedit. Quod autem Plinius addit, ab aliquibus etiam Tritona appellari, id ad antiqua Phrygiorum magiſteria, quibus Aegyptios ſacerdotes erudierunt, ſpectare opinamur; atque ita ab iis vocatum eſſe, quod magnam fidem Aegyptiis oſtendat, tum in annuo ſuo incremento, tum in ſignis, quæ in puteis obſeruata, præmonſtrabant, quantum fructuum ſingulis annis eſſet expectandum. Verùm nomen hoc alibi exponetur,in eodem quidem ſignificatu, ſed ad aliud accommodato. Neque longè ab ea opinione abſum, vt ad eoſdem Phrygas referam Phari nomen. Pharot enim illis caput ſignificat,ad nauigationem indicandam idoneum. Erat enim in hoc promontorio turris, è qua lumen nauigantibus oſtendebatur. Quod vt erat noctu neceſſarium, ita ipſum illud promontorium interdiu ſatis ſigni dabat,ad rectum iter tenendum. Sed hæc occultiora: apertius illud, quod Homerus dixit ſub Protei perſona Aegyptum Diopetea eſſe. Quod nomen nunquam illi conuenit,niſi cùm pluuio Ioue auctus in campos exundat. Quocirca inconſideratè Ariſtoteles, aut potiùs (quod magis credo) fraudulenter Homerum hoc loco ita interpretatus eſt,quaſi voluiſſet, Pharum tantùm à continente in mari abfuiſſe,quo tempore Nilus intra alueum continetur; cùm contrà multis luculentis indiciis (quæ modò aperuimus) oſtenderit ſeſe de inundatione agere, atque eius tempus, & ritum gentis, quo in eo viuit, deſcribere; & vno atque altero verbo doctis viris incrementi cauſam & eius difficultatem indicare; quam tantam eſſe iudicauit, vt ſibi Proteo opus eſſe putaret,id eſt,eo numine, ad quod non peruenitur,niſi per reſolutionem ad vltimã cauſam quis adſpiret. Pharus ergo aberat à Memphiticis montibus,vbi tum Reges egiſſe pyramides, ipſorum ſepulcra docent, ſecunda vnius diei nauigatione; difficili profectò,quòd alueus tenendus eſſet;ac difficili etiam,quòd inuitus iuſſu Deorum retraheretur; atque eadem cauſa longa, quia omnis mora in patriam properanti poſt tot annorum emanſionem longa meritò videtur,præſertim ſi eiuſmodi appendicem ſecũ ducat, qualis Menelao per Hecatombas ſignificabatur. Abeſſe autẽ Memphim à Pharo nanigatione vnius diei, ſecundo vento facta,is intelliget; qui ſciet nauigia plenis velis, cùm ventus rectus puppim ferit, quatuordecim paulò plus minus milliaria Italica tranſuolare, quæ noſtratia tria & dimidiatum reddunt.Sint igitur à Pharo ſecundum fluminis decurſum ducenta paulo plus minus milliaria. Artemidorus rectam ab Alexandria ad caput Deltæ nauigationem octingentorum duntaxat facit & quadraginta ſtadiorum. Plinius à fiſſura

Nilus cur Triton dictus.

Phari nomẽ ad quos referendũ

Nilus quando Diopetes.

Pharus quantum diſtet à Memphi.

aluei,qua ſe primum findit in latera ad Canopicum oſtium,centum quadraginta milliaria computat. Cui menſuræ, ſi quod ad Memphim vſque reliquum eſt, & id, quod ab oſtio ad Phari portum patet,adieceris;circa ducenta milliaria collegeris; quæ ſecundo,plenoque vento, vno, longiſſimo tamen, Alexandrinorum die nauigari poſſe,Homerus indicauit. De artificiali enim,nõ naturali, intelligẽdus; cui crepuſcula,ſi cui placet,adiici poſſunt, eò quòd noctu nauigare per ignotos alueos eo tẽpore,quo flumẽ exũdaſſet,in primis temerariũ fuiſſet,cùm interdiu etiã ſatis id habeat difficultatis. Quòd ſi Homero parũ credimus, ipſi in diluuiis fluminũ eius periculũ faciamus. Quamuis enim totũ Delta vndiq; pelagi,non fluuij,faciem haberet,ac opida in eo,veluti Cyclades,in Aegæo mari iacerẽt, cuius rei Diodorũ teſtẽ habemus;nõ tamẽ extra alueũ curſus erat tenẽdus, ne in aggeres,& alia breuia,nauis impacta detineretur. Difficile igitur iter fuit, atque illo etiã longius, quòd per compendiũ iter rectũ facere, vti in pelago perpetuo & breuibus vadis non impedito, fieri ſolet,nõ oporteret. Iam nõ aliud nobis reſtat,quàm eos,qui hæc fortè noſtra,ſiqui omninò erunt,legere nõ dedignabũtur,monere ac rogare,vt nõ ſinãt ſibi imponi Ariſtotelis prẽclara auctoritate;ſed priùs videant,vtrius ſentẽtia & expoſitio magis deceat & poëtam, & veritatem. Scio Pharum inſulam olim fuiſſe, ac nunc continenti adhe-

Pharus olim inſula, nunc continenti hærens.

rere. Sed id factum non eſt Nili illuuie, aut naturæ beneficio; ſed ea ratione,quam Cæſar nobis aperuit his verbis:Pharus inſula eſt, in ea turris magna altitudine, mirificis operibus extructa, quæ nomen ab inſula accepit. Hæc inſula,obiecta Alexandriæ portum efficit; ſed à ſuperioribus regionibus, in longitudinem paſſuum nongentorum in mare iactis molibus,anguſto itinere,& ponte,cum opido coniungitur. Hæc Cæſaris teſtificatio ſatis docet, quî factum ſit, vt nunc Pharus inſula non ſit.Molibus enim, & ponte, & ædificiis collapſis, aqua eſt excluſa, & quæ inſula erat,nunc eſt Cherroneſus. Pharus tamen æquali hactenus interuallo à Memphiticis montibus abeſt; &,vt olim, ita nunc quoque, mari, non terra, excepta iſthmo cingitur. Si æquitas iudicum ea mihi detur, vt iis admirandum hoc Homeri artificium, quàm monſtroſum Ariſtotelis interpretamentum, magis arrideat, non parum mihi videbor effeciſſe. Quotquot enim de Aegypto, fluminis beneficio enata, ſcripſerunt, ij Homerum ſibi ducem eſſe putauerunt, quorum Herodotus & Ariſtoteles fuere anteſignani. Si igitur hic eos deſerat, & neget ſe vnquam tale quid ſcripſiſſe, è quo poſsit effici, Aegyptum poſt ætatem ſuam ex amnis limo extitiſſe,cùm antea non eſſet; mirum, ni mox terga vertant, &

ſigna

ſigna abiiciant. Pudendum eſt, ne dicam exſecrandum, auctorum bene dicta perperam interpretari : at quanto turpius, peruersè intellectis fundamenta abſurdarum opinionum ſuperſtruere ? quò illuſtris titulus, & venerandum nomen, & ab omnibus recepta auctoritas, falſæ ſententiæ laruam veritatis imponat ; qua deinde occultatâ, hominum animis citra ſuſpicionem irrepat. In hac quidem larua detrahenda fortaſſis prolixitatis accuſabor ; ſed, qui rei difficultatem agnoſcent, & huius inundationis abyſſum bolide ſua tentabũt, næ illi mihi prolixitatem non obiicient, ſed breuiorem etiam dicent fuiſſe, quàm Protei hæc oracula poſtularent. Quamuis enim diligenter cauſarum omnes angulos ſim rimatus, necdum tamen mihi ipſe omninò ſatisfeci; tantum abeſt, vt velim videri omnes difficultates in his æſtiuis pluuiis ſuſtuliſſe ; quod facere magis arduum iudico, quàm circulum quadrare. Conſtet ſaltem optimè Homerum dixiſſe, ex imbribus Nilum augeri; atque idcirco, quo tempore exundat, à Ioue delabi ; atque in cauſis pluuiæ, qua excreſcit, Fracaſtoriũ operoſis ſuis ſyllogiſmis nihil egiſſe. Nos hiemem duplicem in cauſa eſſe demonſtrauimus; & eam, quæ de Solis abſentia ad montes Argyreos fit ; & alteram, quę intra Tropicos eſt vniuerſalis ; quæ quas habeat cauſas, obiter etiam breuiterque eſt explicatũ. Verùm, dum epilogum addo, duo mihi video obiici impedimenta, alterum à Scaligero, alterum à Comite Nogarola ; quorum vterque & litteris & genere clariſſimus habetur : prior etiam totius ſibi cyclopediæ cẽſuram ſumpſit, vt audacter & fortiter, ita non malo iure ; propterea quòd ad ſummum eruditionis culmen aſpiraſſe videatur. Hic, ſi viueret, (quod equidem litteris ſtudioſisque omnibus optarem) primo facilè impetu me proſterneret, cùm Cardanum robuſtiſsimum, vt videri vult, in omni demonſtrationũ puluere pancratiaſten deiecerit, & ferè calcibus protriuerit. Quid enim ille nõ poſſit, qui puer adhuc cùm eſſet, in panoplia coram Maximiliano pyrrichen ſaltarit? Huic igitur ſi me opponam, æquum erit, vt Nogarola non ægrè ferat, ſi neque ea recipiam, quæ in Timotheo ſuo, ſiue dialogo de Nilo, doctè varieque diſputauit. Litteratis contentionibus, cùm ſtudia aluntur, tum veritas eluceſcit, ſi modeſtè amiceque, & citra bilem (vt generoſos animos decet) ſuſcipiantur. Scaliger, Ariſtotelis veſtigiis hærens, vaticinatur fore tandem, vt ripæ, annuo limo altiores redditæ, Nili exundationem non admittant. At huic obiicio Niloſcopium, quod veteres Aegyptij in puteo huius tẽporis Memphitici, in lateritia columna, in acutam pyramidis formã exeunte, notare ſolent. Cùm igitur Niloſcopium, ſiue Nili regula, tantum hac ætate

cubitorum,quantũ ante bis mille annos indicare debeat,quo optata fertilitas nuncietur; nec quicquã omninò ſit in tot ſeculorũ decurſu immutatũ in fluminis incremento; iubeo Scaligerũ hanc ſcalam deponere,per quam ripas in tantam altitudinẽ adſcenſuras dicit,vt Nilus intra eas perpetuò cohibeatur. Et quia eadẽ cõtra Iulium noſtrũ, quæ contra Herodotũ,& Ariſtotelẽ,& ceteros,dicenda eſſent; pluribus addendis ſuperſedebo, ne eadem ſæpius ſint iterãda. Quòd autẽ inter cetera dixit: Troglodytis,decem circiter gradibus à Cancri circulo remotis,pluere quidem æſtate,ſed non continenter,nec diu,ſed velut apud nos æſtatis tempore, cùm repentinæ oriuntur tẽpeſtates; id prorſus omniũ obſeruationibus & experimentis eorũ aduerſatur, qui regiones intra Tropicos peragrarunt. Interrogentur, qui apud Meſſicanos fuerunt,an nõ & diu & continenter apud ipſos pluat ab eo tẽpore,quo nouilunium in Cancro fuerit peractũ. Interrogentur, qui in Hiſpaniola habitarunt, qui dicent non pluuias modò ab illo tempore,ſed tempeſtates etiam & procellas cõtingere, quibus mare, maiorem in modũ intumeſcens,fluminũ decurſum repellat. Idem in India ad oſtia Gangis & Indi, & generatim per totã illam regionem fieri, in qua quidẽ materia halituum non deſit, de medici illius ſcriptis colliges,qui Rhabarbarũ propter nimiã humiditatẽ Iunij, Iulij, & Auguſti,apud Indos vix aſſeruari poſſe prodit. Sed ſatius eſt Garcię ipſius,apud Indos medicinam exercentis, ſententiam audire,qui de Luſitanica lingua in Latinã à Carolo Cluſio, familiari & amico noſtro,tranſlatus ſic dicet: Prętera India,pręſertim in maritimis,maximè humida eſt; & huiuſmodi aromata diu integra ſeruare nõ poteſt. Nam Rhabarbarũ,ſub mẽſem Maium in Indiam locis videlicet maritimis importatum,niſi ante Septembrem abſumatur,planè inutile eſt & abiiciendũ: corrumpitur enim, vt pleraque alia aromata,quatuor illis menſibus hibernis,qui ſunt Iunius,Iulius,Auguſtus,Septẽber. Intereà aliud recentius ex Ormuz importatur,quo vtuntur; idque,quod in maritimis hibernauit,abiiciunt. Audimúsne hîc medicum,Goæ habitantem, Tropico Cancri, quàm Aequinoctiali, paulò viciniorem,eos mẽſes hibernos vocare,quibus Sol illi regioni rectiſſimus incumbit? Quòd ſi illos leges,qui nauigationes eius maris deſcribunt,intelliges his menſibus magnas ſæpè tempeſtates & diuturnas extitiſſe. Quo fit, vt eodem tẽpore & flumina pluuiis ad exitum increſcant,& maris intumeſcentis vndis repellantur. Non mirũ igitur,Gangem quoque loca Indiæ plana irrigare, tum pluuiis auctum, tũ,ne exoneretur, à mari impeditũ. Trahit autẽ Sol eo tẽpore ventos plurimos è mari Indico,cùm eius calor ad ſe trahere vbique conetur,

non

non aliter, atque eodem tempore ex orbe noſtro ventos ad ſe rapit. Deinde tota India humecta eſt, & maximis latiſſimisque fluminibus abundans; quæ toto æſtatis tempore, glacie in Imao deliqueſcente, cùm plena fluant, tum poſt Solſtitium, cùm ad oſtia Indi & Gangis hiems eſt, & ventus mare contra impellit, defluxus impeditus ea cogit per campos exundare. Norunt Romani, ſi contra Tiberim, imbribus auctum, mare intumeſcat, quàm altè flumen aſſurgat. Idem de Gange cogitandum; & tanto magis, quanto pluuiæ & tempeſtates illic diutius durant. Nec illud negligendum, quod antea quoque memini, imbres continuatione vaporum, & ventorum impetu, citra etiam Cancri Tropicum, largos decidere per idem tempus poſſe, ſi à ſubiectis campis humoris plurimum radiis ſolaribus ſubminiſtretur. Eum autem Indiæ interamnis ſitum eſſe, omnes norunt, vt hinc montibus altiſſimis, & latiſsimis, & perpetuo gelu candentibus; hinc mari; & vtrimque ad duo reliqua latera duobus ampliſsimis fluminibus claudatur: vt cetera, quæ infinita propè ſunt, & inter ea maxima, omittantur. Quamuis igitur poſt Cancri principium æſtatē Indi habeant, pluuias tamen idcirco ſentiunt; quòd hinc eſtiuam hiemem, hinc aquarum plurimum & vaporum è montibus habeant, quibus planities humecta accedit. Nam quamuis niues in Imao, & Paropaniſo, antea etiam liqueſcant; toto tamen æſtatis tempore vaſtitas illa Caucaſea nō ceſſat à glacie, Solis radiis ad eliquandum ſubminiſtranda. Videmus in ſummis Alpibus cùm alibi, tum in valle ea, in qua Sarra, Benaci pater, gemino de fonte oritur, quàm ingentes torrentes ex altiſſimis verticibus cum ſummo fragore & tonitru ſe media feruentiſsimaque æſtatis parte præcipitent, cùm hieme prorſus euaneſcant. Cùm igitur hæc materia pluuiarum adſit, & tanta montium ſiluarumque altitudo, vt Solem, ad colliquandum, vicinum requirat; ac deinde ex oppoſito hiberna anni ad Tropicum conſtitutio accedat; fit vt poſt Solſtitium non inferior modò, ſed ſuperior etiam India, pluuias habeat frequentes. Arrianus, libro quinto Alexandri contra Porum expeditionem deſcribens, ad hanc ferè ſententiam locutus eſt, vt dicat eo tempore, quo flumen, vltra quod Porus conſederat, ſuperare Alexander conaretur, omnes amnes Indiæ multa & turbida aqua concitatos fuiſſe. Tempus enim fuiſſe æſtiuum, quo Sol à nobis retro ſe flectit; qua anni parte plurimæ copioſæque aquæ è cælo in Indiam deferantur, & niues Caucaſi, in quo plurimorum fluminum fontes ſunt, deliqueſcētes, aquas maiorem in modum augeant: cùm hieme contrà & limpidi & exigui amnes fluant, & præter Gangem, & Indum, & fortè aliquem alium, etiam

Indi quare plurimas pluuias ſentiant.

etiam vadari queant, & certè Hydaſpes tum vado tranſmitti poſsit. E quibus Arriani dictis & ceteris, quæ adiecit, vt de pluuiis æſtiuis conſtat, ſic & illud certò colligitur, illo ipſo tempore, nec alio etiam vllo, ſuperiorem Indiæ partem, perinde atque Aegyptum, diluuio fluminum mergi: quia duo maximi exercitus tum ſub pellibus eſſent, cùm plurimum aquarum illic abundaret. Satis igitur eſt nos cauſam inueniſſe, quare, ad partes Indiæ inferiores, humiliores aliqui campi recipere poſſunt eiuſmodi inundationem, quæ tamen nullo modo Nili incremento par eſſe poteſt, nec cauſis, nec euentis. Deſinat ergo Scaliger alias cauſas ſomniare; ſed in his acquieſcat, quas tot locorum cõſenſus, tot hominum experientia, comprobauit. Sunt eius omnia, confeſsione mea, doctiſsima, & plena ſubtilitatum: ſed quod illi cõtra Cardanum licuit, cui ſe antagoniſtam fecit; idem fortaſsis alij etiam contra ipſum licebit. Ceterùm in hac quæſtione, quam nunc agitamus, aſtutè quidem, vt vbique, egit; ſed non citra aliorum reprehenſionem aſſeruerit, Nigirim & Nilum ex eiſdem montibus & eiſdem paludibus edi; atque partem Africæ, quam amplectuntur, inſulæ rationem habere: cùm à poſterioribus ſcriptoribus, quibus res magis ſunt exploratæ, videam ſcribi longè infra fontes Nili Nigiris originem eſſe. Et inter ceteros Andreas Theuetus docet, è Libya interiore Nigirim exoriri, additis etiam montibus, è quibns deſcendit; quorum alteri Mandro, alteri Thala nomen adſcribit: quos ait à montibus Beth, ſiue Lunæ, pluribus, quàm mille leucis abeſſe. Scaliger, cùm vtrumque flumen ex eiſdem paludibus deriuaſſet, ac pluuias alias in Æthiopia eſſe negaſſet tempore incrementi vtriuſque, quàm apud nos in æſtate cum tempeſtatibus decidere ſolent, ſatis ſe putauit oſtendiſſe, ex humore tantum harum paludum exiſtere fluuiorum incrementa. Verùm cùm ipſe pecora perinde, ac taurus quiſpiam, ex hominibus iis faciat, qui Ariſtoteli, de Idæis ſcribenti, audent aduerſari; non video, quî auſus ſit dicere, non aliter apud Troglodytas pluere, quàm apud nos æſtatis tempore, cùm Ariſtoteles dixerit, in Æthiopia frequentiores pluuias fieri æſtate, quàm hieme, & vehementiores & ſæpe eodem die: quia, cùm Aethiopia calidiſsima ſit, celerrimè congelentur nubes in aquam, propter antiperiſtaſin. Nam, ſi frequentes ſint pluuiæ; quid illis cum æſtiuis noſtris commune, quæ ſunt rariſsimæ? Deinde non ſolùm frequentes Ariſtoteles eſſe dicit & vehementes tota æſtate, ſed frequentes etiam vno eodemque die. Quæ ergo comparatio ad noſtras pluuias æſtiuas, vna ſola excepta vehementia? Iam ſi frequentes ſint & vehementes, non ſolùm tota æſtate, ſed eodem die; quinam rogo ſem-

Nilus & Nigiris an oriantur ex eiſdem montibus.

ſemper imbibentur à terra? quod Iulius affirmat; cùm dies illic breues ſint, & noctes, quàm apud nos, ſint multò longiores & frigidiores. Quocirca, cùm experimentis omniũ, cùm ipſis rationibus, quas antè expoſui, cùm ipſi denique Ariſtoteli, contra quem ſentire belluarum eſſe dixerat, aduerſetur; condonet mihi ſi hac in re hypercriticam ipſius ſententiam nihili pendam, & paruifaciam; quòd dixerit, alias cauſas ſomniandas eſſe, propterea quòd Ganges eodem tempore, quo Nilus, excreſcat; cùm modò conſtet, partim eaſdem, partim diuerſas inueniri, vt patebit ei, qui incrementorum rationes inter ſe comparabit. Maior enim cauſa Nilo eſt ad excreſcendum, propter duplicem hiemem; alteram Aſtronomicã, & toti orbi ſimiliter computandam, alteram iis, qui inter Tropicos habitant, peculiarem. Gangi verò intumeſcenti nihil accedit ex hieme aſtronomica, ſed ex illa ſola, quæ illius eſt Zonæ, quæ conuerſionibus Solis terminatur: quæ hiems continuatione quadam vaporum & nubium vlteriùs etiam ſe porrigere poteſt, ſi regio talis ſit, vt plurimum halituum queat ſuppeditare; qualem Indiam eſſe, quæ Gange & Indo includitur, apertius eſt, quàm vt hîc ſit docendum. Exundat igitur Ganges partim eodem, partim diuerſo modo, quo Nilus. Atque hæc quidem obiter hoc loco, aliàs fortaſsis latiùs ex propoſito de his agetur.

Nunc deinde audiendus Nugarola, qui nobis magis, quàm Scaliger, repugnat; eò quòd fretus Porphyrij auctoritate, neget ex Homerico epitheto, quo Nilum ornauit, poſſe concludi, imbres incrementi cauſam eſſe, cùm Xanthum etiam & Spercheum eadem voce appellarit Diopeteas, id eſt, à Ioue delapſos. Sed non videt perperam fieri collectionem: Alia flumina à Ioue delabi dicit, ergo Nilus non dicitur Diopetes, quia imbribus increſcat, ſed potiùs contrà concluſiſſet; Alios etiam amnes vocat Diopeteas, ſunt igitur & alij amnes, quos pluuiis increſcere Homerus putauit. Addidit etiam, & fontes hoc nomine recenſuiſſe, tum & Oreades etiam Iouis filias, poëtam nominaſſe; quæ omnia ſic concluſit in ſuo dialogo, quaſi nihil contrà dici poſſet. Adiamus enim, poſtquam hunc Porphyrij locum è quæſtionibus Homericis totum adduxiſſet ac interpretatus eſſet, Fracaſtorium rogat ad hunc modum: Quid dixeris, Fracaſtori? FRACAST. Nihil ſanè: nam etiamſi Græcas litteras (vt olim M. Cato) in ſenectute didicerim, tamen velim Rhamnuſium, qui Græcæ & Latinæ linguæ peritiſsimus eſt, hac in re ſuas partes ſuſcipere. Sed polliceri auſim, ſi iſta maledicta audiat, ſedulò operam daturum, vt te, & ſeipſum, & Strabonem, inuaſiſſe, quandoque pœniteat. Nos quò Porphyrij ſententiam rectè examinemus, totum hunc

Porphyrij ſententia de Nili incremento.

locum putamus adſcribendũ; eò quòd ab Adamo, qui ſe Fracaſtorio in hac lingua ſuperiorem facit, nec bene transſcriptus ſit, nec bene redditus hominibus Latinis. Sic igitur verba codice ab Heruagio Baſileæ excuſo leguntur:

Θαυμάσειέ τις ἂν τοὺς τὸν ποταμὸν οἰηθέντας ὃν Ὅμηρος Αἴγυπτον πόταμον κέκληκε, Διϊπετῆ εἰρῆσθαι διὰ τὸ ἀφανεῖς ἔχειν τὰς πηγὰς κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους ἐν οὐρανῷ καὶ οὐρανόθεν ῥεῖν. λέγει γὰρ·

„ ——οὐ γὰρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους ἰδέειν,

„ Πρὶν γ' ὅταν Αἰγύπτοιο Διϊπετέος ποταμοῖο

„ Αὖθις ὕδωρ ἔλθῃς. Πρῶτον γὰρ καὶ τὸν Σπερχειὸν Διϊπετῆ λέγει·

„ Υἱὸν Σπερχείοιο Διϊπετέος ποταμοῖο. καὶ τὸν πρὸς φαιάκων γῆ·

„ ——ἐγὼ δ' ἀπάνευθε Διιπετέος ποταμοῖο. Καὶ ἁπλῶς δὲ πάντας Διιπετεῖς ἐν παραβολῇ λέγει·

„ Ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι Διιπετέος ποταμοῖο

„ Βέβρυχε μέγα κῦμα. Διιπετεῖς οὖν λέγει τοὺς ποταμοὺς ἐκ Διὸς γεγενημένους. τῷ γὰρ πεσεῖν ἀντὶ τοῦ γεννᾶσθαι χρῆται·

Ὅστις ἐπ' ἤματι τῷ δε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικός. Ἀλλαχοῦ δ' ἔφη ἀντὶ τοῦ Διιπετοῦς,

„ Ξάνθου δινηέντος ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς. Τοῦτο δὲ ὅτι φύσει οἱ ποταμοὶ ἐκ Διὸς γεννῶνται ὥσπου ἔφη·

„ ——καὶ σφὶν Διὸς ὄμβρος ἀέξει. ᾧ λόγῳ καὶ τὰς νύμφας τοῦ Διὸς θυγατέρας λέγει·

„ Νύμφαι κρηναῖαι κοῦραι Διός. Ἔτι·

„ Νύμφαι ὀρεσιάδες κοῦραι Διός. Ἐπεὶ καὶ τὰ ἐν ὄρεσι φύτα τῷ Διὸς ὕδατι τρέφονται. Ζηνόδοτος δὲ Διιπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσιν.

Hæc quî mutauerit & reddiderit Adamus Fumanus, quẽ loquentem auctor dialogi de Nilo induxit, noſtra non refert; eò quòd neſciamus, quo exemplari ſit vſus. Nos, quò Fracaſtorio, quem dicit ſeriùs litteras Græcas didiciſſe, opitulemur, ſic interpretamur. Miretur ſanè quiſquam eos, qui fluuium, quem Homerus Aegyptum fluuium vocauit, Diipete, id eſt, à Ioue lapſum, idcirco dici putauerunt; quòd fontes occultos haberet; ac, ſecundum Aegyptiorũ opinionem, in cælo eos haberet, atque è cælo manaret. Dicit enim: Neque enim fatum tibi permittit antè videre amicos, quàm rurſus ad aquam profectus fueris Aegypti fluuij, à Ioue delapſi. Priùs enim Spercheum Dijpete, ſiue à Ioue lapſum, appellat:

Gnatum

„ *Gnatum Sperchei, qui de Ioue labitur amnis.*

Et illum, qui ad Phæacum terram est:

„ *Ast equidem à fluuio semotus de Ioue lapso.*

Denique simpliciter omnes per parabolam Diipeteas, id est, à Ioue delapsos, vocat:

„ *Vt Ioue delapsi fluuij contra ostia sæuum,*

„ *Ingentes fluctus rudunt.*——

Diipeteas ergo, siue à Ioue lapsos, fluuios dicit; quia è Ioue generati sint: nam cadere pro generari vsurpat.

„ *Quisquis in hac ad crura cadet muliebria luce.*

Alibi verò loco Diipeteos, id est, à Ioue cadentis, dixit,

„ *Xanthi verticibus rapidi, quem Iupiter edit.*

Quod quidem eò dicit, quia fluuij è Ioue generentur, secundum naturam, vt quodam loco inquit:

„ ——*Et eos auget Iouis imber.*

Qua ratione Nymphas quoque Iouis filias vocat:

„ *Nymphæ fontanæ, gnatæ Iouis.* Item:

„ *Nymphæ monticolæ, gnatæ Iouis.*

Quod dixit, quia plantæ in montibus Iouis aquis aluntur. Zenodotus autem Diipete illustrem siue perspicuum reddit.

Ex his nescio cui non perspicuum esse queat, Porphyrium Straboni minimè aduersari, nec dicere, Nilum non vocari Diopete, ob id quòd imbribus increscat: immò contrà idcirco, quia è pluuiis generetur, quemadmodum & alios quoque fluuios ita vocari, inter quos est Spercheus, qui hoc nomen sortitus est, quòd festinare præ ceteris videatur, iuxta illud Lucani:

„ ——*Ferit amne citato*

„ *Maliacas Sperchios aquas.*——

Spercheus quare ruat citissimè.

Ruit autem ob id citissimè, quòd è Pelio vel niues liquescentes, vel pluuias in lacu aliquo, vel occulto, vel aperto, quales plurimi in montibus sunt, congregatas præcipites effundat. Deinde, quia ex altissimo loco, qui mediam aëris, siue Iouis, regionem, in qua pluuiæ & niues generantur, attingit, à Ioue lapsus dici potest. Nihil ergo hoc contra eos, qui Nili epitheton ad imbres retulerunt. Quòd porrò adiecit Porphyrius, generatim omnes fluuios Diopeteas, per parabolá vocari, id sic intelligendũ: Amnes omnes cõparatione causarũ sic posse vocari, quia scilicet omnes oriãtur è Ioue: alij quidé, qui imbribus increscũt ex aëre medię regionis; alij, qui è fontibus principiũ habét, è Ioue subterraneo. Nam vtrobique aër est, & vtrobiq; halitus ratione frigoris in aquas cõcrescit. Hinc Nymphę fontanę Iouis

Fluuij omnes quare dicantur Diipetes.

Nymphæ fontanæ cur Iouis filiæ

filiæ dicuntur; eò quòd ex halitu ſubterraneo, per frigoris vim concreto, oriantur. Oreades autem, ſiue arborum nemorumque Deæ è Ioue, id eſt ex imbribus & aquis, frigore concretis, & irrigantur & aluntur: & idcirco Iouis etiam filiæ vocantur. Propriè igitur flumina, quæ pluuiis increſcunt, à Ioue delabi dicuntur; vt Nilus æſtiuis menſibus, & Sperchios: quo tempore, vel niuibus liquefactis, aut imbribus intumeſcens, rapidus fertur. Xanthus item, cùm pluuiis vel niuibus latè exundat, idem epitheton meretur; quia tantus aliquando euadat, vt ad Simoënta vſque omnia latè ſtagnent, & ob eam rem Scamander ab hominibus, teſte Homero, vocetur. Quod alibi, vbi de nominibus Deorum & hominum agetur, explicabo. Videmus itaque longè abeſſe, vt Porphyrius neget, Nilum ideò Diopete nominari, quòd pluuiis augeatur: immo contrà, ceteros etiam fluuios ita dici, quia imbribus increſcant. Quòd ſi qui ſint, qui de fontibus cadant, nec imbribus intumeſcant, eos Diopeteas non vocari, niſi per parabolam cauſarum. Miratur igitur homines inuentos eſſe, qui Nilum ſic vocari arbitrarẽtur; eò quòd fontes in cælo apud Iouem haberet, atque inde in terram deſcenderet. neque enim hãc cauſam eſſe, quòd ſic dicatur; cùm Sperchios quoque eodem epitheto honoretur, quem certum eſt è Pelio, non è cælo, deſcendere: atque cetera quoque flumina per parabolam, ſiue comparationem generationis, Diopetea ab eodem nominari; quia nimirum è Ioue naſcantur; non verò quòd fontes in cælo habeant, atque ex eo in terras deſcendant. Negat itaque Nilum Diopetea vocari, quòd fontes haberet occultos; ſed ita dici aſſerit, quòd imbribus augeretur, ac inundaret. Atque, quia hæc aperta ſunt è Porphyrij verbis, ſi non corrumpantur, vt ab Adamo corrupta ſunt, non eſt neceſſe diutius iis immorari. Nobiſcum ergo facit Porphyrius longè ſecus, atque Adamus arbitratur. Verùm nunc tempus eſt opinionem eius de Nili incremento audire, quæ in compendium contracta ſic habebit. Pluuiis nihil adſcribendum; ſed omnem cauſam pendêre ex vaporibus, qui in montibus Lunæ, à Sole per radios directos verberatis, in cauernis ſubtus attolluntur. hos ad ſummam terræ partem non educi; propterea quòd & ſuo & terræ frigore calori attrahenti reſiſtant, ne foras extracti penitus abſumantur. at, cùm Sol longiſſimè inde receſſerit, tum totam illam halituum copiam in aquam conuerti, atque ea Nilum excreſcere ac exundare. Elegans ſanè ratio ſi vera ſit. At nos non ita prompti ſumus ad credendum. Dicit, æſtate in cauernis montium halituum magnam copiam attolli, vi Solis, perpendiculares radios inferentis: ſed eos negat ad ſupremam

Oreades, cur Iouis filiæ.

Flumina quæ Diopetea propriè dicantur.

Adami de incremento Nili opinio.

terræ

terræ partem euehi, quia ſuo & loci frigore reſiſtant, ne vlterius attrahantur. Quæ verò, obſecro, hæc reſiſtentia vaporum, cùm iam frigore depoſito, ſurſum ſunt elati? Antea, cùm necdum humida materies actu calida eſſet, reſiſtere potiùs debuiſſet, ne attolleretur. Cùm iam ſurſum fertur, frigore natiuo depoſito, quî, rogo, tunc reſiſtet, cùm antea, cùm integris adhuc eſſet qualitatibus ad repugnandum idoneis, non potuerit efficere, quò minus ſurſum traheretur? Iam quòd dicit eo tempore, quo Sol directus impendet, non poſſe fieri halituum in aquam conuerſionem, propter æſtiuum calorem; id prorſus omnibus experimentis & rationibus repugnat. Experimentis quidem, quòd omnibus locis, quibus perpendiculares radios Sol immittit, æſtiui quidam imbres decidant. Rationibus verò, quòd æſtatis tempore omnia antra ſubterranea, quàm hieme, ſint frigidiora: atque idcirco, qui halitus eo tempore in iis attolluntur, eos neceſſe eſſet promptiùs in aquas cõuerti; quàm tempore hiberno, propter antiperiſtaſin caloris externi. Quis eſt omnino, qui neſcit, æſtate omnia ſubterranea frigidiora, hieme calidiora ſentiri? quis inquam, niſi qui nunquam in apothecis vini ſubterraneis fuit, vel nunquam æſtate de puteis frigidam hauſit? Potiùs igitur æſtate in aquas vapores hi coirent, quàm tempore hiberno. Deinde, quod addit, hos halitus ad hiemem vſque ſeruari, nec antea in aquas concreſcere; ſtupendum planè videtur. Sed demus tamen, ne omnibus obſtinatè reſiſtere videamur; ac interrogemus, vbi tantum ſit cauernarum, vt ſatis amplæ ſint ad illam halituum copiam cõſeruandam, quæ ſufficiat ad eas aquas generandas, quibus Nilus ad tres menſes extra alueum feratur? Qui norit, quantum vaporis requiratur ad vnum cyathum aquæ efficiendum, mirabitur ſanè tantum vaporum reponi poſſe, quantum ſatis ſit ad tanta diluuia, quanta Nili ſunt, producenda. Nolo ergo prolixior eſſe in hac opinione confutanda, quam quiuis cernere poteſt, & rationi & experimentis aduerſari. Condonabit verò generoſiſſimus vir, ſi non magis ipſi, quàm ipſe Fracaſtorio, aſſentiar. Nam libertatem ſententiæ nemo cuiquam in re litteraria vel ademit vnquam, vel adimere debet. Nos adeò hanc mordicus retinendam putamus, vt ne ipſi quidem Ariſtoteli, magiſtro noſtro, parcamus, ſicubi aliud ratio, aliud Ariſtoteles, poſtulare videatur. Hunc igitur dicimus non rectè Homeri ſententiam examinaſſe, qua Pharum inſulam eſſe cantarat. Longè enim diuiniora ſenſa deſcriptio hæc Aegypti occultabat, quæ ab illo demum erui poſſunt, qui Protei analyſin ſit conſecutus. Admiremur ergo poëtæ ingenium, qui paucis fabulis totam methodum veritatis in- *Homeri ingenium admirabile.*

quirendæ depinxit: & præterea Nili incrementum ad pluuias retulit; & Hecatombis ſuis tempus inundationis, & feſtos, lætosque dies, indicauit: & vnius diei nauigatione Memphim, Thonis regiam, apertè dedit intelligendam; non Thebas, quæ multo longiùs à Pharo diſtabant. Non ſimplex igitur hic error fuit Ariſtotelis; ſed talis, vt multa contra Homeri mentem ſequerentur. Nihil ergo fecerunt, quotquot ex hoc loco Phari ab Aegypto diſtantiam ſunt ratiocinati. Porrò Ariſtotelem tam valido præſidio, quale videri voluit, deſtitutum, aliter aggrediamur, & demus illi, hactenus verum eſſe, quod dixit, ab Homeri tempore, vel, ſi mauis, à Menelai in Aegyptum appulſu, tantum factum eſſe mutationis. Quòd ſi tanta inter illos annos facta eſt commutatio; quantam par eſt contigiſſe ab Ariſtotelis ætate ad hanc noſtram, interuallo mille nongentorum annorum? Certè duorum vt minimum dierum nauigatione intra Aegyptum Pharus contineretur. At, cùm nunc Pharus & Alexandria eodem adhuc ſtent à mari & terris interſtitio, quo tum ſtetiſſe narrantur; non poteſt non falſiſſima eſſe magiſtri noſtri perſuaſio. Cùm ergo de tam exigui temporis obſeruatione, quantam ſua ætate ab hiſtorica fide accipere potuerat, argumentum duxerit, ad docendam maris & terrarum perpetuam viciſſitudinem; ita vt quod nunc mare eſt, terra aliquando euadat habitanda: & contrà, quod terra nunc eſt, mari olim ſit cooperiendum; quæ primo libro Meteororum latè perſequitur: tentandum eſt nobis, an præceptoris ductu ex obſeruatione multo longiore, aliquid etiam conſequi poſſimus, quod illi queat opponi. Agedum igitur; in quo nihil mutatum eſt ſpacio bis mille annorum, ante quos vixit Herodotus; ne in viginti quidem millibus annorum in eo quicquam eſt mutandum. Nam, ſi quicquam mutandum eſſet, oporteret iam decimam eius mutationis partem eſſe tranſactam, cùm decima pars temporis ſit elapſa. At nihil mutatum eſt: nulla igitur mutatio expectanda; atque tantò minùs expectanda, quod ne in illis quidem quicquam eſt mutatum, in quibus plurimum mutationis expectabatur. Aegyptus eadem eſt, quod ad maris quidem terrarumque diſtinctionem ſpectat: eadem etiam Nili inundatio: idem Phari Alexandriæque ſitus: eadem nitri abundantia; quod, ſi à mari reliquum fuiſſet, tot certè annorum curriculis eſſet abſumptum. Non dubito quin Proteus Ariſtotelis vaticinium deriſerit, tam temerè oraculum maris occupantis. Vtrumque igitur, & hunc meum præceptorem, & Polybium, iubeo dormire in vtramque aurem, ſecuros omnino eiuſmodi commutationum. Idem nunc Tanais eſt, qui olim fuit; & tamen è planitie

tie fluit; quæ, si Aristotelis sententia valuisset, iam olim esset exsiccata. Multò certiùs exsiccatum iri & fluuium & Mœotidem asseuerassent, si è locis planis aquam eò corriuari sciuissent. Somniabant illi Riphæos montes, quorum tamen niuibus & aquis non tantùm fidebant, quin metuerent, ne quando Mœotis exaresceret; atque ipse etiam Pontus in idem discrimẽ veniret. Eadem est hactenus in Ponto nauium magnitudo: eadem nauigandi facilitas; adeò vt ipsi Ianuenses Capham aliquãdiu in Cimmeriis angustiis tenuerint, quam nunc Turca vnà cum reliquis deuorauit. Eiusdem vanitatis tot seculorum exacta volumina oraculum illud conuincunt, quod apud Strabonem est, de Pyramo editum:

„ Ἔσσεται ἐσσομένοις ὅτε Πύραμος εὐρυοδίνης
„ Ἠϊόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται. *id est,*
„ *Posteritas cernet, cùm vortice Pyramus altam*
„ *Illuuiem infundens, coniunget litora Cypro.*

Quod tamẽ sic Straboni placuit, vt Herodotũ laudaret, qui Aegyptum Nili donũ esse pronuntiasset. Aristoteli tamen eò cogor esse æquior, quòd à Platone sit deceptus. Si enim verũ fuisset, in Atlantico Oceano insulã, Libya & Asia maiorẽ, absorptam fuisse; quid nõ mutationũ exspectandũ fuisset? Summersa est regio, Asia & Libya maior; quantulũ, rogo, erit momẽti in Europa, si eadem edacitas fauces semel aperuerit? Nec verò, vti fabulã, Plato historiam eam recitauerat; nec vti fabulã, Aristoteles acceperat, vt ex eo perspicuum est, quòd Oceanum Atlanticum nauigationi ineptũ esse dicat, putans insulam summersam breuiũ & vadosi maris causas dedisse. Quæ enim alia ad hoc eum causa impulisset, vt maria extra Herculis columnas breuia esse diceret propter lutum; nisi id, quod à Platone acceperat, verum esse credidisset? cuius hæc in Timæo inter cetera legerat verba:

Ἥ τε Ατλαντὶς νῆσος, ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα ἠφανίσθη. διὸ καὶ νῦν ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τοὐκεῖ πέλαγος, πηλοῦ κατὰ βραχέος ἐμποδὼν ὀντὸς ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο. *id est,*

Similiter & Atlantis insula, mari summersa, disparuit. Qua de causa hactenus etiam mare illud nec nauigari; nec tentari, inquiriq́ue potest, ob lutum, quod insula subsidens reliquit; quo breue mare, & minimè profundum, redditum est. Minimè igitur Aristoteles præceptoris sui narrationem fabulæ loco habuit. Quò magis mirandi sunt, qui poëticã quandam fictionẽ existimarunt. Neque verò solus Aristoteles; sed Crantor etiã, primus Platonis interpres, in hac fuit opinione. Verùm nos partim veram, partim falsam narrationem esse,

esse, de temporis beneficio didicimus; quod tandem in lucem profert veritatem. Certè is, qui mirabilium auditionum auctor est, mare illud non nauigari tantùm asseruit; sed à Carthaginiensibus insulam etiam in eo inuentam esse dicit; solitariam illam quidem, sed quę & omnis generis materiam ferret, & flumina etiam nauigabilia haberet, atque fructuum prouentu esset admirabilis; longa tamen, & multorum dierum nauigatione ab Africa remotam esse. Quocirca, cùm Aristoteli, mare illud vadosum & cœni breuitate nauigationis minimè capax esse tradẽti, ex diametro repugnet; nequaquam credo mirabiles has auditiones eius esse fœtum, è quibus alioquin ea, quæ in Meteoris scripserat, emendare potuisset. Diodorus Siculus diligẽtissimus historiæ scriptor, & omnium antiquitatum auidissimus, (vt sic dicã) helluo, insignis magnitudinis insulam extra columnas Herculis in Oceano versus Occasum iacere scripsit; sed à Libya multorũ dierum continuata velificatione distantem. In ea montana, & campestria esse flumina nauium capacia; hortos fructuum varietate & suauitate, dulcibus aquis, æstiuis vmbraculis & secessibus, omni denique deliciarum genere, tum de naturæ dotibus, tum de humana industria, ornatissimos: venationes omnis generis ferarum, necnon piscationes habere copiosissimas: in summa, nõ hominum, sed deorum, domicilium videri, ob beatissimam omnium rerum copiam, vel ad firmam corporis valetudinem perpetuò conseruandam, vel ad vitam delicatam & voluptariam sequendam, conducentium. Hanc à priscis propter longinquitatem, qua ab orbe nostro distat, inuentã nõ fuisse, pòst à Phœnicibus, omnia maria, omnes terras, tum intra, tum extra Herculeum fretum vtroque latere scrutãtibus, inuentam esse; non proposito suo, suaque sponte, sed ventorũ vi, plurium dierũ spacio durante, in eam appulsis. Tyrrhenos igitur, qui tum plurimũ in mari poterant, fama regionis illectos, coloniam eò deducere molitos esse, verùm Carthaginienses obstitisse; partim ne ciues sui eò cõmigrarent; partim, vt si qua irreparabilis clades ciuitati infligeretur, haberent refugium, in quo locorũ ignorantia à potentiorum vi sua tuerentur. Hæc Diodori narratio de antiquioribus, Platone & Aristotele, fuit petita, propterea quòd coniunctam eam cernamus cum vetusto illo Phœnicum per Occidentis plagas discursu, & Tyrrhenorum antiquissima illa maritima dominatione. Mirari igitur liceret, quî in illam ventum sit posteriùs opinionem, vt clarissima duo philosophiæ lumina Oceanum Atlanticum nauigari posse non arbitrarentur, nisi Plato Ægyptios testes denunciasset. Sed hanc veterum auctorũ controuersiam, patrum nostrorũ ætas omninò sustulit,

orbem

orbem nobis nouum pro insula aperiens, cuius immensa ab vno polo ad alterum spacia necdum sunt penitus explorata, semper se noua aliqua regione prodente. Non igitur vanum omnino fuit, quod ab Aegyptiis didicerat Plato de insulæ magnitudine, sed illud vanum, quòd Herculis freto propinqua prius esset, atque deinde summersa. Quocirca cùm veterum testimonio & ætatis nostræ nimis certa notitia, vtpote quæ noxæ nobis plus attulerit, quàm vtilitatis, constare videamus regionem illam, quam Atlantida Plato nominauit, nunquam absorptam fuisse; consequens est ne ab hoc quidem exemplo Aristotelem iuuari, quo maris terrarumque monstrosam suam permutationem defendat. Quamobrem contrà, pro illius instabili & absurda naturæ inconstantia audacter inducimus, perpetuam & æternam horum duorum elementorum constantiam & firmitatem, nullo seculorum æuo labefactandã. Hanc tamen non ita ad amussim intelligimus, vt non minimis particulis aliquantulum variationis accidere posse cõfiteamur. Quis enim nescit nouum circa Neapolim montem, quis pagorum aliquot siue villarum apud Dordracum submersionem? alueorum ostiorumque Rheni quasdam mutationes? & alia id genus multa? Sed hæc omnia tã sunt minuta, vt ad totam terram comparata nullam habeant rationem magnitudinis. Si tota Hollandia, vel tota Zelandia, vel tota Flandria, vel tota Brabantia, periisset, aliquid saltem videri potuisset immutatum esse, quamuis & hæ regiones singulæ admodum sint exiguæ, si terrarum spacia, non opidorũ numerum, metiamur. At tale nihil ab omni historiarũ memoria in his regionibus accidit, non magis quàm in Aegypto, cui cõparabatur; vt nihil mihi amplius obstare videam, quò minus in antiquitatis nostræ monumentis inuestigandis bono animo pergam, securus, quid deinde obganniant, præsidio omni, cui fidebant, de arce deturbato. Verùm adhuc audio musitari, & duo adferri progressus mei impedimenta: alterum, de vetusta Cimbrorum commigratione, qui dicuntur inundationibus pulsi fuisse: alterum de quotidianis prope harum regionum diluuiis, quibus videtur effici, non absurdam fuisse, Aristotelis opinionem. Leuius est vtrumque, quàm quod nos morari debeat, cùm Cimbri inundationum tædio potiùs frequentium, quàm necessitate aliqua ob integram regionem summersam, sedes suas reliquerint, & mare apud nos particulas duntaxat abradat, easdem vel eodem loco, vel alibi rursus repositurum. Atque adeo hoc ipsum est, quod contendo, perpetuum hoc ab omni memoria regioni nostræ fuisse, vt modò mare aliquid adimeret, modò terra mare protruderet; atque ita hanc particularum

Maris & terræ perpetua constantia.

Cimbri cur sedes suas reliquerint.

exiguarum permutationem,eandem ſemper regionis naturam conſeruaſſe. Quod ſi hoc nunc accideret,olim non accidiſſet; poſſemus dicere mutationis aliquid euenire. At,ſi æquè olim atque nunc res ita habuit; quid dicemus in eo variatum eſſe, in quo eadem ſemper manet pugna, modò aquis, modò terris, ſtatuentibus trophæum? Neque enim nouum hoc nobis eſt cum Oceano bellum, aut nuper exortum. Maiores noſtri Cimbri,qui ab exitu Rheni ad Albim vſque litora tenebant, (vt Strabo docet) eiſdem moleſtiis fuerunt olim exercitati. Exitus autem Rheni, ne quis eum à nobis longè abeſſe putet, idem eſt cum Scaldis & Moſæ exitu, ad fines Ambiuaritorum, qua Zelandiam Hollandiamque ſpectant. Atque ex eo fit, vt, quod Cimbris tribuitur, Gallis ab aliis adſcribatur: quoniam citeriorem etiam Rheni ripam ad Oceanum occupaſſent. Docendum igitur eundem olim harum regionum habitũ fuiſſe, qui nunc eſt; quo nihil noui nunc euenire conuincatur. Ephorus, Iſocratis diſcipulus, in Cuma natus Aſiatica,qui,fabulis omiſſis,ab Heraclidarum deſcenſu hiſtoriam inchoauit,grauis in primis auctor,Cimbros prodidit plus calamitatis ab vndis accipere, quàm ab armis. Clitarchus, vnus de vetuſtiſsimis hiſtoriæ ſcriptoribus,in libris reliquit,tam ſubitis inundationibus Cimbros aliquando inuadi, vix vt celerrimis & admiſsis equis aquas euadant. His tamen auctoribus accepimus, tantam eſſe huius gentis audaciam, vt, quo loco non ita pridem ab vndis domicilia abſorpta ſunt, eodem rurſus ædificent: nec id ſolum, ſed quod fidem ſuperare omnem videtur,arma etiam aduerſus rabidos Oceani fluctus ſumant. Tandem verò magnam eorum multitudinem, inſolita quadam inundatione irritatam,indignabundo conſilio patriam reliquiſſe. Hæc cùm apud antiquiſsimos hos viros Poſidonius legiſſet,non falſa modò,ſed inepta etiam mendacia, eſſe iudicauit; abſurdum eſſe dicens, homines mari aſſuetos tam ſtupidos fuiſſe, vt non poſſent deprehẽdere,ſi non ex vno quotidiano fluxu, ſaltem è duobus, perpetuum hoc eſſe ac naturale maris incrementum, non ipſis magis,quàm omnibus Oceani accolis,timendum. Poſidonium ducem ſequitur Strabo, condemnatis Ephoro & Clitarcho; ſed cauſa minimè bono examine diſcuſſa. Nam ridiculũ eſt,& plus quàm puerile,dum dicuntur Cimbri domos reædificare,quo loco antè aquarũ impetu fuerunt euerſæ,ſermonẽ ſic accipere,quaſi hoc ſignificaretur, bis ſingulis diebus, quoties æſtus affluit, domos ſubuerti,& bis rurſus,quoties mare defluit,ab ipſis erigi. Quod niſi ita Poſidonius narrationẽ accepit,veterator eſt,dũ inundationũ incommoda ad quotidianos acceſſus refert. Si ſic exiſtimauit,inſigniter ſtupidã cogitationem

nem attulit,ad ſcripta aliorũ intelligẽda. Debebat ſaltem eam habere opinionẽ,neminẽ tam ſtolidũ eſſe,qui velit audire,nedũ ſcriptis mãdare,eſſe quoſdã,qui ſpacio ſex horarũ domos ædificent, mox,proximo maris affluxu,diruendas. Satis etiã moneri potuit,nõ de ordinario maris fluxu egregios illos viros ſcripſiſſe; eò quòd dicerent inſolenti quadã inundatione victos è patria migraſſe. Miror equidem Strabonem tam ſupino iudicio hanc Poſidonij velitationem inſpexiſſe,vt non videret nihil contra priores illos dici, præter frigidas & inanes nugas. Videntur illa quidem ſtupenda, arma contra mare ſumi; ſed ſtuporem facit rerum, de quibus agitur,ignoratio. Sic Aelianus,libro variæ hiſtorię duodecimo,Celtas ait maris inundantis impetum ſuſtinere, & contra vndas gladios euaginatos & haſtas vibrare, quaſi verò Oceanum vel terrere, vel vulnerare poſſent. Audiuerant nimirum aut legerant bellum cum vndis à Celtis & Cimbris geri, atque arma capi; ſed ignorabant quodnam illud & quale bellum eſſet, ac quibus armis gereretur. Si non perpetua hiſce regionibus huius belli neceſſitas incumberet, immenſis ſumptibus toleranda, beati eſſent ter & ampliùs, quotquot maris ſunt vicini. Sed arbitror à Deo Optimo Maximo hoc frenum hiſce populis iniectũ eſſe, ne nimia rerum affluentia luxuriantes, perpetuis compotationibus, & ceteris vitiis, immorerentur, à quibus ne ſic quidem multum recedunt. Veriſimum igitur eſt, quod Ephorus tradidit, plus damni à mari, quàm ab hoſtibus adferri. Nullus annus abit tam pacatus & quietus, vt non centum ferè aureorum millia impendantur Oceani fluctibus oppugnandis. Annus proximè elapſus tantis tempeſtatibus in aggeres ſæuiit, vt vbique impenſarum ratio longè ſolitum exceſſerit. Nec inſolens illa maris exæſtuatio damnũ modò prę-ſens dedit,ſed maius etiam portendiſſe videtur. Neque enim,quamuis magna eſſet iactura, quam tum fecêre hæ regiones,ad illas tamen clades,quas poſt ex vndis opinionum & procellis concionatorũ perpeſſi ſumus,poteſt comparari. Hominum indoctorum ingenia dum malignis ſpiritibus impulſa,rationis limites perrumpunt,multò crudeliùs, quàm vlla vis vndarum, communem tranquillitatem atque felicem Reip.ſtatũ perturbant ac euertunt. Fuit igitur & mare nobis vates,ſed talis vates,qualem Agamemnon Calchantem vocat. Cetertùm, quamuis iam olim ab Ephori ætate hoc bellũ geratur; fines tamen regionis antiqui tam parũ ſunt immutati,vt à tempore Gallieni Weſtcapelum terminus manſerit regionis noſtræ extremus ad Occidentem,quamuis vetus Herculis fanum ſit ſummerſum; ſic tamẽ,vt hactenus in litore cernatur: de quo quia paulò priùs dixi, nihil amplius

Indoctorũ hominum ingenia.

plius addendum. Extat etiamnum armamentarium Romanorum in Hollandiæ litore, ad pagum Cattorum, Cattwijc vulgò nominatũ, ea parte qua Rhenus ſolet modico, vt Plinius dicit, alueo in mare effundi. Hinc Cattorũ duo vici diuerſa nomina traxerunt; alter à Rheno, cui adiacet; alter, qui multo hac noſtra tẽpeſtate maior eſt, à mari ſortitus agnomen. Proximus inde pagus, antiquo Rheno impoſitus, Wijnſburg, id eſt, arx Rheni, vocatur, certo indicio flumen hâc olim Oceanũ petere ſolere. Quòd verò oſtium hoc poſterius ſit occluſum, id credibile eſt hominũ induſtria accidiſſe, qui vidêre fortaſſe, quãto periculo mare hac parte admitteretur. Diuerſis enim foſſis hęc amnis pars eſt diſtracta, & pręcipuus alueus in Moſæ eo oſtio, quod ad Septentrionẽ magis vergit, & aquas & nomen deponit. Fieri etiam potuit, vt flumine, variis canalibus ad nauigationis commoditatem diſtributo, & ferè exhauſto, mare altiùs intumeſcens arenarum tantum vadoſo & exili oſtio ingeſſerit, vt omnis aquæ exitus hac parte excluderetur. Vtrouis certè modo res habeat, tutius fuit litus hoc Oceano oppoſitum occluſum habere. Quo fit, vt pronior ſim in eam partem, qua dicitur hominum ſtudio id contigiſſe. Plinius, diligentiſsimus perſcrutator Germaniæ inferioris, hunc alueum modicum dixit; in quo tamen Rhenus nomen ſuum duntaxat retineret. Tacitus, velut indignum hoc oſtium eſſet commemoratu, duo ſolùm nominauit. Nam Rhenus (inquit) vno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Batani, velut in duos amnes diuiditur, ſeruatque nomen & violentiam curſus, quâ Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verſo cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur. Meliùs profectò Plinius de medio alueo, in quo Rheni nomen remanſit. ſed de duorum oſtiorum nominibus, Helio & Fleuo, ſcrupulum iniecit, quorũ nuſquam in tota regione memoria vlla antiqua extat. quod inde credo accidiſſe, quòd Druſus, ducta foſſa, Rhenum auerterit: quod opus tribus & ſexaginta pòſt annis Paulinus Pompeius tandem abſoluit. atque ita hactenus idem alueus ſeruatur ſub Iſulæ nomine, propterea quòd Iſulam è locis ſuperioribus influentem accipiat, altera nomenclatura penitùs obliterata. Ad medium igitur hoc oſtium Romani armamentarium extruxerunt, quod Imperator Septimius Seuerus, & M. Aurelius Antoninus, reſtituerunt, vt inſcriptio vetuſti lapidis, anno milleſimo, quingenteſimo, viceſimo hîc inuenti, demonſtrat: cui & altera, eodem tempore detecta, accedit.

Eodem

Eodem anno fundamenta totius arcis, eluuione vndarum detecta, apparuerunt, arenis, quibus sepulta iacent, Oceani impetu remotis. Nam totum illud litus arenarum tumulis tegitur, & aduersus vndas munitur, qui maris impulsui aliquando nonnihil cedunt; sed ita vt ab illo tempore, quo primùm arx facta est, idem sit litoris limes, & eadem arcis à mari distantia: quæ satis docet, quid sit de illa maris terræque permutatione cogitandum, si à Seueri ætate ne tantillum quidem, quantulum notari possit, sit immutatum; cùm tamen, ob amnis in alias partes deriuationem; non absurdum fuisset, nonnihil litori decreuisse; eò quòd flumina limum inferre, ac terras augere dicantur. Nulli ferè termini mutationibus magis videntur obnoxij, quàm ij, qui sabulosis tumulis, contra quos & ventus & mare perpetuò insurgit, continentur. Quò ergo admirabilis constantiæ exemplum clarius cernatur, oculis subiiciam totius arcis ichnographiam: quæ quadrata cùm sit, propugnaculis semicircularibus in medio murorum, & angulis procurrentibus singula latera viginti virgis nostratibus, quæ quadraginta faciunt decempedas, exporrigit. Intra hæc, duo præterea quadrata, eadem murorum crassitudine & firmitate continentur, quorum interius, muro per medium ducto, duo quadrangula complectitur. Lapides singuli, quaternos pedes longi, ternos alti, ex eo genere sunt, qui Suissteeney nostratibus vocantur, candidi & molles; sed in vliginoso solo conseruaturi fundamentorum æternitatem. Anno quinquagesimo secundo vltra millesimum & quingentesimum extracti sunt non pauciores quadraginta, præter alia innumera vetustatis monumenta; in quibus numismata aurea, argentea, & ærea, & plurima vasculorum artis Samiæ fragmenta; tum etiam quadrati lapides, octo pollicum latera habentes, ad pauimenta sternenda, & imbrices tredecim pollicum longitudine ex opere figulino laudatissimo, cum inscriptione: EX GER. INF. Vocatur autem arx hæc vulgo Thuis te Britteŋ. quod nomen à Britannia inditum esse, propterea quòd è regione procul iaceret, plerisque placet. Mihi potius videtur ex Vrittend Britteŋ natum esse, quo significatur arx fines liberos seruans. Nam Vrit idem est quod liberum facit. End verò est finis, cui articulus præpositus syncoptôs tend facit. Vrittend ergo domus vocatur, quę limitem liberũ seruat, voce nõ à Romanis, sed Germanis imposita, quibus moris semper fuit à finis notione nomina fabricari. Quãuis enim armamentarium communi nomine Romani nominarent; Germani tamen, in vocabulis componendis feliciores, ab vsu & fine præcipuo nuncupare maluerunt. Quorsum enim armorum custodia,

Termini qui magis mutationibus obnoxij.

Arcis Britten descriptio.

nisi ad id, quo limes hic ad Oceanum, ab hostilibus irruptionibus liber atque tutus esset? V autẽ consonantem in Beta transire in illis est, quæ frequentissimè posterioribus Romanis acciderunt. Verùm ne citra vtilitatem de nomine Britteŋ disputauero, adiiciam appendicem non contemnendam, qua & opinionem meam confirmabo, & Plinium à dubitatione quadam eximam. Qua de causa non dubito (si reuiuisceret) quin gratias mihi maximas acturus esset. Adscribam itaque primùm eius verba, mox deinde lucem illaturus. In Germania (inquit) trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, solus: qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur: Stomacacen medici vocabant, & scelotyrben ea mala. Reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britannica, non neruis modò & oris malis salutaris; sed contra anginas quoque & serpentes. Folia habet oblonga, nigra; radicem nigram. Succus eius exprimitur & è radice. Florem vibones vocant, qui collectus priùs, quàm tonitrua audiantur, & deuoratus, securos in totum reddit. Frisij, qua castra erant, nostris demonstrauere illam: mirorque nominis causam, nisi fortè confines Oceano Britanniæ, velut propinquæ, dicauêre. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima nasceretur, certum est, etiam tum Britannia libera. Fuit quidem & hic quondam ambitus, nominibus suis eas adoptandi, vt docebimus fecisse reges, vt res tanta debeatur, herbam inuenire, vitam iuuare, nunc fortassis aliquibus curam nostram friuolam quoque existimaturis: adeo deliciis sordent etiam, quæ ad salutem pertinent. Hæc Plinius. Stomacace & scelotyrbe symptomata sunt sæuissima eius morbi, quem nos Scorbuc vocamus, à Græcis medicis, exercitum ad curandum secutis, tum primum (vt existimo) nomenclaturas has sortita; eò quòd os & gingiuas malignis vlceribus, & plus quàm Chironiis, depopulentur; & pedum tendines & ligamenta ita soluant, vt pedes, veluti fasciolę, pendere nonnunquam videantur. Plerumque tamen à radicibus dentium corruptus, & ater sanguinis mucor principio gingiuas inuadit, atque hinc malum, nisi curetur, latius serpit. Sed nos hîc de morbo, & eius causis & symptomatis, non amplius, alibi fortassis. Hîc hoc agimus, vt intelligatur, qua causa herba, ad mali huius curationem inuenta, Britannica nominetur; in quo Plinius laborauit. Breuiter igitur respondeo & citra ambages, herbam ita à Frisiis vocatam, quòd dentes ab eiusmodi tabe liberaret. Vri enim, si nomen sit, idẽ est, quod liber; si verbum, idem quod libero. Sed Græci v consonantem in Beta suum mutarunt; eò quòd hæc Latinorum consonans peculia-

Britannicæ descriptio, & nominis ratio.

Stomacace quid.

culiarem ſibi in Græcia figuram non haberet;ſed, ſi quando transferenda eſſet,per Beta notaretur; quamuis aliqui imperitiùs loco conſonantis huius Latinæ Græcam diphthongum ſcripſerint. De qua re alibi plura. Latini etiam, neſcio quorum impulſu, poſterioribus temporibus pro v cõſonante frequenter Beta pronunciarunt, quod hactenus Hiſpani frequenter obſeruant, pro *viuere*, *bibere*, & pro *vino*, *bino* (non citra riſum eorum, qui Græcè ſciunt)dicentes. Pro Vri ergo Bri in vſum venit. Tant autẽ dentem nobis ſignat,adeò vt Vritant, vel Tau vltimo reiecto, vt crebrò fit, Vritan, nihil aliud ſit,quàm libero dentem; vel Vritandeu & Vritanneu libero dentes.Latini igitur ſignificationis huius ignari Britannicam appellarunt,opinati fortè à Britannis in nominis communionem adoptatam fuiſſe.Quæautem hæc ſit herba,quam Plinius deſcribit, ego primus mihi videor inueniſſe, ſicut & primus nominis inueni interpretationem,quam plurimis deinde communicaui. Neque enim ea qua nunc ferè ad morbi huius curationem in Friſia & Hollandia vtuntur, ſub Cochleariæ nomine, de ſimilitudine facto, dici poteſt; propterea quòd deſcriptio prorſus repugnet, folia longa & radicem nigram adſcribens, cùm huic folia rotunda ſint & concaua ad modum acetabulorum,ſiue potius ligularum;tum radices nihil minùs, quàm nigræ. Deinde nec anginis opitulatur Cochlearia, nec vires contra ſerpentes habet peculiares, neque vim quoque aſtringendi, qua pollere Britannicam Dioſcorides tradit. Errauit igitur Plinius alio loco,vbi citra hæſitationem de nomine aſſeruit Britannicam ex Oceani inſulis,extra terras poſitis,afferri.Sed de Britannica alibi copioſius. Sicut ergo Britannica è Vritanica, ſic Britten ex Vritend eſt corruptum ab iis, qui ſignificatum & originationem non agnouerunt. Videmus hîc, quàm non ſit eiuſmodi ſubtilius vocum examen negligendum, vtpote de quo non pænitenda rerum cognitio exiſtat. Sed ſunt quidam tam nauſeabundi & delicatuli, vt linguæ noſtræ vernaculæ ferè pudere ſoleat; è qua tamen plus myſteriorum (ſi Deus adſpiret)enucleabo,quàm vel Latina,vel Græca,adde etiam Hebræa,comprehendat. Nunc ad propoſitum. Idem terminus à Seueri & ſuperiorum aliquot Imperatorum ætate hoc loco manſit,qui nunc eſſe cernitur. Idem terminus apud Weſtcapelanos,exigua parte per negligentiam eorum, qui aggeribus præfecti, bellum contra vndas gerunt,deraſa. Idem ſitus Phari in Aegypto ab Ariſtotelis,atque adeò ab ipſius Homeri, ætate, ſi (vt nos expoſuimus) intelligatur. Idem bellum nobis contra Oceanum ab eo tempore, quo Ephorus hiſtoriam ſuam ſcripſit. Quid igitur eſt immutatum? Nihil ſanè,niſi

Cochleariam non eſſe Britannicam.

quod

quòd dubio Marte contra hoſtem perpetuum pugnetur, aliquando aquis, aliquando hominibus, vincentibus. Et, ſi quid pereat, id plerumque negligentia perit, aliquando etiam malignitate: vti circa Dordracum & Bergas contigiſſe de auorum relatu accepimus: vbi quidam, vt vicino damnum daret, aggerem dicitur perfodiſſe; qua occaſione, quamuis exigua, pagi ſiue vici circiter ſeptuaginta ſunt abſorpti. Quibus in locis terra rurſus paulatim emergit, à nepotibus noſtris fortaſſis tota recuperanda. Hoc ergo in hac regione perpetuum fuit, bellum cõtra Oceanum geri, & modò particulas quaſdam ſubmergi, modò rurſus exiſtere. Quocirca eadem ratione hîc antiquitatem quæro, qua in Ægypto à priſcis eſt quæſita. Quod dum facio, Strabonem, cum duce ſuo Poſidonio, ridiculum hoc loco fuiſſe demonſtro; & errores alios non paucos hominum animis euello, quos graues auctores, alius alium cæco iudicio ſecuti, ſeuerunt. Deinde & illud feci, vt Chriſtianorum de mundo hiſtoria vera; contrà Ariſtotelis, de æternitate mundi, deque perpetua maris terræque permutatione, falſa oſtenderetur. Nos enim fatemur terras & maria ſic nunc habere, vt Deus ea creauit; atque ita permanſura tantiſper, dum is, qui compegit ea, vel diſſoluat, vel aliter diſponat. Porrò, ne diutius hîc hæreamus, idem de noſtra hac regione cenſeo, quod de Ægypto antè concluſi, nihil hîc mutatum iri, vbi ab Ephori ætate nihil mutatum eſſe monſtraui. Verùm inſignis illa & omnium maxima inundatio, cuius inſolentia regionem Cimbri deſeruerunt, (vti litteris proditum eſt) neſcio quo tempore dicenda ſit accidiſſe: atque ne hoc quidem ſcio, an omninò verum ſit, ob diluuium aliquod patrias ſedes reliquiſſe. Si tamen poſt Noë diluuium particulare aliquod his in regionibus fuerit, id facilè crediderim multò ante Ephori ætatem accidiſſe; atque eò arbores, inferioribus locis natas, vno impetu omnes procubuiſſe, illudque, vti cetera, ſtatim tempeſtate ventorũ ceſſante, deſiiſſe, & loca hominibus libera rurſus reliquiſſe; nuda tamẽ arboribus maxima ex parte: vt non abſurdum ſit credere, homines, triſti facie vaſtitatis permotos, quiduis maluiſſe attentare, quàm rurſus ſimilem inundationem experiri. Hæc tamen commigratio non ea eſſe potuit, qua in Galliam irruperunt, quam multò pòſt factam eſſe in proceſſu docebo. Cùm igitur de tempore certo nihil cõſtare ex hiſtoriis queat, conſideremus maximæ cuiuſdam inundationis reliquias, quæ non paucos viros eruditos exercuerunt. In tota hac camporum latitudine, quæ Moſæ Scaldique interiacet, Ambiuaritorum, Teſſandrorumque, & aliquot aliorum, regiones complexa, multa loca ſunt humi-

Malignitas cuiuſdam inſignis.

Cimbrorum cõmigrationis tempus incertum.

humilia, in quibus infinita vis arborum ſub terra continetur, collapſarum (vt videtur) impulſu eius venti, qui nobis inter Auſtrum & Zephyrum medius collocatur. Omnium enim cacumina ad mediam Orientis & Septentrionis regionem procubuiſſe cernuntur. Inter has cùm omnis generis ſint, tum illarum, quæ coniferæ ſunt, maximum eſt miraculum: propterea quòd & plurimæ & longiſſimæ alta ſub humo iaceant; nullæ tamen hac noſtra ætate in totis illis campis creſcere videantur. Petrus Nannius in libris Συμμικτῶν, eos falli putat, qui in hac noſtra camporum planitie ſiluas fuiſſe, atque earum tempeſtatibus euerſarum hæc loca ſepulcra eſſe arbitrantur, ductus ratione docta illa quidem & litterata, vt quæ de Plinij theſauris eſt deprompta, ſed quæ & ipſa non parum ſit relictura controuerſiarũ. Is enim naturalis Hiſtoriæ libro decimo ſexto, ſtatim iu principio, gentem quandam Cauchorũ deſcribit, in nudo litore commorantem, quæ tumulis altis caſas imponit, ne maris affluxu ſubmergatur, & quò fugientes cum mari piſces circa tuguria venentur. Huic narrationi ſubtexit. Aliud è ſiluis miraculum: totam reliquam Germaniam replent, adduntque frigori vmbras; altiſſimæ tamen haud procul ſupradictis Cauchis, circa duos præcipuè lacus. Litora ipſa obtinent quercus maxima auiditate naſcendi, ſuffoſſæque fluctibus, aut propulſæ flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferunt; atque ita libratæ ſtantes nauigant ingentium ramorum armamentis; ſæpè territis claſsibus noſtris, cùm velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopesque remedij illæ, prœlium nauale aduerſus arbores inirent. In his Plinij verbis Nannius, neſcio emendarítne an potiùs corruperit illa. In proras ſtantium noctu: pro quibus legit, & in proſpectu ſtantes, inopesque remedij, prœlium nauale aduerſus arbores inirent. Vbi, præter dictiones mutatas arbitrio ſuo, vnam etiam omiſit, pronomen Illæ, ſatis ſuperque indicans, ſe Plinij elegans acumen non intellexiſſe. Plinius enim propriè locutus, arbores has in proras claſſium noctu ſtantiũ agi. Statio enim nauibus propriè tribuitur, cũ in ſinibus litorũ quieſcunt; quę (vt Seruius docet) portus eſt tẽporalis: cùm portus ſit, in quo hiemare naues poſſunt. Sic Virg.

„ *Nunc tantùm ſinus, & ſtatio malefida carinis.* Et alibi:

„ *Frangere nec tali puppim ſtatione recuſo.*

Locus Plinij explicatus.

Stabant igitur noctu claſſes, in quas arbores inuehebantur, atque illæ contra arbores prœlium nauale parabant. Monendum hoc mihi fuit; non quò Nannium mortuum caſtigem, ſed ne quis eius auctoritate, quæ apud noſtrates non eſt contemnenda, locum

hunc aliter ſcribat. Eiuſmodi enim occaſiones fœdiſſima ſæpe vulnera vetuſtis ſcriptoribus inflixerunt, dum quiſque ad ſenſum ſuum auctorum verba detorquet. Iam igitur ad rem. Nannius, quo ſententiam ſuam probabiliorem redderet, artificioſa ſe præfatione hominum animis inſinuauit, dicens, Plinium hoc loco tradere, Romanos, dum circa Batauiam agerent, procul quaſi ingentem hoſtium claſſem vidiſſe, cui dum occurrerent conflicturi, non in aciem hoſtilem, ſed in arbores, vnà cum inſulis natantes, incidiſſe, quæ ad proxima quæque litora rapiebantur. Agnoſco ſanè bonum hîc oratorem: ſed neſcio quàm verum hiſtoriographum. Vbinam rogo Plinius Romanos circa Batauiam egiſſe tum narrat, cùm arbores hæ in proras agerentur? Nunc video qua de cauſa dixeris: In proſpectu ſtantes, longè ſcilicet Romani è ſinu aliquo circa Batauiam arbores videbant, ſupra Cauchorum fines. Non malè, ita me Muſæ ament, Romanos Argonautis nulla re inferiores fuiſſe arbitratur. Neque igitur illis Lynceus defuit, qui è Batauia vltra Friſiam, vltra Cauchos minores & maiores, arbores nauigantes videret, & ad arma conclamaret. Hæ igitur arbores, nihil metuentes claſſes Romanorum, in Batauiam appulerunt: atque illic (miſerabile viſu) omnes vno caſu procubuêre. Aueo ſanè diſcere, quo vento impulſæ è lacubus illis, ſiue litoribus, ſupra Cauchos deſcriptis, in Hollandiam ſint deuectæ. Verùm, ne de Hollandia percontando, aliena videar interrogaſſe, de mea potiùs patria quæram, Quo tandem vento arborum tantam copiam in Campeſtrem noſtram Brabantiam, è Cauchorum vſque ſuperiore limite dicat appuliſſe, præteruectas tot inſulas, tot ſinus ampliſſimos, tot oſtia fluminum, quot inter ſupremos illos Cauchos & nos computantur? Sed fruſtra rogo manes, apud quos ſolus Tireſias ſapit. Ipſas arbores conſulendas potius credo, quæ veritatis tam ſunt ſtudioſæ, vt in Dodonà conſanguineæ ipſarum quercus oracula reddidiſſe dicantur. Hæ omnes in illam plagam cæli procumbunt, quæ Septentrionis & Orientis eſt media. Quòd ſi eodem vento, quo ceciderunt, appulſæ ſunt, neceſſe erit fateri, vento meridiei & occidentis medio, huc adnauigaſſe. E qua igitur regione? Ex Hiſpania (ni fallor) aut Gallia, aut (ſi quis malit) Britannia propiùs diſtante; contrario omnino videlicet itinere, quo illæ è Cauchis ad Hollandos venerunt. Vt ſeriò agamus, hic ſitus arborum in omnibus locis, quibus apud nos inueniuntur, per duodecim & plura etiam milliaria Germanica inter ſe diſsitis, inuenitur perpetuus, & omnium communis eſſe. Non potuerunt igitur ex illa regione ad nos veniſſe, in quam cacumina vergunt, niſi dicamus religione quadam caput in

patriam

patriam inclinaſſe;aut non eodem vento & appulſas & deiectas fuiſſe. Deinde cùm arbores iſtæ rectæ fluitarent,arcto radicum complexu inſulam facientes,& iam ab vndis(vt ſic demus)dum mare affluereret, in litoribus collocatæ eſſent, quid quæſo tum poſtea in cauſa fuit,vt præcipitarentur? Equidem ſic ſentio: Si in mari,terram radicibus eluente, ſtabiles manſerunt, multo magis tum conſtare debuiſſe,cùm non radicibus ſolùm ſuis,& terra in illis hærente, ſed ſolido etiam fundo niterentur. Sed dicent: Fundum illud arbores non alebat,ſed ſalſugine ſuà humidum radicale enecabat, atque ita non viuæ,ſed emortuæ & putrefactæ ceciderunt. Bene quidem. Sed quis mortuas arbores docuit tanto terrarum interuallo in eandem cæli plagam procumbere,quaſi in id coniuraſſent? Præterea in noſtræ regionis multis locis,quibus materia hæc ſepulta iacet, quercus, betulas, alnos, elæagnos, ſalices, aliasque arbores prouenire videmus. Quo fit,vt alimenti inopiam hîc nemo cauſari queat. Iam, ſi aduenticiæ hæ inſulæ ſunt,atque inquilinæ, & ſolo noſtro natiuo inſederunt; quî fit, vt loca, in quibus hæſerunt, ſint inferiora, quàm reliqua planities camporum? Reſpondebitur fortè de Nannij Symmictis,limum,à fluminibus inuectum,reliquos campos feciſſe altiores. Quaſi verò limus non magis arboribus, ſiluisque ramorum & radicum adhæreſceret,quàm nudis arenis. Altiora fateantur neceſſe eſt arborum ſepulcra, atque tymbos, quàm reliquam terrã eſſe, qui ad cœni illuuiem confugiunt, ac inde cauſas ducunt. Magno emerent agricolæ horum ſapientum veram eſſe opinionem, quò terram colerent pinguiorem, à fertiliſsimis regionibus inuectam. Minori certè labore atque impenſa Stercutio litaretur, ſi Scaldis, Moſa, & Rhenus Campeſtrem Brabantiam generauiſſent: nec tantum ſterilis terræ iaceret, vt vndique Horizontem triſti nuditate clauderet, oculis nihil intuentibus,quàm humilium ericetorum infinitam vaſtitatem. Huius tamen moleſtum aſpectum commoditates non paruæ compenſant, dum ſicca hæc erica ingentes ouium greges ſaluberrimo pabulo nutrit,& à pulmonis, lienis, iecorisque obſtructionibus præſeruat. Harum ſi carnes Galenus guſtaſſet, inter laudatiſſimas eas enumerauiſſet, tum ob delicatiſsimum ſaporem, tum ob facilem concoctionem, & probum nutrimentum, quod omni humore ſuperfluo careat; non ob loci modò & herbæ ſiccitatem, ſed propter vires etiam ericæ. Nec mel, quod de floribus apes legunt, tam aſpernandum eſt, quàm Dioſcorides & Plinius ſcripſerunt. Vt enim non ſit de probatiſsimis,non tamen eſt reiiciendum; cùm longè illis antecellat,quæ in Hiſpaniæ plurimis locis è Ladani frutice &

Ouium Brabantinarum carnes optimæ.

Mel ex erica collectum, non aſpernandum.

Cysti variis generibus colliguntur. Est enim, quàm illa, multò suauius ad edendum, & citra insignem calorem, qui in melle Stœchadite & Thymite viget: obstructiones aperit, crassa attenuat, lenta incîdit & detergit; splenèticis in primis expetendum. Erica enim, & præsertim flores, tumores & collectiones citra caloris alicuius incõmodum digerunt, & per halitus dissipant; atque id tanta efficacia, vt quidam podagricis & paralyticis horum fotu medeantur, crassos & tenaces humores discutiendo. In obstructionibus igitur lienis nulli ferè medicamentorum est secundum: nec illic solùm valet, sed venenatorum etiam ictibus opitulatur, & oculorum turgidulis venis sanguinem impactum exugit. Euboici igitur nõ minimam quoque huius mellis curam habuerunt, quod ab erica apes legunt, credẽtes eam gratissimum illis esse pastum. Nec his tantùm nominibus accolas beant hæc ericetorum lata æquora; sed illo etiam, quòd cespites præbeat, atra & nonnihil bituminosa terra probandos, quibus lignorum loco ignes nutriunt. Agros prætereà cùm cineribus, tum ipsis etiam terræ cum erica crustis, diu in fimo maceratis & computrefactis, fertiliores reddunt, non alio genere stercorationis futuros lætiores. Vt igitur Hesiodus cecinit, homines nescire, quantum sit vtilitatis in Malua & Asphodelo, herbis ad Ascram tritissimis, ita nos quoque succinere possemus, homines exteros ignorare, quantum commodi vicinis suis præbeat erica. Quantumuis verò ad vitæ necessitates adferat adiumenti, nemo tamen regionis huius tãto amore tenetur, quin optaret superiorum terrarum, per quas flumina descendunt, argillosa pinguique gleba totam hanc vastam planitiem cooperiri. Desinant igitur argutari amnibus hanc regionem inuectam esse; atque, si inuecta fuisse daretur, cogitent concedendũ esse, loca, in quibus arbores iacent, duabus de causis altiora esse, quàm reliqua debere: semel, quia inquilinæ insulæ solo nostro supersedissent; iterum, quia cœnum facilius, tenaciùs, & copiosiùs hæret, vbi, quò minùs defluat, magis impeditur; vt in tantis arborum, radicum, ramorumque retibus euenisset. Quorum si vtrumque falsum est, falsa sunt & illa, è quibus hæc consequuntur. Tantóne locorum interstitio tot insulas in tam diuersas, tamque inter se distantes terras, inuectas fuisse, atque eas posteà omnes in vnam cæli regionem collapsas, & sic collapsas, vt profundiùs iaceant, quàm sit totius regionis exterior pars, quæ hominum laboribus exercetur? Non sic dicunt quercus, quæ trunco caudice sub ipsa terra radicibus suis adhuc hærent; non quasi aliunde illatæ, sed illic genitæ, vbi latè profundeque in terræ viscera penetrant. Nec quercus solùm, sed Betulæ

Ericæ, præsertim florum, vis.

Hanc regionẽ amnibus non esse inuectam.

tulæ etiam, radicibus adhuc multis ſuis locis inſiſtere videntur. Abietes verò, & id genus reſiniferæ arbores, quòd altè aſſurgant, non mirum eſt radicitùs fuiſſe euerſas, ſecundum illud Horatianum:

„ *Sæpiùs ventis agitatur ingens*
„ *Pinus.*

Nihil denique reliquum video, quò miraculi huius cauſa referenda ſit; ſi non ad inſigne, & ceteris omnibus maius, diluuium referatur. Inundationes enim altiſsimæ fiunt in his locis, cùm totus Oceanus per fretum Britannicum ventorum vi in noſtros agros impellitur. Ab ea autem cæli plaga ventum ſpiraſſe, dum hæc tempeſtas omnia obrueret, arborum decubitus apertiſſimè monſtrat. Eſt regionis huius campeſtris illa indoles, qua parte altior eſt, ſabuloſo fundo & bituminoſa quadam cruſta arborum natales excludit: qua parte depreſſior, & in vallium quaſi canales quoſdam leuiter excauata, ſuccum nutriendis arboribus idoneum præbet. Quæ partes camporum in tumulos & dorſa eleuantur, eæ totæ ſunt ex arenis conflatæ; quibus ſi ericetoſa tegmina deſint, tenuius illud ſabulum, velut farina, facilè difflatur. Hos tumulos Duney vocamus, vocabulo, quo omnia loca montoſa & accliuia noſtris vocantur; cuius ſignificatio, & perpetuus apud nos vſus, multa priſca vocabula interpretatur. Quæcunque enim opida huius vocis terminationem habent, intelliguntur in locis accliuibus aut collibus exſtructa fuiſſe; vti eſt Lugdunum, quo collis bonæ fortunæ, ſiue proſperitatis, ſignificatur. Eiuſmodi arenaceis montibus ſiue tumulis maxima pars Flandriæ & Hollandiæ, & Zelandiæ quædam partes, ab Oceano defenduntur. Nobis in noſtris ericetis adeò nihil adferunt vtilitatis, vt contrà non multò minùs, quàm aqua, ſint damnoſi. Quocunque enim ventus nudam hanc arenam inuehit, non minus illic ſterilitatis facit, quàm ſi ſalem ſeuiſſet. Non eſt igitur contra mare ſolùm nobis bellum gerendum, ſed contra terram etiam, quæ cùm mater eſſe, & matris officiis fungi deberet; non parum tamen videtur odij aduerſus nos cepiſſe nouercalis. Ad hanc igitur militiam quotannis ferè, vel quoties hoſtis inuadit, euocantur omnes vicini pagi, quo commune periculum communibus viribus depellant. Foſſas & aggeres arenis opponunt; quibus volatus earum impediatur. Retia etiam & vincula iniiciunt, quibus retineantur: ea autem conſtant è iunci quodam, ſiue graminis potiùs, genere, ſparto non diſſimilis nec figura nec natalibus, quod radicum tenaci complexu & fibrarum reticulis vo-

Brabantiæ Cãpeſtris indoles.

Lugdumi interpretatio.

Bellum cum terra.

latilem arenam coërcet; ab vſu ligandi Bont, ſiue Bunt nominatum. Neque arena illa aliud genus herbarum alere poteſt, niſi quòd maritimis quibuſdam locis Eryngium admittat. Vna tamen eſt arbor, Betula Latinis, nobis Berrich, vocata, quæ tam ſicco ſolo vitam tolerare poteſt infelicem. Huic nomen noſtri fecere à caſtigando, quod Berichtey dicimus; eò quòd hominibus rectum vitæ iter commonſtret, ipſa tam patiens omnis exceſſus, vt frigidiſſimis in locis, vel in aquis, vel in arenis, naſcatur; exemplo ſuo nobis indicans, homines quoque ſe ad omnes aduerſitates lubenter perferendas comparare debere. Auctus tamen eius in aquoſis & frigidis maximus ſpectatur, ob alimenti nimirum copiam. In Liuonia igitur vicinisque locis, & apud nos etiam, frequenter hæ arbores ad aquas altè aſſurgunt: & inter eas vetuſtate creſcendique modo quædam ſic criſpantur, vt elegantia ſua nulli materiæ, delicatis pretioſisque menſis idoneæ, cedant. Et quamuis multa ſint ligna, è fraxino, ex acere, ex alno, è buxo, & id genus aliis, quæ Bruſcis & Molluſcis gratas oculis picturas offerant; nullum tamen hac ætate reperitur quod per ſe magis delectet, quàm Betula, frigidiſsimis locis enata. Omnia enim ad Septentrionem criſpiora ſunt, quàm non modò in Gallia & Italia; ſed quàm in hac etiam Germaniæ parte. Laudauit Citrum Romana luxuria, aſpernatura, ſi criſpos fibrarum maculaſque diſcurſus in noſtris lignis vidiſſet. Quamuis igitur circulis vaſorum flexibilis eius natura aptiſsima ſit, & virgæ ipſius & publicè & priuatim corruptos mores emendent; eſt tamen hæc etiã non exigua dos, quod nobis Citri deſideriũ exemit, arboris tanto precio ab Atlante emendæ, vt menſa ex ea Ciceroni non fuerit honori; et ſexcentæ ex ea Senecam demonſtrarint verbis quidem philoſophum eum fuiſſe, ſed ſub pallio regum diuitias luxumque ſuperaſſe. Galli olim bitumen ex ea coquebant, vt Plinius ait, quod & hactenus liquidum ignibus extrahitur, nõ paucis, cum intus, tum foris, corporis vitiis remediũ. Non omittenda & illa dos, in primis admirabilis locis quibuſdam ad Septentrionem, vbi hæc arbos copioſa creſcit, vulnerato cortice ſuccum effluere, qui, à ruſticis appenſis vaſculis exceptus, cum ipſo muſto dulcore certat. In regno Neapolitano, in collibus plurimis & cliuis montium, ornus multa luxuriat, quæ vulnerata manna noſtrum, quod Calabrum vocamus, exudat, quo mellis aërij & mannæ veræ loco vti ferè ſolemus, eò quòd huius incerta, illius certa ſit copia; & arbores quotannis, aër non quotannis, idem reddat. Vt igitur peculiaris quædam vis eſt mannæ ab orno, cuius facultates cum fraxini viribus ſunt eædem; atque ea cauſa ſaccaro aë-

Betula, nobis cur Berrich.

Betulæ vſus varius.

Manna Calabrum vnde manet.

rio

rio ſit præſtantior,ſi à docto medico iis,quibus oportet,detur : ita & huic liquori, è Betula deſtillanti, ab arboris natura certæ vires conſtant, quas, qui probè viam & rationem artis ſecutus, adminiſtrarit, magnas vtilitates corpori humano apportabit. Iam nullum lignum eſt ſcutis aptius;propterea quòd nec findatur, nec,vbi ictum teli receperit, facilè remittat ; & idcirco aduerſarium teneat impeditum: quod & ipſum eſt indicium ſucco multo turgere,nec facilè perdere, quamuis diu ſit exiccatum. Sed illud mirabile,cùm tam tenaci ſucco cohæreat,quî fiat, vt ſingularem habeat leuitatem ? eo quoque nomine,quòd pondere non laſſet,clypeis expetitum? Quis igitur credat arborem tam ſucculentam in aridiſsimo ſabulo ſe poſſe nutrire? Huius ego cauſam animaduerti à radicibus petendam eſſe, quas hæc arbor habet admirabiles. Maiores enim illæ radices, quibus caudex innititur,non admodum altè deſcendunt, atque frequenter etiam nudæ ſupra terrâm ſpectantur,ventis omnem terram longè infra radicum exortum depopulatis. Verùm maioribus his radicibus minima quædam fila, craſsitudine culmi triticei, adnaſcuntur, quæ ſub arenis ad quadraginta & amplius pedes prorepunt, quicquid ſucci rorisque eſt in omni vicinia,auidè trahẽtes. Ex his,cùm puer eſſem, fiſcellas & calathiſcos me facere memini, quòd nihil ſit vel æquali tenore tam longum,vel tanta ad flectendum facilitate, vel quòd cãdidius ſit excorticatum : quibus rebus omnis laus vimineæ textiliſque materię continetur.His igitur,longiſsimis radicum capillis,non nutrimentum modò ſibi arbor ſuppeditat neceſſarium ; ſed arenas etiam,velut funiculis quibuſdam ; tenaciſsimis longè lateque tenet adſtrictas. Ex his Plinij verba intelliguntur:Gaudet frigidis Sorbus, & magis etiam Betulla. Gallica hæc arbor, mirabili candore, atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis; eadem circulis flexilis, item corbium ſportis. Bitumen ex ea Galliæ excoquunt. Hæc ille:in quibus corbium ſportas videtur accipere, pro viminibus, quæ intertexuntur : quaſi ſit corbis è ſtamine ac ſubtegmine ; atque hoc quidem ſporta à ſparto flexili, in primis iunco,dicatur. Demus ſanè Plinio ſportas è Betulla fieri ſolere : nos tamen id ad radices, quàm ad ramos,referre mallemus,ipſa experiẽtia, quò ſic ſentiamus,adducti. Quamuis autem hac tempeſtate multum bituminis ex ea coqui non audiuerim, vidi è ſcopis eius ſuper feruenti ferro melleum liquorem excoqui, qui oculorum obtuſam aciem maiorẽ in modum acuebat; certo indicio egregiam abſtergendi vim ineſſe. Non poſſum tacere miraculum ſtupendæ cuiuſdam metamorphoſeos, quod non ſemel audiui. Conſtanter affirmant Sonij ſaltus incolæ, fago cæſa

Betula, multo ſucco turgens, cur leuis ſit.

Miraculum de Betulla & Fago.

cæsa subnasci ex eodem trunco Betullam, quod equidem vt credam, vix possum hactenus adduci. Vidi profectò duas aut tres fagos, vnà cum Betulla sic connexas, vt ex eodem trunco viderentur pullulasse. Quia tamen necdum, itáne sit an non, expertus ipse non sum, suspendo sententiam: illud interim certò sciens, Betullas lætiùs nusquam prouenire, nusquam in maiorem altitudinem tolli, quàm dum fagis sunt propinquæ, adeò vt inter has arbores coniugium quoddam esse videatur. Præter alias ergo dotes, à Plinio enumeratas, hanc etiam habet, nostris hominibus propè adorandam, qua in bello, cum arenis gerendo, radicibus suis, longè lateque sparsis, magnum adfert adiumentum, ad hostem intra fines suos compescendum. Hanc enim, & herbam illam, sparto simile, cui à ligando nostri nomen dedêre, in arenis plantât; ne difflatæ omnia è terris nascentia inuoluant & occidant: quanquam frequenter nec aggerum ductus, nec fossarum, in quibus sepeliantur, depressiones, nec plantatio omnis sat virium habet, quò minùs fœdo caluicio omnia denudentur. Altiora igitur Campaniæ nostræ (vt sic vocemus) loca, vel nuda arena constant, vel arena incrustata, quam erica vestit. In neutris autem, si Betulam excipias, arbores hac ætate nascuntur. Cùm igitur in ceteris, vt nunc res habent, ita olim etiam habuisse idoneis testibus euicerim, non video quid causæ esse queat, ob quam non similiter statuam, in altioribus huius regionis dorsis arbores olim non creuisse. Caua verò, quæ humore plurimo abundant, vt nunc plantis educandis sunt apta, ita olim quoque arboribus vestita fuisse par est. Quocirca, cùm tumidis fluctibus Oceanus his, quasi canalibus quibusdam, infunderetur; siluæ omnes partim ventorum procellis, partim violenta aquarum irruptione, procubuerunt. Harum igitur reliquiæ quamobrem locis depressioribus inueniantur, & omnes ad eandem cæli regionem spectent; istis explicatis, non est obscurum. Quòd porrò obiiciunt, coniferas arbores hoc tempore hîc nullas esse, parum ponderis habet; nam neque quercus essent, nisi hominum industria satæ fuissent. Quòd autem quercus potiùs & alias arbores seuerint, quàm abietes & piceas; ea causa fuisse mihi videtur; quia robur quercinum, ad materiam omnem fabrilem, longè sit omnibus tediferis arboribus præstantius: nec ad hunc vsum tantùm præstantius, sed ad ignes etiam alendos, quorum vtrumque qui nescit, is nec trabes vidit in Hispania abiegnas, nec fumo pingui tedarum, vti ego in Alpibus frequẽter, fuit suffocatus. Vtrique autem generi serendo non est locus, cùm altiores partes ob soli ariditatem arbores non alant, inferiores ad multa distrahãtur, dum alia pascuis, alia

Brabanti cur potius quercus seuerint, quàm abietes.

alia ſegeti, alia pomariis & hortis, alia quercubus, tiliis, ſalicibus, populis, alnis, & id genus arboribus, deſtinentur: quarum nullæ ſunt, quæ in quotidiana neceſſitate non plus adferant commoditatis, quàm omnis illa abietũ picearũque ſilua. Fateor equidem ad nauiũ malos, & antennas, neceſſariam eſſe; ſed hoc addo, tam vilem in proximis Septentrionis partibus eſſe copiam, vt non ſit operæpreciũ hîc educare. Non deſunt tamen, qui animi varietatisque cauſa ſeuerunt; ſed maiore impenſa, quàm vtilitate. Quod exemplum alij ſequi noluerunt, exiſtimantes parum ſe loci habere ad plantas magis neceſſarias, & minus operoſas; tantum abeſt, vt voluptatibus aliquid ſuperſit. Baiona Burdigalam proficiſcentibus, vaſta planities tranſeunda eſt, huic noſtræ valde ſimilis; in cuius multis partibus coniferæ arbores creſcunt, locis bene macris. Quod cùm viderem, putaui idem hîc fieri poſſe, ſi tentetur; ſed (vt modò dixi) nulla vtilitate. Quòd igitur olim fuerint, nunc non ſint, prudentiæ hominum, non incuriæ, eſt adſcribendum: quibus optimis rationibus aliarum arborum ſeminaria, in tantis feracium locorum anguſtiis, magis placuerunt. Non video igitur, qua ratione ab hac mea ſententia debeam diſcedere, qua pronuntio ab inundatione quadam enormi, & ſolitos limites egreſſa, ſiluas has deiectas fuiſſe, quarum reliquias neceſſariis ad ignem vſibus quotannis effodi videmus. Arbores enim, paulatim putrefactæ cœno & pluuiis, ita emarcuerunt, vt genus quoddam terræ ſpongioſæ crearint; non aliter, quàm ſi quis omne genus ramentorum è diuerſis lignis in exigua aqua computreſcere ſinat, & deinde id in maſſam cogat. Color ei eſt Balius, quem nos codẽ ferè nomine vocamus. Dicimus enim *Vaſey torf*, id eſt, ceſpitem Balium, id quod effoditur, laterem ferè quadrangulum pedali longitudine & palmari, vel paulò plùs eo, craſſitudine repræſentans. Exciditur acutiſſimis ligonibus, non ſecus, atque culter, ſcindentibus; quò lentas tenacesque ligni fibras penetrent. Exciſus in metas perflatiles erigitur, quò ficcetur. Siccus ceſpes grauitate à leuiſsimo quoque ligno ſuperatur, ſpongiis non multò ponderoſior. Iacet autem hæc maſſa ſub terra, è marcidis putridiſque lignis coacta, craſsitudine nonnunquam octo cubitorum; & in ea multa adhuc ligna integra. Tædarum magna eſt copia, quibus in tenues taleolas fiſsis, loco candelarum vtuntur agreſtes. Vidi ego ipſe abietes iuſti magnæ nauis mali longitudine, in hac ſiluarum quaſi farragine adhuc iacêre. Non puto ſilentio prætereundum, quod anno poſt milleſimum & quingenteſimum quadrage-

Arbores ſub cœno inuentæ unde, & earum vſus.

Incendium subterraneum, natum ex incuria opilionis.

simo primo accidit. In huius generis terram, siue veriùs euersarum arborum & putridarum mistam congeriem, ignis incidit, culpa (vt putant) opilionis, è quo tantum incendium incidit, vt sub terra, sub aquis, longè lateque sæuiret. Accurrerunt mox Lonenses, Tilborgenses, Dungij, & ceteri vicini pagi, ad extinguendum. Spectaculum erat mirabile, videre sub ipsis paludibus & stagnis ignes grassari; ipsos, qui extinguere niterentur, per aquas & vliginosam terram in ardentes carbones & fornaces incidere; atque id tantisper fieri, dum, ceteris omnibus remediis desperatis, fossas summa celeritate depresserunt, tam altas, vt vltra totam hanc massam in terrā subiectam descenderetur; in qua, quòd pabulum igni non esset, incendium sistebatur. Quid Posidonius, si illi dixissem, non solùm contra mare nobis pugnandum esse; verum etiam contra terram & ignem? An non Clitarchum & Ephorum tolerabiles fabularum contextores, me impudentē & despuendū clamasset? Admiranda profectò omnibus in rebus diuinę bonitatis prouidentia, quæ inopia lignorū nobis laborantibus, subterraneis siluis succurrit, à tot seculorum interuallo inexhaustis. Quale quale illud diluuium fuit, magnam certè attulit posteris vtilitatem, quibus reliquiæ eius loco sunt incredibilis vectigalis. Et quāuis à tot ætatibus effodi cœpta hæc ignis pabula, videri possent nos breui defectura; durant tamen hactenus quàm plurima loca eius generis intacta. Audio Abbati Tongerloënsi soli vltra trecenta aureorum millia sub terra in hac massa iacere, vt alios omnes omittam: è quo coniecturam facere licet, quantum miseris mortalibus in monstrosa hac re sit adiumenti. Nec tamen solum hac parte lignorum inopiam Deus nobis compensauit; sed aliud præterea beneficium addidit insigne. Sunt apud nos in locis quàm plurimis loca quædam humilia, quibus terra subest atra, bituminoso quodam cœno constans. Ex his lutum effoditur, quod, accuratè agitatum & subactum, in aream quadrangulam diffunditur & extenditur crassitudine palmari. Mox, vbi paululum constiterit, in tesseras palmares scinditur; ac deinde siccius redditum in metas attollitur, quo integrè siccescat. In hoc genere Hollandicum lutum excellit, quòd bitumine solo constare videatur, habens aliquando paruas etiam quasdam reliquias marcidi ligni. Flandricum improbatur, quod non graui tantum fœtore, sed flammis etiam, displicet: ad quarum lumen omnium facies ita pallent, vt non viui, sed mortui, videantur. tum, præter hæc, nitrosa quadam fuligine oculos mordicat: quorum omnium nihil est in laudatissimo cœno, quod nec fœtet, nec

lumi-

lumine terret, nec oculis noxium est; sed ediuerso ligna omnia superat caloris vehementia, ignis duratione, prunarumque diuturno ardore. Hoc genere Antwerpienses plurimùm vtuntur in culina, ob calorem ingentem, & durationem; quamuis lignis primum siccis flamma sit excitanda. Minutiora hæc fortasse sunt, quàm quæ commemorari debeant. Sed non piguit Plinium annotare, apud Cauchos gentem esse, quæ captum manibus lutum, ventis magis, quàm Sole, siccet ad ignes alendos; quo regionis naturam, & duram & miseram hominum vitam, ob oculos poneret. Et sunt hæc vel in primis veritatis studiosis consideranda, è quibus multa non rarò vetusta gentium monumenta in lucem eruuntur. Quæ vtilitas ne nos prætereat, distinguendæ sunt regiones, in quibus hæc diuersa ignis pabula inueniuntur, quibus in hac vrbe vtimur. Ex Hollandia igitur atri illi cubi palmares, in quibus vis suauior bituminis dominatur, adferuntur. In quibus si fila radicum & fibræ inueniantur, vt plerumque fit, cogunt nos fateri, loca illa palustria humilibus siluis olim abundasse. Similes glebæ è Flandria inferiore aduehuntur; sed odore tetro, sulphur, bitumen, & nitrum mixta, referentes: in quibus marcidarum radicum laciniæ frequentes constitutionem quoque regionis antiquam monstrant; non paludosam modò, vt hactenus est, sed siluosam etiam fuisse. Hinc Cæsaris locus ille, qui est libro Commentariorum belli Gallici tertio, non legitur modò clariùs; sed quasi ob oculos ponitur, in quo Morinos & Menapios dicit continentes siluas ac paludes habuisse, quò se suaque omnia conferebant. Paludes nobis dicuntur (Morey: qui paludes habitant (Moringey: vnde Morinos fecerunt Latini. Cùm igitur liqueat, vnde putrida ligna, & radicum reliquiæ, apud Morinos inueniantur; par quoque ratio apud Hollandos & Ambiuaritos debet valere. Hoc dato, manifestum euadit, hanc nostram infimam regionem, & Oceano proximam, non aliunde siluas accepisse, vt Nannius & alij cum eo contendunt; sed de gremio suo protulisse, quæ ventorum marisque impetu deiectæ diuersis temporibus, vel vno etiam (si placet) miraculum hoc de subterraneis sepultisque arboribus excitarunt. Si igitur ex Ephoro docui, inundationes Cimbris olim frequentes fuisse, perinde atque hodie sunt; atque de Cæsare paludes siluasque continentes adiunxi: sequitur, vt nec causa maxima summersionis efficiens, neque materia, quæ summergeretur, nec paludes denique, in quibus deiectæ arbores computrescerent, deessent: quas cùm hîc Antwerpiæ nunc quotidie ad cibos coquendos vramus, nõ fuit abs re hunc

Cessites vnde adferantur Antwerpiam.

Cæsaris locus elucidatus.

antiquitatis & ætatis noſtræ conſenſum notare. Quod verò diximus de Balio ceſpite, id de Campeſtri Brabantia dictum intelligatur: quáuis & in hac cœni bituminoſi magna quoque ſit copia. Hęc autem ad Antwerpiam vſque à Septentrione & Oriente pertingit.

Paludum noſtratium diſcrimen.

Hic illud non indignum eſt conſideratone, magno diſcrimine diſiungi paludes eas, quibus bituminoſa gleba continetur: & alias, quas è ſepultis cœno arboribus conſtare dixi. Nam illæ tam altè effoſſæ, quàm vena bituminoſa deſcendit, poſt aliquot ætates rurſus opplentur bituminoſo luto, aliunde, vt par eſt, rurſus per occultas venas affluente. Verùm, vt id fieri conſtans eſt accolarum aſſertio, ita non puto vlteriùs pertinere, quàm ad illa loca, quibus è proximis locis bituminis natura influere poteſt. Alterius verò generis paludes, in quibus magna vis arborum computruit, ſi ſemel funditus effodiantur; non poſſunt rurſus enaſci, aut ſimili materia oppleri: eò quòd arbuſtorum copia non alia iterum terræ ſeſe immiſcere poſsit, niſi hominum induſtria, & impenſa ſtolidè perdenda, inferatur. Audiui tamen eos, qui aſſererent hanc miſcellaneam ligni terræque colluuiem, ſemel exciſam, rurſus generari: adderentque etiam monſtroſiora; arbores eas, quas ſub terra inuenimus, eodem loco naſci, nec alias vnquam fuiſſe, quàm videntur. Lapides, & oſſa, atque in iis mille figurarum diſcrimina, in abditis terræ cauis produci non ignoro: at arbores in ipſa terra putridas naſci, non video, quî mihi queat perſuaderi. Tantiſper igitur, dum experimentis, & certioribus, quàm hactenus, teſtibus conuincar, in opinione mea ſtatui manere, & nemini auctor eſſe, vt illis, quorum ratio nulla extat, aſſentiatur. Quocirca ſiluas paludesque his locis olim fuiſſe, quibus Balius ceſpes exciditur, atque eas ſummerſas, hoc ignibus alimentum ſuppeditaſſe aſſeuero. Quarum plures reliquiæ extarent; niſi à maioribus, ad paſcua & arua comparanda, fuiſſent eradicatæ. Ab Antwerpia ad Meridiem loca ſunt ſiluarum plena, apertas Arduennæ ſiluæ reliquias teſtantia, è quibus ciuitati lignationis permagna eſt & fœcunda opportunitas. Sed, quaſi hæc omnia focis noſtris perpetuis non ſufficerent, aduehuntur Leodio bituminoſi lapides, ſiue Asphaltitæ, quibus ij potiſsimum vtuntur, qui cereuiſiam coquunt; eò quòd caloris vehementia & duratione omnem reliquum ignis fomitem longo interuallo ſuperet; adeò vt ſi ignem vnum in cubiculo hora matutina inſtruas, is continuis flammis, & immenſo ardore, ſit ad meridiem vſque duraturus. Tum deinde nonnihil inſtauratur, ac tantiſper durat, dum nouus ſub veſperam è nouis lapidibus fiat, qui ad me-

Carbones Leodienſes.

mediam vſque noctem vigebit, & ignem in craſtinum conſeruabit. Nec cineribus pòſt ſuus deeſt vſus, è quibus argenti etiam aliquid eliciunt, qui vel fuſione, vel lotione Mercuriali, metalla norunt ſeparare. In hoc genere Aſphaltitæ ſiue Gagatę lapidis, prętantiſsimus is eſt, qui quàm minimum ſulphuris ſpirat, & flammam minimè cæruleam reddit. Omnibus certè non aſſuetis grauis eius eſt odor, qui infirma capita ſolet tentare, & aliquando etiam Lypothymiam inducere; maximè, ſi ſulfuris & argenti viui pluſculum incluſerit: at is qui ſincerius bitumen continet, non ſolum minus grauis omnibus eſt; ſed iis etiam, quibus pix non malè olet, ſuauis atque gratus. In vniuerſum tamen primus fumus vitandus, qui ſulphur & hydrargyrum ſubtilius ſecum rapit. Pòſt, cùm limpida candidaque flama emicat, non nocebit; niſi peculiari quis morbo teneatur. Quid dico non nociturum? cùm certò conſtet omnium Leodienſium confeſſione, rariſsimos eſſe pituitæ defluxus iis, qui hoc igne frigus depellunt; adeò vt vix pauciſsimos in tota vrbe ipſorum, viciniſque opidis, inuenias, qui vel podagra vel chiragra laborent; cùm tamen nulli finitimæ genti vel in potationibus largiſsimis, vel in Veneris palæſtra, cedant. Dum accendere volunt, aquam affundunt, teſtificati hoc argumento, verum hunc eſſe Gagatem; tametſi longiſsimè terrarum à Gaga ſit exciſus.

Ceterùm tempus mihi videtur poſtulare, vt huic libello finem imponam; quando iam tantum eo complexus ſum, quantum putabam neceſſarium ad eorum opinionem profligandam, qui totam hanc noſtram camporum planiciem trium maximorum fluminum munus eſſe putauerunt, multis diuerſorum vtriuſque linguæ ſcriptorum præiudiciis anticipati atque decepti: quorum quidem ſingulis non reſpondi, quòd, proſtratis principibus, reliquos crederem ſeſe vltrò dedituros; & quòd viderem poſteriores nihil nouarum rationum adferre; ſed priorum, veluti pediſſequos, veſtigiis inhærere. Nihil itaque contra Plinium, miratum Sarpedonis epiſtolã in charta è Troia ſcriptam, lectam à Mutiano ter conſule fuiſſe: propterea quòd tum Aegyptus non eſſet, ac idcirco nec papyrus. Cui argumento addit, Bellerophontem non chartam apud Homerum; ſed pugillares tabulas accepiſſe; quod indicium facit chartam, tum non fuiſſe. Sed vtrumque ridiculè, quia & Ægyptus fuerit, & quamuis non fuiſſet, papyrus tamen ſuperius naſci potuerit: atque non minùs olim, quàm nunc, pugillarium & chartarum vno eodem tempore potuerit vſus fuiſſe. Nec Scaligero etiam priuatim reſponden-

dum, qui regionem noſtram à fluminibus item inuectam eſſe ſcripſit; cùm eædem contra eum, quæ contra præceptorem vtriusque noſtrum, rationes valere intelligantur.

Regionis noſtræ antiquitas.

Conſtet ergo nobis regionis noſtræ antiquitas, ab ipſo vſque Ephoro & Clitarcho, qui idem bellum, quod hactenus cum mari gerimus, veriſimè depinxerunt. Quod ſi tot ſeculorum interuallo nihil in hoc perpetuo terrarum marisque diſsidio ſic eſt immutatum, vt non modò hoc, modò illud elementum vincat; quando tandem ceſſabit hæc pugna? Liceat ergo mihi (pace doctorum hominum) Atuatico ſuam vindicare vetuſtatē, atque eam vltra mille ſexcentos & amplius annos retrò computare, quod Cimbri Teutoniq; non malis auſpiciis eo tempore ſunt exorſi, quo Galliam primùm ad oſtia Rheni inuaſerūt. Et, quia Deus Optimus Maximus ad hæc ornamenta, quibus iam diu floruit, vrbem promouit, oremus eum, vt eam deinde ſic pergat tueri, ne priſcum decus amittere cogatur. Magnam enim tempeſtatem & ſæuas clades impendere cernimus, quæ nec à mari, nec à terra, quibuſcum bellum æternum fuit, intentantur; ſed è ſuggeſtis peſtilentium cōcionatorum. Ingens ſanè malum & horrendum, quo non tantum Athenæ olim & Roma, Demoſthene ac Cicerone ducibus, libertatem amiſerunt: ſed quo nunc etiā tota Germania, Anglia, & Gallia, periculoſiſsimè cōcuti ac vexari non ceſſant; dum, vt quiſque eſt audaciſsimus, & à lingua optimè inſtructus, citra doctrinam, & pietatem religionis & fidei Chriſtianæ, ſe facit magiſtrum, heri & nudiuſtertius vel ſutrina, vel bubili, vel alia etiam officina ſordidiore relicta, è qua doctor exilit, non aliter atque fungus, vna nocte pileatus; neſcio cuius ſpiritus vi, certè non illius, qui pacem hominibus adfert. Si miſeri mortales intelligerent, nullam pietatem, nullam veram religionem, citra pacem eſſe; non tam faciles aures perturbatoribus hiſce rerum publicarum præberent. Dolet mihi, dolet maiorem in modum, triſtes & Tragicos factionum ſeditioſarum exitus animo intueri; eò quòd illis præſens mihi videar intereſſe, dum cogito, quid in noſtris his diuerſarum opinionum turbis ſit augurandum; in quibus, neglecto vero Dei cultu, & proximi caritate, veris religionis fructibus, illud vnum quæritur, Quî hic vel ille ſcripturæ locus ſit interpretandus. Atque in eo tam infenſis animis, & feruidis iris certatur, vt patriam quiſque malit, quàm opinionem ſuam, perdere. Vereor igitur, ne Deus furorem ſuum tandem in nos conuertat, & regionis noſtræ, atque huius vrbis eximiam venuſtatem, quam ſingulari ſua gratia præ omnibus aliis

Atuatici vetuſtas quanta, & conditores.

aliis terris nobis conceſsit, in horrorem ſubitò transferat; & quod paulatim larga manu dedit, totum id exiguo tempore violenta manu deſolet. Sed meliora Chriſtus.

Nos ad alia pergamus, &, dum foris nihil quietis animo in tantis turbis quæri poteſt, his noſtris ſtudiis hæreamus, quæ ſola (poſt Deum) triſtes cogitationes diſsipare, & huius temporis amarorem ſuauitate quadam ſingulari edulcorare poſſunt.

FINIS LIBRI TERTII.

CRONIA,

LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

Nec mundi ætatem, nec Saturnalia quartus
Negligit, antè nouem ſcriptorum nomina delens,
Priſcos Roma tibi ritus ad pilea priſca
Nunc reuocans dominis erroribus arte ſubactis.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

CRONIA.

LIBER QVARTVS.

AD ANTONIVM PERENOTTVM CARDINALEM GRANVELLANVM,

IOANNIS GOROPII BECANI PRAEFATIO.

INSIGNIS ISTA TVA, CARDINALIS amplißime, omnium & Romanarum & Græcarum antiquitatum cognitio iam inde à primis eruditionis tuæ incunabulis ſingulari ſtudio acquiſita, poſteáque maximis ſumptibus aucta, quos in pictores, ſcalptores, & in homines priſcæ ætatis monumentorum peritos feciſti, me quaſi cogere videtur, vt hunc fœtum meum tibi commendem : quo patrocinio tuo primum apud regem noſtrum, deinde apud ceteros etiam gratiæ nonnihil inire poßit. Quoniam enim non ſolùm, vt Comicus dixit, τῶν κρονίων ὄζει : ſed Croniorum etiam titulum præfert, hoc ipſo ſuo nomine antiquiſſima vetuſtatis arcana ſe explicaturum promittens, non video cui mortalium potius, quàm tibi gratus acceptúsque ſit futurus. Pauci ſunt in Italia à litteris humanioribúsque diſciplinis clari homines, quibus ille Antonius Morillonus tuus non fuerit notus, quem vt quiſque erat ſciendi auidiſſimus, ita maximè colebat, & obſeruabat : quò ab eo tanquam ab inexhauſto & immenſo doctarum antiquitatum Oceano ea ſibi hauriret, quæ ſtudiis ſuis vſui ornamentoáque fore ſperaret. Hic plurimum quidem doctrinæ eruditionisq; patri ſuo debebat homini de varia multiplicique litterarum cognitione ita nobili, vt Buſlidianæ in Louanienſi Academia ſcholæ plurimum ſibi gratulentur ſe hunc primum habuiſſe Græcæ linguæ profeſſorem. verùm multo plus antiquariarum opum è beneficentia tua compararat, quas, niſi dira Atropos excellentiſſimi cuiuſque ingenij rapaciſſima abſolutum ferè laborem perturbaſſet, acceptas tibi tuliſſet tabulis in æternum victuris. Quam hic oram Italiæ & Siciliæ auſpiciis comeatúque tuo non perluſtrauit? quid vſquam inuenit commemoratu dignum, quod non deſcripſit? Nihil Romæ, nihil Neapoli, quod diligentiam eius ſubterfugerit. Omnia armaria doctorum hominum penetrarat, omnes ruinas diſcuſſerat, in omnes cryptas irrepſerat, omnes cippos, omnia labra, omnes terminos, omnes Janos, omnes denique inſcriptiones, ſcalpturas, picturas & teſſulati operis varietates non perlegerat modò, & annotarat, & in aduerſaria

retulerat: ſed ſuis etiam manibus vel pingendo, vel ſculpendo, vel fingendo fuerat imitatus. Et quia vnus omnibus his ſufficere non poſſet, impenſa tua pictores ei conduxeras, additis etiam menſoribus templorum, thermarum, columnarum, amphitheatrorum, ſcenarum, theatrorum, villarum, fororum, portuum, xyſtorum, hippodromorum, & id genus aliorum, quorum lineamenta & ichnographiæ domi tuæ non citra admirationem ſummam videntur. Quantum verò hoc egregio adiumento præſtiterit antiquarius tuus, theſaurus teſtis eſt, in quo præter ſpiſſiſſima picturarum ex antiquis ductarum volumina, quicquid Romæ eſt, notatu dignum complexa, tantum eſt ſigillorum, nummorum, & id genus aliorum vetuſtatis monumentorum, vt vix opiner vſquam gentium tantam eorum inueniri tum copiam, tum varietatem. Reliqua verò Italia diſcuſſa, & penitus perueſtigata, rurſus aliud ocium abs te, cùm Auguſtæ Vindelicorum Imperatoris conſiliis præeſſes, impetrauit, per quod liceret, quicquid Venetiis apud magnificos viros aſſeruatur, expiſcari, & in commentaria, & tabulas referre; vbi quantum diligentiæ laboriſque ad omnia muſæa perſcrutanda contulerit, non ego tantùm, qui aſſiduus ei comes hæſi; ſed omnes etiam illi norunt, qui tum temporis vel in vrbe ea, vel Patauij bonarum artium ſtudiis florebant. Cùm autem alia aliunde & plurima à Lauredano, ad quem frequentiſſimè itabamus, impetraſſet; tum inter cetera apud Bembum hoc conſecutus eſt fauore tuo, vt tabulam illam æneam admirandæ vetuſtatis, in qua duodecim dij Ægyptiorum variis coloribus, & ſymbolis ornati, vnà cum litteris hieroglyphicis continentur, depingi permitteret. Quis eſt qui non vel huius ſolius exemplo intelligat quàm immani & inſatiabili litteratarum antiquitatum ſiti tenearis. quanquam nec ſolus hic fuit, licet præcipuus eſſet, in quo alendo promouendóque hoc ſtudium tuum clarè cerneretur. Sciunt ſtatuarij, ſciunt pictores, ſciunt architecti, quàm multorum artificum manus exercueris, adeò vt ex illa tua diatriba omnis harum artium perfectio in Belgica videatur exſtitiſſe. Quis nam alius quàm tu, vt è plurimis vnum nominem, Jongelingium eò prouexit, vt non ſolùm optimus ſit, & præſtantiſſimus in marmoribus ſcalpendis; ſed dexterrimus etiam in maximis ſtatuis ex ære fundendis: ita vt eius opera Carolus Imperator vſus ſit in magnifico illo Caroli Audacis proaui ſui ſepulcro Brugis erigendo. Huius & proximis diebus, dum in ſuburbano, fratris eius & horti amœnitate, & varietate picturarum, in quibus Franciſcus Florius maximè floruit, admirabili, ſpectandi animíque relaxandi gratia obambularem, Bacchum vidi ingentem tam perfectè ad ſingulos muſculorum ductus fuſum, vt operis mollitudo cum ipſa natura certaſſe videretur. Eiuſmodi igitur artis miracula dum ex alumnorum tuorum officina prodire cerno; cogor, velim nolim, maiorem in modum diligẽtiam iſtam tuam in antiquitatum perueſtigatione laudare, quippe è qua videam eiuſmodi ornamenta hominibus noſtris acceſſiſſe, & plura

indies

indies acceſſura eſſe. Sed næ ego ineptus ſum, qui his indiciis vtor, quæ ſoli homines noſtri nouerũt, cùm Pighius tuus doctiſſimis ſuis ſcriptis toti orbi oſtenderit, quàm ardenti antiquariæ cognitionis amore flagres. Quamobrem cùm hoc libro meo antiquitates eas inueſtigem, quæ quamuis omnem Romanorum cognitionem excedant, origines tamen primas non aliorum modò gentium, ſed ipſorum etiam exponunt; non putaui cuiquam eum prius, quàm tibi exhibendum: quò Regi, cui omnia mea conſecraui, nomine & auctoritate tua magis inſinuaretur probareturque. Iam porro hoc maiore ratione ad id faciendum moueor, quòd te nunc Romæ in clariſſimo omnium cum antiquitatum, tum artium amphitheatro inter purpuratos patres verſantem, ſciam nullum vnquam ocium à publicis curis ſubducere, quod non auidiſſimè vetuſtiſſimis quibuſque monumentis impendas. Quamobrem hæc mea, commemoratione tua fortaſſis gratiæ aliquid mihi apud doctos viros iſtic conciliabunt, dum intelligent me plus opis, quàm Macrobium, & Ouidium, & ceteros antiquos ſcriptores attuliſſe ad Saturnalia omnemque eorum ritum, & cæremonias explicandas. Principio enim explosis nouem falſo inſcriptis auctoribus, & perpetuo exſilio condemnatis, Beroſo, Manethone, Metaſthene, Catone, Fabio Pictore, Sempronio, Myrſilo, Lesbio, Xenophonte; veram Saturni, & Iani expono hiſtoriam, ab ipſo diluuio antiquiſſimam Romanæ gentis ſtirpem exorſus. Ab eodem enim Cimmero Iani filio tum Cimbri maiores noſtri, tum vetuſtiſſimi Italiæ Cimmerij, quorum Homerus fecit mentionem, genus nomenque duxerunt, adeò vt dum gentis noſtræ primordia quæro, neceſſariò in Romanorum quoque primos parentes incurram. Quamobrem ſi candidi homines in his laboribus meis quicquam vel te narrante audient, vel legendo cognoſcent, quod nouam lucem Croniis ſuis feſtis & ritibus inferet, cogitent hæc obiter duntaxat attacta, longè copioſius & illuſtrius expoſitum iri, ſi fauor ipſorum ad vlteriorem in hoc lato antiquitatum pelago velificationem ſecundos mihi ventos afflet. Habeo enim Romanas origines longè altius, & verius repetitas, quàm quiſquam hactenus tradere vel potuerit, vel attentarit; quibus obſcurum Sibyllæ antrum totum recludetur, & non ſolùm vrbis & Deorum in ea cultorum nomina inuenient interpretationẽ: ſed totius etiam linguæ aperietur origo, longè alia, quàm Varro potuerit ſubodorari. Quò verò ad hæc maturanda iſtinc ſtimuli aliquid incitamentique ſubiiciatur, ſi non magis voluntas tibi, quàm vel facultas, vel auctoritas deſit, breui fiet, vt Latini homines vera antiquitatis ſuæ cognitione citra inuidiam perfrui poſſint. Hoc loco in tranſcurſu quibuſdam indicatis, temporum ſupputatio, quibus maiores noſtri vixerunt, fuit ineunda, in qua quærenda Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, & Græcos, in mundi ætate annis ſuis numeranda, conciliare noua quadam ratione nitor: in qua quid ſim cõſecutus, de lectione cognoſces, accuratiora fortaſſis habiturus, ſi minus & publici tumultus, & domeſtici negocij fuiſſet. Non

Avctilocho

malè itaque Cronia ea vocaui, quæ hic tracto: quandoquidem & Saturnalia, quæ Cronia Græcis dicuntur, illustro, & totius temporis, quod eiusdem est cum Saturno apud eosdem nomenclaturæ, rationem subduco. Placuit verò & eo magis hæc vox, quòd non solum & tempus & Deum tempori præsidentem significaret: sed quòd originem etiam & natales Cimmerios haberet. Quamuis enim Saturni nomen nostras etiam sit, non tamen æquè ad temporis notationẽ potest accommodari, nisi quis velit seminalis facultatis excellentiam & principem generandi vim Saturni vocabulo vernaculis nostris significatam tempori adscribere: quod fieri posse non nego, loquendi quadam formula minimè propria: sed fieri posse nego sic, vt vera caussa eo modo indicetur. Verùm quæ sedulitas tua est in occultioribus rebus omnibus perquirendis, non puto me tibi satisfacturum, nisi clara ratione doceam, id quod dico. Croni nomen nostras fateor equidẽ in hoc significatu apud plebem nõ esse in vsu, esse tamen in vsu pro eo, quod eadẽ ratione hac voce nominatur. Cxoy enim nobis dicitur quicquid circulari forma, & rotunditate capiti imponitur. à quo vocabulo Cimmerio Latini coronæ nomẽ retinuerunt. Est autem Cxoy compositum è duabus voculis, Cax, quod illud significat, quod sic amamus, vt contingere velimus, vnde Latini Carum acceperunt. Hanc verò voculam nostratibus deberi, ex eius formatura liquet, quæ propria est & peculiaris Cimbricæ linguæ. Diuinissima enim vocabula sic in ea fiunt, vt contrario ordine lecta illud significent, quod natura postulat prioris significati perpetuo consequens esse. Sed de hac voce, vt in Amazonicis plura dixi, ita de tota ea vocum formandarum ratione in Hermathona nostra copiosè erit agendum; quanquam in Themidis explicatu illustria à nobis sunt data exempla. Cùm itaque Cax conuersum, & per vestigia retro lectum, id significet quod in Caro petimus, necessariò confitendum ex officina nostra primum prodiisse. Iam Qoy idem significat nobis, quod rotundum, cælis tamen prius, quàm ceteris rotundis attributum, propterea quòd Qoy, dum, vt verbum vsurpatur, idem significet, quod celeriter currebat, vti alibi latius erit exponendum. Sicut enim rotunditas ad motionem perpetuam est necessaria: ita nemo ignorat cælum omnium eorum, quæ volui possunt, celerrimum cursum habere: quem præterito imperfecto ob id efferimus, quia semper in tempore pars aliqua præcessit & aliqua sequetur. Caxoy igitur, et de more nostro littera geminata in vnam redacta, Caxoy id significat, quod & carum est & rotundum; quod nomen tempori idcirco tributum est, quòd nihil tempore carius nobis sit: quia omnes videlicet perpetuo durare cupimus, & ad ipsam aspirare vitæ æternitatem. In vna itaque hac vocula cernimus tum temporis ipsius per prius & posterius naturam verbo temporis imperfecti notatam, tum propriam motionis circularis rotunditatem, tum etiam propensionem eam, qua omnia desiderant perennare. Sed copiosius hac in Theologia nostra enucleabuntur. Verùm

qua-

qua causa ad coronam significandam transiuit? ea nempe, quòd ei, cui perpetuã felicitatem vel optamus, vel adesse gaudemus, eum annulari ornamento insigniamus, quæ verissima est coronarum significatio. Quamobrem primùm Deo, vti causæ æternitatis ab omnibus expetitæ, conueniunt; deinde iis, quibus eam impertitus est; pòst omnibus, quibus sempiternam felicitatem precamur. Eant nunc Latini, & videant, an, quicquam tale domi suæ inueniant, ob quod coronæ nomen rectè positum intelligatur. Nec te moueat, quòd Coronam, non Caronam, dicant, eò quòd procliuem esse primæ vocalis in quartam transitum, notius sit, quàm vt docendum existimem. Nostrates in eodem significatu ex Caroy fecêre Cron syncope, vbicunque admitti potest, ob breuitatis studium diligentissimè quæsita. quod vereor ne nimis crebrò his in libris meis iudicer monuisse. Perspicuum igitur nunc est non solùm, qua de causa Cron tempus significet, sed hoc etiam, cur ad annulare capitis ornamentum fuerit accommodatum. Hieroglyphici idem notarunt, dum anguem lubrici lapsus animal sic pinxerunt, vt circulari ductu caput caudam mordere videretur: quod vt non mala ratione factum ab iis est; ita longè significantiùs & copiosiùs Croy tempus & temporis Deum denotare cernimus: siquidem & temporis naturam, & mobilis ipsius corporis formam, & innatam omnibus perennitatis appetitionem vnica syllaba declarat; cui Græci terminationem linguæ suæ propriam adiicientes, fecerunt, vt Cronos pro tempore vsurparetur. Nihili hic facio Grammaticorum pueros, quibus placuit, hanc vocem, dum tempus significat, aspiratam scribi: dum pro Saturno in vsum veniret, citra aspirationis notam pronunciari. Eiusmodi enim inuenta ad homonymiam vitandam alibi admitto; hic non magis laudo, quàm si dicerent Bacchum pro vino, cũ aspiratione; pro Deo citra adspirationem scribendum efferendumque esse. Cæterùm illis, quod volent, vt sequantur, permittens, equidem Cronia sic interpretor, vt non minus ad temporis significationem, quàm ad Saturnalia referri intelligantur. Iterum hîc fortasse rogabis, an Cronia Festa perinde Noacho possint de nomine suo applicari, atque Saturnalia. Nam quamuis iudicarim, Noachum propterea diuino Saturni nomine vocatum fuisse; quia de eius semine totum humanum genus post cataclysmum processit: non tamen inde perspicuum fit, eundem quoque Cronum posse nuncupari, cùm hæc vox temporis, non generationis habeat notionem. Sicut Saturni nomen primùm Deo conuenit, & deinde iis, quibus excellentem seminis vim supremus Saturnus concessit, ita & Croni nomen primùm Deo æternitatis auctori, deinde tempori dandum erit, postea etiam illis, quibus Deus singulari gratia dedit, vt generi mortalium perennitatem impertiantur. Conseruatur autem hæc inter homines, & cetera animantia perpetuo generationis successu. Cuius cùm exordium à Noacho post diluuium pendeat, non malè ab hac diuina prærogatiua Cronus est voca-

vocatus, ea nimirum ratione, qua diuina nomina ad illos transferuntur, in quibus insignis aliqua diuinitatis est participatio, non aliter atque formam impressam sigilli nomine dignamur propter similitudinem ab eo acceptam. Habes nunc inscriptionis rationem; quam eò addidi, ne te tantisper suspensum tenerem, dum Theologica Cimbrorum lucem videbunt: in quibus tamen eadem longè clarius uberiusque ex primis philosophiæ principiis docebuntur. Accipe igitur hæc Cronia eo animo, vt ex iis non immortalem modò nominis tui gloriam; sed coronam etiam tibi omineris, si non terrestrem istam, at saltem eam, quæ illis promittitur, qui omnia sua studia, omnes suos labores, omne tempus ad sanctam Reip. tranquillitatem, & Christiani gregis salutem impenderunt. in quorum numero quem gradum tu teneas, cùm tota Europa intelligat, malo ab aliis cogitari, quàm à me referri, ne quæ maxima in te sunt & illustrissima, ea de verbis meis & minora videantur, & obscuriora. Vale ex itinere ad Fontes ferratos, in quo præfationes omnes Plantinus à me per nuncios extorsit: quod addo, quò impolitæ scriptioni meæ ignoscas.

I. GOROPII BECANI

CRONIA,

LIBER IIII.

PROFLIGATIS eorũ fabulis, qui gentis noſtræ primordia ad neſcio quos Brabones & Gigantes retulerunt; conſtitutoq́; eo, vrbis noſtræ primos conditores Atuaticos fuiſſe, qui Cimbros Teuthonosque maiores ſuos ferrent, ſeries ipſa cõtinuatioque rerum trahere me & cogere videtur ad Cimbrorum originem, qui duces illius expeditionis fuerunt, altiùs explicandam. Qua in re ſi paulò prolixior & operoſior noſtra ſit inueſtigatio, excuſabit me cùm rei, quam tracto, obſcuritas, ob memoriæ à maioribus noſtris ad poſteros tranſmittendę defectum; tum illorum importunitas, qui in facetis nugis cùm melius nihil adferre poſſent, omnia priſca monumenta contaminarunt. Non eſt tamen apud æquos iudices verendum, ne huius culpæ reus condemner, niſi eodem iudicio omnes ferè & veteres & recentes hiſtoriæ ſcriptores è medio tollant Herodotum, Dionyſiumque Halicarnaſſæos, Diodorum Siculum, Strabonem, Plutarchum, Pauſaniam, & eiuſdem optimæ notæ quàm plurimos vetuſtos, quorum libros, quos partim barbaries & bellorum calamitas, partim peruerſa de iis iudicia abſtulerũt, vtinam liceret videre; & inter recentiores multò plures, in quibus præcipui ſunt ab omnibus humanitatis ſtudiis & litteris, tum Græcis, tum Latinis optimè inſtructi, Trithemius, Beatus Rhenanus, Irenicus, Althamerus, Lazius, Perionius, Ioannes Picardus, Cœnalis, Maierus, & infiniti alij, quos enumerare longum ſit & ſuperuacaneum. Hi enim ad vnum omnes ambitioſè admodum verſati ſunt in eorum perſcrutanda antiquitate, quorum memoriam ſcriptis ſuis poſteritati conſecrarunt. Inſitum hoc eſt à natura ipſa generoſiſſimo cuique animo, vt ægrè ferat, ſi in maioribus ſuis inquirendis ſtatim in tenebras, & caliginoſam obliuionis noctem incidat, qui motus atque impetus tantum ſibi iuris in omnes mortales ſumpſiſſe mihi videtur, vt è fabulis potius & nugis genus ſuum ſuſpendant, quàm in obſcura & ignobili aliqua ſtirpe iacêre permittant. Quamuis

igitur & ego non tam ligneus ſim, vt hunc animi raptum non perſentiſcam; freno tamen lupato potiùs cohibere volui, quàm vſquam vitio meo deflectere de recta ſemita veritatis. Si, quæ ſcribam, vera non erunt, culpam illis delegabo, quos itineris duces ſum ſecutus, in quorum tamen delectu non exigua mihi cura fuit adhibenda, ne illos ſequerer, qui prætextu hiſtoriæ puras putas nugas domi ſuæ natas, aut ſuſceptas ab aliquo non minoris vanitatis cerebro hominibus obtrudunt. Quando igitur hoc mihi propoſitum eſt docere, Cimbris primùm auctoribus vrbem noſtram inchoatam eſſe, ſub Atuatici appellatione, atque deinde aliquot poſt ætatibus rurſus abeiuſdem gentis nouis incolis, qui ſe Francos nominarunt, ſub Antwerpiæ nomine eſſe auctam, hoc ante omnia quærendum mihi fuit; Quinam Cimbri, è quibus ſedibus huc, vbi ciuitatis noſtræ primordia poſuerunt, profecti: quibus parentibus, ſi altiſſimè genus repetatur, orti. In quo vetuſtos & bonos auctores ad Cimmerios vſque proceſsiſſe video, ſed apud hos tanquam in Cimmeriis tenebris ſic caligaſſe, vt vlteriùs gentis originem inueſtigare non poſſent. At in Francis, quorum illuſtrior eſt fama, & recentior geſtarum ab ipſis rerum maximarum memoria, omnia difficiliora inueni, non tam ob id quòd ipſe nihil aut perparum de illis apud priſcos & melioris notæ ſcriptores comperiſſem, (in quo quantum præſtiti, ſpero non noſtris modò, ſed Francis omnibus, & ipſorum præſertim Regi probatum iri) ſed quòd totam gentis ſtirpem deſpuendis nugis & fabulis ab omnibus qui de ea ſcriptis aliquid prodiderunt, inquinatam inuenirem. Magno enim conſenſu Francos Troianis longa catena alligarunt, nemine ferè diſſentiente, vno excepto Comite Nuenaro, qui gentem Germaniæ indigenã eſſe ſcripſit, hoc ſuo effugio (quod pace ipſius dixerim) non aliud conſecutus, quàm ſi apertè profeſſus fuiſſet, ſibi non liquêre: quod equidem ab eo dici maluiſſem, quàm illud, è quo colligi poſſet Moſis veriſimæ hiſtoriæ ipſum non ſolùm parum fidei habere, ſed etiam, quod grauius eſt, aduerſari. In aliis in primis illud admiror, quî factum ſit, vt de Troianis cogitarint, atque ad illos genus eorum retulerint, qui Romanis iam mox ab eo tempore, à quo Francorum nomen in Europa fuit auditum, infenſiſsimi hoſtes fuerunt, & non ita multò pòſt totam Galliam & Italiam eorum ſanguine tinxerunt, & tandem non imperium modò occuparunt, ſed ſe etiam Reges Romanorum ſcripſerunt, titulo quo nihil poſt Tarquinium fuit in vrbe magis abominandum. Deinde iudicium & ſenſum communem in ipſis deſidero, qui Francos, illuſtriſsimam gentem & hactenus externis armis inuictam, ab illis co-

gun

gunt generis petere nobilitatem, qui patriam ſuam tueri totius Aſiæ viribus aduerſus Græcos nequiuerunt. A Græcis potiùs, ſiquid alienæ claritatis vellent, nomen & gentis antiquitatem emendicaſſent, apud quos nobiliſſima illa fuit victoria omnium poëtarum carminibus celebrata, apud quos etiam appellationis ſuæ rationem inueniſſent, omnibus quoſcunque Franci haberent, hoſtibus horrēdam. Quis enim non metuat, quis non paueat, quis non exhorreſcat, ſi pharangas aquarum ſiue rapidos torrentes audiat, montium fragmina & ſiluas ſecum magno tonitru & fragore voluentes? Nihil profectò miri, ſi quæcunque inuaſerunt, proſtrauerint, ſi à pharangibus nomen ducere meruerunt. Hanc igitur potius laudem adſciuiſſent, in qua non præteritæ tantùm victoriæ memoria extaret, ſed promiſsio etiam & certum omen contineretur frequentium triumphorum. Bene igitur nunc faciunt huius ætatis doctiſsimi quique Francorum, qui contemptis Troianis linguam ſuam ad Græcam referunt, & certatim ex ea vocum ſuarum origines (ſi Hermeti placet) ducunt. Quis autem fuerit præcipuus huius Troici delirij auctor, Trithemius abbas indicabit, eodem errore, quàm ceteri omnes magis impeditus. Is enim Hunibaldum quendam æqualem temporum illorum, quibus Clodoueus à Remigio religionis Chriſtianę luſtralibus aquis tinctus eſt, ita prædicat, vt ſolidum Francorum Hiſtoriographum appellet, atque tanti facit, vt eius duodeuiginti hiſtoriarum libros in compendium contraxerit, illo ſuo ſtudio tam de Hunibaldo bene meritus, quàm Iuſtinus de Trogo Pompeio, & Iuſtino cognominis Iuſtinianus de vetuſtis iuriſconſultis. Dediſſet nobis integrum, tam antiquum, tam laudatū, tam ſolidum veritatis auctorem, quo non capita modò rerum, ſed conſilia etiam, dicta factaque omnia maiorum haberemus. Sed quia id facere Trithemio viſum non eſt, ne fortaſſe in longo opere non ſatis aſtutè mentitus eſſe deprehenderetur tam præclarus ſcriptor, neceſſe nobis erit æqui bonique conſulere, quod ab illo eſt communicatum. Quod quanti fieri debeat à nobis, ex eo æſtimandum reliquit hic Hunibaldicæ hiſtoriæ ſiue ſarritor ſiue putator, quod non otioſè præfationi adiecit, egregium hunc auctorem ſcripſiſſe poſt Doracum philoſophum, Waſtaldum hiſtoricum, & alios plures rerum geſtarum antiquiſsimos ſcriptores. Quis non credat homini, qui hiſtoriam ſuam à Doraco philoſopho accepit? Vt enim hiſtorici errēt, & à veritate, quam non agnoſcunt declinent, nunquam tamen philoſophi acumen tam erit obtuſum, vt non poſsit inter verum & falſum diſcernere. Cogitemus igitur nos, dum compendium legimus, diuinum quiddam

Doracus philoſophus.
Waſtaldus hiſtoricus.

legere,quod è fontibus philoſophiæ ſit profectum,cui non minus ſit credendum,quàm Platoni ex eiſdē fontibus Atlanticæ Reip. hiſtoriā deriuāti. Quis nō credat Thomę Moro Vtopiam ductu philoſophię, quæ optima eſt veritatis indagatrix,deſcribenti ? cuius nō leges tantùm, ſed linguam etiam & litteras patefecit. Credendum certè Doraco philoſopho,quia philoſophiam magiſtrā habuit, quæ hiſtorias dedit admirabiles Atlanticas & Vtopicas. Ne igitur iniquior ſim Hunibaldo quàm Platoni,æquè illi in Francorū, atque huic in Atlanticorū hiſtoria credā. Tantundē fidei illis adhibebo,qui tam illuſtria veſtigia ſecuti, Hectoris lumbis Reges Ducesq; noſtros eduxerunt. Atq; hęc quidē de Hunibaldo. Verùm dolet mihi,quòd nō explicarit,qua de cauſa Franci dicti ſint,cùm priùs Scythas & primū Troianos nominatos eſſe tradat. Antenoris enim meminit cōpendium,qui regnarit ante Chriſti ſeruatoris noſtri natalē anno quadrageſimo ſupra quadringētos. Priorū,quos multos fuiſſe à Troiæ vſq; excidio par eſt,altū eſt ſilentiū. At ego auidè cupideq; audiuiſſem à quo vel duce,vel loco,vel euentu Franci nomen ortū eſſet,ab illo pręſertim ſolido antiquitatis Francicæ doctore. Verùm quoniā vel ipſe auctor, vel auctoris deflorator hanc ſitim meam nō expleuit, coactus ſum alios inueſtigare fontes. Accurro igitur ad Moſem. ad quē enim priùs? Sed ne hîc quidem quidquā inuenio,quod Francici nominis originē declaret. Ab hoc,quem ſecundū potiùs cōſulerē,quàm Beroſum,qui nō ab Athenienſibus tantū eſt honoratus, qui ei ſtatuā lingua inaurata fecerunt,ſed à Ioſepho etiam de veritate hiſtoriæ laudatus. quod ego pluris facio,quàm ſexcētas ſtatuas,quandoquidē ſciam illam demum verā ſolidamq; laudē eſſe, nō quę à vulgo peſſimo virtutis iudice,ſed quæ à viro laudato proficiſcatur. Huius riuulis, qui in fragmentis ei inſcriptis reliqui ſunt,auidè inhians,hauſi multa quidem & pręclara antiquitatis noſtræ monumenta,ſed nihil ad Francū. Nā cùm Thuiſconas,Mannos,Hermionas,Marſos,Gambriuios,Sueuos, Vādalos, Hercules Alemānos enumeraſſet, illic me deſeruit, vbi maximè eum audire cupiebā. Sed nō malè omninò res vertit; Beroſi enim verba excipit Manethon Ægyptius, ſcriptor à Ioſepho non minùs laudatus, apud quē hæc lego ſermone Latino,de cuius neſcio interpretatione: Anno VII. Aſcanius Latinis imperat. Anno verò ſequēte Teuteus Aſſyriis,& pòſt Francus Celtis ex Hectoris filiis. Hæc verba Rhenanus Beroſo,neſcio quod exēplar ſecutus,attribuit, atq; tam clari nominis virū,cui alienas plumas aſſuerat,multis falſis & amaris dictis, ne dicā cōuitiis mediū ferit;& tandē cùm ſatis diu oſtentui deriſuiq; habuiſſet,ipſum autiquitatū ſacrariū ſententia ſua exaugurat,illud illud ſacrarium

crarium exaugurat, è cuius adyto omniũ gentiũ exordia manarunt. Indignũ id facinus & impiũ plurimis videri. turbari Cœnalis,opem ferre,omnibus viribus ſuccurrere, ſuſtinere Beroſi auctoritatẽ,repellere Rhenanũ,& dictis dicta reponere.Sed quãdo Cœnalis nunc mihi ad manũ non eſt, neſcio an in toto hoc cõtra Rhenanũ certamine animaduerterit,Franci nomen nõ à Beroſo, ſed Manethone allatum fuiſſe,qui apertè in principio operis ſui profitetur,Beroſum à diluuio ad Dardanię vſq; ſiue Troię regnũ Chaldæorũ hiſtoriã ſcripſiſſe,quę deinde ſecuta ſunt,ſe addidiſſe.Quo fit, vt Franci,Hectoris filij,meminiſſe nõ potuerit: atq; idcirco Rhenanus incõſiderantiæ fuerit accuſandus.Sed hoc vt nullũ vel exiguũ crimẽ eſt,ita illud non ſatis ferendũ,quòd Beroſi fragmenta ſola cõiectura & deriſione oppugnarit,cuius tamẽ apud omnes eos,qui has reliquias(vt volunt) legerũt, maxima fuit ſemper & indubitata auctoritas; quã ſi labefactare aut euertere ſtudebat,alij erant arietes admouẽdi.Fundamenta enim omnium hiſtoriarũ,omnium Chronicorũ,omniũ originũ, quę ante annos cõplures in lucẽ exierunt, qui funditus euertere molitur, is non contra vnũ ac alterũ, ſed contra innumeros vt pugnet neceſſe eſt, & idcirco nõ pugiunculus,nõ gladius ſatis erit,ſed Achillæa quędã panoplia è Vulcania officina cũ bona Veneris gratia erit adferẽda. Verùm quia nec Rhenano, nec alij cuiquã ſeriò libuit ad certamen hoc deſcendere,& vires in eo experiri, vel quia id indignũ grauitate ſua, vel quia operoſum moleſtũq; exiſtimarent, video equidẽ magnas mihi moleſtias ſubeundas eſſe,ſi quoties ab antiquariis his ſcriptoribus diſſentiam(diſſentiam autẽ frequẽter) ſit nõ ſolùm de veritate, ſed de ipſorũ etiam exiſtimatione, & præiudicata auctoritate digladiandũ. Quocirca ne crebrò orationis meæ curſum interrũperent & demorarentur,viſum eſt in ipſo ſtatim principio ſemel impetũ in eos facere, quo vel deterreãtur,vel hoc ſaltẽ ſentiãt, maioribus ſibi auxiliis opus eſſe ad ſua defendenda;quę ſi pòſt fortè accedent,tum mihi erit iuſto cũ illis prœlio cõfligendũ. Intereà ſatis ſit tumultuaria hac velitatione eos reiicere;non verò ea ratione proſternere, vt ſingula ipſorũ tela aut confringã,aut è manibus extorqueam,quod operę eſſet non longioris modò,ſed inſpecturis etiã moleſtæ & tædioſæ.Si enim opinionem tot hominũ iudiciis acquiſitam abſtulerim, nihil erit opus ſigillatim,quæ mihi in illis diſplicent, annotare. Primùm autẽ Beroſum aggrediamur,& eũ ipſius Beroſi gladio iugulemus,ne diu anceps pugna protrahatur. Quo enim modo certiùs euincerẽ,Fragmenta hæc, quę Beroſi nomine circũferuntur,Beroſi nõ eſſe, q̃ ſi veris & germanis Beroſi ſcriptis collata cõtraria deprehẽdãtur? At quis dicet ea quę

adducam, ipsius Berosi verba esse, si Berosi scripta perierunt? Idoneus nempe & grauissimus testis Iosephus in iis quæ contra Apionem scripsit. Is igitur cùm à Noæ diluuio ad Nabolassarum vsque Babyloniorum & Chaldęorum Regem historiam perduxisset, atque inter cetera ab eo gesta ad illud peruenisset, qui filium suum Nabuchodonosorum cum ingenti exercitu contra Ægyptios & Iudæos, qui rebellarunt, miserit, atque eius opera omnes subiugarit, sic ad verbum scripsit:

Berosi verba.

Ακούσας δ' ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ναβολάσσαρος, ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἔν τε Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ τὴν Συρίαν τὴν κοίλην καὶ τὴν Φοινίκην τόποις ἀποστάτης γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτη κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ υἱῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἔτι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως, ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτόν. συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ, καὶ παραταξάμενος, αὐτοῦ τε ἐκυρίευσεν, καὶ τὴν χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτῶν βασιλείαν ἐποίησεν· τῷ τε πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβολασσάρῳ, κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀῤῥωστήσαντι, ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον, ἔτη βεβασιλευκότι εἴκοσι ἐννέα. αἰσθόμενος δὲ μετ' οὐ πολύ, τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος, καταστήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα καὶ τὴν λοιπὴν χώραν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ιουδαίων τε καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν συντάξας τισὶ τῶν φίλων, μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς παρεγένετο διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων, καὶ διατηρουμένην τὴν βασιλείαν ὑπὸ τοῦ βελτίστου αὐτῶν, κυριεύσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς, τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παραγενόμενος, συνέταξεν αὐτοῖς ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδεῖξαι. αὐτὸς δὲ ἀπὸ τῶν ἐκ τοῦ πολέμου λαφύρων, τότε Βήλου ἱερὸν καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήσας φιλοτίμως, τήν τε ὑπάρχουσαν ἐξ ἀρχῆς πόλιν, καὶ ἑτέραν ἔξωθεν προσχαρισάμενος, καὶ ἀναγκάσας πρὸς τὸ μηκέτι δύνασθαι τοὺς πολιορκοῦντας τὸν ποταμὸν ἀναστρέφοντας ἐπὶ τὴν πόλιν κατασκευάζειν, ὑπερεβάλετο τρεῖς μὲν τῆς ἐνδὸν πόλεως περιβόλους, τρεῖς δὲ τῆς ἔξω τούτων. τοὺς μὲν ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου, τοὺς δὲ ἐξ αὐτῆς τῆς πλίνθου. καὶ τειχίσας ἀξιολόγως τὴν πόλιν, καὶ τοὺς πυλῶνας κοσμήσας ἱεροπρεπῶς προσκατασκεύακεν τοῖς πατρικοῖς βασιλείοις, ἕτερα βασίλεια ἐχόμενα ἐκείνων, ὑπεραίροντα ἀνάστημα καὶ τὴν πολλὴν πολυτέλειαν. μακρὰ δ' ἴσως ἔσται ἐάντις ἐξηγῆται.

γῆταγ. πλὴν ὅλαγε ὑπερβολὴν ὡς μεγάλα & ὑπερήφανα, συνελέ-
σθη ἡμέραις δεκαπέντε. ἐν ᾧ τοῖς βασιλείοις τέτοις ἀναλήμματα λίθινα
ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας, καὶ τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, κα-
τασφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξειργάσατο, καὶ κατασκευάσας τὸν
καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα, αὐτῷ ἐπιθυμεῖν τῆς
ὀρείας διαθέσεως, τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ τὴν Μηδίαν τόποις.

Horum ſententia ſic ferè Latinè exprimeretur: Cùm audiſſet pater eius Nabolaſſarus Satrapam, quem Ægypto, Cœloſyriæ atque Phœniciæ præfecerat, à ſe defeciſſe, neque ipſe per ætatem ampliùs poſſet labores ferre, filium in ipſo ætatis vigore conſtitutum cum parte exercitus contra eum miſit. Nabuchodonoſorus autem prœlio commiſſo tum rebellem in poteſtatem redegit, tum regionem omnem imperio cui primùm ſuberat, vindicauit. Quæ dum geruntur, accidit Nabolaſſarum patrem Babyloniæ morbo correptum interire, cùm iam vndetriginta annos regnaſſet. Non ita multò pòſt de morte patris certior factus, rebus in Ægypto, & reliquis regionibus ordinatis atque conſtitutis, datoque negocio amico cuidam, vt captiuos Iudæos, Phœnices, Syros, Ægyptios cum exercitu & auxiliaribus copiis in Babyloniam duceret, ipſe cum paucis per deſerta Babylonem intrauit. Cùm igitur res à Chaldæis bene rectoque ordine adminiſtrari, & regnum ab optimo ipſorum ſeruari in ſuum aduentum deprehendiſſet, atque ita ex aſſe imperio paterno potitus eſſet, animum captiuis adiecit, quibus colonias in opportuniſsimis Babyloniæ locis deſignari iuſsit. Interim ipſe ex opimis belli ſpoliis Beli templum & cetera ambitiosè magnificeque exornauit, & vrbi priori altera exterius adiecta ſic vrbem conſtitui imperauit, ne poſſet fluuius in obſidione diuerti, vt tribus muris exteriùs, tribus item interiùs, illis quidem è latere cocto & bitumine, his verò ex ipſo crudo latere cingeretur. Poſtquam nunc vrbem pro eo atque ratio poſtulare videbatur, mœnibus circundediſſet, & diuino quodam modo portas exornaſſet, ad regiam paternam alteram ei continentem exſtruxit, & multiplici ornatu ſumptuoſiorem, & altis faſtigiis longè ſuperiorem. Quę ſiquis enarrare conaretur, nimis fortaſſe longa eſſet oratio. Verùm cùm tam magna eſſet atque ſuperba, diebus tamen quindecim eſt abſoluta. In hoc regio palatio ædificium fecit altiſsimis lapideis columnis in maximam ſublimitatem elatum, è quo non aliter quàm ex altis montibus proſpectus pateret, in quo plantatis omnis generis arboribus fecit, vt paradiſum haberet, tum re, tum nomine penſilem, atque id totum in gratiam vxoris, quæ quòd in Me-

Nabolaſſarus.

Nabuchodonoſorus.

Beli templum.

Babylonia triplici muro cincta.

Paradiſus pẽſilis.

in Media educata esset, montoso situ maximè oblectabatur. Hæc Berosus. Quibus Iosephus subdit:

Ταῦτα μὲν οὗτος ἱστόρησεν περὶ τοῦ προειρημένου βασιλέως, καὶ πολλὰ πρὸς τούτοις τῶν Χαλδαϊκῶν, ἐν ᾗ μέμφεται τοῖς ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν, ὡς μάτην οἰομένοις ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ασσυρίας κτισθῆναι τὴν Βαβυλῶνα, καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι περὶ αὐτὴν ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφόσι. καὶ κατὰ ταῦτα τὴν μὲν τῶν Χαλδαίων γραφὴν ἀξιόπιστον ἡγητέον. οὐ μὲν ἀλλὰ κἀν τοῖς ἀρχαίοις τῶν Φοινίκων σύμφωνα τοῖς ὑπὸ Βηρωσσοῦ λεγομένοις ἀναγέγραπται, περὶ τοῦ τῶν Βαβυλωνίων βασιλέως, ὅτι καὶ τὴν Συρίαν καὶ τὴν Φοινίκην ἅπασαν ἐκεῖνος κατεστρέψατο. περὶ τούτων γοῦν συμφωνεῖ φιλόστρατος ἐν ταῖς ἱστορίαις, μεμνημένος τῆς Τύρου πολιορκίας. καὶ Μεγασθένης ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Ινδικῶν. δι' ἧς ἀποφαίνειν πειρᾶται τὸν προειρημένον βασιλέα τῶν Βαβυλωνίων, ἡρακλέους ἀνδρίᾳ καὶ μεγέθει πράξεων διενηνοχέναι. καταστρέψασθαι γὰρ αὐτὸν φησὶ Λιβύης τὴν πολλὴν καὶ Ιβηρίαν.

Quæ nos sic vertimus: Hanc quidē ille scripsit historiam de Rege prædicto, & adhæc multa alia de rebus Chaldęorū. in qua reprehendit Græcos scriptores, quòd sine causa omni atque ratione arbitrati sint à Semiramide Assyria Babylonem conditam esse, atque ei prætereà falsò adscripserint, quæ illic opera summa hominum admiratione spectantur. Et certè sic sentiendum Chaldæorum scriptionem fide dignam esse, non solum quòd hęc quæ scribant, sua sint, verùm ob id etiam, quod in vetustis Phœnicum monumentis de hoc rege Babyloniorum consona cum Berosi dictis narratione scriptum sit, Syriam ab ipso & totam Phœniciam euersam fuisse. Tum etiam cum eisdem concinit atque cōsentit Philostratus in historiis, vbi Tyri obsidionem commemorat, nec non Megasthenes in rerum Indicarum libro quarto, in quo ostendere conatur regem Babyloniorum, cuius mētio facta est, Herculi fortitudine & rerū gestarū magnitudine pręferendum fuisse, quippe qui magnā partē Libyæ & Hispaniam etiam subegerit. Hactenus Iosephus: post quę mox addit Berosi verba, quibus Nabuchodonosorū narrat obisse, quadragesimo tertio regni anno. huic filiū successorē duobus annis dūtaxat, qui ob sceleratā vitā à sororis marito Neriglissorooro occisus tyrannicidam regno beauit annis quatuor, cuius filio Laborosoardocho puero adhuc, cū nouem mensibus regnasset, ob prauam indolem interempto, regnū cōmuni eorū cōsensu, qui puerū occiderāt, datur Nadunedo vni de Babyloniis ciuibus socio in Regem factę impressionis, quo imperante muris

Græci scriptores in quo à Beroso reprehensi.

Philostratus.

Megasthenes.

Neriglissoroorus.

Laborosoardochus.

Nadunedus.

vrbi s

vrbis è cocto latere & bitumine factis ſumma manus impoſita eſt. Hunc decimumſeptimum iam annum regnantem Gyrus è Perſide ruens, tota reliqua Aſia ſubiugata ſolio deiecit, atque in Carmaniam ablegauit, vt eam ſibi domicilium, quoad vita ſupereſſet, haberet. Atque hæc quidem apud Ioſephum ipſius Beroſi verbis paulo latiùs exponuntur. His duobus Beroſi illius germani & extra controuerſiam poſiti locis Fragmenta Beroſi fictitij conferamus. In horũ libro quinto hæc ſcripta inuenimus. Quarto loco regnauit apud Babyloniam vxor Nini Aſcalonita Semiramis annis quadraginta duobus. Hæc anteceſſit militia, triumphis, diuitiis, victoriis & imperio omnes mortales, ipſa hanc vrbem maximam ex opido fecit, vt magis dici poſſit illam ædificaſſe quàm ampliaſſe. Nemo vnquam huic feminæ comparandus eſt virorum. Tanta in eius vita dicuntur & ſcribuntur cùm ad vituperationem, tum maximè ad collaudationem magnifica. Quid hoc eſt bonæ Muſæ? hic noſter Latinus Beroſum ſe dicit, & ex diametro cum Beroſo Chaldæo pugnat. Audiuimus ipſi ſuis illum Chaldæum verbis aſſerentem Nabuchodonoſorum Babylonem ampliaſſe, & triplici muro tum foris, tũ intus cœpiſſe munire, atque triplicem murum è latere cocto & bitumine inchoatum à Nadunedo poſtea abſolutum eſſe. Penſilis etiam paradiſi miraculum à Nabuchodonoſoro vxori ſuæ factum eſſe. Deinde, teſte Ioſepho, paululum progreſſum in Nabuchodonoſori rebus geſtis narrandis Græcos mendaciorum accuſare: quòd hęc omnia opera Semiramidi Aſſyriæ affingant. Quid igitur dicis, ô bone vir, qui tantis laudibus Semiramim euehis? audes adhuc dicere Beroſum te eſſe? at Beroſus clamat te nihil aliud, quàm Græca mendacia venditare. Apage, apage, peſſimus es hiſtrio, qui non meliùs noris Beroſum agere. Poſthac hortor, vt tineas paſcas, & pro larua Beroſi fias ſalſamentaria Sardorum cuculla. Nimis diu regnaſti, non apud Viterbienſes modò tuos & Raſenuos & Malotos, ſed apud elegantiſſimos etiam ſcriptores. Quòd ſi apud hos & Bardos tuos & Langos te continuiſſes, nunquam ego tanti te feciſſem, vt tibi perſonam detraherem, quam tam ineptè gerebas. Plurima neceſſe eſt ſciat, qui velit bene mentiri. Eat nunc Cœnalis & Rhenano iraſcatur, cùm iam ipſe Beroſus teſtimonium clariſſimum dixerit contra Pſeudoberoſum, mendacem eſſe perinde atque Græcos in medio pronuncians. Malè fabula Plauto ſucceſſiſſet, ſi non maior inter Menechmos, & alibi inter Soſias ſimilitudo fuiſſet. Apud Dialecticos illa maximè pugnare dicuntur, quę ἀντιφατικῶς, id eſt, contradictione pugnant. Nihil igitur magis Pſeudoberoſo repugnat, quàm ipſe Beroſus, qui ipſi eſt

Cyrus.

Beroſi et Pſeudoberoſi collatio.

Semiramis Aſcalonita.

Pſeudoberoſo Beroſus maximè contrarius.

ἀντιφατικὸς, id est contradicens. Hic enim Semiramidem maxima illa operum miracula feciſſe negat, ille ait. Quid ergo plures attinet denunciare teſtes? Non igitur opus eſt ſigillatim per ſingula Pſeudoberoſi capita mendacia ipſius patefacere, quę tot ferè ſunt, quot numerantur vrbium conditores, quandoquidem certiſſimò conſtat nihil Beroſi habere præter vnum illud de Arca Noæ, quod è Ioſephi Archaiologiæ libro primo mutuatus eſt, reliqua partim è Græcorum fabulis, partim de Thalmudiſta, quem frequenter nominat Annius, partim de gentium appellationibus conſarcinauit. Porrò non ſolo hoc de Semiramide mendacio ſe prodidit hic noſter falſarum antiquitatum architectus, ſed libri etiam vltimi concluſione, qua non ipſe tantùm falſus eſſe deprehenditur, ſed Manethon etiam noſter Viterbienſis Pſeudomanethon eſſe conuincitur. Beroſi hiſtoriam antè adduximus è Ioſepho ad regni Babylonici vſque euerſionem, & Cyri imperium per totam Aſiam è Perſide prolatum. Noſter Pſeudoberoſus quaſi mentiendo defatigatus, more peſsimi aſini clitellas abiicit in Aſcatade ſuo decimo octauo (vt vult) Babyloniorum rege, his verbis præclaro operi finem imponens. Itaque qui reges & tempora traduntur à noſtris, de primoribus regnis orbis à Iani diluuio primo vſque ad Dardaniæ regnum conditum, his noſtris breuiſsimis annotationibus ſint hactenus dicta. Si hunc vltimum ſtridorem non addidiſſet, & caudam ſuam occultaſſet, non tam claro indicio ſe ſorex prodidiſſet. Beroſus Cyri victoriam, Nadunedi fugam & exilium deſcribit; hic noſter ad principium regni Dardaniæ ceſſat: & poteramus ſuſpicari tantum hiſtoriæ temporis iniuria periiſſe, quantum à Dardano ad Perſarum imperium deſideratur, niſi Pſeudoberoſus peroraſſet. Sed videmus illud item non bene quadrare, quòd hic noſter antiquarius, cùm omnia illa quæ à Dardano ad Cyrum vſque contigerũt, ab hiſtoria ſua excluſiſſet, quinque tamen libros expleuit, cùm Beroſus Chaldæus tribus libris omnia concluſerit. Quod nos Tatiani priùs philoſophi Aſſyrij, pòſt Chriſtiani, verbis didicimus, qui Beroſum Beli ſacerdotem fuiſſe ſcribit, & hiſtoriam Chaldæorum tribus libris compoſuiſſe, in gratiam Antiochi eius, qui tertius fuit poſt Seleucum. Hinc etiam coniectare poſſumus, nõ ad Cyri tantum regnum (vt antè monſtraui) ſed ad Alexandrum vſque Regũ ſucceſſiones deduxiſſe, ſi quod potuit fecit. Clemens certè Alexandrinus in Protreptico è libro tertio Chaldaicorum Beroſi, quem vltimum eſſe idoneo teſte declaraui, commemorat Artarxerxem Darij filium eius, cui pater fuit Ochus, primum fuiſſe Perſarum regem, qui ſtatuas erexerit ad colendũ. Liquet igitur ad Artarxerxem vſque

Maxima Beroſi & Pſeudoberoſi diſcordia.

Beroſus, Beli ſacerdos.

vſque hunc progreſſum eſſe. Nihil itaque dubito, quin ad ætatem vſq; ſuam, hoc eſt, ad Alexandrum, & regni Perſici finem hiſtoriam ſcripſerit. Pudeat ergo Pſeudoberoſum noſtrum tam ineptè quinque libris tam citò ſe defatigaſſe, neque tantum tamen comprehendiſſe, quantum verus ille & genuinus Beroſus libris tribus incluſit. Iam ad Manethonem noſtrum Latinum. Is quaſi lampada à Pſeudoberoſo ſibi traditam excipiens, ſtatim in primo limine in eundem errorem impingit, quo alter eſt in extrema fabulæ cataſtrophe è proſcenio delapſus. Incipit enim hiſtoriam, ſi Muſa probet, hoc modo. Beroſus inter Chaldæos probatior deflorauit breuiſſimis annotationibus omnia Chaldaica de potioribus regnis orbis à diluuio maximo, quod eorum maiores ſcribunt fuiſſe ante Ninum vſque ad præcipuum regnum Troiæ conditum. Nos quoque vbi ipſe reliquit, proſequemur ea, quæ nos ex noſtris Hiſtoricis vel eorum relationibus conſecuti ſumus, per noſtros Ægyptios reges progrediendo, vt ipſe egit ſub Aſſyriis. Profectò ita eſt. De voce graculus graculo ſimilis eſſe cognoſcitur. Quàm concinnè Manethon Beroſo ſuccinit: Herculem diceres laſſo Atlanti humeros commodantem, ad molem hiſtoriæ ſuſtinendam. Quia igitur is qui mentienti teſtimonium dat, ipſo mentiente magis eſt execrandus, Manethonem matellionem faciamus, aut laſanophorum Beroſum, cui Laſanum ſupponit, dicamus nec ſcripſiſſe nec deflorauiſſe, ſed antiquitates concacaſſe. Indignus, ita me mendaces iſti fugiant, eſt Pſeudomanethon, contra quem pluribus agatur. Sed quia Pſeudoberoſo hoc dedimus, vt à germano Beroſo mendacij conuinceretur, tribuamus Pſeudomanethoni etiam eundem honorem, vt ab ipſo Manethone impudentiſſimus eſſe mendaciorum conſutor luce clariùs oſtendatur. Manethon igitur natione Ægyptius, Græco ſermone patriæ ſuæ hiſtoriam è Sacerdotum traditione tranſſumptam omnibus legendam dedit, in qua plurimos Herodoti errores ab ignorantia rerum Aegyptiacarum profectos reprehendit. Eius apud Ioſephum hæc ſunt verba:

Pſeudomanethon.

Ἐγένετο βασιλεὺς ἡμῖν, Τίμαος ὄνομα. ἐπὶ τούτου οὐκ οἶδ' ὅπως ὁ θεὸς ἀντέπνευσεν. καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι, καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν, καὶ ῥαδίως ἀμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον. καὶ τοὺς ἡγεμονεύσαντας ἐν αὐτῇ χειρωσάμενοι, τὸ λοιπὸν τάς τε πόλεις ὠμῶς ἐνέπρησαν, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν. πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότατά πως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τοὺς δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες. πέρας δὲ καὶ βασιλέα ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐποίησαν, ᾧ ὄνομα ἦν Σάλα-

τις· καὶ ὅσοι ἐν τῇ μέμφιδι κατεγίνετο, τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν δασμολογῶν, καὶ φρουρὰν ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις καταλείπων τόποις. μάλιστα δὲ καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὴν ἠσφαλίζατο μέρη, προορώμενος Ασσυρίων ποτὲ μεῖζον ἰσχυόντων, ἐσομένην ἐπιθυμίαν τῆς αὐτῆς βασιλείας ἔφοδον. εὑρὼν δὲ ἐν νομῷ τῷ Σαΐτη πόλιν ἐπικαιροτάτην, κειμένην μὲν πρὸς ἀνατολὴν τοῦ βουβαστίτου ποταμοῦ, καλουμένην δ' ἀπὸ τῆς ἀρχαίας θεολογίας Αβαριν, ταύτην ἔκτισέν τε, καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν ἐνοικίζας αὐτῇ καὶ πλῆθος ὁπλιτῶν εἰς εἴκοσι καὶ τέσσαρας μυριάδας ἀνδρῶν πρὸς φυλακήν. ἐνθάδε κατὰ θέρειαν ἤρχετο, τὰ μὲν σιτομετρῶν καὶ μισθοφορίαν παρεχόμενος, τὰ δὲ καὶ ταῖς ἐξοπλισίαις πρὸς φόβον τῶν ἔξωθεν ἐπιμελῶς γυμνάζων. ἄρξας δὲ ἐννεακαιδέκα ἔτη τὸν βίον ἐτελεύτησεν. μετὰ τοῦτον δὲ ἕτερος ἐβασίλευσεν τέσσαρα καὶ τετταράκοντα ἔτη, καλούμενος Βηών. μεθ' ὃν ἄλλος Απαχνὰς, ἓξ καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ μῆνας ἑπτὰ, ἔπειτα δὲ καὶ Απωφις, ἓν καὶ ἑξήκοντα, καὶ Ιανίας πεντήκοντα καὶ μῆνα ἕνα, ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ Ασσις ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα καὶ μῆνας δύο. καὶ οὗτοι μὲν ἓξ ἐν αὐτοῖς ἐγενήθησαν πρῶτοι ἄρχοντες, ποθοῦντες ἀεὶ καὶ μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ ἔθνος ὑκσώς. τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες. τὸ γὰρ ὑκ καθ' ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ σως ποιμήν ἐστι, καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον. καὶ οὕτω συντιθέμενον γίνεται ὑκσώς. τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι.

Quæ ſic reddidi: Rex nobis fuit Timaus nomine, ſub quo neſcio quî acciderit, vt Deus contrariis ventis nobis ſpirauerit, atq; homines quidã ignobiles genere à partibus Orientalibus contra omnem exſpectationẽ magna audacia regionem inuaſerint, & caſtris ſæpiùs mutatis, vi ſumma, citra prœlium tamẽ, totã occuparint: & ducibus quidẽ & principibus in poteſtatẽ redactis, in reliquis ſic ſe geſſerunt, vt vrbes crudeli incendio delerent, & deorũ templa funditùs euerterent; omnes verò regionis incolas hoſtiliſſima immanitate vel iugularent, vel ipſos cum prolibus & vxoribus in ſeruitutem abducerẽt. Tandem verò & Regem vnum de ſuo numero fecerunt, cui nomen Salatis, qui in Memphide morabatur, tributa & vectigalia è ſuperiore & inferiore regione cogens, præſidiis oportuniſſimo cuique loco impoſitis. Maximè verò ea muniebat loca, quæ ad Orientem ſpectarent, quòd longè proſpiceret, fore, vt Aſſyrij potentiores aliquando redditi inuadendi regni eius cupidine ducerentur. Cùm igitur in Saitide præfectura vrbem inueniſſet ad Bubaſtitæ flumi-

nis

nis orientalem plagam ſitam, antiqua Theologia Abarin vocatam, maximè oportunam eſſe, eam de integro & condidit, & mœnibus reddidit firmiſſimam, collocatis in ea armatorum viginti quatuor myriadibus, vt loco præſidio eſſent. In hac æſtate regni ſedem habebat, tum vt & frumentarium dimenſum & ſtipendia ſolueret, tum vt militem in armis ſumma cura diligentiaque exerceret ad metum exteris incutiendum. Hic cùm vndeuiginti annis imperaſſet, è viuis exceſſit, poſt quem alius Beon nomine annis quadraginta quatuor regnauit, poſt quem rurſus Apachnas annis triginta ſex, & mẽſibus ſeptem. deinde Apophis annis ſexaginta vno, & Ianias quinquaginta & menſe vno, poſt hos omnes Aſsis quadraginta nouem, & menſibus duobus. Atqui hi quidem ſex fuere primi principes eorum, quibus id maximè in votis fuit, quò in dies magis atque magis Aegypti ſtirpem radicitùs euellerent. Vocabatur autem gens hæc Hycſos, id eſt reges paſtores. Hyc enim in ſacra lingua regem ſignificat: ſos verò communi lingua paſtores: vnde componitur Hycſos. Sunt qui Arabes eſſe dicant. Hactenus Manethon. Pòſt verò addit, reges hos paſtores nominatos quingentis & vndecim annis rerum in Aegypto potitos fuiſſe: deinde verò inſurrexiſſe è Thebaide & reliqua Aegypto reges contra eos, atque rem inter ipſos in bellum erupiſſe magnum & diuturnum, ſed paſtores tandem victos eſſe ab Halyſphragmuthoſi tum apud Aegyptios regnante, & reliqua regione tota depulſos concluſos fuiſſe loco, qui in circuitu pateret ad decies mille aruras, id eſt, viginti ſex milliaribus noſtratibus, ſi ſingulis quatuor millia, vt debent, paſſuum tribuãtur. Hunc locum, cui Abaris nomen eſt, muro magno & firmo paſtores concluſiſſe, quo res ſuas & prædas in tuto haberent. Hos deinde à Thummoſi filio Halyſphragmuthoſeos obſeſſos fuiſſe exercitu quadraginta octo myriadum, circum muros collocato. Poſteà verò deſperantem obſidione expugnari poſſe, fœdera cum ipſis ſanxiſſe, vt relicta Aegypto rebus omnibus ſaluis, quò vellent, abirent. Eos igitur cùm his pactis conuentum eſſet, cum omni familia & ſupellectile conuaſata ex Aegypto per deſertum in Syriam iter feciſſe, non pauciores hominum millibus ducentis ſexaginta. Metu verò Aſſyriorum, penes quos ſumma rerum tum temporis in Aſia erat, in ea regione quæ nunc à Iudæis nomen habet, vrbem condidiſſe, quæ tot hominum myriadibus capiendis ſatis magna eſſet, eamque Hieroſolyma nominaſſe. Atque hæc quidem Manethon de Iudæis: ſed ea non poſſunt proposito meo multum ſeruire, quò doceam, quæ tempora Manethon ſit complexus, niſi alia quædam addidero, quæ malo, quia breuiora fieri

non possunt, ipsius auctoris verbis recitare:

Μετὰ τ' ἐξελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τὸν λαὸν τῶν ποιμένων εἰς Ιεροσόλυμα, ὁ ἐκ βαλὼν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτιος βασιλεὺς τέθμωσις, ἐβασίλευσεν μετὰ ταῦτα ἔτη εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἐτελεύτησεν, καὶ παρέλαβε τὴν ἀρχὴν ἀπ' αὐτοῦ υἱὸς χέβρων ἔτη δεκατρία. μεθ' ὃν ἀμένωφις εἴκοσι καὶ μῆνας ἑπτά, ἐξ ἧς ἀδελφὴ, ἀμεσσὶς εἰκοσιἑν καὶ μῆνας ἐννέα. ὁ δὲ μήφρης, δώδεκα καὶ μῆνας ἐννέα, ἐξ ἧς μηφραμούθωσις, εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας δέκα, ἐξ ὁ δὲ θμωσις, ἐννέα καὶ μῆνας ὀκτὼ, ἐξ δὲ ἀμένωφις τριάκοντα καὶ μῆνας δέκα· ἐξ δὲ ὧρος, τριακονταέξ καὶ μῆνας πέντε· ἐξ δὲ θυγάτης ἀκεγχὴς, δώδεκα καὶ μῆνα ἕνα. ὁ δὲ ῥάθωλις ἀδελφὸς, ἐννέα, ἐξ δὲ ἀκεγχήρης, δώδεκα καὶ μῆνας πέντε, ἐξ δὲ ἀκεγχήρης ἕτερος δώδεκα καὶ μῆνας τρεῖς, ἐξ δὲ ἄρμαϊς τέσσαρα καὶ μῆνα ἕνα, ἐξ δὲ ῥαμέσσης, ἓν καὶ μῆνας τέσσαρας, ἐξ δὲ ἀρμέσσης μιαμοὺν ἑξηκονταέξ καὶ μῆνας δύο· τοῦ δὲ ἀμένωφις δεκεννέα καὶ μῆνας ἕξ, τοῦ δὲ σέθωσις καὶ ῥαμέσσης, ἱππικὴν καὶ ναυλικὴν ἔχων δύναμιν. ὅτος τὸν μὲν ἀδελφὸν ἄρμαϊν ἐπίτροπον τ Αἰγύπτιος καλέσησεν, καὶ πᾶσαν μὲν αὐτῷ τὴν ἄλλην βασιλικὴν ὡρίσθηκεν ἐξουσίαν, μόνον δὲ ἐνετείλατο διάδημα μὴ φορεῖν, μὴ ὑ τὴν βασιλίδα μητέρα τ τῶν τέκνων ἀδικεῖν. ἀπέχεσθ δὲ τ τῶν ἄλλων βασιλικῶν παλλακίδων. αὐτὸς δὲ ἐπὶ Κύπρον καὶ Φοινίκην, καὶ πάλιν Ασσυρίους τε καὶ Μήδους στρατεύσας ἅπαντας, τοὺς μὲν δόρατι, τοὺς δὲ ἀμαχητὶ, φόβῳ τ πολλῆς δυνάμεως ὑποχρίους ἔλαβε. καὶ μέγα φρονήσας ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις, ἔπι τ θαρσαλεώτερον ἐπορεύετ, τὰς πρὸς ἀναιδολὰς πόλεις τε καὶ χώρας καταστρεφόμενος. χρόνου τε ἱκανοῦ γενομένου, ἄρμαϊς ὁ καταλειφθεὶς ἐν Αἰγύπτῳ, πάντα τἀμπαλιν, οἷς ἀδελφὸς παρήνει μὴ ποιεῖν ἀδεῶς ἔπραττεν. τ γὰ τὴν βασιλίδα βιαίως ἔχεν, καὶ ταῖς ἄλλαις παλλακίσιν ἀφειδῶς διετέλει χρώμενος. πθόμενος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων διάδημα ἐφόρει, καὶ ἀνῄρε τῷ ἀδελφῷ. ὁ δὲ τεταγμένος ἐπὶ τῶν ἱερέων τ Αἰγύπτιος, γράψας βιβλίον ἔπεμψε τῷ σεθώσει δηλῶν αὐτῷ πάντα, καὶ ὅτι ἀνῄρει ἀδελφὸς αὐτὸν ἄρμαϊς. παραχρῆμα δὲ ὑπέστρεψεν εἰς πλησίον, καὶ ἐπράτησεν τ ἰδίας βασιλείας. ἡ δὲ χώρα ἐκλήθη ἀπὸ τ αὐτοῦ ὀνόματος Αἴγυπτος.

Nos ita Latina fecimus: Postquam pastorũ populus Hierosolyma ex Aegypto petisset, Tethmosis siue Thummosis, qui eos eiecerat, regnauit adhuc annos viginti quinq;, & mẽses duos. Quo mortuo, filius eius Chebron susceptũ imperium tredecim annos tenuit. post hũc Amenophis annos viginti, mẽses septẽ. eius soror viginti vnũ & mẽses nouẽ. ab ea Mephres duodecim & mẽses nouẽ. Hinc Mephramuthosis

muthosis viginti quinque, mẽses decem: pòst Thmosis nouẽ, menses octo. mox Amenophis annos triginta, mẽses decem. inde Horus triginta sex, menses quinque. post quem filia Acenchres duodecim, & mensem vnũ. eius hinc frater Rhathotis nouem. deinde Acencheres duodecim, menses quinque. ab eo alter Acencheres duodecim, mẽses tres. post hunc Harmais quatuor, & mensem vnum. hinc Rhamesses vnum, & menses quatuor. post Armesses miamoun sexaginta sex, menses duos. inde Amenophis annos decem, menses sex. Post hunc Sethosis, Rhamasses etiam dictus, nauali & equestri apparatu insignis. Hic Harmain fratrem Ægypti procuratorem constituit, cui, cùm omnem regiam potestatem in aliis dedisset omnibus, id solum vetuit,, ne vel diadema ferret, vel Reginam iniustè indignèque haberet, quę liberos ipsi genuisset, vel concubinarum aliquam attingeret, ipse expeditione susceptа in Cyprum, Phœniciam, atque inde in Assyrios & Medos omnes, partim prœlio, partim citra pugnam, partim qui plurimi erant, terrore potentiæ suæ subiugauit. Quo secundo rerum successu elatus, vrbes & regiones orietales magna audacia in potestatem, quocunque iter fecisset, redegit. Interea cùm iam satis multum temporis elapsum esset, Harmais qui in Ægypto relictus erat, omnia contra quàm frater admonuisset, omni procul metu remoto, faciebat. Nam & Reginam vi retinebat, & concubinis pro lubito vti non cessabat. Tandem ab amicis persuasus diadema sumpsit, & fratri rebellauit. Is igitur, cui hoc dispositum munus fuit, vt Ægypti Sacerdotibus præsideret, libellum ad Sethosim dedit, quo omnia patefecit; & inter cetera, quòd frater rebellionem fecisset. E vestigio igitur reuersus in Pelusium, regnum suum recuperauit. Regio verò ab ipso nominata est Ægyptus. Hęc Manethon: quorum postremum sic apud Iosephum exposuisse dicitur, Sethosin Aegyptũ etiam nominatum fuisse, Harmain item altero nomine dictum fuisse Danaum. Manethon itaque Aegyptius ille, quę in patria sua gesta essent pluribus quàm nongentis ante Aegyptum & ante Danaum annis, Gręcis hominibus prodidit. Noster verò ab Aegypto fabulam suam exorditur, se priora non scripsisse satis docens in præfatione, quòd eo scilicet labore à Berosо suo esset leuatus. Quod ego hic inueniam conuicium, quod satis dignum sit impudentissimo hoc impostore? Téne dicis Manethonem bellua, & illic te incipere historiam vbi Berosus suam finiuit? At illum ad Cyri vsque res gestas peruenisse monstraui. Deinde quid (malum) te facis Manethonem, cùm Manethon suis ipsius verbis iam in medio hic mõstrarit, se ad mille ferè annos ante Aegyptum tuum historiam incœpisse, tantum abest

vt

vt illic incœperit, vbi Berosus sua finiuit. Quod si adeò tibi placet labores non necessarios fugere, age, incipe vbi ille desiit, modò id scias. Hoc si feciſſes, nihil scripsisses, quod non Cyro posterius esset, atque ita in illis, quæ magis sunt in scriptorum monumentis patefacta, minori mentiendi licentia vtendum fuisset, nisi explodi voluisses ab omnibus prima statim fronte, si tamen frontis aliquid tibi reliquum feciſſes. Verùm video tertium accedere virum magna grauitate & supercilijs & toto oris habitu nescio quid magni pollicentem. Is se natione Persam esse dicit, nomine Metasthenem, & annales Persicos scripsisse, in quibus his verbis præfatur: qui de temporibus scribere putant, necesse est illos non solo auditu & opinione Chronographiam scribere, ne cùm per opiniones scribunt, vti Græci, cum ipsis pariter & se & alios decipiant, & per omnẽ viam aberrent. Verùm absque vllo errore fiet, si solos annales duarũ Monarchiarũ assecuti, ceteros omnes, vt fabulatores reiecerimus. In his enim tam liquidè atque verè digesta sunt tempora, Reges & nomina, quàm apud eos splendidissimè regnatum est. Neque tamen omnes recipiendi sunt, qui de his Regibus scribunt, sed solùm Sacerdotes illius regni, penes quos est publica & probata fides annaliũ suorum, qualis est Berosus. Nam is Chaldæus omne tempus Assyriorũ digessit ex antiquorum annalibus, quem solum vel maximè vnum Persæ nunc sequuntur. Is ergo tradit, ante Ninum ducentis & quadraginta nouem annis regnatũ fuisse sub tribus diis Regibus: quorum qui primus vniuerso imperauit orbi, fuit Ogyges, qui præfuit inundationi terrarum. Inde Saturnus fundata Babylonia regnauit annis sex & quinquaginta. Belus Iupiter eius filius duobus & sexaginta. Ninus eius filius, qui primus Monarchiam cepit, annis quinquaginta duobus. Sed satis est nugarum. Quàm magnifica & graui sententia improbus hic nebulo se in principio orationis venditauit? Dixisses Stoicum aliquem præcepta historiæ conscribendæ ad veritatis libram appendere. At post tanta verborum pondera, exordiumque philosopho dignum, mox fabulas Pseudoberosi despumat, addens eius historiam solam apud Persas fide dignam haberi. Eo ipso itaque nobis mendaciſsimus est habendus, quòd mendaciſsimi hominis patrocinium suscepit, nec dignus qui diutiùs audiatur, propterea quòd Pseudoberosum testibus nemini mortalium reiiciendis conuictum, & exilio perpetuo condemnatum, non tantùm ausus sit reuocare, sed laudibus etiam efferre. Verùm quo mendacem Berosum superaret mentiendo, dicit eum historiam ad Sardanapalum vsque deduxisse, cùm

Metasthenes Persa, mendax nec verus auctor.

cum ipſe ille nugator in Dardano ſe ſua finire dicat, cuius rei Manethonem etiam paris fidei virum teſtem habemus. Dicite igitur vos ô fabularum ſartores,quo filo hæc conſuitis contradicentia? Sed nihil precij ſit ſi audiamus. Ad aliud igitur. Rogo te ô docte Metaſthenes, quî fit vt in Nabuchodonoſoro quadraginta quinque annos ponas, contra Beroſi veri computationem,qui duos ab hoc numero demit.Sed permitto vt dicas duobus cum patre regnaſſe. Verùm qua de cauſa magno huic (vt vocas) Nabuchodonoſoro ſtatim in regno alterum Nabuchodonoſorum præponis, cùm Nabuchodonoſor nõ cognomini alicui, ſed Nabolaſſaro patri ſuo ſucceſſerit. Si dicas illi etiam Nabuchodonoſori nomen fuiſſe, atque eundem eſſe Nabolaſſarum: rurſus rogo; qua auctoritate illi binomini regi tribuas annos triginta quinque,ſi à Beroſo non plures quàm viginti nouem adſcribantur. Iam quàm illud eſt immane diſcrimen filio Nabuchodonoſoris Euelmaraducho triginta annos dare, quem Beroſus duos duntaxat annos regnaſſe dicit? Deinde huic das filium ſucceſſorem, in cuius locum tamen ſororis maritus alio longè nomine venit,qui leuirum ſuum trucidauerat. Et ne ſemel hîc tantum à Beroſo diſcedas, ei cui nullus filius ſucceſſit, tres facis filios ordine ſucceſsiſſe,quorum poſtremus fuerit Balthaſſar,quo interempto, regnaſſe ſimul dicis Cyrũ & Darium. De Balthaſſaro interfecto nulla apud Beroſum mentio. Nam Cyrus Nabunedum expulit,quem ſi tu Balthaſſarem dicas,non debebas Cyro notam illam infamię inurere, quòd eum occiderit,cùm Beroſus expulſo regi Carmaniam benignè pro domicilio datam eſſe teſtetur. Sed quid ego his immoror? Vel cæco apertum eſt, hunc noſtrum Metaſthenem adeò Beroſum ſecutum non eſſe,vt ne vidiſſe quidem dici queat. Sed aliunde forſan de melioribus fontibus hauſit. Qua ergo impudẽtia profeſſus eſt apud Perſas Hiſtoricum præter Beroſum nullum in precio haberi, ſi ab eius traditione tõtus ex diametro diſſentit? Quid ſi vera eſſent, atq; de Suſiana Bibliotheca & Bibliis Hebræorum & Euſebij Chronicis expilata quæ ſcribit, an ob id veritas veritas non erit, niſi mendaciis huius nebulonis dicatur à Beroſo petita eſſe? Conferat in medium quiſque laborem ſuũ, & ingenuè vnde profecerit, fateatur: ſed nemo nobis ſua alienis titulis ornet. Pudet me(ita me Deus amet)homines inuentos eſse,qui de his falſiſsimis Beroſi,Manethonis & Metaſthenis nugis Chronologiam & gentium origines ducunt. Vt ſint aliqua vera in his ſcriptis, ea tamen non erant vetuſtis his auctorum titulis citanda, quos oſtendi falſiſsimos eſse, ſed confirmanda illorum auctoritate, è quibus hic, quiſquis eſt, impoſtor ſua petiuit.

E Græcorum fabulis,è nominibus regionum,opidorum,fluminum, gentium, è ſacra denique hiſtoria video tota hæc (quæ vocant)Fragmenta deriuata eſſe. Sed horum, exceptis Bibliis, pleraque omnia falſis opinionibus animos hominum imbuerunt, non alia cauſa, quàm quòd his præclaris titulis ornata prodirent. Si apud Diodorum,Herodotum, aliosque id genus ſcriptores lecta fuiſſent, non in tanta fuiſſent exiſtimatione, vt ab illis omnis pæne hiſtoria penderet,nunc claris titulis ornata nõ indoctos modò,ſed doctiſſimos etiã deceperunt,quos nihil attinet hîc nominare. Quotuſquiſque eſt hiſtoriæ ſcriptor, de doctiſsimis etiam loquor, qui initia gentis ſuæ ex hac errorum ſentina non deprompſerit,falſis his titulis citra omnem pudorem adiectis, quò aſſenſum extorqueant? & quod eſt maximè grauibus viris cauendum, tam temere plerique omnes fidem adhibuerunt, vt videam magnos viros totos libros his nugis inſumere, nec credere bene ſe ſcribendi munere defungi poſſe, niſi ita faciant. Laudo equidem antiquitatis ſtudium, atque illud in primis admiror,atque illos, quos eo teneri ſcio, amplector & exoſculor; atque id facio vltra fortaſſe modum,ſed in eo ſic verſandum eſſe credo,vt fontes ſemper ſint adeundi, atque ex illis quæ haurimus auctori ſuo accepta feramus, non his ſordidulis nugiuendis,qui alienis laruis cooperti ſomnia ſua protrudunt. Cùm igitur tales eſſe docuerimus,nihil opus eſt vt ſigillatim,quę falſa in illis ſunt,reprehendamus.Quis enim cum vmbris,& ne vmbris quidem, ſed falſis titulis manus cõſerere vellet? Satis nobis eſt laruas detraxiſſe,atque omnem auctoritatem non eleuaſſe tantum,ſed in auras & ventos ſparſiſſe. Non igitur occupabor, quem hic noſter rhapſodus Metaſthenem Perſam produxerit,quem video non à germano Beroſo, ſed à Pſeudoberoſo ſuam mutuatum eſſe inſinuationem. Megaſthenem hiſtoriam ſcri-

Megaſthenes.

pſiſſe ſcimus, atque eius Indica frequenter aduocari, ſed Metaſthenis Perſæ nihil vnquam hactenus contigit videre, atque ſum certus, me deceptum non iri, ſi ſuſpicer de Megaſthene Metaſthenem corrupta voce factum eſſe. Nihil igitur mihi cum ipſius computatione, qui loco magnarum virium, Megaſthenis nomine ſignificatarum, ſe dicit poſt robur viresque venire, quaſi diceret, in ſe nihil virium eſſe,dum Metaſthenem ſe pro Megaſthene venditauit. Quid quod ne ipſi quidem Megaſtheni germano multum fidei tribuendum, de cuius Indicis ſic à Strabone proditum habemus,vt in malis nominibus vni ſoli Deimacho ſecundus habeatur. Cùm enim,inquit,ſententia tenus,omnes vniuerſim,qui de India ſcripſerunt,vt plurimum falſa dicant, tum verò & cereros & fidem omnẽ longè ſuperant Deimachus

machus & huic ſecundus Megaſthenes. Ac iterum διαφερόντως δ' ἀπιστεῖν ἄξιον Δημάχῳ τε καὶ Μεγαθένει, id eſt inſigniter & præ ceteris omnibus fides abroganda Deimacho & Megaſtheni. Sed opponit ſe Viterbienſis; non hunc eſſe Metaſthenem Perſam, ſed Megaſthenem Græcum: Metaſthenis autem Perſæ Petrum Comeſtorem meminiſſe in Danielem commentantem citatis iudiciis Metaſthenis. Egregium verò teſtimonium, in quo ipſemet Viterbienſis cõfitetur Megaſthenem, non Metaſthenem, ſe in quibuſdam exemplaribus legiſſe. Non animaduerterat ſcilicet è Megaſthene Metaſthenem, & ex Indicis, Iudiciis tranſſcribentium vitio factum eſſe, atque ex huius ſolius loci menda nouum nobis auctorem dedit Metaſthenem de Iudiciis, pro Megaſthene de Indicis, more illorum, qui ex vno ſomnio in aliud dilabuntur. Alios poſt hac quærat Annius, quibus ineptis ſuis figmentis & anilibus fabulis illudat, quas ex auctoribus per inſomnia ſibi natis petiuit. Inter hos etiam (vt ita dicam) euonymos Cato ille eſt, qui eiſdem fragmentis aſſutus ex eadem prodiit officina, è qua illi, quos modò profligauimus, & fregimus. Quod quamuis ipſe ſermo ſatis doceret, placuit tamen & alteram rationem addere, ne ſola coniectura videamur quenquam velle condemnare. Noſter hic hiſtrio Catonis larua prodiens, arrepta ſtatim pro nominis auctoritate, virgula cenſoria Græcos, ob vanitatem & leuitatem mentiendi fide omni & veritatis exiſtimatione exutos non ſenatu modò, ſed ciuitate etiam hiſtoriæ ſcriptorum mouet, non ob aliam (vt opinor) cauſam, quàm vt ipſe ſuccedat. Quid ad hæc Cato ille priſcus diceret? An hanc ſuam ſententiam fuiſſe agnoſceret? Minimè gentium, niſi nos Dionyſius Halicarnaſſæus fallat, vir in primis grauis, & nemini in vetuſtatis Romanorum notitia ſecundus. Is verbis Sigiſmũdi Gelenij elegantiſsimi interpretis, (vt breuitatis cauſa Græca mittantur) libro primo ſtatim in ipſo hiſtoriæ ſuæ veſtibulo Aborigĩnum quærens primordia, ſic inueſtigationem concluſit. Scriptorum Romanorum doctiſsimi, & in his Porcius Cato, qui diligentiſſimè ſcripſit de conditoribus Italicarum vrbium, Caiuſque Sempronius & aliquot alij, Græcos eos eſſe affirmant, profectos ex Achaia multis ante bellum Troianum ætatibus, nec tamen diſertè tradunt ex qua Græca natione, quave vrbe migrauerint, ac ne tempus quidẽ aut ducem coloniæ, aut quo caſu antiquam patriam reliquerint, tantùm fabulam ſecuti Græcanicam, nullius Græci auctoris eam confirmant teſtimonio, itaque rei veritas quo modo ſe habeat, incertum eſt. Quòd ſi iſtorum ſermo ſanus eſt, non poſſunt eſſe coloni alterius generis, quàm Arcadici, nam hi primi Græcorum habi- Pſeudocato.

tauerunt Italiam trans ſinum Ionium deducti ab Oenotro Lycaonis filio. Et idem paulò pòſt : Atque hæc ſunt ab antiquis poëtis ac fabularum ſcriptoribus de ſedibus & genere Oenotrorum prodita: quos ego ſecutus, ſi modò Cato & Sempronius multiſque alij verè opinati ſunt, à Græcis oriundam nationem Aboriginum, credo eam Oenotrorum fuiſſe progeniem. Iam audiamus Catonem noſtrum ſententiam ſuam pronunciantem: Græci (inquit) tam impudenti iactantia iam effunduntur, vt quoniam his dudum nemo reſponderit, ideò liberè à ſe Italiam ortam, & eandem ſpuriam ſimul & ſpurcam atque nouitiam, nullo certo auctore aut ratione, ſed per ſolam inſaniã fabulentur. O cenſoria verba. Iugulauit certè hic noſter nouus Cato priſcũ illum Catonem, atque id ſolius ſuæ auctoritatis vnico ictu. Neque enim hoc vno ſolo loco Halicarnaſſæus Catoni Græcos hiſtoriæ duces fuiſſe, ſed alibi etiam ſcribit. Quocirca in manifeſto Græcanicæ leuitatis crimine tenetur. Quid dixi leuitatis? proditionis (inquam) manifeſtò tenetur. Etiam hoc corrigendum. Neque enim leuitatis ſolùm Græcanicæ & proditionis, ſed ſacrilegij etiam & impietatis contra deos Romani generis auctores cõuincitur, dum aſſerit Oenotrios aliunde quàm à Iano, qui à vino ſit dictus, & nomen & originem traxiſſe. Noſter enim clarè monſtrat Antiochi Syracuſani teſtimonio Oenotrium ducem Arcadũ, quadringentis poſt Troiam conditam annis in Italiam demum veniſſe, tantum abeſt, vt ab ipſo Oenotrij ſint dicti, aut Aborigines ad Arcades genus ſuum referre debeant. Abeat igitur Dionyſius cum Catone ſuo in malam rem, qui ab Oenotro Lycaonis filio Oenotrios deduxit. Auctore enim noſtro Catone didicimus Græcos hîc impudenter eſſe mentitos. Neque enim Arcades primi in Italiam è Græcia nauigarunt duce Oenotro, ſed multis antè ſeculis, vt noſter Cato docet, Phaëthõ ex Attica cum Lygure filio in Italiam vectus, totum litus ab oſtiis Tiberinis ad Nicæam vſque Maſſilienſium occupauit, & de filij nomine Lyguriam dixit. Imperitè igitur Halicarnaſſæus alterum quoque fœdum errorem inuexit, ſic ſcribens: Lygures & Italiæ quaſdam partes habitant & Galliæ, incertum ab vtra profecti patria. Nam hactenus incomperta origo eius gentis eſt. Debebat hoc Dionyſius à noſtro didiciſſe Catone, cùm alter ille Græculus nihil certi attuliſſet. Sed ſatis horum. Videmus enim lupis & ouibus priùs concordem amicitiam ſancitum iri, quàm his duobus Catonibus. Sequitur alius ex eadem cohorte Q. Fabius Pictor, qui ſic in Aboriginum hiſtoria à Catone nouo pendet, vt videatur mammas eius lallare. Quocirca nihil opus eſt hunc pictorẽ depingere, qualis ſit, & quantum

Pſeudofabius.

tum ei tribuendum, quando omnia ſua pigmenta, omnesque ductus linearum, quibus Romanæ gentis initia in tabulas refert, à laruato illo Catonis hiſtrione ſit mutuatus. Ex eadem omnino ſchola prodit C. Sempronius, qui vel ſolo hoc dicto ſe prodit: Lygures (inquit) dicti ſunt à Lygure, Phaëthontis filio, qui omnium primus multis ſeculis ante Græcos ex Attica colonias in Italiam tranſportauit. In quo non ſolum plus vidit Catone illo vero, ſed eleganter admodum Atticam è Græcia excludit. Sed huic ſcilicet debemus Romæ natalem, quam ſacro aratro deſignatam eſſe dicit vndecimo Calendas Maias, horam inter ſecundam & tertiam, Sole in Tauro, Luna in Libra, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, & Ioue in Piſcibus. Non vidit hic nouus Sempronius, Luciferum & Heſperum duobus nominibus vnam Venerem ad tertium à Sole ſignum nunquam euagari. Sed placuit illi Solem quàm longiſſimè remouere, ne Martis & Veneris adulteriũ in Scorpione coëuntium proderet, vt ſemel antè feciſſe narratur. Myrſilus Lesbius è Dionyſio malè confutus eſt, quod ex ipſo Dionyſio docebo. Nam præter alia, in illo manifeſtè deprehenditur, veteris Myrſili nomen peſsimo ſibi & ſcelerato plagio ſumere, quòd hic nouus Pelaſgos alios faciat à Tyrrhenis, & Pelaſgos priùs dictos ad Tyrrhenos commigraſſe, tumque nominis communionem factam eſſe, qua Tyrrheni vocarentur. Vetus ille nec Tyrrhenos indigenas eſſe vult, vt nouus hic impoſtor, nec antè Pelaſgos vocatos fuiſſe, quàm Tyrrhenos, ſed eoſdem priùs Tyrrhenos, deinde Pelaſgos nominatos è Græcia commigraſſe. Dicit enim Tyrrhenos poſt relictam patriam paſsim vagabundos mutato nomine dictos Pelargos, quadam alitum pelargorum, hoc eſt ciconiarum ſimilitudine, quòd agminatim oberrarent per Græcas regiones atque Barbaras; & murum, quo Athenienſium arx cincta eſt, cognomine Pelaſgicum, opus eſſe horum hominum. E qua Myrſili Lesbij ſententia, quam Dionyſius non probat, clarum eſt, hunc nouum Myrſilum longè alium eſſe, ab illo priſco, totum eo factum, vt Annius haberet in quo Thalmudiſtæ ſui operam experiretur in Vadimone, Razenua, Volturſena, Vetulonia, Thuſſa, Saleombrona, Vmbria, Labith, Horcia, & id genus vocum figmentis, è lingua Aramæa, quam ignorat, interpretandis. Cùm mihi debellatus nunc Proteus hic noſter videretur, & nullos eſſe amplius vultus putarem, in quos ſe mutaret; ad Archilochum confugit, atque eius nomine pro ſuo vtens, credidit ſe Archilochica edicta conſcripturum eſſe, ad quæ nemo auderet vel hiſcere, niſi protinus vellet conuiciorum flagellis dilaniari. Iulianus Epigrammatum ſcri-

Sempronius ficticius.

Myrſilus Leſbius.

Pſeudarchilochus.

ptor Cerberum monuit, vt ſibi caueret ab huius iambis in felleo ipſius ore naſcentibus, quibus Lycambis filias vnà cum patre vitam fugere coëgit. ſi enim apud inferos ſæuire eiſdem incipiat, fore vt omnes Manes è tenebris diffugiant, poſteaquam ex ipſa luce, re omnium cariſsima homines fugere compulerit. Quid igitur ego contra Archilochum, contra quem vix Cerberus latrare auſit? Egóne veſpas ſepulcro ipſius inſidẽtes iritabo, quas viator, vt prętereat, magno ſilentio & quiete diligenter ab neſcio quo alio admonetur, qui non duas ſolùm, vt Iulianus, ſed tres filias Lycambis ſe ſtrangulaſſe laqueis ſcribit in elegantiſsimo Epitaphio. Nec citra cauſam in mortuum hæc dicta ſunt, quando non ſolùm contra Lycamben, qui filiam ei deſponſatam tradere noluit, & inimicos furioſus in maledicendo fuit, ſed contra amicos quoque & familiares, adeò vt ipſe animum ſuum aliquando caſtigarit his verbis, vt Ariſtoteles habet libro Politicorum ſeptimo: ἐγὼ δὴ περὶ φίλων ἀπάγχεο. id eſt, Neq; enim profectò ab amicis ſtrangularis. Pugnabóne contra hunc tam biliosum, qui primus Caballinum fontem vipereo felle infecit, atque Muſas humaniſsimas non vnius homicidij ſcelere cruentauit? contra eum, qui ne ſibi quidem ipſe pepercit, vt eſt apud Ælianum in variæ Hiſtoriæ decimo libro à Critia rectè notatum, cuius verba de interpretatione noſtra ſubſcribam, quò liqueat, quàm diligenter ſcripta huius à veteribus ſint diſcuſſa. Critias (inquit Aelianus) Archilocho vitio vertit, quòd peſsimè de ſeipſo ſit locutus. Niſi enim (inquit) eiuſmodi famam de ſe ipſe apud Græcos ſparſiſſet, nunquam reſciuiſſemus, neque quòd Enipus ſeruæ filius fuerit; neque quòd, Paro propter paupertatem & inopiam deſerta, Thaſum adiuerit; neque quòd, poſtquam eò cõmigraſſet, exoſus eius loci hominibus euaſerit; neque illud, quòd amicis iuxtà atque inimicis maledixerit. Ad hæc etiam nunquam ſcire potuiſſemus, vel adulterum eum, vel libidinoſum, vel contumelioſum fuiſſe, vel, quod iſtis etiam turpius eſt, clypeum abieciſſe, niſi ab ipſomet fuiſsemus facti certiores. Fuit itaque Archilochus teſtis ſibi minimè bonus, tali ſibi gloria & eiuſmodi fama relicta. Sed hæc Critias, non ego in Archilocho criminor. Hæc Aelianus. Ponemus igitur nos metum tam formidati nominis duce Critia. Qui enim omnibus promiſcuè citra grandes occaſiones iraſcitur, & maledicit, is ſolet plerunque contemni deſpiciq́ue velut ſcurra, & contumelioſus rabula. Vocetur igitur in examen, an Archilochus ille hiſtoriæ huius auctor ſit. Hoc eò liquidiùs iudicari poterit, quò plura de ipſius vita factisq́ue reſciſcemus. Oenomaus apud Euſebium in oracula Apollinis magno impetu rationũ exem-

plorum-

plorumque inuectus, inter cetera Archilochum obiicit, de quo Pythia sic responderat:

„ Ἀθάνατός σοι παῖς καὶ ἀοίδιμος ὦ Τελεσίκλης
„ Ἔσσεται ἐν ἀνθρώποις. *id est,*

Immortalis erit Telesicles hic tibi natus,
Cuncta per ora virum cantandus.

Ridet Oenomaus Apollinem, qui hanc laudem ei tribuerit, qui in poëmatis suis tam turpibus & infandis verbis in mulieres vsus sit, vt nullus vir moderatus audire ea, nedum dicere, vellet. Hic, si Ciceroni credimus, Romulo regnante carmen Iambicum scripsit. Herodotus eum scribit eorum meminisse, quæ de Gygè & Candaule narrantur, atque id carmine Iambico trimetro feciſſe. Rufinus fabulam Gygis optimè complexum esse adiecit eo loco, quo de catalectico trimetro agit. Horatius & Paterculus Iambici carminis inuentorem arbitrantur. ille enim sic habet:

„ *Archilochum proprio rabies armauit Iambo.*

Hic dicit, neminem, cuius operis inuentor fuerit, in eo perfectissimum fuisse, præter Homerum & Archilochum. Credo equidē proprium aliquod sibi genus Iambici primum inuenisse, sed vniuersim Iambos priores extitisse, quibus Aristoteles Homerum in Margite vsum esse testatur. Huic maledicam suam linguā nocuisse, Ouidius etiam meminit. Nec ille solus Critiæ & Oenomao consentit, sed Pindarus etiam atque Plutarchus. Lacedęmonij neque poëtam, neque versus eius admiserunt, tum propter nefandam turpitudinem, tum quòd clypeum abiicere licere, scripserit; vt è Plutarcho & Valerio Maximo constat. Dion Prusæus astutæ vulpeculæ, quam Archilochus celebrarit, meminit, vt inde liceat suspicari, leonis & vulpis apologum ab eo manasse. Idem perfidiam Lycambis contra Archilochum commissam in nuptiarum conuentione per salem & mēsam inter alia fidei violatæ exempla in Apistia sua notauit. Nec boni tantùm scriptores maledicum eius os prodiderunt, sed adagia etiam in vulgus nota, vt illa; Archilochum calcare, quod est vestigia eius sequi in conuiciando. &; Archilochi patria, in illam dictum ciuitatem, vbi ciues maledicendi studio tenerentur. Quamuis tamen talis esset, à patria tamen sua Paro, in quam plaustra conuiciorum congesserat, post mortem Aristotelis testimonio honoratus est, nec à patria tantùm, sed ab Apolline etiam. Refertur enim a Suida quiddam admodum ridiculum, si vera sunt, quæ hactenus à nobis sunt adducta. Videtur enim apud eum quasi in prouerbium abiisse, Ne mortuorum

Lacedæmonij cur nec Archilochū, nec eius versus admiserint.

Apologus leonis & vulpis, à quo manarit.

Archilochum calcare.

Archilochi patria.

Archilochus, à patria & Apolline post mortē honoratus.

tuorum quidem deos obliuiſci, ſi ad virtutis ſtudia animum appuliſſent, atque illud ex iis manifeſtum eſſe, quę poſt mortẽ Archilochi acciderunt. Nam cùm in bello cecidiſſet, in quo communis eſt Enyalius Coṇondas Corax, qui eum peremerat, neſcio qua gratia Delphos profectus, reſponſum accepit:

„ Μωσάων θεράποντα καλέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. *id eſt,*
Muſarum famulum mactaſti, hinc effuge templum.

Atque poſt multas ſupplices preces vix tandem impetrauit, vt ad Tænarum ad Tettigos ſepulcrũ manibus filij Teleſiclis parentando expiaretur. Tettigem verò, id eſt, cicadam, ſe Archilochus nominauit, cùm conuitiis laceſsitus reſpondit: Τέττιγα τὸ πτεροῦ συνείληφας, id eſt, Cicadam apprehendiſti ala. Euſebius tamen percuſſorem Archiam, non Charondam, nominauit ex Oenomao ſuo, qui ironicôs colligit, non iniuſtè Archiam è templo excluſum eſſe, ne quis à Gyraldo decipiatur, qui partem totius irriſionis ſic adduxit, quaſi ſeria, non ironica eſſet oratio. Qui plura cognoſcere volet, is aliunde licet petat. Nos non tam multa in medium attuliſsemus, niſi hoc moliremur oſtendere, nihil ferè commemoratu dignum in dictis factisque Archilochi à veteribus omiſſum fuiſse; atque hinc fieri, vt ſatis mirari nequeamus, omiſſum ab omnibus eſse nobiliſsimum hunc antiquiſsimumque auctorem de temporibus ſcripſiſse. Potuiſſent enim hoc adferre ad conuitiorum excuſationem, dicendo, Non omnia ipſius contumeliæ, & fellis viperini plena fuiſſe, cùm hiſtoriam etiam, ſiue temporũ ſcripſiſſet ſupputationem. Sed videor mihi videre, vnde in mentẽ venerit huic noſtro falſario, poëtæ nomen hiſtoriographo accommodare. In Euſebij Chronicis tempore Æneæ Siluij quarti Latinorum regis annotata eſt auctorum inter ipſos, de Homeri ætate controuerſia, vbi hæc eſt orationis clauſula: Extiterunt alij, qui modico tempore, antequã Olympiades inciperent, quadringentis retrò annis Troianæ captiuitatis eum fuiſſe putent, licèt Archilochus viginti tres Olympiades, & quintum Troianæ euerſionis annum ſupputet. Qui locus in fine omninò mendoſus cùm ſit, ita videtur à noſtro impoſtore reſtitutus eſſe: Licet Archilochus viceſimam tertiam olympiadem & quingenteſimũ Troianæ euerſionis annum computet. Hinc igitur apparet, Archilochum temporum ſupputationem litteris mandaſſe. Ad hanc opinionem roborandam facere videtur illud Rufini, quo dicit, Archilochum Gygis fabulam diligenter complexum eſſe. Deinde doctiſsimus quiſque credit, germanum hunc eſſe Archilochi partum, licet ſit

multis

multis membris mutilatus. In quorum numero Brodæus eſt, omnis litteraturæ ſingularis theſaurus, qui octo facit Homeros huius auctoritate. Conandum igitur grauibus & idoneis teſtibus docere, nihil tale de Archilocho debere cogitari. Herodotus enim ſupinæ negligentiæ fuiſſet accuſandus, qui cùm in aliis, tum in vita Homeri, ex propoſito de eius ætate diſputauit, ſi Archilochi vetuſtiſſimi ſcriptoris ſententiam aut ignoraſſet, aut citra cauſæ explicationem contempſiſſet. Plutarchus diligenter colligit, quid quiſque de patria Homeri ſentiat, nullus tamen meminit Archilochi, cùm tamen is duobus nominibus maximè nominandus fuiſſet: ſemel, quia antiquiſſimus poëta: atque iterum, quia eiuſdem ferè ætatis fuiſſe dicantur. An quiſquam eſt qui perſuadere ſibi poſſit Herodotum & Plutarchum, viros antiquitatis omnis ad curioſitatem vſque diligentes, non adducturos fuiſſe Archilochi de Homeri, tum ætate, tum patria ſententiam, ſi eam vſquam exſtare quiſquam mortalium ſciuiſſet? eius, inquam, iudicium neglexiſſent, qui & ætate proximus erat, & cuius validæ vibrantesque ſententiæ, atque omnis oratio ſanguinis & neruorum plena tantum apud homines valuerunt, vt eum vel Homero ſuperiorem futurum fuiſſe iudicarint, ſi argumenti genus ſimile Heroico carmine tractandum ſibi propoſuiſſet? Extat eius epitaphium, è quo manifeſtè hęc de ipſo hominum priſcorum opinio peruidetur:

Archilochi epitaphium.

„ Αρχιλόχε τόδ' ἐσῆμα, τὸν ἐς λυσσῶντας ἰάμβους
„ Η'γαγε, Μαιονίδη μοῦσα χαριζομένη.

Id eſt,

Archilochi hoc buſtum eſt, rabidis quem immiſit Iambis,
Muſa hoc Mæonidæ gratificata ſuo.

Lyricorum princeps Pindarus, ſonori eius carminis Ode nona Olympiorum meminit, quo loco τηνέλλα, & καλλινικὸς ὁ ξιφολόος, omnibus Grammaticis, & inter alios Ariſtarcho & Eratoſtheni diuerſa comminiſcendi dedit occaſionem. Cùm ergo tam clarus apud omnes melioris notæ ſcriptores fuiſſe cernatur, & eos nactus ſcholiaſtas, quibus nulli habentur illuſtriores, non opinor equidē quenquam fore, qui exiſtimet eius viri teſtificationem ſilentio prætereundam fuiſſe, ſi vſquam in libris eius extitiſſet. Tatianus Aſſyrius in Homeri ætate quærenda nemini ſecundus, ita ferè habet, vt dicat, antiquiſſimos eorum, qui de hac re quæſiuerunt, fuiſſe Theagenem Rheginum, qui Cambyſis tempore vixit, & Steſymbrotum Thaſium, & Callimachum Colophonium, tum Herodotum Ha-

licarnaſſæum & Dionyſium Olynthium. Poſt hos Ephorum Cumānum, Philochorum Athenienſem, Megaclidem & Chamæleontem peripateticos. Deinde Grammaticos, Zenodotum, Ariſtophanem, Callimachum, Cratetem, Eratoſthenē, Ariſtarchum & Apollodorū. Hîc cùm plurimi ſint, & illi nominentur, quos aſſerit fuiſſe antiquiſsimos, nullus tamen eſt Archilochus, licet fuerit multo Cambyſis regno vetuſtior. Vnde igitur illud de Archilocho Euſebij Chronicis eſt aſſutum, vt is dicatur tempora ſupputaſſe? ex illo nempe, quod apud Tatianum paulò pòſt ſequitur ita ad verbum:

Ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ὑπήγαγον, σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες. ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασε περὶ ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστὴν καὶ Γύγην τὸν Λυδὸν ὕστερον τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι πεντακοσίοις.

Quod eſt: Alij verò tempus ad inferiora deduxerunt, dicētes eum cum Archilocho fuiſſe. Archilochus autem floruit circa viceſimam tertiam Olympiadem, imperāte Gyge Lydo poſt res Troianas annis quingentis. Cùm igitur Euſebius libro præparationis Euāgelicæ decimo, hunc Tatiani locum adduxerit, nihil ampliùs dubito, quin quod in Chronicis eſt, ab hoc nihil ſit diuerſum. Corrupta igitur ſcriptura vel lacuna, non eo modo, quo noſter antiquitatum mango voluit, vel corrigenda eſt, vel ſupplenda, ſed ad hanc narrationem Tatiani conferenda. Poterit itaque vel ſic, vel ſimili aliqua formula in integrum reſtitui, quod in Chronicis legitur: licet quidam cum Archilocho fuiſſe ad viceſimam tertiam Olympiadem & quingenteſimum Troianæ euerſionis annum ſupputet. non enim Archilochus hoc de Homero, ſed alius memoriæ prodidit, qui vtroque multo fuit poſterior. Quis autem is fuerit, è primo libro Stromatôn Clementis Alexandrini reſciui, vbi ſic ad verbum, ſi Latinè loqueretur, dicere poſſet. At verò Theopompus ætatem Homeri refert ad quadrageſimum tertium Philippicorum, qui annus eſt quingenteſimns ab Ilij obſidione. Quibus verbis intelligi datur non ab Archilocho, ſed à Theopompo, Homeri ætatem tanto inferiùs detractam fuiſſe. Sed vt hunc locū penitus ita corrigendū eſſe conuincatur, & prorſus exſtirpetur illorum opinio, qui Archilocho hanc ſupputationem attribuerunt, ex Iamborū ſcriptore hiſtoriographum facientes, docebimus planè nihil vſquā tale in Archilochi ſcriptis fuiſſe, grauiſsimi ſcriptoris auctoritate. Ariſtarchus quis fuerit, & quanti ſit apud eruditos æſtimatus, omnes ſcire credo, & ſi quis neſciat, is ab Horatio diſcat, dum in Arte poëtica virum bonum & prudentem dicit, verſus inertes reprehenſurum, atque in iis omnia

Locus chronicorum Euſebij.

omnia facturum,quæ nceſſaria ſint, ad caſtigationem denique futurum Ariſtarchum. Cicero non vno loco Ariſtarchum pro iudice poſuit accurato & ſeuero, quòd tanti huius fuerit in Homeri carminibus cenſura,vt verſus,quem non probaſſet,pro ſuppoſiticio & ſpurio reiiceretur. Hic igitur,qui hac nota in prouerbium abiit, commẽtaria ſcripſit Archilochiam, in quibus Homerum circa Ionicam commigrationem fuiſſe aſſerit annis poſt Troiæ excidium centum quadraginta.Si igitur is, qui in Archilochum ſcripſit commentaria, tot tantum annis à Troia fuiſſe Homerum ſcribat, quis poterit ſuſpicari Archilochum ſcripſiſſe,ſua ætate Homerũ vixiſſe? Quæ enim hæc eſſet Ariſtarchi vel ignorantia, vel impudentia, neſcire quid is auctor de Homero ſcripſiſſet, cuius ſe interpretem commẽtatoremque profitetur? vel ſi ſciret, mendacij crimen in os ei impingere, qui ſe æqualem dicat temporis illius fuiſſe, quo Homerus vixit? Inſigni teſte & extra omnem exceptionem poſito opus eſſet ad Archilochũ confutandum,ſi is,Homeri æqualis cùm eſſet, de Homeri ætate teſtimonium dixiſſet. Quod ſi vſquam,vel carmine vel proſſa oratione hos quingentos poſt Troiæ excidium annos vel leuiſſima nota indicaſſet, debuiſſet priùs ab Ariſtarcho eius auctoritas infringi, quàm aliter eandem controuerſiam decideret. Nunquam igitur Archilochus prodidit ſe ita de Homeri ętate cenſuiſſe atque ſi tam nuper mortuus fuiſſet,non caruiſſet Archilochiis dictis,quibus ſcriptores obnoxij ferè ſemper ſunt, quàm diu longa dies opera nec dum extra inuidiam euexerit, atque conſecrarit æternitati. Quamobrem cùm nullus omnino ſit auctorum,qui in Homeri ætatem inquiſiuerunt,ne ipſe quidem Ariſtarchus Archilochicorum ſcriptor,qui meminerit quicquam ab Archilocho de ea proditum fuiſſe,non eſt ampliùs hæc nobis ſuſpicio tenenda.Exuiſſet ſe haud dubiè Ariſtarchus Ariſtarcho,id eſt optimi & irreuocabilis iudicis officio,ſi tam ſupina & inerti negligentia, aut potiùs effronti contemptu Archilochum mendacij accuſaſſet, nulla interim facta Archilochi mentione, præſertim in eo opere,quo Archilochica perſcripſit. Præterea ex iis,quæ fragmento hoc ſub Archilochi titulo prodeunte continẽtur,clarum eſſe poteſt,nihil in eo eſſe Archilochicũ. Statim enim à limine Mnaſeas Phœnix Damaſcenus teſtis in proſcenium vocatur. Quis verò hic Mnaſeas Damaſcenus Archilocho antiquior? Barbarus ſcilicet aliquis ſcriptor, qui ante Homerum & Archilochum litteris ſcripſerit vel Phœnicum, vel Græcis, necdum ab Homero reformatis. Athenæus de Salpa agens ſic ferè habet, ſi Latinè vertas. Eſt autem Salpa piſcis varius, vnde Mnaſeam ſiue Locrum ſiue Colophonium

Mnaſeas Phœnix Damaſcenus.

eum dicemus,qui Pægnia,id eſt,pueriles luſus,vel crepundia ſcripſit; familiares Salpam cognomine dicebant propter collectionis varietatem. Plinius item Mnaſeæ teſtimonio vſus eſt libro triceſimo ſeptimo,nulla patriæ adiecta mentione. Aelianus eundem aduocat de Gallis & Gallinis ſcribens, citra patriæ nomen, cuius nec Ioſephus meminit, licet vtrobique & in antiquitatibus & contra Appionem ſcriptis teſtem denunciet. Columella Mnaſeam de re ruſtica ſcripſiſſe teſtatur,ſed eũ Mileſiũ,nõ Damaſcenũ,dixit. Si hic noſter Damaſcenus fuit,& Archilocho antiquior,magnæ ignauię accuſandus eſt Ioſephus, qui Dium potiùs quàm Mnaſeam ad verbũ tranſcripſerit in Phœnicũ antiquitate tractanda. Deinde,quî fit Ioſephe,vt queſtione de litteris Græcorũ propoſita hunc noſtrũ Archilochũ non adduxeris,qui omnem dubitationem ſtatim exemiſſet. Vidimus modò qua occaſione de Euſebij corrupta lectione Archilochus temporũ ſupputator euaſerit: Videamus nunc quî Mnaſeas Damaſcenus ſit factus. Ioſephus libro Archæologiæ primo, poſtquam Beroſſi de diluuio & Arcæ in montibus Gordyęis reliquiis auctoritatẽ attuliſſet, ſubdit in hanc ſententiam. Horum item mentionem facit Hieronymus Aegyptius, qui Phœnicum antiquitates ſcripſit, & Mnaſeas, & præter hos complures alij, & in illis Nicolaus Damaſcenus in nonageſimo ſexto libro eadem narrat his verbis. Eſt in Armenia mons magnus ſupra Menyada Baris nominatus, in quem fertur plurimos in diluuio confugiſſe,& illic conſeruatos eſſe: atque inter alios quendam in Arca vectum ad ſummum montis cacumẽ appuliſſe, & lignorum reliquias multo poſt tempore ibidem conſeruatas eſſe: fuerit autem hic is quem Moſes Iudæorum legiſlator in ſcriptis ſuis prodidit. Hic(ni fallor)videre licet, qui ex Nicolao Damaſceno Mnaſeas factus ſit Damaſcenus, & è libro nonageſimo ſexto Nicolai Damaſceni liber nonageſimus ſeptimus Mnaſeæ Damaſceni,deinde qui Moſis nomen è Nicolao ad Mnaſeam tranſiuerit. Iam in progreſſu quid noſter Archilochus aliud facit, niſi quod apertè nos ludibrio habet, quibus octo Homeros pro vno ſtatuit, & quo vrbes inter ſe certantes ſingulas ſingulis Homeris faceret nobiles, numerum vrbibus æquauit. Hoc debebat ſciuiſſe Herodotus & Plutarchus,& quotquot Homeri patriam ætatemque quæſiuerunt. Pudendum ſanè tot diligentiſſimos fuiſſe ſcriptores, quos hæc quæſtio exercuit, & neminem inuentum eſſe, qui hanc homonymiam vel docuerit vel probarit,nec minus pudendum rerum inuentarum primos auctores litteris mandare, & interim Homeri obliuiſci, qui & linguam Græcam & litteras Græcas tradiderit rudi Græciæ, cùm antè non fuiſſent.

Nicolaus Damaſcenus.

sent. Iosephus certè & Tatianus & Clemens, & ceteri eiusdem argumenti examinatores vt Cadmo litteras acceptas ferunt, ita huius Homericæ reformationis, quod equidem sciam, nusquam ne somnium quidem alicui illorum est oblatum. Iam quod de Rufino allatum est, Archilochum diligenter Gygis fabulam complexum fuisse, id nihil eo conducit, quo doceatur Chronographum eum fuisse, nisi tam ineptè & bardè de scriptorum varietate loquamur, vt eorũ Chronica poëtæ scripsisse dicantur, quorum facta carminibus suis celebrauerunt. Quibus de causis non satis admirari possum eorum credulitatem, qui tam facilè sibi imponi permiserunt, vt Archilochum de temporibus scripsisse arbitrarentur.

Euersis iam ceteris omnibus, quos impudentia nescio cuius falsarij nobis suppositi, scriptoribus: vnus restat Xenophon de æquiuocis, quem credo ab impostore adiectum esse, ne in reliquis mendacissimus fuisse videretur. Scio equidem plures Xenophontes memoriam sui libris editis comparauisse. Verùm qui homonyma scripserit, eius puto neminem meminisse, atque vt demus quenquam fuisse, dicemus tamen hoc fragmentum tantæ ignorantiæ impudentiæque conuinci, vt non sit dignum cuius vlla ratio habeatur. Quid enim impudentius, quàm ab homine Græco dici Homerum Thalete posteriorem fuisse? quod impostor à corrupto Eusebij exemplari mutuatus Xenophonti suo adscripsit. In illo enim legitur Olympiade octaua Thaletem physicum philosophum claruisse, cùm eiusdem Eusebij alio loco dicatur vixisse ad Olympiadem vsque quinquagesimam octauam. Plinius vltimo anno quadragesimæ octauæ Olympiadis Eclipsim prædixisse dicit, quæ cõtigit sub Halyatte, vel, vt vetus exemplar manuscriptum habet, sub Astyage. Sed hæc scripturæ diuersitas temporum diuersitatem non inducit, eò quòd tempore huius Eclipsis Astyages Cyaxaris filius iam esset matrimonio satis maturus, quandoquidẽ sic inter Halyatten Regem Lydorum & Cyaxarem regem Medorum pax post Eclipsim Solis conuenit, vt Astyagi Cyaxaris filio Ariena Halyattis filia nuptum daretur. Thales igitur magno omnium cõsensu circa hæc tempora vixit, & mortuus est Olympiade quinquagesima septima, si Eusebij Chronicis credimus. Herodotus Thaletem in expeditione Crœsi contra Cyrum fuisse de Græcorum historia tradit, quod Eusebio consentit. Tatianus floruisse circa quinquagesimam Olympiadem scripsit, atque eius verba ab Eusebio in proparasceue recitantur. Credendum igitur, locum illum, quo octaua Olympiade fuisse dicitur, à quopiam adiectum esse. Nec illud mirum videri debet, cùm tota illa Chronica

Xenophon.

Plures Xenophontes.

Chronica Eusebij deprauata.

nica mirum in modum ſint deprauata. Scio tamen eſſe, qui Phlegontem teſtem faciant ſeptima Olympiade eum iam cognitum fuiſſe. Sed qui ſic ſentiunt, eos puto homonymia deceptos Thaletem Mileſium philoſophum feciſſe è Thaleta Cretenſi ſiue Illyrio poëta, cuius tanta fertur vetuſtas, vt Homerum præceſſerit. Et præceſſit ſanè ſi hic ſeptima, ille viceſima tertia Olympiade vixerit, vt Theopompo viſum eſt. In Euſebio igitur fortè fuerit Thaletas Lyricus poëta Olympiadi octauæ inſcriptus, è quo imperitus quiſpiam Thaletem Mileſium philoſophum fabricarit, quemadmodum Hipponactem, qui fuit mordaciſſimus poeta, philoſophum in eiſdem Chronicis fecerunt. Quo verò id magis credatur, Clementis etiam Alexandrini è libro primo Stromaton teſtimoniũ adduci poteſt, qui perinde atque ceteri, Thaletem primum Græciæ Sapientum circa Olympiadem quinquageſimam floruiſſe dicit. Plutarchus Thaletæ Muſici auctoris Pæanum meminit, ſed eum Cortynium Cretenſem, & de Glauci auctoritate Archilocho poſteriorem facit. Verùm, vt vt res de Thaleta Lyrico habeat, id conſtat inter omnes melioris notæ ſcriptores Thaletem Mileſium, vel Syrum, vt quidam voluit, circa quinquageſimam Olympiadem clarum fuiſſe. atqui idcirco, ſi Homerum hoc facias poſteriorem, neceſſe erit fateri, Cyri temporibus vixiſſe, cuius Xenophon Pædian cùm ſcripſerit, mirari liceret, quî factum ſit, vt tanti hominis in ea ætate non feciſſet mentionem, niſi quis tam ſit abſurdus, vt etiam inferius fontem omnis Græcæ eruditionis detrahere conetur. Quod igitur hic, quiſquis fuit, Xenophon de Homero prodidit, argumento eſt tantum abeſſe, vt hic Grylli filius fuerit, vt ne doctum quidem aliquem fuiſſe ſuſpicari queamus. Non igitur contra impiam ipſius de anno ſententiam diſputabo, nec illud commẽtum de Gallo, quod plurimis placuit, ridebo; ſed illud vnum addam, non aliam mihi videri cauſam inſcriptionis falſæ fuiſſe, quàm quòd Cicero dixerit libro primo de Diuinatione, Xenophontem Socraticum ſua ſcripſiſſe ſomnia. Hic igitur, quiſquis fuerit, impoſtor putauit ſua quoq; ſomnia probabiliora fore, ſi illi attribuerentur, cuius ſomnia mirabiles exitus & veriſſimos habuerunt. Atque hæc quidem ſatis ſint aduerſus falſam antiquariorum enneada, quam qui primus in lucem produxit, is mihi videtur nouem Muſarum chorum nominum ſuorum commentis voluiſſe æquare. Neque porrò dignam eam duxiſſem, contra quam tantum operæ inſumerem, niſi vidiſſem omnia Lexica plena eorum, quæ ſolis his fragmentorum falſis titulis pro veris ſunt aſſerta. Quid, quòd nemo ferè ſit antiquitatum inquiſitor, qui

Thaletas.

Hipponax.

Thales, primus Græciæ ſapientum.

qui non hinc gentis ſuæ exordia mutuetur. Ne igitur hæc doctorum hominum anticipata de his ſuppoſitis auctoribus opinio obſtaculo nobis eſſet, putauimus diligenter eam prius eradicandam, quàm vetuſtam gentis noſtræ originem exponeremus. Strabo igitur, vt ab hoc auſpicemur, Græcis Cimmerios dici auctor eſt eos, qui Cimbri alio nomine vocantur. Diodorus è Cimmeriis temporis lapſu, Cimbros cœpiſſe nominari, quod Plutarchus etiam in Marij vita refert. Hoc igitur in primis his auctoribus credemus, Cimbros & Cimmerios non eoſdem modò eſſe, ſed nomine quoque & nominis ratione conuenire. E Cimmeriis igitur conciſione vocis Cimri, & melioris ſoni gratia Cimbri ſunt nominati. Cimmerios autē dictos ita eſſe quidā arbitrantur, quaſi Chimerij, id eſt, hiberni vocarentur; quam rationē Proteas Zeugmatites tuetur, non Cimmerios, ſed Chimerios ſcribendo. Feſtus Pompeius de Cimbris & Cimmeriis in hæc verba ſcripſit: Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur. Cimmerij dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt; quales fuerunt inter Baias & Cumas in ea regione, in qua conuallis ſatis eminenti iugo circundata eſt, quæ neque matutino, neque veſpertino tempore Sole contegitur. Eiuſdem eſt opinionis Proteas Zeugmatites Chimerios nō Cimmerios ſcribens. Martialis (ſi ita nominatos cenſeamus) vocis originē ad hunc modū explicaret:

Cimmerij quī.

Chimerij.

„ *Si daret Autumnus mihi nomen, Oporinus eſſem:*
„ *Frigida ſi Brumæ tempora, Chimerinus.*

Eraſmus item Cimmerios hanc nominis ſui cauſam habere, falsò putauit. Fuerunt qui pro Cimmeriis Cemmerios ſcriberent, à caligine, quam κέμμερον vocant, quòd in perpetuis tenebris habitarent. Longiùs originem vocis Euſtathius quæſiuit, dicens Cimmerios dici quaſi κεκμένους ἐν τῷ ἠέρι, id eſt, caligine. vel κεκμένους περὶ ἠρία, id eſt, ſepulcra, vel κεκμένους ἐν τῇ ἔρᾳ, id eſt, in terra habitantes. Alij Cerberios dixerunt, in quorum numero eſt Crates, propterea (vt videtur) quòd loca tenerent Cerbero vicina. Hinc apud Ariſtophanem in Ranis Charon interrogat:

Cemmerij.

Cerberij.

„ Τίς εἰς ἀναπαύλας ἐκ κακῶν ⁊ πραγμάτων,
„ Τίς εἰς τὸ λήθης πέδιον ἢς ὄνος πόκας,
„ Ἢ 'ς Κερβερίους ἢ 'ς κόραξας, ἢ ἅπτ' ταίναρον; Quo loco cō mentator addit quoſdā etiā fuiſſe, qui apud Homerū pro Cimmeriis Cerberios legerēt. Nobis nec Cimmerij, nec Cerberij, nec Cēmerij recipiendi ſunt, contra Strabonis & Diodori auctoritatē, & verā vocis ſcripturā conſenſu omniū confirmatā. Eſt igitur alia ratio inuenienda, ob quam Cimmerij, atq; deinde Cimbri ſunt nominati. Neque enim

enim, quod Festus videtur credidisse, alia est Cimbri, alia Cimmerij, vel etymologia vel significatio. Fateor equidem fieri potuisse, vt nomen Cimbrorum, qui proximi Gallis ad Oceanum habitabant, & frequentibus excursionibus vicina latrocinantium more populabantur, ad latrones transiisse, non quòd vox ita significaret, sed quòd mos gentis ita ferret, vt quotquot Cimbrici nominis essent, latrones apud finitimos iudicarentur. Sicut igitur molles & delicati Sybaritæ, ita latrones eadem loquendi figura Cimbri fortasse vocabantur. Plutarchus accurata veritatis inquisitione nemini posthabendus, Cimbros à Germanis latrones vocari scripsit, non à Gallis, vt Festus Pompeius. E quo fit verisimile de moribus Cimmeriorũ, non de linguæ vel Germanicæ vel Gallicæ proprietate latrones ita vocatos fuisse, cùm idem addat de veriore sententia, à natione nomen, non à latrocinandi consuetudine, ductum esse. Est certè *Cumber* hactenus nobis vocabulum in vsu frequenti, quo impedimentum & onus graue significatur: compositum è duabus voculis *Cum* & *Ber*, quasi illud *Cumber* dicatur, quod vix sit ferendum. *Cum* enim aduerbium, idem est quod Latinis vix, & *Ber*, idem quod fero vel porto. hinc *Bery* feretrum illud dicitur, quo inter duos onus aliquod portatur grauius, quàm vt ab vno ferri queat. Verbum autem *Ber* Anglis hodie etiam in vsu est, nobis *Bery* inde factum. *Cumber* igitur ab eo, quod vix tolerari potest, ad omnia ferè onera atque damna transiit. atque æquè *Cummer* atque *Cumber* pronuntiatur euphoniæ ratione. Hinc fortasse allusione vocum *Cimber Cumber* nominatus est, eò quòd intolerabilis & damnosus vicinis esset, propter rapinas & latrocinia quibus grassabatur. Verùm hæc de origine vocis controuersia satis magno argumento est, veram rationem à Græcis & Latinis ignorari. Germanis autem & Gallis videri de vocabulo suo vernaculo Cumbros, non Cimbros, nominandos esse, à damnis quæ inferebant. Alia igitur inuestiganda est nominis ratio, quam non exteri tantùm probent, sed quam nec ipsi sibi turpem ducant, qui sic nominantur. Cùm enim Cimmerij vox antiquissima sit, & non nuper, vt Germani, inuenta, verum est illud Plutarchi iudicandum, non à moribus, sed ab origine sic vocatos esse. Quamobrem cùm maiores nostri nulla nec natalium suorum, nec rerum gestarum monumenta reliquerint, necesse nobis est, à Latinis & Græcis historiam petere; atque vbi hi nos deserent, ad Hebræos confugere, qui his omnibus sunt antiquiores, adeò vt eorum historiographus Moses quadringentis circiter annis Troiano excidio sit vetustior. Ex hoc igitur, si gentis nostræ primordia sumere queamus, testi-

Cimbri.

Cumber.

teſtimonium adferemus, cuius vnius auctoritas infinito plus ponderis habet quàm ceterorum omnium, qui origines vetuſtas ſcriptis prodiderunt. Hic ſcribit Lamecho filium fuiſſe, cui nomen diuino adflatu fecit Noæ, qua voce quies ſignificatur, eò quòd terræ nauigante eo in Arca ſua ab omni hominũ labore eſſent quieturæ. Apud Latinos & Græcos diuerſa eidem nomina data ſunt, & è nominum diuerſitate non pauci errores in hiſtoriis eorum ſuborti. Ex hac fabularum magnus Oceanus in poëtarum regionem inundauit, qui dũ è veteri memoria per manus inter homines tradita, citra tamen omnem temporum ſupputationem, quæ nulla ipſis ante Olympiades fuit, diluuij mentionem accepiſſent, alius aliam inundationem finxerunt, pro ſuæ quiſque gentis antiquitate tempora diſcernentes. Euſebius, Auguſtinus, Oroſius, & ceteri plerique omnes aliud Ogygium diluuium fuiſſe credunt, aliud Deucalionium, aliud item illud quod Moſes deſcripſit. Plato de multis diluuiis tam temerè credidit Ægyptiis, quàm de inſula Atlantica, quam cùm hominum obliuio & metus nauigationis è notitia ſuſtuliſſet Geographorum, crediderunt ij, qui fuiſſe olim legiſſent, maxima aliqua inundatione ſummerſam & abſorptam apparere deſiiſſe. Varro Ogygio diluuio nihil nouit antiquius, in hoc Bœotis conſentiens, apud quos Thebarum Rex Ogyges indigena fuiſſe memoratur. Ptolemæus Mendeſius cùm Moſen æqualem faciat eorum temporum, quibus Amaſis in Aegypto, & Inachus Argis regnauit, fueritque Ogygium diluuium poſterius ſub Phoroneo Inachi ſucceſſore, de Græcorum opinione colligitur poſt Moſen illud fuiſſe. Pòſt verò Argis regnante Crotopo; inundatio terras operuit, ſi eiſdem auctoribus ſit credendum, in qua nemo præter Deucalionem Promethei filium, & Pyrrham coniugem eius & ſororem ſit ſeruatus. Cùm itaque Auguſtinus de veterum monumentis aſſerat, Ogygium maius fuiſſe, quàm diluuium Deucalionis, cogemur fateri, non plures in Ogygio, quàm in eo, quod ſub Deucalione accidit, homines ſeruatos fuiſſe. Quæ ſi vera ſunt, conſequens eſt, hæc duo non minora, vt plerique omnes ſcripſerunt, ſed maiora fuiſſe, quàm illud quod ſub Noa dicitur accidiſſe, ſi inundationis magnitudo paucitate ſeruatorum hominum ſit metienda. Hæc quia abſurda ſunt & malè cohęrentia, non verebor aſſerere, vnum duntaxat, non plura diluuia, atque illud apud diuerſos diuerſa nomina ſortitum eſſe. Poëtæ enim priſcæ ſapientiæ profeſſores non à maioribus ſolùm, ſed ab hiſtoria etiam exterarum gentium, videntur inundationem quandam omnium terrarum

Noa.

Noæ apud ſcriptores diuerſa nomina.

Diluuium Ogygium.

Diluuiũ Deucalionium.

Diluuium Noæ.

Ogyges.

Phoroneus.

Crotopus.

Deucalion.

Pyrrha.

Auguſtini opinio.

Vnum nõ plura diluuia.

nouiſſe, ſed quo tempore illa accidiſſet, ad vnum omnes ignoraſſe.

Cauſa erroris de pluribus diluuijs.

Sub antiquiſſimo igitur quiſque ſuæ gentis auctore id opinatur cõtigiſſe: atque ita diuerſitas nominum diuerſas ætates fecit, quas, quia ad verum temporum calculum reducere nemo potuit, in eam ventum eſt opinionem, diuerſas fuiſſe inundationes. Deinde, quòd viderent homines veræ Chaldæorum, Hebræorum, & Phœnicum hiſtoriæ periti, non conuenire has inundationes, cum vniuerſo illo diluuio, quod Noa vidit: crediderunt Ogygium & Deucalionium non vniuerſum orbem, ſed partes aliquas duntaxat occupaſſe, vt & illud apud Platonem, quo Atlanticus orbis eſt ſummerſus. Verùm ſi quæ poëtæ de Deucalionis diluuio ſcribunt, quod tamen minimum illi ſtatuunt, qui diuerſa faciunt, conſiderentur: non poterimus effugere, quin contrà atque Euſebius, Auguſtinus, & ceteri eiuſdem ſententiæ patroni, ſentiamus. Ouidius certè, qui omnium manibus teritur, Deucalionis diluuium vniuerſum fecit, ſolos duos relinquens, & ne illos quidem ad liberos procreandos idoneos; qua de cauſa è lapidibus durum à ſtirpe genus nobis dederunt. Et nemo ſanè Noæ nomen ad etymologiam rectiùs expreſſit, quàm Ouidius ita canens:

Deucalionis diluuium vniuerſum Ouidio.

Noa etymon.

„ *Redditus orbis erat, quem poſtquam vidit apertum,*
„ *Et deſolatas agere alta ſilentia terras,*
„ *Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis.*

Eſt hæc ſanè Noæ vera & accurata interpretatio, è qua ſuſpicari cogor Moſis libros ab Ouidio diligenter lectos fuiſſe. Huic ſuffragatur & illud à Virgilio in Georgicorum primo libro ſcriptum:

„ *Continuò has leges, æternaque fœdera certis*
„ *Impoſuit natura locis, quo tempore primùm*
„ *Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem,*
„ *Vnde homines nati durum genus.*——

Pindarus in Olympiis his videtur præiiſſe:

„ Ἔ᾽α πόλεμον μάχαν τε πᾶζαν
„ χωρὶς ἀθανάτων, φέρθις
„ δ᾽ὲ πρωτογενείας
„ Ἄ᾽σφ᾽γλῶσαν, ἵν᾽ αἰολο-
„ βρόντα Διὸς αἶσα
„ Πυρρὰ Δευκαλίων τε παρ-
„ νασσὸν καὶ ἀβαν τε,
„ δ᾽όμον ἔθεντο πρῶτον· ἄτες

δ᾽ ἐυ-

„ Δ' ἐννᾶς ὁμόδαμον
„ κλῆσαθαν λίθινον γόνον·
„ Λαοὶ δ' ὀνόμαθεν.

Quæ ſic reddantur Latinis. Miſſum fac bellum, & omnem pugnam, quæ longè remota eſt à Diis, ſed feras vrbi, in qua prima hominum facta eſt generatio, linguam, vbi Iouis variè tonante fato, Pyrrha & Deucalion è Parnaſſo deſcendentes, primam domum poſuerunt, & ſine cubili fœtum ſaxeum, qui ſimul in populum coaluit, acquiſiuerunt, qui Laoi, id eſt, lapides inde dicti ſunt. Lycophron item obſcura illa Pleiadum ſtella totius terræ inundationem hanc fuiſſe, ſatis clarè docet, vt cetera eius pleraque ſint caliginoſiſſima: *Laoi, populi dicti.*

„ Ὅτ' ἠμάθυνε πᾶζαν ὀμβρήζας χθόνα,
„ Ζηνὸς καχλάζων νασμὸς, ᾧ ὑπὸς πέδῳ
„ Πύργοι καλῃείποντο, τοιδὲ λοιθίαν
„ Νήχοντο μοῖραν πὲ οὐμμάτων δεδοκότες.

Quæ in hanc ſonant ſententiam:

Quando integram terram Iouis vis vuida
Vaſtabat vnda, & turribus cadentibus
Homines natabant ante oculos ſummi ſuos,
Fati videntes finem ineuitabilem.

Omitto reliqua poëtarum teſtimonia, ne prolixitate ſim odioſus. Non poſſum tamen non addere, eos ſimiliter in hac opinione fuiſſe, qui citra figmenta & carminum delicias ſcripta ſua nobis reliquerunt. Theophilus vir eruditiſſimus, & in religione noſtra Alexandriæ Epiſcopus, ad Autolycum ſcribens, indicauit Noam à quibuſdam Deucalionem vocari. Plutarchus item in eo libello, quo docet brutis non deeſſe rationem, apertiſsimum dedit argumentum, idem omnino Moſis diluuium cum eo eſſe, quod ab exteris decantatur. Columbam enim à Deucalione emiſſam fuiſſe, ab iis proditum dicit, qui fabulas conſcripſerunt, id eſt, antiquam hiſtoriam: de cuius emanſione didicit terras deſiccatas ab inundatione eſſe. Hoc cùm Noæ à noſtris tributum videamus, quis ambigat de eodem diluuio, & ab illis & à noſtris agi? Ioſephus clariùs idem multorum teſtificatione docet, cuius verba quòd antè poſuerim, cùm de Mnaſea diſputarem, non eſt quòd hîc repetantur. Noa igitur à nimia humoris copia Deucalion à Græcis nominatus videtur: δεύομαι enim propriè dicitur τὸ ὑπὸ Διὸς ὑέσθαι, id eſt, à Ioue complui, ſi etymorum ſcriptori fides habenda. *Theophilus, Alexandriæ epiſcopus. Noa Deucalio.* *Deucalionis etymon.*

Nimiam ergo illam pluuiam omnibus humoris & aquarum cataractis in terram immani impetu ruentibus accommodata voce expreſſerunt. Huic verò vxorem addidêre Pyrrham nomine, quòd tum demum homines generari cœperint, cùm terra ignei elementi vi deficcata eſſet, vt nomine ipſo indicatur. Alij Noachi vxorem voce Cimbrica Barthanam nominarunt, qua diuina poteſtas perpetuę pariendi ſucceſſioni præſidens notatur, de qua ſuo loco plura. Crediderunt enim, cùm veræ hiſtoriæ eſſent ignari, ex humore & calore homines perinde natos fuiſſe, atque lapides in fornacibus coquuntur, & ideò Laos nominari. Prometheus enim è luto & igne cælo furtim ſurrepto homines dicitur finxiſſe. Eundem Noam alij Ogygem vocauerunt, voce Græcis Grammaticis non ſatis explicata. Stephanus Ogygiam, præter inſulam, in quam Vlyſſes naufragus eiectus fuit, accipi etiam dicit pro Bœotia, proque Thebis ab Ogygo filio Germeræ, & ab eodem Ogygo Lycios etiam Ogygios vocari, quibus addit è Chronicis Characis totam Atticam Ogygiam olim vocatam fuiſſe. Suidas Ogygium vetuſtum vel permagnum interpretatur, ſed hæſitans ſubiungit vel ita eſſe, vel ab Ogygo priſco Thebarum rege, nomen duci. Mihi placet Ogygem ab euętu appellationem habere, eò quòd ὤγνυτο τὴν γυὴν, id eſt terram aperuit vndis dilapſis. Eundem alij Ogenum videntur dixiſſe ſimili cauſa, ab ὄιγω ſiue ὠγω & γένος, propterea quòd generis humani ianuam aperuerit. Quod autem hic antiquiſſimus ſit eorum, qui poſt diluuium vixerunt, non eſt mirum, quæcunque antiqua ſunt & peruetuſta ea Ogygia vel Ogenia vocari, atque mala Ogygia maxima, propterea quòd diluuio nihil vnquam mortalibus maioris mali euenit. Latini antiqua Cimbrorum voce Noam Saturnum indigetant, quam mox ad originem vocabo. Hic igitur, cuius tempore terræ vndis coopertæ fuerunt, tres filios ante diluuium ex vxore ſua ſuſtulerat, Sem, Cham & Iaphet. qui vnà cum parentibus & vxoribus ſuis in Arca ſeruati fuerunt, ad humani generis ſtirpem rurſus redintegrandam & dilatandam. Cùm igitur è montibus Ararat, in quibus poſt diluuium Arca conſtitit, verſus occidentem in camporum planiciem deſcendiſſent, multiplicati ſunt mirum in modum, & obliti fœderis, quo à Deo Optimo Maximo ſtatutum fuerat, terras inundatione nunquam rurſus totas perituras eſſe, cœperunt temerario auſu & impio turrem ædificare, cuius altitudine ab vndis poſſent ſeruari, ſi fortè Iupiter iterum mortales vellet vndis penitus abolere. Deus itaque, quò ſtolidam cogitationem euerteret, linguas diuerſas induxit, vt alterum alter non intelligeret. Hac occaſione ſecundum linguas & cognationes varias in diuerſas par-

Pyrrhæ ſignificatus.

Prometheus.

Noa, Ogyges.

Ogygia.

Ogygus.

Ogygij.

Ogygium.

Ogygis & Ogeni etymō.

Ogygia vel Ogenia.

Ogygia mala.

Noa, Saturnus.

Sem.
Cham.
Iaphet.

Turris Babel.

Linguarum diuerſitas.

partes commigrarunt, ita quoque hominum multitudine exigente. E maximo igitur natu filiorum Noæ,nomine Sem, Hebræi deſcenderunt : è Chamo Ægyptij & Æthiopes, & vicinæ gentes: è Iaphet verò minimo natu de tribus,omnes populi,qui Aſiæ partes à Tauro ad Tanaim vſque tenent, & omnes vnà Europæi. Maximus porrò natu filiorũ Iaphet fuit Gomer,à quo Gomerij ſiue Cimmerij maiores noſtri genus ducunt. Operæprecium igitur erit è Moſis hiſtoria ea principio tranſcribere, quæ ad primam gentis noſtræ originem ſpectant. Hæc autem ſic in noſtra editione Latina habent. Erant ergo filij Noæ, qui egreſſi ſunt de Arca, Sem, Cham & Iaphet. Porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan. Tres iſti filij ſunt Noæ, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram. Cœpitque Noa vir agricola exercere terram,& plantauit vineam,bibẽſque vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata,nunciauit duobus fratribus ſuis foras. At verò Sem & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis,& incedentes retrorſum operuerunt verenda patris ſui, faciesque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noë ex vino cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis,dixitque: Benedictus eſt dominus Deus Sem. Sit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet,& habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius. Vixit autem Noë poſt diluuiũ trecentis quinquaginta annis, & impleti ſunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus eſt. Hæ ſunt generationes filiorum Noæ, Sem, Cham & Iaphet, natique ſunt eis filij poſt diluuium. filij Iaphet Gomer & Magog, & Madai & Iauan, & Tubal & Moſoch & Tiras. Porrò filij Gomer, Aſcenez & Riphat & Togorma.filij autem Iauan,Heliſa & Tharſis,Cethim & Dodanim. Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias in nationibus ſuis. In his igitur Moſis verbis apertè cernimus,genus omne ipſius Cimmeri, ſiue Gomeri,& eam quam Deus pollicitus eſt Iapeto ſtirpis latitudinem, Noæ ſuggerens, quid quiſque filiorum in poſteris conſequeretur. Lingua enim ſanctorum patrum filiis ſuis vel bene vel male precantium non ira aut amore, ſed Dei inſtinctu gubernabatur, quamuis affectiones eorum cum Dei voluntate conſentirent, vtpote quæ de probis pectoribus proficiſcerentur. Latitudo igitur Iapeto patris precatione prædicta in Comero maximè eluxit, cùm ſemper in omnibus eius poſteris, tum maximè in illis, qui primi fuere Latini nominis

Hebræi.
Aegyptij. Aethiopes.
Aſiatici.
Europæi.
Gomer, Gomerij, ſiue Cimmerij.
Chanaan.
Cham impudentia.
Sem & Iaphet verecundia.
Noæ anni.
Filij Iaphet.
Filij Gomer, & Iauan.
Inſulæ gentiũ.
Benedictionũ vis.
Latitudo Iapeti in Comero.

minis auctores. Nam Romanis rerum potitis, latitudo ſalutis in Iudæa nata eſt, non amplius vnius gentis terminis continenda. Ceterùm nomen primi genitoris in ſolis noſtris maioribus manſit, ad quos, ſub appellatione Francorum religio Chriſtiana cum imperio tranſiuit: vt non immeritò Chriſtianiſſimi ſint poſteà nominati. Noſtra enim regio, vt pòſt docebimus, Francos dedit illos, qui poſt eiectos Romanos latiſsimè in Europa regnarunt, qui non ſolùm à Gomero genus, vt Romani, ſed nomen etiam ducunt, & eandem hactenus linguam retinent, qua Gomer vtebatur. Nec verò has tantùm antiquitatis ſuæ habent reliquias, ſed ipſo etiam nomine, quo Franci nuncupantur, illius benedictionis, qua Iapeto Noachus bene precatus eſt, memoriam conſeruarunt æternam. Ioſephus Cimmerios Gomareos nominauit, quos eoſdem eſſe dixit cum illis, quos Græci Galatas appellant. Sunt ſanè Galatæ Cimmerij, ſed non ſoli, ſi Galatarum nomine eos voces, quos Græci ſic vocarunt, ſed de hoc pòſt latiùs. Nunc ſufficit, ſi oſtendero & nomen & regionem primam Cimmeriorum. Non erit igitur inutile Ioſephum grauiſsimum teſtem ſuis verbis loquentem audire, qui Moſaicam breuitatem nonnihil illuſtrauit:

Franci Chriſtianiſsimi ciuates.

Cimmerij, Gomarei Galatæ.

Ησαν δὲ τῶν Νώχου παίδων υἱοὶ, ὧν ἐπὶ πιμῇ τῆς ἔθνεσι τὰ ὀνόματα ἐπετίθεσαν, ᾗ γῆν τινα καταλαμβάνοντες. ἰαφθᾶ μὲν οὖν ἦν Νώχου παῖδες, ἦσαν ἑπτὰ υἱοί. κατοίκουσι δ' ἔστι δὲ ἀπὸ Ταύρου καὶ Αμάνου τῶν ὀρῶν ὁρμώμενοι, καὶ προῆλθον ἐπὶ μὲν τῆς Ασίας ἄχρι ποταμοῦ Ταναΐδος, ἐπὶ δὲ τῆς Ευρώπης ἕως Γαδείρων γῆν ἣν ἔτυχον καταλαμβάνοντες, καὶ μηδένα πρόσθεν κατοικήσαντα τὰ ἔθνη τοῖς αὐτῶν ἐπάλουν ὀνόμασι. σὺ μὲν γοῦν ὑφ' ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους Γαμαρεῖς δὲ λεγομένους Γόμαρος ἔκτισε.

Quorum hæc eſt ſententia: Qui verò terram aliquam occuparunt, nomina gentibus impoſuerunt in honorem eorũ, qui de liberis Nochi fuêre procreati. Iaphtæ igitur vni de Nochi filiis ſeptem fuêre maſculę proles, quorum regiones à Tauro & Amano montibus exorſæ in Aſia quidem ad Tanaim vſque, in Europa verò ad Gaditanorum vſque terram pertinebãt. quas cùm pro ſua quiſque ſorte occupaſſent, de nominibus ſuis gentes nuncuparunt, propterea quòd nemo illic antè mortalium habitauiſſet. nam Gomarus Gomareos à ſe vocatos condidit, quos Græci Galatas nominant. Hic Gomer Iaphet filius, Gomeros condidiſſe dicitur. Sed quid hoc dices ad Cimmerios, quorũ hîc origo quęritur? Facile ſit hoc expedire, modò cõcedatur Græcis cognatas litteras eſſe gamma & cappa, atq; ita minimo diſcri-

Sedes filiorum Iaphtæ.

diſcrimine pro media littera eam poſitam eſſe, quæ tenuis vocatur. E Gomer igitur Comer fecerunt. & fuit fortaſſe antiquiſſimis Hebræorum ea Gimel pronunciatio, vt ab exteris per Cappa redderetur. Sed hoc leuius eſt & minoris momenti, quàm in eo ſit laborandum, cùm frequentiſſimæ fiant cognatarum litterarum permutationes. Verùm alterum non æquè facile, qua de cauſa o micron tranſiuerit in Iota, vel ſi quis malit y pſilon. De y pſilo nõ eſſet quæſtio ardua, cùm in illud ex o micro frequens fiat tranſitus; at Cimber & Cimmerius per Iota plerunque ſcribi inueniuntur, vt ex Suidę aliorumque Lexicis de ordine litterarũ eſt videre. Alia igitur ratio quærenda: quæ tamen in promptu eſt iis, qui vel à primo limine Hebræorum litteras ſalutarunt. Quod enim Gomer in coniugatione Cal dicitur, id in cõiugatione Piel Gimer erit: in Cal igitur Gomer nihil aliud eſt quàm finitus, ſiue abſolutus & perfectus eſt; in coniugatione verò Piel Gimer, idem eſt quod perfecit Latinis. Poteram aliud etiam cauſari, quòd apud Hebræos vocales non adſcribantur, atque ita procliue ſit aliter ab aliis eaſdem conſonantes pronunciari, dum alius hanc, alius illam vocalem intelligendam arbitratur. Prætcrea alia eſt etiam ratio de illius ſeculi conſuetudine ſumpta, quo Gomer vixit. Dabantur tum nomina pleraque non fortuito caſu, ſed diuino inſtinctu, vt in Noë & Iaphet eſt clarum; quorum ille à quiete terrarum, hic à poſteritatis latitudine dictus eſt. Iam cùm Iaphet ſeptem filios haberet, nullus inter omnes fuit, qui generis latitudinem diuinitus ei promiſſam magis perficeret abſolueretque, quàm Gomer; tum quia primogenitus, in quo promiſſioni iam ſatisfieri cœpit, tum quòd à nullo filiorum plures populi originem duxerint, vt in progreſſu patebit. Dicendus igitur potiùs Gimer, id eſt perfecit; quàm Gomer, id eſt abſolutus ſiue perfectus eſt. Et fortaſſe priſci Hebræi Gimer, non Gomer pronunciarunt: quod ex eo fit veriſimile, quod Homerus antiquiſſimus Græciæ ſcriptorũ Cimmerios nominarit non Gomerios, cui equidem potiùs credam, quàm illis qui poſtea Holem pro Hiric addiderunt. Siue enim Eſdras, ſiue alius Gomer pro Gimer ſcripſerit, id certè tum contigit, cùm Cimmeriorum apud Hebræos omnis memoria & notitia periiſſet. Quãobrem Græcorum pronunciatio videtur germana atque genuina eſſe priſcorum, ad illos præſertim Gomeri poſteros ſignificandos, ſub quorum imperio perfectio latitudinis erat futura. Nam fuerunt & alij, qui ſe Gomaros ſiue Comaros nominarunt, patrem Gomerum non Gimmerum referentes: de quibus pòſt agetur. Maximum enim vaticinium ſub hoc Cimmeri nomine deliteſcit. Cuius, dicet quis, rei?

E Gomer Comer factum.

Gomer.

Gimer.

Nomina diuino inſtinctu data.

Cimmerici nominis myſteria.

rei? Cuius, nisi illius quæ æquè ad omnium mortaliũ salutẽ spectat? Oracula sacra non de rebus externis;non de diuitiis corporis,non de aliis homini nõ necessariis sunt interpretãda,nisi illa ipsa hanc interpretationẽ indicabunt. Iapeto igitur promittitur latitudo,quoniam ipsius progenies tũ latitudinẽ imperij tenebit,cùm perfectio generis humani in terras descendet. Hoc enim apertè mõstrat Noach,dũ sic Iapeto felicitatẽ precatur: Dilatet Deus Iaphet,& habitet in tabernaculis Sem: sit Chanaã seruus eius. Num hic aliud significatur,quàm eo tempore, quod sancti patres expectabant, Iapeti progeniẽ Africæ dominaturam,& habitaturã in tabernaculis Sem, id est in Iudæa & Hierosolymis,vbi dominus Deus Semi erat benedicendus? Quis verò dominus Deus Sem,quem Noach benedictum dicit? An non omnium Deus vnus est,& non Semi solius, sed dominus vniuersorum? Est sanè. Quis igitur dominus Deus Semi? Ille nimirum, qui quamuis sit idem Deus omnium; Semi tamen Deus propriè dicitur, quia carnem erat è Semi progenie assumpturus,atque id eo tempore dum Cimmeri posteritas perfecerit latitudinem imperij Iapeto promissam; quę sub Augusto erat futura,Iano iam tertiùm clauso. Cimmerij igitur potiùs sunt, quàm Comari dicendi, qui hanc latitudinem erant perfecturi, in qua omnes gentes benedicturi essent Deum Semi. Inuenta est igitur vera Cimmeriorum non origo tantùm, sed vera etiam nominis causa, quæ indicat ingentem latitudinem Iapetij generis in hac stirpe maximè absolutam fuisse. Redeamus igitur ad Iapetum, videamusque, an ex hac prisca memoria lucis aliquid Græcis & Latinis queat exoriri. Mirum enim est,quàm pij homines oblectentur, cùm vident antiquorum fabulas ex historia sacra dimanare, sed ob claram notitiam veritatis eis denegatam infinitos trahere errores. Nihil esse reor tam validum ad atheos quosdam philosophos ad saniorem mentem reuocandos, quàm videre, ad antiquissimos & Græcorum & Latinorum sub obscura caligine tantum saltem veritatis peruenisse, quantum satis sit ad commonstrandum, magnam esse inter omnes gentes de primis hominibus post diluuiũ consensionem. Priùs igitur quid Græci de patre Gomari prodiderint,breuiter indicabo;ne si accuratè excutiam omnes auctores,festinis animis nauseam prouocem. Iaphet à Græcis Iapetus dicitur, quem, quòd patrem ignorarent, Cæli & Terræ filium fecerunt, illa nimirum loquendi consuetudine, qua ignoti generis homines terræ cælique progeniem vocamus. Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur(vt Lactantius testatur,quique apud huius ętatis homines falso habetur octauus liber Arnobij contra Gentes) Saturnum dicit

Quis Deus Semi.

Vtilitas sacrarum litterarũ cum poetis collationis.

Iapetus.

Minucij Felicis libellus.

dicit Cęli Terræque filium, ea de cauſa apud Italos haberi, quòd eſſet ignotis parentibus, vt in hodiernum, inquit, inopinatò viſos, Cælo miſſos, ignobiles & ignotos Terræ filios nominamus. Poſſemus idem de Tertulliani, Quinctilianique teſtimonio docere, niſi apud Ciceronem etiam Terræ filij pro obſcuris non vno loco ponerentur. Sic apud poëtas Terræ progenies, fraterculus Gigantum, &, Tertius è cælo cecidit Cato, dici videmus. Hinc Heſiodus:

Saturnus cum Cæli Terræque filius.

Terræ filij.

„ ——Αυτὰρ ἔπειτα
„ Οὐρανῷ ἐυνηθείσα τεκ' ὠκεανὸν βαθυδίνην
„ Κοῖόν τε, κρεῖόν θ', ὑπερίονα Ἰαπετόν τε.

Virgilius partim huc, partim ad locum qui eſt in alio huius poëtæ opere reſpiciens, de eadem re ſic cecinit:

„ ——*Tum partu Terra nefando*
„ *Cœumque Iapetumque creat, ſæuumque Typhoëa.*

Hunc igitur, quia Græci antiquiſſimum omnium fuiſſe exiſtimarunt, omnes homines Iapetionidas dixerunt, vt è Pindaro in nona ode Olympiorum liquet. Horatius item, audax Iapeti genus mortales nominauit, Græcos ſecutus. Huic filios ex Aſia vxore tribuunt, vt eſt apud Apollodorũ, eò quòd filios ex Aſia in Europam traduxerit. Nomina verò filiorũ cùm ignoraret, ab hiſtoria ad allegoriam declinantes, Prometheum à prouidentia, Epimetheum à conſiliis poſt factum, Atlantem à labore ferendo, Menœtium à morte, quæ omnes Iapeti filios manet, nuncuparunt: quibus quatuor potiùs in homine affectiones, quàm quatuor filij ſignificantur. Prometheus enim mens eſt cælitus immiſſa, quæ facit vt homo homo ſit, quãuis & ipſa idea hominis in opifice Deo conſiſtens, eadem voce aliquando notari videatur. Epimetheus ignorantia eſt & obliuio, & à recta ratione declinatio, quæ à Carne & Pandora ſiue ſerpente originem ducens, fons eſt omnium malorũ. Atlas condemnatio eſt, qua intolerandis oneribus ſumus obiecti. Menœtius mors eſt, & quæ mortem conſequuntur. Sed hæc aliter ab aliis poëtis & canuntur & explicantur. Latini eadem ferè ratione Ianum quadrifrontem finxerũt, tametſi alię quoque eius ſint rationes. Nobis hîc ſatis eſt intelligere, fontem fabularum à primo Europeæ gentis auctore manare, qui ex Aſia genus noſtrum dicitur ſuſtuliſſe. Terra autem alio nomine Themis dicitur, vnde fit vt Prometheus Themidis quoque filius dicatur, quod in Æſchylo ipſemet teſtatur, his verbis:

Asia, Iapeti vxor.

Iapeti filij à Græcis aſcripti.
Prometheus.
Epimetheus.
Atlas.
Menœtius.

Pandora.

Ianus quadrifrons.

Fons fabularũ à quo manarit.

Terra, & Themis dicta.

Aeſchylus.

„ Ἐμοὶ δὲ μήτηρ ἠχ' ἅπαξ μόνον Θέμις,
„ Καὶ Γαῖα, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.

Verùm hæc (vt dixi) ex historiæ incerta & obscura auditione ad mysteria naturæ, & eorum quæ supra naturam sunt, Theologi Græcorum transtulerunt. In illo tamen clarum satis veræ antiquitatis hæsit vestigium, quòd Iapetus ex Asia filios suos produxerit. Latinis nullus vetustior parens inuenitur quàm Ianus, quem idcirco Italiæ indigenam dixerunt, quòd genus eius ignorarent. Cùm igitur constet Iapetum primum in Italiam traiecisse, cogimur fateri, eundem Ianum ab illis dictum fuisse. Huic opinioni meæ illud adstipulatur, quod Hyginus ex Protarcho Tralliano tradit, Ianum in Italia cum Chamese æquè indigena terram possedisse, ita participata potentia, vt regio Chamesene, opidum Ianiculum vocaretur. pòst ad Ianum solum regnum redactũ esse, qui creditur geminam faciem prætulisse, vt quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur. Scimus enim Chamum, siue Chamesem fratrem Iapeti fuisse, atque ideo suspicor vnà cum fratre in Italiam nauigasse, vel post, ad eum visendum traiecisse. Quòd verò Ianus pòst solus regnarit, ex eo videtur contigisse, quòd Chamus improbissimus omnium scelerum inuentor à fratre sit eiectus, & communi hospitio exclusus, ne totam gentem vitiis suis spurcissimis inquinaret. De improbitate autem huius satis aperta est apud Mosem oratio, apud quem dicitur Noa hunc filium execratus esse, quòd pudenda ipsius per contumeliam reuelasset. Sicut igitur Noa omnes filiorum colonias visitabat, quò in vero Dei cultu & bonis institutis eos contineret; ita Chamus ad omne scelerum genus factus, vbique idololatriam & pæderastiã, & cetera id genus horrenda vitia seminabat. Pater itaque, vel ab impio filio, qui sibi sacrilegio execrando Iouis nomen sumpsit, expulsus (vt poëtæ fabulantur) vel vt Ianum filium visitaret, in Italiam appulit, vbi à Cimmeriis, Iani siue Iapeti progenie, Saturnus dictus est, quod nostra lingua magnũ & potens semen significare, alibi erit latiùs ostendendum. Nec alia voce Noa iustiùs vocari potuisset, quòd ex eius semine vniuersum hominum genus procreatum esset. Ab hoc Saturnia nominata est, & Latium, sed non (vti Latini putant) à latendo, verùm de Cimbrico sermone, quasi Pats-hum, id est postrema & vltima domus: quod hîc Saturnus siue Noa vltimam exegisset senectam. Ianus porrò bifrons dictus est, vel quòd illa videret, quæ ante & post diluuium contigerunt, vel quòd Asiam simul & Europam frequenter videre cogeretur, quoniam vtrobique magnam sobolem ha beret. Macrobius historiæ veræ nescius ad prudentiam retulit: alij physicôs omnia interpretati ad anni principium & finem. Ambrosius historiam illam, qua Sem & Iaphet narrantur retrorsum incedere, quo auersi patris puden-

Saturni etymon.

Latij etymon.

Ianus bifrons, quid signet.

pudenda pallio velarent, ad allegoriam transfert, non illam quidem valde proposito conuenientem, sed talem tamen, quæ possit non incommodè Iano applicari. Volebat hic indicari, viri prudentis esse, non præsentia, & quæ in oculis sunt, tantùm videre, sed præterita etiam & futura cogitare. Potuit forsan duplex Iani facies Iapeti hoc prudentissimum & in primis pium factum apud vetustissimos significasse, quod posterorum ignorantia aliò detorserit, allegoricôs duntaxat illud interpretata, quod de historia fuisset acceptum. Verùm id non magni refert: aliquid saltem est Ambrosij commentum, Iano potiùs cõuenire de vera narratione, quàm de frigida allegoria. Crebrò admonui & admonebo priscis symbolis copiosas & vberrimas semper causas subesse, tametsi prima statim fronte se non prodant. Potuit igitur & illo nomine Ianus bifrons esse, quòd non illa modò bene gereret, quæ ante se videret, verùm ea quoque bene administraret, quæ non videret; vti in hoc pio pudore factum legimus, in quo & patris honori optimè consuluit, vestẽ iniiciendo; & visum sic est moderatus, ne quid in oculis esset, cuius vel pudere in præsens, vel in posterum pœnitere eum posset. Non ignoro equidem illud: *Altera ratio ob quam bifrons.*

„ *Felix à tergo, quem nulla ciconia pinsit.*

Et Homericum item scomma in Agamemnonem ab Achille dictũ:

„ Οὐδὲ τὶ οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. *id est,*
Nec scit consiliis res antè retroque videre.

Atque hac etiam ratione duplicẽ faciem Iano fingi potuisse. Verùm hoc ago, vt intelligatur non moralem tantùm sententiam, signo hoc expressam esse, sed historiã etiam verã eius monitu ad posteros fuisse transmissam. Huius rei testimoniũ in æreo numo vetustissimũ extabat, qualẽ & nos vidimus frequenter, in quo altera parte bifrons caput, in altera nauis excusa cernebatur, quam malè Ouidius ad Saturni nauem cum ceteris pertinere arbitratur: ferè enim vetustæ consuetudini aduersatur, alterius res gestas in auersa numismatis parte conspici, quàm eius, cuius facies in eo præfertur. Sed hoc omnibus erroris seminarium fuit, quòd Ianum crederent indigenam fuisse, non verò aliunde adnauigasse. Ex hoc in prouerbium abiit, Aut caput aut nauem. Apertè igitur satis indicabatur, & nauigio in Italiam venisse, & Asiam non ita reliquisse, vt non aliquando cogeretur respicere, cura sua paterna vtramque gentem tuendo. Vt enim vtrobique quasi Episcopus quidam, an res bene gererentur, videret; opus illi esse videbatur duobus capitibus, altero in Italia, altero trans mare in Ionia & reliqua Asia, quam soboles eius tenebat. *Numus Iani.*

Omitto reliquam Europam, quam latissimè filij eius occuparant, ad quos frequenter respiciendum erat, ne boni mores & prisca institu-
ta corrumperentur. A frequenti igitur peregrinatione nepotes eius
Ganus. Cimbri Ganum appellarunt : quod idem est ac si dicas euntem, eò
Gán. quòd Gay vocali longa sit ire. Ciceroni certè nescio vnde suboleue-
Ianus, ab eundo Ciceroni. rit ab eundo Ianum dictum fuisse, sed nulla Latini sermonis analogia. Plurimum tamen Tullianæ diligentiæ debemus, cuius beneficio hoc didicimus, è ritualibus (vti opinor) libris acceptum, Ianum ab eundo esse dictum, propterea quòd in eo clarè cernamus vocem hanc è prisco Cimmeriorum sermone apud Romanos remansisse. Vnde suspicari licet alias etiam quàm plurimas voces ex eadem ori-
Cimmerij Baiani. gine reliquas esse, quas copiosè tum explicabo, cùm de Cimmeriis Baianis erit agendum. Ianus ergo dictus est, quasi Ganus, quæ vox Cimbris est apertissimæ significationis. Gamma autem frequenter in Iota consonantem transit, propter pronunciationis vicinitatem. Sic
Gard. Iardin. è voce nostra Gard, *Jardin* Galli Romanisantes fecerunt, multaque alia similiter formarunt. Qui verò Ianum ab Hebræa voce deducunt, qua vinum significatur, eundemque cum Noa faciunt, totam historiam confundunt. Saturnus enim, qui idem est cum Noa, non solùm omnes homines de potenti & magno suo semine dedit, sed
Cimmerij anti quissimi Italiæ populi. vitem etiam primus plantauit : & absurdum sit, si Cimmerij, antiquissimi Italiæ populi peregrina voce patrem suum vocarent, cùm Saturnum Gomeri auum vernacula nominassent. Ganus igitur re-
Ianus aduena. uera ab eundo, peregrinandoque dictus, Italiæ non indigena fuit, sed aduena: nec omnino vsquam gentium autochthonas aut abori-
Aborigenes aut Autochthones post Adamum nulli. gines post Adamum inuentos fuisse, non historia tantùm sacra, sed ratio etiam de sapientiæ præceptis instructa dictat. Quamobrem
Nauis Ianocur apposita. nauem optimè illi apposuerunt, cuius beneficio Italia, vicinæque regiones primum coli cœpissent. Nec tamen multum refragabor, si quis contendat, Arcam nauis effigie notari, atque bicipitis imagine non aliud dici, quàm Ianum & ante diluuium & post vixisse. Verùm prior ratio magis arridet, propterea quòd non bifrons solum Ianus,
Ianus quadrifrons. sed quadrifrons etiam non rarò videatur: quod & ipsum ex historiæ fonte defluxit, tametsi à Physicis sit ad quatuor anni partes translatum. Iapetus enim dicitur quatuor in Asiæ gremio proles creasse,
Iapeti quatuor proles. non vera illud quidem narratione, sed (vt opinor) poetica fictione, eam ob causam, quòd tam latè genus suum per varias regiones propagauerit, vt quatuor orbis cardines videretur occupasse. Nam à patre non temere aut fortuito Iaphet, id est latitudo, vocatus fuit, vt monui; sed diuina inspiratione, eò quòd esset sobolem omniũ latis-

simam

simam procreaturus. Cùm igitur posteritas ipsius ad Orientem, Occidentem, Austrum & Aquilonem in longè disitis orbis partibus prouincias teneret, par est eum & curam omnium gessisse, & aliquando etiam visitasse, atque idcirco quatuor capitum statuas ei positas esse. Eodem modo Triuiæ deæ tria capita dabantur, quòd tribus locis vicissim versaretur; & Geryoni tria corpora, quòd trium regnorum, in quæ Hispania erat distracta, imperio præsideret, quanquam non sum nescius aliter alios opinari. Nec est disimile vero, eandem quatuor Iapeto prolium tribuendarum, & Iano quatuor facierum causam esse, quòd liberi scilicet quatuor orbis partes longè lateque disitas habitarent, & eorum omnium paternam solicitudinem atque curam gereret. Arnobius Iano vxorem Iuturnam assignat, non illam quidem Turni sororem, sed deam illam, quæ à iuuando sic vocatur, quam Terram esse alterum nomen, quo Ops dicitur, declarat. Iapeto Asia vxor datur, quæ quid aliud est quàm Terra, à satietate ita dicta, si Græcam originem voci assignemus. Nos Asiæ vocabulum eiusdem linguæ, cuius Iani, proprium arbitramur. atque ita terram ab antiquissimis vocatam esse, ab alimento, quod hominibus & ceteris animantibus largo cornu suppeditat. Ἀσέω enim idem est, quod alimentum dare. Vox igitur hæc primùm toti terræ communis, tandem præcipuæ terræ parti, & illi, quæ primùm habitari cœpta erat, fuit attributa. Eadem igitur olim erat Asia, γαῖα, Terra, Ops, Iuturna, quamuis in diuersis linguis. Est autem Themis etiam nominata, quòd terræ cultus omnes leges inuenerit, quia nimirum agrorum distributio & elaboratio, iuris inter homines dederit exordium. Huic nostræ sententiæ, qua Iapetum Ianum Latinorum facimus, omnia congruunt, quæ apud veteres scriptores de illo feruntur. Ianuis enim, quæ ab ipso (si Ciceroni credimus) nomen habuerunt, propterea præest, quòd primus Italiam sit ingressus, atque ea fortè causa Romanorum ædes intrò aperiuntur ab ingrediente valuis protrusis, quod præter commoditatem sacrum quendam ritum retinere videtur: quo Iani in Italiam ingressi, memoria seruaretur. Et quia eum sibi perpetuò præsentem optabant, sic ianuas claudebant, vt ingredi, quàm egredi facilius esset. Si quando tamen ob bellum foris eius numine opus esset, apertas ianuas eius templi seruabant, in quo colebatur: quasi tacitè petentes, vt quàm primùm citra omne impedimentum rediret. Publicolæ igitur ædes in Palatio sumptu publico ita factæ fuerunt, vt facilior illis exitus quàm ingressus esset, ianua nimirum extrorsum aperienda. Cupiebant enim Romani nihil

Triuia dea triceps.
Geryon tricorpor.
Iuturna.
Asiæ etymon.
Terræ diuersa nomina.
Terra, & Themis cur nominata.
Ianuæ Iano sacræ.
Consuetudo ianuæ aperiendæ.
Iani ianuæ apertæ.
Publicolæ ædes.

ei, domi adferri obſtaculi, quo minùs promptè ſemper ad Reip. negocia foras excurreret. Non ignoro in Græcia communem hanc conſuetudinem fuiſſe, vt fores extrorſum aperirentur, de Comœdiis priſcis doceri, vt eſt à Plutarcho annotatum. Nam exituri, fores pulſabant, ne aperiendo protrudendoque quempiam læderent. Hunc morem Helladius etiam Ægyptius in Chreſtomathia ſua iambis depinxit. In illis tamen Oeconomicis, quæ Ariſtoteli titulo libri ſecundi tribuuntur, inter ceteras pecuniæ conficiendæ rationes Hippias illam quoque induxit, vt certo precio facultatem venderet ianuas extrorſum aperiendi, è quo neceſſariò conſequitur, non cuiuis illud permiſſum fuiſſe. Quòd verò in Comœdiis vti commune haberi videatur, id inde credo manaſſe, quòd in pagis primùm Comœdiæ actæ ſint, in quibus quòd plateæ latiſsimæ fieri poſſent, atque domus non admodum amplæ, pro mole rerum tegendarum, eſſentque ianuæ latæ, ad plauſtra ceteraque inducenda parandæ, multò commodiùs fuit exteriùs valuas magnas, quàm interiùs protrudere. Quod ad vſum conferenti, & ad villarum ſtructuram, quibus plauſtra & currus magni continentur, non poteſt non eſſe apertiſsimũ. Latini igitur & nomine & ritu aperiendarum ianuarũ memoriam primi ſui parentis æternitati conſecrarunt. Neque verò ea ſola cauſa ianuis præſidet, quòd primus Italiam hominibus aperuerit, ſed illa etiam, quòd omnium rerum agendarum cognoſcendarumque ianuam Europæis reſerarit. Atque idcirco claues etiam geſtat, quòd & artes omnes, & regiones omnes, vt hominibus paterent, præcipuus inter Noæ filios, adlaborarit. Quid verò baculus in dextra ſignificet, latiùs mihi tum erit dicendum, cùm inſignia ciuitatis noſtræ explicabo. Apud Ouidium ſe fuiſſe Chaos, & pòſt in faciem & membra Deo digna euaſiſſe dicit, tandem ſuccinens:

Fores extrorſum aperiendi, facultas precio vendita.

Comœdiæ vbi primùm actæ.

Ianus, cur claues gerat.

Baculus in dextra Iani.

„ *Quidquid vbique vides, cælum, mare, nubila, terras;*
„ *Omnia ſunt noſtra clauſa, patentque manu.*

Et complura alia, quibus omnibus nihil aliud deſignat, quàm ſe omnium ſcientiarum primum in Italia auctorem, & Phyſicam & Politicam, & Aſtronomiã, & Theologiam tradidiſſe. Hinc vndecimus apud veteres menſis ab eo nomen accepit, Solis regreſſu ad nos. Iam in Italiam aduentũ refricans, cuius primo die illa dabantur munera, quorũ monitu vtriuſq; regionis, & eius quã reliquerat, & eius, quam adiuerat, meminiſſemus. Caryotę enim, carica & mel offerebãtur, loco ſtrenarũ. in quibus Caryotę Aſiæ eam partẽ notabant, quę palmulas

Strenæ Latinorum.

pro-

profert,& qua Ianus ad Latium nauigauit. Palma certè Syriam maximè significat, atque eius illam præcipuè partem,in qua Iudæa continetur, vt est in illo numo videre, qui Iudæam captam habet sub palma sedentem,quod Diodorus quoque Siculus annotauit, Caryotas huius regionis proprias esse dicens. Carica verò & mel suauissimos Europę fructus indicabant.Hunc ritum non Ouidius tantum, sed Martialis etiam cecinit hoc versu:

„ *Aurea porrigitur Jani Caryota Calendis.*

Quia porrò primus est omnium in Italia parens, optimo iure omnia sacrificia à Iano auspicabantur, atque adeò omnium rerum initia atque omina huic consecrabant, quibus omnibus historia prisca de Iapher in Italiam commigratione egregiè denotatur, quamuis alij physicôs ferè cuncta interpretentur,ob historiæ ignorantiam: de quibus alibi erit dicendi oportunitas. Iam quod eisdem illis Calendis omne genus operis in sua cuique arte inchoabatur, instaurabaturve præter auspicium, cuius gratia id fieri vetustas credidit, hoc etiam indicasse videtur, ab Iapeto posteros suos moneri, non Deum tantùm manibus admotis orandum esse, sed omnem quoque homini felicitatem à labore; contrà, omnem miseriam ab ocio, proficisci. Quàm præclarè parens gentis Europææ solenni hac consuetudine genus suum docuit, totius beatæ vitæ cùm exordium, tum finem in actione contineri: sicut strenarum eodem die donatione commonstrauit longè beatius esse dare quàm accipere. quasi dixisset, nulla nos re propiùs Deum contingere, quàm perpetua & actione & beneficentia, à quarum nos vtraque voluit ineuntis anni principium auspicari. Facile est videre ex eodem fonte & Iani & Mosis doctrinam emanare, quorum ille suos monuit ab sua cuique operatione annum exordiendum, quod posteri primo die Ianuarij in Iani honorem constituti solenni memoria refricantes, quid aliud videntur indicasse, quàm quod primo generis humani parenti dictum est: In sudore vultus tui vescêris pane tuo. quasi nemini sit comedendum, qui non opera sua victum sibi quærat. quod D. Paulus sic expressit: Qui non laborat,non manducet. At strenarum missitatio præter vnionem & concordiam & amicitiæ inter homines sanciendæ tesseram,notabat item illud,quod D. Paulus dixit,Domini Iesu verbum esse;Multo beatius esse dare quàm accipere, ita vt, dum omnes contendunt, non tantum accipere, sed dare quoque strenas; videantur inter se de summa felicitate certare.Sed hic obiici posse video Quintilem & Sextilem menses in Iulium & Augustum post commutatos, demonstrare non Ianuarium, sed Martium primum mensium fuisse,

Sacrificiorum initia.

Ianuarij calẽdis cur omne opus inchoaretur.

Strenarũ missitatio quid signet.

ab

ab æquinoctio verno ducentem exordium. Dicere poſſemus cum
Romulus Martis F. Plutarcho, à Romulo Martis (vt volunt) filio primum locum patris honori tributum eſſe, atque ita priſco more Quintilem & Sextilem in menſium nominibus manſiſſe, verùm poſtea Numam Pompilium conuenientiùs & honoratiùs Latinorum generis auctori, primas Ianuario dediſſe. Cùm enim anni incipiendi variæ poſsint à diuerſis
Anni incipiendi variæ rationes. gentibus rationes excogitari, tum illæ duæ videntur omnium maximè approbādæ, quæ vel ab Æquinoctio verno, vel à Solſtitio hiberno annum exordiuntur. Priſcis igitur Cimbrorum parentibus placuit à ſectione verna menſium computationem auſpicari, atque inde ad denarium progreſsi, qui totius mundi corporei gerit imaginē, coniungendo formam cum materia ſubſtiterunt, quo reliquos duos non à numeris, ſed à parentibus primis nominarent, vndecimum quidem Iani, duodecimum Februæ nomine dedicantes, qui ſi à numeris fuiſſent nuncupandi, prior vnius vitæ, poſterior duplicis vitæ, quæ hominis propria eſt, ſignificationem habuiſſet; vt erit à nobis in Cimbrica numerorum magia (ſi Deus vitam det, ac noſtris hominibus gratum fore ſenſero) explicandum. Poſteriores verò, quos Numa eſt ſecutus, ei principium anni conſecrarunt, quem ſciebant Ita-
Anni Numæ principium. liam primùm hominibus colendam, habitandamque dediſſe, hoc modo ſe gratos genitori ſuo fore credentes. Sed ne conueniens naturæ ordo ignoraretur, in aliquot menſibus numerorum notas reliquerunt, quibus poſteri intelligerent priſcis aliud principium anni fuiſſe, ac ſe illud non alia ratione mutaſſe, quàm quò omnes intelligerent, genus non à Marte (vt aliqui fortè fabulabantur) ſed à Iano ductum eſſe. Tribuitur autem hæc Numæ inuentio, quòd priorum memoria ſcriptis vulgaribus non eſſet comprehenſa, quamuis fortaſſis in libris ritualibus contineretur. Quoties mihi Romanorum rituum & verarum antiquitatum in mentem venit, toties Q. Petilio prætori vrbano iraſcor, & ipſi adeò toti illius ætatis Senatui, qui tan-
Libri Numæ aut exuſti. tum prætoris ſui iuramento fidei tribuit, vt libros Numæ bis ſeptenos propterea exuri permiſerit, quòd in iis quæ de iure Pontificio, & de ſapientiæ diſciplina ſcripſerat, quædam ineſſe prætori crederēt, quæ facerent ad religiones diſſoluendas. Quæ verò ſuſpicer iudicata talia fuiſſe, niſi ea fuerint, quæ cùm veras rituum & ſacrorum primogenias cauſas exponerent, viſa ſunt homini Romano, ſuperſtitioſo pariter & veræ antiquitatis ignaro, aliud longè de iis tradere, quos vt Deos venerabantur, quàm vulgus exiſtimaret. Firmiſsima enim fide teneo, totius veteris hiſtoriæ & ſapientię ſymbola ceremoniis & nominibus ſacris conſignata fuiſſe, quæ à vulgo & poſterioribus non

pro

pro eo ac debebant accepta, fœdiſſimarum de Diis opinionum fuere ſeminarium. Quod ſi nobis iis incidere libris Deus dediſſet, haud ambigo quin de luce Chriſtianæ veritatis plurima peruidiſſemus, quæ à nemine Romanorum vnquam fuerunt intellecta. Sed iis miſſis, opinionem hanc meam eo tuebor, quòd aliud anni, aliud numerorum ſit principium. Vnde perſpicuum fit, Ianuarium & Februarium olim vltimos menſes fuiſſe, quia primi non numerarentur, cùm duodecim æquè atque poſtea extitiſſe non ſit dubitandum; quamuis nulla eius rei vetuſta memoria in libris extet. Illud igitur Longini, dicentis Ianuarium dictum eſſe quaſi αἰωνοειδὲς, quòd æui ſit principium, Grammatici eſt nimis licenter etyma ex ſua lingua ad externa vocabula detorquentis. Porphyrius tolerandus, qui à ianua nomen deriuat. Sed cùm Ciceroni ianuæ quoque vox à Iano formetur, optimè omnium illi ſentiunt, qui à Latinorum primo rege nomen ducunt. Quo porrò præceptore vel priores illi, vel Numa annum in trecentos ſexaginta quinque dies & duodecim menſes diſtribuerit; è ſtatua Iani & duodecim aris perſpicuum adeò fit, vt nec ad Pythagoram multo poſteriorem ætate, vel illum priorem Pythagoram (cuius Plutarchus meminit) nec ad Ægyptios etiam magiſtros (vt quidam voluerunt) cõfugere neceſſe ſit. Cùm enim, teſte Macrobio, & Suida, ſic Iani ſtatua fingi conſueuerit, vt dextra trecentorum, ſiniſtra ſexaginta quinque numerum notaret; non dubium eſt, quin de vetuſta pontificij collegij doctrina, cuius erat normas & regulas ſtatuis effingendis præſcribere, conſtiterit Ianum primum fuiſſe in Italia huius dimenſionis auctorem. Totum item hunc dierum numerum in duodecim menſes primùm partitum fuiſſe, arę duodecim declarát, quas Varro libro humanarum rerum quinto, pro totidem menſibus, dedicatas ei fuiſſe tradit. Ianus igitur primus fuit, cui hæc in Italia temporum ſupputatio debetur, à cuius poſteris Cimbris conſeruata tandem ad Numam peruenit, quam Romulus (ſi quis vnquam fuit) ob militarem barbariem & agreſtem vitam, plurimis videtur ignoraſſe; qui hoc ipſum ignorant, annum ſemper duodecim menſibus conſtitiſſe. Mihi, quæ de Romulo traduntur, talia videntur eſſe, qualia pleraque gentium exordia, id eſt fabuloſa, & nomen ipſum à Roma confictum eſſe, perinde atque fieri ferè conſueuit, vbi in tenebris latent primi vrbium conditores. Quæ igitur de menſibus decem Romuli narrantur, nihil prorſus apud me fidei habebunt, propterea quòd non poſſum mihi perſuadere, Romanos ante Numam tam rudes fuiſſe, vt menſes neque ad Solis, neque ad Lunæ curſum numerarent: cùm tamen Iano de priſca Cimmeriorum,

Longini error.

id est nepotum pronepotumque disciplina duodecim arę essent constitutæ,& numerus anni Ægyptij (vt vocant) in digitorum flexu notatus . Quæ enim rusticitas aut barbaries illorum hominum fuisset, qui cùm hæc viderent, decem duntaxat menses, non duodecim recenserent? Sed Macrobius & Ouidius,& ceteri, quos hi sequi videntur, decepti sunt nominibus mensium, in quibus decem, quæ summum locum tenent,supputationis finem faciunt,& idcirco crediderunt decem duntaxat menses tempore Romuli fuisse . Scio equidem Decembrem vltimum eorum esse , quorum appellationes à numeris ducuntur: sed ex eo non protinus efficitur,vltimum omnino omnium fuisse . Nam grata Iani posteritas (vti dixi) duos postremos menses à Iano & Februa nominauerunt: Ianum pro Iapeto , & Februam pro Iuturna siue Asia honorantes . Quam verò ob rem Iano hunc potius , quàm primum, qui Martius erat , dedicassent, quærendum . Quemadmodum Sol ad nos accedens facere videtur , vt omnia lætentur ; ita Ianus in Italiam veniens fecit , vt horrida terra atque inculta cœperit ridere , quod significare volentes, nullo aptiùs indicio intelligendum dedissent , quàm si illum ei mensem consecrarent , quo Sol ad nos iam apertè per integrum signum reuersus est , spacio tanto , quantum quiuis potest citra diligentiam animaduertere. Deinde aptissimè ad historiam est allusum, dum duo menses Iano & eius vxori dedicantur , in quorum altero Aquarius,in altero Pisces cælestia signa apertissimum dant testimonium,Hydrochoon nunquam magis vrnam suam effudisse,nec Pisces vnquam latiùs dominatos fuisse,quàm cùm Ianus & Februa eius vxor cum parentibus & fratribus in Arca vehebantur.Nigidius non procul ab hac ratione recessit , dum dicit, teste Germanico in Arati Phænomenis , Hydrochoon Deucalionẽ esse Thessalum, qui maximo cataclysmo sit relictus cum vxore Pyrrha in monte Ætna.Si Hydrochous igitur siue Aquarius Deucalion sit , atque eius perpetua memoria cælo sit affixa , optimo iure & summa ratione Cimbri Ianum,illo mense, æternitati voluêre consecrare,quo patris eius domicilium à Solis radiis illustratur , vt vno eodemque tempore pater in cælis,filius in nomine mensis honoraretur . Verùm hic obiici posse cerno: Si Hydrochous Noachum significat,quî fit vt mensis eius nõ sit Noacho dedicatus,quo nomen mensis,& signum sibi mutuo aptentur?Respõdeo, id eo factum, quòd placeret numerum denarium seruari,ad memoriam perpetuã eius mensis; qui decimus in diluuio, terram hominibus aperuit , cuius diuini beneficij in hoc numero sic memoriam celebrare visum est , vt faterentur se Deo corporum

suorum

ſuorum, quorum denarius teſſera eſt, ſalutem debere, non à primo tãtùm ortu, ſed ab eo rurſus die, quo terræ vertices primùm ab aquis ſunt liberati. Deinde Capricornus Saturni prior domus eſt: ac idcirco Saturni honores decimo menſi ſunt attributi, quo Saturnalia celebrabantur. Honorem igitur ſummum, tum in cæli imaginibus, tum in feſto ſibi die magna vrbis lętitia quotannis, non à liberis modò, ſed à ſeruis etiam tranſigendo viſus eſt accepiſſe, ac ita fieri citra dedecus poſſe, vt ſequens menſis à Iano, primo Italiæ conditore, nomen ferret; & ſic tantùm ferret, vt interim Deucalioni ſiue Noacho ſignum in cælo nuncuparetur, à quo generalis inundationis ſempiterna veſtigia in aſtris cernerentur. Deucalionem autem Noam eſſe, modò eſt oſtenſum, qui non alia ratione Hydrochous, ſiue Aquarius, quàm Deucalion vocatur. Sed de Februa, quam vxorem Iani facimus, eandem cum illa, quam alij Iuturnam, alij Aſiam nominauerunt, obſcuriora ſunt omnia. Romani hunc menſem Februo deo ſacrum faciunt, qui luſtrationibus, quæ hoc menſe fiebant, præeſſe dicebatur. Nam (vt Ouidius ait)

„ *Februa Romani dixêre piamina patres.*

Vnde verò nomen deriuetur, nemo ſatis apertè docet. Equidem credo nomen Februarij, non aliter quàm Ianuarij, Cimbrorum eſſe vernaculum. Febru duo apud nos leui diſcrimine in pronunciando ſignificat, quorum alterum eſt faſcinum hominis fouere: alterum eſt omne genus pecoris fouere & educare. Poſterior notatio ad amuſſim Terræ cõuenit, quæ omnia animantia fouet & educit. prior vxori Iani, à qua omnes Europææ & infinitæ Aſiaticæ didicerunt eam partem hominis fouere, cui omnis mortalium generatio debetur. Φρυειν enim eſt fouere; & paulò craſsius pronunciatum, vt tertiam vocalem cum quinta Latinorũ miſceas, idem quod Græcis βυεῖν. Vfe, vel pecus notat, vel virilẽ thyrſum. Vel igitur Februa Terra eſt, quã alij Opem & Iuturnam, alij Aſiam vocarunt, vel nomen eſt omnibus vxoribus conueniens ex æquo. Cimmerij enim poſt linguarum confuſionem, vetuſta nomina vernaculo ſermone ſuo innouarunt, Saturnum pro Noa, Ganum pro Iapheto, Februam pro vxore Iani dicentes; vel ne communia cum Hebræis haberent, vel quia alia habebãt, quibus aliud quippiã diuinius ſignificaretur, quod ſpero aliquando perſpicuum fore labore noſtro, vt nouo, ita pleno difficultatis. Februam autem terram dici ab animalium fotu & educatione, minimè iudicabit diſsidere ab antiquitate, qui intelliget hominem diuino, bruta verò animantia ſolo terreno paſtu foueri atque nutriri. Nulla enim vox eſt Cimbrorum antiqua, quæ non inſignia comple-

ctatur documenta, vel ad rerum naturam intelligendam, vel ad mores formandos. Et id etiam eſt frequentiſsimum, vt vnius verbi non vna ſola ſit ratio, ob quam rei alicui ſignificandæ poſita intelligatur. Nomen enim Febru mulieris eſt, generationem promouentis. quod æquè terræ atque cuiuis vxori conuenire monſtraui, ob duplicem prioris ſyllabæ ſignificationem. Februam igitur ab educãdo pecore, non ab educando homine terrã nominauerunt, indicantes homini alium paſtum, aliam originem conuenire, cæleſtem videlicet, non terrenum, qua de cauſa Deus os homini ſublime, non pronum formarit.

Multa terræ cùm apud Græcos, tum apud Latinos ſacra nomina fuerunt, quæ ſolent plerumque de naturæ proprietate deduci, quorum equidem nullum legere memini, quod concinnius & terræ naturam, & matris omnium hominum memoriam explicaret, ſimul & ad hiſtoriã Moſis, & ad telluris vim, qua animalia enutrit & paſcit, alludens. Non mouet me hîc ab opinione mea Varronis, Feſti & aliorum etymologia, qui à februando, id eſt, purgando, Februarium dici putauerunt. immò illorum ſcripta magis me confirmãt, poſteaquam vocem illam in ſacris vſurpatam ad Sabinos relegant, vtpotè cuius nullam domi ſuæ rationem inuenirent. Ouidius non vna pro re acceptam fuiſſe oſtendit, vti de eius verſibus licet videre:

„ *Februa Romani dixêre piacula patres,*
„ *Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.*
„ *Pontifices ab Rege petunt & flamine lanas,*
„ *Quis veteri in lingua Februa nomen erat,*
„ *Quæque capit lictor domibus purgamina certis,*
„ *Torrida cum mica farra, vocantur idem.*
„ *Nomen idem ramo, qui cæſus ab arbore pura*
„ *Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.*
„ *Ipſe ego Flaminicam poſcentem Februa vidi,*
„ *Februa poſcenti pinea virga data eſt.*
„ *Denique quodcunque eſt, quo corpora noſtra piantur,*
„ *Hoc apud intonſos nomen habebat auos.*
„ *Menſis ab his dictus, ſancta quia pelle Luperci*
„ *Omne ſolum luſtrant, idque piamen habent.*

Lanam inter prima enumerat, quę Februorum nomen haberent. & congruenter ſanè & aptè, quòd optimæ, vtiliſsimæ & innocentiſsimę pecudis vellus gratiſsimum matri omnium eſſet, quę ab optimo innocentiſsimoque animali molliſsimum donum ſibi dari gaudebat, docens animo molli & laneo mitiſsimi animalis nihil ſibi vel ſimi-

similius vel gratius inueniri. Tum qui lanam ei offerebant, testificabantur Deam hanc pecudis educandæ fouendæque esse, vti voce Februæ notatur. Et quia quamdiu viuunt oues, coëunt (vt Aristoteles testis est) à primo statim anno incipientes, non malè matri omnium vellus eorum dabatur. Matribus item cum infantibus suis lusitantibus, quia nihil stultius videri potest, vti prouerbio apud nos iactatur, maximè illud animalis symbolum primæ matri conueniet, quod hanc etiam notam indicabit. Atque huc etiam pertinet lanarum in postibus vsus, dum nouę nuptæ introducebantur, vt intelligerent nimirū non illud tantum, lanificio victum parandū, sed debere quoque se mitissimas, vtilissimas, & omni parte innocētes matres esse. Non mirum igitur, Terram, Bonam Deam dictam esse, & Faunam à fauendo, & Fatuam, non illa modò causa, quam Macrobius explicat, sed hac etiam ratione, quòd matres præ amore cum pueris suis se fatuas quoque præbere debeant: quibus Terra, vt prima mater quasi exemplar quoddam proponitur. Græci oleæ ramum εἰρεσιώνην nomine lanis inuoluebant, annexis aliquot terræ fructibus, quem præ foribus figentes Terram orare videbantur, primitiis his pecudis & fructuum oblatis, vt abunde & benignè victum suppeditaret. Iam farra, an non primitias frugum nobis indicant? quę cum sale tosta sub molæ nomine, frugale erat sacrificium priscorum, quo benignæ matri citra sumptum litabatur, vt beatam messem referret. Idem ramus à pura arbore cæsus, & sacerdotum tempora lambens, denotabat per suos natales Terrę maximę matri expiationes has fieri, & idcirco Februa nominari. Porrò omnium clarissimè Flaminica has purgationes ad Terram siue Cybelen pertinere eo indicabat, quòd, cùm Februa poscceret, virga pinea daretur. Quis enim ignorat, pinum matri Deorum consecratam esse? cuius rei causam nos alibi docebimus. Qua verò de causa Luperci sacerdotes Panis, qui nudi discurrentes obuios loris verberabant, his sacris adhiberentur; non ita facile videtur explicatu. ab Arcadibus tamen vetustissimis hominum (vt Græci fabulantur) Latini hunc ritum petiuerunt, si iis, quæ de origine legimus, erit standum, quem nos eodem quò cetera tendere putamus. Cùm enim hoc mense vltimo sese purgabant, vt mundi ab omni scelere benignam sibi Terram toto anno futuro sentirent, voluerunt & se & omnes obuios loris flagellare, perinde atque pueri virgis ob delicta cæduntur. Quemadmodum enim pædagogi eorum in pueris peccatorum reminisci nequaquam debent, quæ semel verberibus sunt expiata; ita Luperci putabant, matrem magnam omnes eos puros existimaturam, qui loris fuissent

εἰρεσιώνη.

Loris cur se & obuios Luperci flagellarint.

castigati. Atque ita fore credebant, vt pecus pasceret optima & mitissima mater, citra omnem noxam, eò quòd nullius offensæ in sequenti anno recordaretur. Pecus autem per excellentiam ouis, quam lana Februa significabat, & rursus noxa omnis, lupi nomine indicabatur, quòd hic ouilibus maximè sit timendus. Luperci igitur dicebantur, eò quòd lupos abercerent, id est omne genus mali, quod pecori pastoribusque nocere posset. Hæc tamen sacra apud Arcades, & qui eos sequuntur, ad Pana Lycæum referuntur, sed eadem omnino de causa. Panem enim pastorum Deum putabant, qua voce omnis custodia pecoris continetur. Siue igitur huic, siue Februæ sacra fiant, eodem vota tendunt, ne lupus scilicet pecus occidat, id est, ne qua aduersitas pastioni omni accidat. Hic verò Pan Cimbrico sermone optimè Februus diceretur, quasi is qui pecus educaret. Scio ab aliis Ditem siue Plutonem ita vocari, non alia ratione, quàm quòd inferis hoc mense sacra fierent, quæ quidem eodem tempore agebantur, ne quid inexpiatum ad sequentem annum reseruaretur, quo posset vel pestis aliqua, aut calamitas excitari, vel is, qui peccasset, si moreretur, apud inferos puniri, si non lustratus eò descendisset. Capram autem potiùs quàm ouem mactabant, vel propter similitudinem ad Panis effigiem, vel quo significarent, se lasciui animalis sanguine lasciuiam & flagitia sua velle purgare. Sanguis tamen occisi animalis, alterius animalis innoxij lana à frontibus eorum, qui occiderant, abstergebatur, quæ Februa vocabatur, vti Februæ in primitiis pecorum gratissima; quò scilicet ne illius quidem mortis impuritas hæreret in Lupercis. Ex his quiuis animaduertat hanc consuetudinem satis habere argumenti, Februarium vltimum tum fuisse, cùm omnium, quæ illo anno commissa essent, in hoc mense expiationem fieri debere est constitutum. Si ergo ritus hic Romulo sit vetustior, vtpote quem ad Arcades vetustissimos hominum referunt, necessariò fatebimur, etiam ante Romulum annum duodecim mensium fuisse, si eodem quidem mense ab Euandro Lupercalia sint celebrata. Nec ego cum illis facio, qui Panem Lycæum à monte Arcadiæ ita nominant, immò contra Panem puto à Lupis arcendis, & montem ab eius delubro & cultu vocatum ita fuisse. Præterea plurimum iuuat opinionē meam, Februam Terram, & Magnam matrem esse, consuetudo illa in Lupercalibus obseruata, qua adultæ mulieres se verberandas capellarum fectis coriis offerebāt, quò fœcunditatem obtinerent, quam à qua potius diua petant, quàm ab ea, quæ omniū est fœcundissima, quæque vna Iani genitale mēbrum optimè fouit? quod

Luperci vnde dicti.

Mulieres loris flagellatæ.

quod Februæ nomine dixi notari. Hanc Latini voce ſua à iuuando Iunonem, Opem, & Opigenam, quòd ad partum iuuaret, dixerunt: & hinc compoſita dictione è Latina, & antiqua Cimbrica lingua, Iunonem Februam hoc menſe coluerunt. Nec mirum, Februæ nomen mutatum, cùm & Iani in Iouis nomen abiuerit, paulatim tempore vetuſtiſsima quęque abolente. Sed de hoc alibi plura. Ouidius hunc morem deſcripſit aliquot verſibus, inter quos hi ſunt: Iuno Februa.

„ *Nupta quid exſpectas? non tu pollentibus herbis,*
„ *Nec prece, nec Magico carmine mater eris.*
„ *Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,*
„ *Iam ſocer optatum nomen habebit aui.*

Huius Iunonis amiculũ erat pellis caprina, qua mulieres februabantur, id eſt, idoneæ fiebant ad fouẽdum educendumque, quod ab illo accepiſſent, cuius nomen primam ſyllabam Februæ facit. Oportebat autẽ & illas caprillire, & viros (vt ita dicam) hirquitallire, quò & ſemen calidè raperent, & raptũ bene fouerent. Ex hoc illud Ouidij manauit figmentum, quod verſibus modò adductis ſubiecit pro conſuetudinis ratione:

„ *Nam fuit illa dies, dura cùm ſorte maritæ*
„ *Reddebant vteri pignora rara ſui.*
„ *Quid mihi, clamabat, prodeſt rapuiſſe Sabinas,*
„ *Romulus (hoc illo ſceptra tenente fuit)*
„ *Si mea non vires, ſed bellum iniuria fecit:*
„ *Vtilius fuerat non habuiſſe nurus.*
„ *Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis,*
„ *Iunonis Magnæ nomine Lucus erat.*
„ *Huc vbi venerunt pariter nuptæque virique,*
„ *Suppliciter poſito procubuêre genu.*
„ *Cùm ſubitò motæ tremuere cacumina ſiluæ,*
„ *Et dea per Lucos mira locuta ſuos:*
„ *Italides matres, inquit, ſacer hircus inito.*
„ *Obſtupuit dubio territa turba ſono.*
„ *Augur erat (nomen longis intercidit annis)*
„ *Nuper ab Hetruſca venerat exul humo:*
„ *Ille caprum mactat: iuſſæ ſua terga puellæ*
„ *Pellibus exſectis percutienda dabant.*
„ *Luna reſumebat decimo noua cornua motu,*
„ *Viráque pater ſubitò, nuptaque mater erat.*

Nolim hæc apertiùs interpretari, ne, quod in re non eſt, in verbis flagitium videatur fuiſſe. Equidem certò ſcio, nihil præſtantius eſſe,

quàm

quàm terga vxorum hircina pelle verberare, quòd eo modo (vt Lucretius teſtis eſt) facilius concipiant. & alioquin lumborum lenis flagellatio in mulieribus pruriginem ſolet excitare, ita vt multa ſimul in hoc ritu moneantur ad generationem promouẽdam facientia: alia quidem virorum, alia feminarum propria, ſed vtraque vna voce Febru Cimbris expreſſa, cui Latinum Panis nomen non malè reſpondet, quo Inuus ab inundo, vt volunt, nuncupatur. Sed quia hæc conſideratio de Inui & Februæ commercio plura ſecum trahat, quàm hic locus ferat, aliò differetur, vbi docebo myſterium Iouis Inui, & Februæ ad Ianum & eius vxorem non aliter tranſlatum eſſe, quàm cetera id genus diuina ſecreta ad mortalium nomina & honores, vel per ignorantiam, vel per adulationem tranſierunt. Nec illud prætereundum, Februario à Numa Pompilio parem dierum numerum attributum fuiſſe, cùm ceteris menſibus vel viginti nouem dediſſet, vel triginta vnum: quòd hic menſis feminæ ſacer eſſet, cui par numerus conueniret, vt in numeris Cimbricis latiùs erit explicandum. Quòd enim Macrobius putat, diis inferis parem numerũ tribuendum eſſe, id Heſiodo & Virgilio ex diametro repugnat, qui Orcum & Eumenidas & inferos omnes, quinto à Lunæ & Solis coitu, die procrearunt. Nec Hecatæ ſepulcrali deæ, & apud inferos verſanti, ternarius numerus diſplicet, adeò vt in triuiis colatur. Imperitiæ Homerus accuſandus eſſet, ſi verum dixiſſet Macrobius, qui in Necyomantia ſua impari numero vſus eſt:

„ Αμφ' αὐτῷ ὃ χοὴν χέομην πᾶσιν νεκύεσσιν
„ Πρῶτα μελικρήτῳ, μετὲπειτα δ' ἡδέϊ οἴνῳ,
„ Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι.——

Eodem modo ter libat triplici genere liquorum Æneas ad tumulum parentis, & mox poëta ſubdit:

„ ——*Cædit quinas, de more, bidentes,*
„ *Tótque ſues, totidem nigrantes terga iuuencos.*

Nec contentus ternario & quinario, nonum etiam diem certaminibus in honorem Anchiſæ exhibendis deſignauit. Quid? quod & ipſe Cerberus tribus ſuis capitibus contra Macrobium, & qui eum vel ſecuti ſunt, vel præceſſerunt, latrare non deſinet, dum ſcripta poëtarum extabunt? Quòd verò impar maſculus ſit, & par femininus, & Pythagoricis & omnibus iis, qui numerorum ſunt periti, eſt in iis, quæ ſunt omnibus iuxtà notiſſima, cuius rationem alibi cogemur explicare. Non igitur ignorans Numa matri Magnæ, ſiue Iunoni Magnæ, vt Ouidius cecinit, hunc menſem conſecratum fuiſſe,

fuisse, ac deinde ex historia ad vxorem Iani transiisse, voluit numerum seruare dierum, qui magnæ genitrici quadraret. Vt igitur hanc opinionem de historia magis firmemus, addamus & illud ab illis, qui hæc tractarunt, non animaduersum. Quo omnibus modis constaret, Ianuarium patri, Februarium matri omnium Cimbrorum & Iapetiorum vniuersim dedicari, vnum Hydrochoon, qui Noachus est, Iano filio, & illum quidem vna vrna aquas fundẽtem dederunt, cùm Februario geminos pisces assignassent, aqueæ simul & femineæ vitæ signum, in illo masculam, in hac muliebrem naturam notantes. Quis hîc non admiretur maximum hunc consensum naturæ & historiæ, dum in cælo duo signa ab aquis & piscibus nominata, illos in terra fuisse testantur, quorum ætate Deus omnes vrnas effuderit, & piscium regnum ad vtramque æquatoris circuli plagam, & Austrinam & Septentrionalem per vniuersam terram extendit. Iam verò, ne cui in mentem veniat, Ianum hunc Noam, non Iapetum fuisse, illud repetendum memoria, Noam, (propterea quòd pater omnium gentium esset, non modò quæ ab Iapeto tertio filio descendissent) à Cimbris Saturni nomine indigetari, quo diximus magnũ satorem, siue præstantissimum excellentissimumque semen appellari, eò quòd Sat, semen, Ur magnum & excellens vocetur, vti latiùs posteà in aliis vocibus enucleabo. Quod ita esse, non nomen tantùm indicio est, sed argumentum etiam, tum cælo, tum Fastis Romanorum est adscriptum. Mense enim qui Ianuarium præcedit, Saturnalia celebrabantur, in honorem nimirum parentis eius, cui sequens mensis est dedicatus. Quare verò decimo mense lætitia hæc potiùs quàm alio solennis fuit? Nempe quòd decimo mense cacumina montium in diluuio primùm cœperint apparere, cùm antè aquis contecta fuissent. Quamobrem Noa tum meritò se voluit recreare, vnà cum omnibus, qui in Arca erant, certus iam spei, breui se liberaturum iri ex Arcæ vinculis, quibus tot mensibus fuisset alligatus. Non est igitur quòd cum Verrio Flacco amplius ignoremus, quæ causa sit, ob quam Saturnus in compedibus visatur. Apollodorus eum laneo vinculo alligatum scripsit, & Decembri tandem mense festis sibi diebus solui. Sed quid sibi vult laneum vinculum? Molle nimirũ & benignũ, quale in nuptiis & sacris adhibetur. Quæ enim maior benignitas Dei erga Noam esse potuit, quàm eo tempore, quo omnia terrestria animalia peribant, eum in Arca captiuum tenere, cum vxore & liberis, quo seruaretur. Dulce sanè & molle, & omninò laneum hoc vinculum fuit, & tale, quali vel in nuptiis vxor marito, vel in sacris omnis creatura Deo alligatur, suprema nimirum

Saturnalia cur decimo mense.

Saturnus in compedibus.

mentis ſuæ parte, quod in flaminum pileis virgula lanæ inuoluta, pro apice poſita indicabat. Nec hoc ſolùm antiquo ſymbolo ſignificabatur, ſed illud etiam, Saturnum inter omne genus animalium, vinctum fuiſſe, quæ lana denotari antè monſtraui: adeò omnia Cimbrorum ſigna indiciis documentisque prægnant. Perſpicuum igitur iam eſt, quare Saturnus in compedibus ſit, & quare lana vinciatur, & qua cauſa decimo menſe Saturnalia celebrentur, non de fabulis, quas ſecuti ſunt & Græci & Latini, ſed de vera Moſis narratione, conſentiente antiquiſsima totius Europæ, Cimbrorum lingua, è qua par eſt, nomina poſita fuiſſe, cùm primi illi Italiam habitarint, è Gomaro maximo Iapeti liberorum propagati. Neque eſt aliud certius veræ orationis indicium, quàm illam totam ſibi & aliis etiam veris hiſtoriis conſentire. Quamobrem nec illud negligendum, Saturni ædis faſtigio Tritonas cum buccinis impoſitos fuiſſe, quorum caudæ ſic occulebantur, quaſi terræ eſſent immerſæ: quod Macrobius ridiculè admodum interpretatur. Quod vt clariùs eluceat, ſatius eſt eius verba recitare: Illud (inquit) non omiſerim, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos, quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ętatem hiſtoria elata, & quaſi vocalis eſt: antè verò muta & obſcura & incognita, quod teſtantur caudæ Tritonum, humi merſæ & abſconditæ. Hæc ille. in quibus non ſatis apertè dixit, an à Saturni commemoratione, an ab ædis commemoratione hiſtoria loqui cœperit. Neutrum certè vel concinnum eſt, vel veritati conſonum. Nam à Saturno vſque apud Romanos cognitam eſſe hiſtoriam, id eſt vnum de iis, quibus nemo non poſſet contrarium docere. Quid enim certi in rebus Romanorum ad Numæ vſque ætatem, ſi illa, quæ de Romulo narrantur, fabulis ſunt, quàm veris narrationibus, ſimiliora? Sed ſint ſanè vera: num ob id ante illa tempora notitia aliqua certa ad Saturnum vſque inuenitur? At verò ab æde dedicata, ſi hæc hiſtoriæ lux computetur, iniuria fit iis, quæ de regibus ſcribuntur, quaſi videlicet ea obſcura eſſent. Verùm illud neſcio apud quos Hieroglyphicos legerit aut obſeruarit, caudis veterrima & antiquiſsima, & prima tempora notari, capitibus verò tempora poſteriora, & multo deinde ſeculorum decurſu ſecuta. Non malè Hercule, ſi Tritones caudas prę-ferrent, non autem, vt cetera animalia omnia, eas in poſtica parte haberent. Prætereà quis vnquam Tritonem hiſtoriæ præſidere dixit? Equidem Neptuno eum à componendis fluctibus eſſe, de lectione poëtarum didici. atque id tantiſper tenebo, dum quiſquam Macrobij nomine me aliter docebit. De huius myſtico nomine, lacum, è

Lingua Cimbrorum totius Europæ antiquiſsima.

quo

quo Pallas extitiſſe dicitur, nuncupatum eſſe, in eius deæ ſacris commonſtrabo. Hîc illo, quod ſumpſi, dato oſtendam, qua de cauſa in faſtigio templi Saturnini Tritones fuerint ſic ſculpti, vt caudas terris immerſas haberent. Nullus vnquam Oceanus tantus fuit, quantus ille, quo omnium montium vertices fuêre cooperti: nec vllus vnquam Triton, qui tam lætum nuncium mortalium generi buccina ſua cecinerit, quàm ille, qui Noacho, per tecti ſpiracula & faſtigia flatu ſuo ſonantia, indicauit breui fore, vt è carcere & vinculis larnacis liberaretur. Hic verò non erat perfectam lætitiam atque cõpletam nunciaturus, niſi caudam, ſiue flatus ſui finem, in ipſam terram defigeret, & eam quoque deſiccaret, atque ad colendam redderet idoneam, quod nullus ventus æquè atque Aquilo præſtat, ſicca ſua & arida ſubtilitate arua pungens, & omni humore exhauriens. Hicà principio ſexti menſis exorſus, tamdiu ſpirauit, quoad omnia ad priſtinum ſuum ſtatum eſſent reducta; atque ea de cauſa non ſolùm vndas perflaſſe, in Saturni templo notabatur, ſed terras etiam ab vligine culturæ, ſationiſque obfutura penitus liberas reddidiſſe. Quæ beneficentia & vtilitas quia poſtrema eſſet votorum Noachi in illa calamitate, meta caudis terræ infixis ſignificabatur. Tritones Oceani, & totius reliqui maris, quamuis ſerenitatem aëris & fluctuum tranquillitatem inducant; nunquam tamen eò perueniunt, vt caudas, ſiue ſpirandi finem, ad terræ vſque, quæ aquis ſubeſt, viſcera deducant: quod dum in Tritonibus Saturni templo impoſitis indicabatur, argumentum certiſsimum erat, non maris alicuius perennis, ſed inundationis memoriam his ſignis refricari, in qua buccinis ſuis tantiſper ſpirarint, dum ficcitatis ſuæ caudam humi defigerent. Sed ne me temerè Noæ Tritonem appingere quiſquam cauilletur, inſpiciamus Deucalioneĩ diluuij tabulam, ab Ouidio doctiſsimo penicillo & viuaciſsimis coloribus delineatam, in qua mihi non triuiales magiſtros, ſed præſtantiſsimos ab æuo priſco reuocatos, ſecutus videtur. In ea Tritonem ita depinxit, vt non formam modò omnem, ſed officium etiam poteſtatemque totam oculis ſubiecerit. Niſi moleſtum igitur ſit, hanc picturam perlegere, non dubito, quin omnes in meam ſententiam ſint ituri. Sic igitur habet:

„ *Jupiter vt liquidis ſtagnare paludibus orbem,*
„ *Et ſupereſſe virum de tot modò millibus vnum,*
„ *Et ſupereſſe videt de tot modò millibus vnam,*
„ *Innocuos ambos, cultores numinis ambos,*
„ *Nubila diſiecit: nimbisque Aquilone remotis,*

„ *Et cælo terras oſtendit, & æthera terris.*
„ *Nec maris ira manet, poſitoque tricuſpide telo*
„ *Mulcet aquas rector pelagi, ſupraque profundum*
„ *Extantem, atque humeros innato murice tectum,*
„ *Cæruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti*
„ *Inſpirare iubet, fluctuſque & flumina ſigno*
„ *Iam reuocare dato. caua buccina ſumitur illi,*
„ *Tortilis, in latum quæ turbine creſcit ab imo,*
„ *Buccina quæ medio concepit vbi aëra Ponto,*
„ *Litora voce replet ſub vtroque iacentia Phœbo:*
„ *Tum quoque vt ora Dei madida rorantia barba*
„ *Contigit, & cecinit iuſſos inflata receſſus,*
„ *Omnibus audita eſt telluris & æquoris vndis,*
„ *Et quibus eſt vndis audita, coèrcuit omnes.*

Videmúsne hîc Tritonem buccina diluuium Deucalionis, quod antè idem eſſe cum Noæ diluuio, demonſtraui, compeſcuiſſe? at idem ille Triton faſtigio ædis Saturni buccina canens, medio tenus exſtat: an aliam, rogo, ob cauſam, quàm quòd priſci illi, qui ante conditam Romam fuerunt, indicare voluerint, Saturnum Iani patrem præcipuum in diluuio fuiſſe, atque illi ipſi Deum fluctuum potentem ſignum dediſſe certiſsimum inundationis breui ceſſaturæ, & id quidem ventis per buccinam emiſſis, Aquilonis naturam referentibus, id eſt, frigidis & ſiccis. Sol enim diſcuſsis omnibus nubibus, è ſummis montium verticibus eiuſmodi ventos ſuſcitabat, qui per anfractus & conualles & cauos mæandros inter ſaxearum rupium cacumina videbantur quaſi per buccinam intonare, è quibus facilè licuit homini naturæ perito ſpem certam concipere, omnia breui exſiccatum iri. Tritones igitur non temerè in ſummo templi faſtigio cernebantur, ſed cauſa ignorabatur, eò quòd ritus omnes ad Saturni cultum ſpectantes, Romana vrbe antiquiores fuerint: & quæ antiquiſsima putabant, ea ad Græcos, non ad primos Italiæ cultores imperitè referebant. Sic L. Accius in annalibus ſuis Saturnalia in Græcia, ante Romam, ſolennia fuiſſe, refert his verbis:

„ *Maxima pars Graiûm Saturno, & maximæ Athenæ*
„ *Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.*
„ *Cumque diem celebrant, per agros, vrbesque ferè omnes,*
„ *Exercent epulis læti, famulosque procurant*
„ *Quiſque ſuos, noſtrique itidem, & mos traditus illinc*
„ *Iſte, vt cum dominis famuli epulentur ibidem.*

Credo

Credo igitur ne Tritonis quidem nomen aliunde, quàm à Cimbris acceptum antiqua memoria fuisse, atque illo vim illam significatã in fluctibus; quæ hominibus amica & benevola cũ sit,& formã hominis habet,& buccina flatus componit. Significat autẽ vox hæc eum, qui fiduciam nobis & solidam veritatem, cui sit fidendum, ostendit; sed hac ratione scripta, vt tertia & quinta vocalis commixta priorem syllabam componat; quę quoniam Latinis in vsu non est, in tertiam vocalem longam transiuit. Τριτογ igitur vtraque syllaba longa, est fidei, siue veritatis, cui sit innitẽdum, demonstrator. Sexto enim mense certo signo demonstrabatur id quod ante Noë crediderat, ita vt iam reuera ostenderetur, Deum fidum in iis, quę promiserat fuisse. Nullo autem certiore signo id poterat ostendi, quàm flatu vehementer desiccante, & omnia nubila maxima vi disiiciente, qualem Aquilonem in primis esse, nemo est qui nesciat; cui inde Romani nomen dederunt, quòd cælum sudum ab eo redditum, aquilum colorem videatur habere, id est aquæ tranquillæ extra Solis radios, & reliqua colorem immutantia inspectæ similem. Ventus hic vnà cum colore, à quo nomen habet, Saturninus est: atque idcircò facilè Suetonio credo, Augustum partem huius coloris à Saturni domo præcipua, quam in horizonte schematis cælestis habuit, sibi traxisse. Quemadmodum verò Saturno, septimi orbis planetæ, gratus est hic ventus, & hic in cælo color; ita Noacho, cui Saturni nomen à posteris est tributum, nihil vnquam potuit in vita accidere iucundius, quàm hunc flatum sentire, in Arcæ tecto magna vi detonantem, cui aquilum, sudumque cælum necessariò succedit. Nam hic post pluuias, maximè fidem meretur, stabilẽ diuturnamque fore serenitatem: quo fit, vt optimo iure Τριτογ à Cimmeriis sit vocatus. Moses hac quidem voce vsus non est, sed sic rem descripsit, vt eadem sententia eliciatur; in hæc verba, vt Latinus interpres habet, locutus: Recordatus autem Deus Noę, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in Arca, adduxit spiritum supra terram, & imminutæ sunt aquę, & clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cælo. In his vbi Latinus spiritum vertit, Hebræis est Ruach, Chaldæis Rucha, quo cum ventus significatur, tum vox est Angelo quoque, qui ventis præsidet, tributa. Quocirca nescio an Ouidius ab Hebræo quopiam sic fuerit edoctus, vt non solùm Aquilonis, sed eius etiam intelligentiæ, quæ ventis aërem terramque siccantibus præest, fecerit mentionem. Certè necesse est fateri, vndecunque Naso sit subodoratus, eum ad amussim cum Mosis historia conuenire, ac ea quæ strictè presseque

Tritonis nomẽ.

dicta erant, latiùs enucleasse. Quod autem Ruach pro intelligentia quoq; in vsum veniat, Dauid in Odis suis nos docebit, in quibus est: Qui facit Angelos suos spiritus: quo loco Hebræa vox est Ruchoth pro spiritibus.idem alibi:Et ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum. Quis hîc non cernit ventos alatos dici more poëtico,qui ventorum præsides alatos pingunt? Loco autem ventorum Hebræis est Ruach, ita vt spiritus, ventis à Deo præfectus, hoc nomine intelligatur: & generatim omnes diuinæ intelligentiæ à celeritate hac voce dicuntur, sicut Latinis à spiritu vocantur. Hunc igitur spiritum Cimmerij ab eo, quod Noacho præstitit Truitona nominarunt, eò quòd apertissimo indicio atque adeò reapse ostenderet Deum in promissis suis fidum esse. At posteritas & exteri homines linguæ veterrimæ ignari, poëticum hoc nomen ad animal marinum transtulerunt. Pausanias in Bœoticis Tritonis meminit, quem Bacchus à Tanagræis matronis implorata ope dicitur vicisse, quamuis alios dicat opinari, Tritonem vino ebrium, quod Tanagræi ad insidiandum posuerant, è rupe decidisse; cui tum quispiam caput bipenni absciderit. Idem refert sibi Romæ Tritonem visum, cuius in capite coma fuerit palustri apio persimilis, reliquo corpore minutis ad limæ modum squamis vestito, rictu oris latiore pantheræ dentibus munito,cui nasus humanę figurę non absimilis incumberet. Nos id genus monstra non pauca in mari inueniri non negamus. & ideò minus negamus,quòd historia nostræ regionis prodat Episcopum olim mitratum, & omni reliquo habitu pontificio indutum,inuentum fuisse. Verùm qualiacunque monstra & portenta inueniantur, non tamen id quisquam mihi persuadebit ab id genus monstro quopiam poetarum fabulam de Tritone primogeniam prodiisse. Quid enim his portentis cum Saturni templo? quibus(si Pausaniæ credimus)efferi sunt mores, & immanis crudelitas ad homines ad mare progressos, deuorandos? Andronicus propiùs videtur fabulæ originem attigisse, qui Tritonem quendam super turri volubilem Athenis collocauit, vt virgula demissa ventos indicaret, eò quòd ei maximè putaret credendum fidendumque, quo in fluctibus componendis Neptunus vtitur administro. Triton igitur, cuius Ouidius nomen celebrauit, Ruach est Aquilonis cardini præsidens, cuius ministerio Deus vsus est in diluuio profligando,eo nomine & Saturno cælesti, & Noacho, cui Saturni appellatio postea data est, gratissimus: illi propter naturæ conuenientiam, huic ob terras deiccatas. Hac ergo de causa Saturni templo Tritones impositi, qui quòd finem aquas disipandi non antea feciissent, quàm ter-

Episcopus marinus.

ram

ram quoque exiccaſſent,caudas ſortiti ſunt iuſſu pontificio terrę immerſas. Valeat nunc Macrobius cum frigida ſua & minimè ſibi conſtante interpretatione. Et qui eum tueri volet, afferat maiorē hiſtoriæ & naturæ in hoc ſymbolo conſenſum: quod vbi fecerit,facilè me patiar erroris accuſari. Hiſtoriam verò hanc ſub Saturni nomine latuiſſe, altero item indicio Romani prodidere: dum in Saturni templo ærarium collocarunt,de qua re ſic habet Macrobius. Ædem verò Saturni ærarium Romani eſſe voluerunt,quòd tempore,quo incoluit Italiam, fertur in eius finibus nullum eſſe furtum commiſſum; aut quia ſub illo nihili erat cuiuſquam priuatum,

„ *Nec ſignare ſolum,aut partiri limite campum*
„ *Fas erat,in medium quærebant*:

ideò apud eum locaretur populi pecunia communis. Sic Macrobio: nobis aliter viſum; ea de cauſa Saturno publicam pecuniam commiſſam fuiſſe, quòd optimus cuſtos merito ſuo habendus eſſet is, qui omnium animantium ſemina tam fideliter in arca ſua conſeruaſſet. Quis ei nummos,& quidquid Reip. ſeruatum velit, non credat, qui ſolus omnem animantium communitatem & ſalutem cuſtodiuit,atque ingenti pòſt fœnore augendam curauit? Præclaram Noachi gratiam apud Deum fuiſſe,Nazianzenus non alia re clariùs fieri poſſe exiſtimauit, quàm quòd illi totius mundi ſemina commiſſa & concredita fuerint,vt illa ligno ſuo conſeruaret, in quo duo animaduertenda maximè, & quòd de ſeminibus ſibi commiſſis non male ſit Saturnus, id eſt,magnus & excellens ſeminator vocatus; & quòd Romani pontifices optimè cum Deo conuenerint, dum de ritualibus ſuis libris ei publicam pecuniam, & publicas item tabulas committerent, cui Deus totius mundi ſeminarium cuſtodiendum in Arca dediſſet. Plutarchus & Macrobius non ociosè annotarunt Saturno ſacrum fieri capite non cooperto, cùm ceteris Diis Romani cooperto capite ſacrificarent: cuius rei cauſam Macrobius ad Græcum ritum refert, cò quòd Hercules rem diuinam primus poſt Pelaſgos aperto capite fecerit. Plutarchus varias cauſas quærit, & inter alias dubitat; an capitis nudandi inter immolandum conſuetudo ab Aenea primum ſit inducta: quo Saturni ſacrificium multo vetuſtius cùm ſit, non eſſet mirum,ſi in eo caput non tegeretur: qua in re quod de ſacrificij antiquitate dixit,equidem laudo:quod de ritu ab Aenea inuecto habet, aliis iudicandum relinquo. Quòd addidit, Saturnum Tempus eſſe, & Græcis Cronum dici, atque idcirco fieri poſſe, vt capite non velato ei ſacrum fiat, cuius beneficio veritas in lucem venire conſueuit, non eſt illud quidem improbabile. Mihi

Semina mundi Noacho cōmiſſa.

magis

magis placet aperto capite rem diuinam ei fieri, duabus maximè de cauſis; altera,quòd hoc ſacro non ad Deum reſpiciebant,qui Saturnus propriè dicendus eſt, ſed ad illum hominem, cui generis ſui primitias Ianigenæ deberent, & hac re fieri, vt eum perinde atque hominem venerarentur, cui in honore exhibendo pileum detrahere ſolemus,quaſi depoſita tantiſper libertate, dum ei placuerit ſeruitio noſtro vti: altera; quoniam hoc ſacrum in commemorationem eius beneficij fieret, quo Deus montium vertices decimo menſe aperuit. Quod non alia ratione commodiùs & clariùs ſignificari poterat, quàm ſi vertices ſacrificantium aperti viderentur. Sicut enim montium appellatione in ſacris litteris illi ſignificantur non rarò, qui in re quapiam ſiue bona,ſiue mala, ſummas tenent partes; ita è contrario de ſacrificorum, (qui montibus ob diuinarum rerum ſublimitatem conferuntur) apertis verticibus optimè conuenientiſſimeque montium cacumina aperta,quæ decimo menſe extiterunt,reciproca quadam comparatione intelliguntur. Ex his modò eluceſcit,qua de cauſa pileus, libertatis ſignum apud Romanos fuerit, quam à nemine hactenus verè traditam habemus. Cimmerij, à quibus eum morem ſuſceperant, diligentiſſimè procurabant, vt homines multis ſignis monerentur ſalutis Iarnacis beneficio acceptæ: quod ſi in lingua ſua fecerunt,vt à montibus,in quibus Arca reſedit,omnis tutela & cuſtodia diceretur, vti primo libro monuiſſe, dum de Bergis agerem,recordor. Nec in ea re parum erat momenti ad cohortandos hominum animos ad pietatem, & iuſtitiam colendam,quando cogitarent totius humani generis internecionem ob Giganteos mores & vitæ improbitatem à Deo iuſtiſſimo vltore immiſſam fuiſſe,atque ab ea ſolos illos liberos euaſiſſe, qui poſt diluuium primi terram in montibus calcarunt. Eadem ratione pileum, liberationis ab vndis & cataractis pluuiarum teſſeram, Cimbri fecerunt; tum quòd eo contra imbres tegmine vtamur, quemadmodum petaſo contra Solem; tum quòd forma ſua perinde atque tectum Arcæ in altum artolleretur: quamuis ſint qui pilei & petaſi diſcrimen vel ignorent, vel ſcientes confundant, propterea quòd eodem plerique tegmine contra pluuias & Solis ardorem vterentur. Erat ea antiquis pilei forma, vt in eo triangulus æquilaterus inſcribi poſſet, baſi inferioris rotunditatis diametro conſtituta, & angulo ſupremo in pilei ſummitate: quod videre licet in numiſmatis quibuſdam antiquis, quibus libertas indicatur;& in Caſtoribus etiam,quibus dimidium putaminis oui impoſitum in vetuſtis quibuſdam marmoribus eſt videre. Eſſe autem ſignum libertatis acquiſitę,qui neſcit,ad eos ſe conferat,

Pileus cur libertatis ſignũ apud Romanos.

ferat, qui in scholis docent, quid sit seruos ad pileum vocare. Quam verò vnquam quisquam cogitare posset maiorem cladem ea, qua vniuersum mortalium genus obrueretur. Quamobrem nulla vnquam liberatio maior fuit ea, qua Noachus cum suis est seruatus. Libertas igitur omnium seculorum præclarissima, ab eo tecto symbolum accepit, quo Noachus suos ab vndis liberauit, quod ad eiusmodi triangulum, qualem modò dixi, fuerat erectum, vti alibi demonstraui. Pileus autem antiquissimo in vsu aduersus pluuias fuit, adeò vt Hesiodus eius etiam meminerit, dum monet:

„ ——Κεφαλῇ φιλ' ὕπερθεν
„ Πῖλον ἔχειν ἀσκηλὸν ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ. *id est,*

„ *——Tibi pileus esto paratus*
„ *In capite, vt minimè madefiant imbribus aures.*

Dicitur verò pileus à materiæ parandæ ratione, qua ferè fit, διὰ τὸ πιλεῖν, quod est condensare & coarctare. At Cimbris hactenus à seruando tuendoque nominatur, ad illius conseruationis à cataractis aquarũ perpetuam memoriam. Columella (ni fallor) arboribus etiam pileolos induit, aduersus aëris iniurias, adeò vt nihil miri videri cuipiam debeat Arcę tectũ, quo omnium animantiũ capita ab imbribus sunt conseruata, pilei signo denotari. Pontifex maximus in pileo suo supernè virgulam lana obuolutam gerebat, quo quid significetur, de notatione virgæ capitibus nostris imminentis, & de lanæ mollitudine, præsertim eius, quæ ab Agno est, qui tollit peccata mundi, facilè quiuis coniiciet, qui hoc saltem credet, omnes vetustos Romanorum ritus optimas quidem habere primas rationes, sed eas posterioribus seculis in alta caligine latuisse. Verisimile est vel Noachũ primum post diluuium sacerdotẽ, vel Ianum eius filium, hoc genus pilei Pontifici maximo ordinasse, quo & gratum animum de salute ab Arcæ pileo data monstraret, & simul commoneret; tum, ne in similia peccata homines rursus inciderent, quibus in illam cladem se præcipitauerant olim; tum, vt semper in vertice mentis & cogitationũ tenerent, virgam quidẽ capitibus nostris deberi, sed illam obuolui lana eius Agni, qui sanguine suo nos esset ab omni virga & pœna liberaturus. Summa ergo misericordia & summa lenitas Dei erga homines, lana indicabatur, non solùm de lanæ mollicie ducta ratione, sed de oraculo etiam verisimo, cuius Noachus suos hoc symbolo voluit cõmonere. Bene igitur Saturnus laneis vinculis ligatus, in Arca fuit; non ad pœnam, sed ad salutẽ; non ex ira, sed è summa clementia, qua genus humanũ Deus seruauit in paucis quibusdã, qui laneos pedes

Pileus vnde dictus.

habuisse dicuntur, quia per aquas benignitate diuina ambulabant, à quibus (quòd in numerum Deorũ à posteris sunt relati,) exiit in prouerbiũ, Deos laneos pedes habere, quãuis generatim intelligi queat, deos ad homines miti, & clementi animo venire. Sed de his satis hoc loco. Pileus ergo liberationis & vindiciarum signum, non de re leui fuit constitutũ, sed de ea, cuius operæprecium sit semper meminisse.

Pileationis actus vulgò dictus Louanij.

Hinc & illis datur, quibus libertas conceditur, vt ferulæ & virgarũ imperio exempti, fiant & ipsi vel artium liberalium, vel Theologiæ, vel Iurisprudentiæ magistri, nomen inde Licentiatorum habituri, elegantiùs aut liberi aut pileati vocandi: quamuis huic de Romanis sumptę consuetudini, Græci quoque ritus accedant. Sumunt enim & pallium, more eorum, qui Athenis ad hunc honorem euehebãtur; vbi, anteà quàm pallium acciperent ξύβωνα nominatum, ad publicũ balneum ducebantur, ad quod dum veniissent, à scholasticis magnis clamoribus primùm prohibebantur, idoneos esse negantibus, & iubentibus, vt adhuc sese continerent in pristino statu: cui mori Louanienses acceptum ferre possunt, quòd in eos qui Doctoris titulo insigniendi sunt, dicteria publicè & sales, aliquãdo non nimium salsos, coniiciunt. Huius ritus apud Athenienses olim obseruati, Olympiodorus in historicis sermonibus fecit mentionem: qui adiicit, quanta põpa à balneo reducãtur, & quàm ingẽtes sumptus faciant in diatribarũ præsides, & ludi litterarij magistros, quos ait appellari ἀκωνίζας, non ἀκωμίζας, vt mendosè habet codex meus. cuius appellationis ratio obscura illa quidẽ est, sed de ornatu tamen Doctorum sic explicãda, vt ἄκωνι πῖλοι (vt Iosephus eos etiam vocat) pilei dicantur doctorales, quia videlicet non sint altè fastigiati, aut in metam elati, qualis vera erat pileorum forma; sed depressi, quò intelligatur ad ornatum eos, non ad vsum imponi. Vidi Mercurium quadrato pileo, non fastigiato à veteribus expressum. quo præter reliqua pilei symbola illud etiam significari videbatur, ingenium sic cultũ, vt tetragonum siue quadratũ dici mereatur, id est, omnibus partibus incõcussum & firmum: quod vt in capite non semper est obseruatum, ita in basi quadrata Hermæ perpetuò finguntur, vti Galenus quoque annotauit. Pilei ergo vera & antiqua forma fuit conoides, siue ad metæ formam elata, cui triangulus isagonus posset inscribi, pyramidis è quatuor faciebus existẽtis parens. Quamobrẽ sua ipsius forma nos docet, mentẽ sursum ad ipsum Vnum erigere, & illud ipsum inuenire in tribus æqualibus lineis, & tribus æqualibus angulis, totũ orbẽ vniuersitatis rerũ, in tres æquas circuli portiones diuidentibus. At præter hanc & alias, quas è mathematicis accipit, tesseras, optimum signum est illius

Olympiodori locus.

tecti,

tecti,ſub quo mortalium genus fuit conſeruatum. Semper enim pro ſymbolo, non ad vſum Romanis fuiſſe, nuda Romanorum capita docent;quæ ſi quando velare vellent,togæ parte obuoluta contegebant, quod in ſacrificante fuit perpetuum, præterquàm in Saturni & Honoris ſacris, in quorum illo montium cacumina extitiſſe, ipſis Saturnalibus indicabant: hoc Dei ipſius,cui immolabãt, vim & naturam exprimebant. Quæ verò cauſa mihi vera eſſe videatur inter eas,quæ controuerſæ ſunt apud eruditos,ob quam Diis velato capite ſacra fiant,breuiter oſtendam. Si vſquam alibi locũ habet, Hoc age, certè nuſquam locum habet magis ſuum,quàm in ſacris. Qui enim orat & ſacrificat,totus in eo eſſe debet,quod agit; ne in eum quadret: Hic labiis me honorat, cor autem procul eſt à me: vti Deus quondam populum ſuum reprehendit. Iam mens attenta eſſe non poteſt, dum aures eam aliò diſtrahunt. Quocirca ne quid ſacrificus audiat, quod animum eius à ſacris auocare poſſit, caput velat, toga ſuperius inducta. Deinde poſteri in ſuperſtitionem prolapſi,verba mali ominis, vti infauſta & ſacrorum efficaciam prohibentia, vitanda cenſuerunt. qua etiam cauſa, quod antè ſano conſilio fuit inſtitutum, caput contegebãt,ne videlicet, ſi quid ſiniſtri audiuiſſent, ſacra impedirentur. Hinc & illud eluceſcit,quamobrem iis, quos honoramus, caput aperiamus.Præter enim pilei ſignificationem,quam detractus habet, aliud eſt in toga detracta conſiderandum, quæ non ſeruitutem,ſed audientiam pollicetur. Summus enim honor eſt, quem alteri exhibemus, ſi nos ad audiendũ obediendumque, ademptis impedimentis, componamus, atque in eo vera eſt huius conſuetudinis origo. Nam vt ille,qui caput & aures tegit, nihil audire vult, ita qui caput & aures aperit, ſeſe ad id præparat, vt alterius dicta & audiat, & quæ audiuerit,iis obediat. Et hæc quidem ſatis ſunto de antiquo hoc ſacrificandi honorandique ritu. Saturnalibus igitur tota Roma æqualem ſeruorũ dominorumq; libertatem pileis ſuis, quibus tum vtebatur,indicabat,ad eius cõmemorationem,qui Noachum cũ ſuis ſeruos pœnę,& vnà cum aliis interituros,ſingulari ſua gratia & priuilegio ad pileum Larnacis vocauit. Decimo igitur mẽſe cùm montiũ vertices apparuiſſent, veriſimile eſt, communi omnium ſibi gratulantium voce exclamatum fuiſſe: Liberi ſumus omnes,conſpeximus terram,breui in eam deſcenſuri, atque tum Noachum prima Saturnalia cum ſuis in Arca feciſſe; & huius diei ad poſteros memoriam tranſmiſiſſe ſempiternam. Hinc & illud intelligi datur, qua de cauſa in Saturnalibus cerei mitterentur ad amicos & familiares: quod Macrobius, cùm, vt cetera,minimè intellexiſſet, ad neſcio quas fabulas

è Dodonæo oraculo petitas relegauit, quod inter cetera habebat:

„ Καὶ κεφαλὰς ἄδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπελε φῶτα.

Vbi quia φῶς ad lumen & virũ ambiguum eſt, maluerunt cereos, quàm viros immolare; & hinc eſſe ait, cereorũ miſſitandorũ originé: quamuis addat & aliud commentum, quòd nimirum Saturno principe ab incomi & tenebroſa vita quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editi ſumus, cereos miſſitari. Nobis de hiſtoria certiſſimum eſt, Noachum ad cereorum lumen in Arca feſtum hoc decimi menſis egiſſe, & hinc manaſſe cereorum miſſitationem, quo ſemper eius diei, quo terræ primùm conſpectæ ſunt, mortales recordarentur. Quis enim tam durus ſit, quis tam corneus, qui in tanta clade ſi ſpes certa iam ſalutis ob oculos ponatur, non exultet præ gaudio? quis tam impius, vt cùm videat tantum ſibi priuilegij à Deo Opt. Max. conferri, non gratias agat, & omnibus modis oſtendat, iucundiſsimum ſibi accidere tantum munus, quantum erat in tot myriadum, immo in vniuerſo mortalium exitio & internecione ſeruari gratia quadam inaudita, & omnium ſeculorum ſingulari? Veriſimile igitur eſt, tum Noachum cum ſuis omnibus ſacrum Deo vniuerſorum feciſſe, & maxima hilaritate & lætis acclamationibus odas Deo ceciniſſe: atque poſt quotannis huius diei ſolennem commemorationem inſtituiſſe. quæ quo maior eſſet pileo ſumpto & cereis miſsitandis, ad quos in Arca primum hoc feſtum celebrari cœpit, in memoriam hominibus lætum hunc diem reuocaſſe. Fruſtra igitur de feneſtra ad lumen per Arcam diffundendum diſputatur, cùm nulla feneſtra quamtumuis magna, omnibus caueis, & præſertim iis, quæ in imo & ſecundo tabulato erant, ſatis luminis adferre potuiſſet. Cerei igitur admonebant, vbinam Saturnalia originem ſuam primam accepiſſent, ſicut & de pileis inſolito Romanis tegmine, manumiſsionis & conſeruationis illius in mentem veniebat. Sed videor mihi audire, quoſdam adhuc de pileo murmurare, & obiicere abſurdum videri id, quod antè paulò dixi, Romanos nudis ſemper capitibus pileum, veluti ſymbolum, non veluti quotidianum capitis amiculum, habuiſſe. Iis ergo qui Romanas ſtatuas non viderunt, quæ perpetuo nudis capitibus ſpectantur, niſi ſint ſacrificantium, de hiſtoria diſcere licebit. Suetonius Tranquillus commemorat, C. Iulium Cæſarem caluitij deformitatem, quòd obtrectatorũ ſæpe iocis obnoxiã expertus eſſet, iniquiſsimè tuliſſe, atque idcirco ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus non aliud aut recepiſſe aut vſurpaſſe libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtan-

Saturnaliorum origo.

gestandæ. Quòd si Romanis mos fuisset capita pileis, cùm libêret, contegendi, nõ magnoperè Cæsari necesse fuisset, corona laurea caluitium suum celare. Nunquam igitur vel pileum vel petasum sumebant, nisi vel Solis ardore, vel pluuiæ vehementia coacti. Octauius Augustus dicitur Solis tam impatiens fuisse, vt ne hibernum quidem ferret, adeò vt domi etiam sub dio petasatus spaciaretur. Videmus itaque petasi nullum vsum fuisse, nisi aduersus aut Solis radios, aut ingentes imbres. Pilei verò, qui non tam latè patebat, quàm petasus, nullus videtur vsus fuisse, nisi quis pilei nomine pro petaso abutatur. Legimus apud Ciceronem in Catone maiore, insigne prouectæ ætatis exemplum, his verbis expositum: Arbitror te audire Scipio, hospes tuus Massinissa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cùm ingressus iter pedibus sit, in equum omninò non ascendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto sit. Eundem apertorum capitum morem apud Græcos quoque fuisse, cùm statuæ docent, tum illud clarum reddit, quod de Æschylo proditur. Scribunt enim eum vel casu, vel ex destinato, vt ruinam, qua interiturus à Genethliacis eo die dicebatur, euitaret, sub dio consedisse; & aquilam quæ testudinem raptam ferens saxum quærebat, in quod eam illideret, vt confractis testis carnes exederet, caluum ipsius caput conspexisse, ac ratam saxum esse, in illud testudinem rectà deiecisse, ac ictu minimè aberrante poëtam occidisse. Si huic pileus fuisset, haud dubiè liber à fatali hac morte eo die permansisset. Iam hoc in Hippocratis statua tanquam singulare quiddam, & huic vni tributum notatum legimus, statuæ eius pileum impositum fuisse, quo cùm alij aliud intelligant, ego à significatione pilei non discedo, existimans signum esse, eius opera quàm plurimos mortales à grauissimis morbis liberatos fuisse: quod in Pontificum collegio de ritualibus libris fortasse sic legissent ij, quorum illud erat munus, statuas in honorem cuiusquam erigendas ordinare. Eadem itaque consuetudo & apud Romanos & apud Græcos fuit, in nuditate capitum conseruanda, nisi cùm pluuia, vel Sol cogeret pileo vti, quod ex Hesiodo modò annotaui. Est ergo vtrumque, & cereorum, & pilei vsus in Saturnalibus, ad Noachi & filiorum festum referendum; quod apparentibus montium verticibus summa lætitia in Larnace sub tecto ad cereos egerunt. Quæ ergo de Saturno ad Latinos à maioribus antiquissimis dimanarunt, ea omnia ad Noachum sunt referenda, quod, vt de his modò allatis est manifestum, ita apertius est indicatum ab iis, qui Saturno omnẽ agri colendi scientiam adscribunt. Quamuis enim nauem numismati Romano im-

preſſam ad Saturnum, non ad Ianum retulerint, nec ſciuerint Saturnum Iani patrem fuiſſe; id tamen à maioribus rectè acceperunt, omnem ruris colendi peritiam à Saturno eſſe profectã : cui ob eam cauſam falcem,& Stercutij nomen dederunt. Quamuis autem alij falcem ad meſſem, alij ad temporis omnia reſecantis naturam retulerint; ego tamen ad vitis putationem, maritationem, & omnem eius curandæ rationem maximè puto pertinere, eò quòd Moſes eum primum vini inuentorem fuiſſe ſcripſerit. Virgilius Sabinum neſcio quem Vitiſatoré nominat, poſt quem Saturnum enumerat, Sabinum pro Sabo ponens: quem Silius auctorem gentis Sabinæ dicit, ſic canens:

„ ——*Pars ſanctum voce canebat*
„ *Auctorem gentis, pars laudes ore ferebat*
„ *Sabe tuas, qui de proprio cognomine primus*
„ *Dixiſti populos magna ditione, Sabinos.*

Lilius Gyraldus Virgilij verſus ſic citat, vt nomen Vitiſatoris ad Saturnum referat,loco fortaſsis non ſatis examinato, qui ſic habet:

„ *Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum,*
„ *Antiqua ex cedro, Italuſque paterque Sabinus*
„ *Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem:*
„ *Saturnuſque ſenex, Ianique bifrontis imago.*

In quibus poëta de vetuſtis gentium nominibus primos progenitores finxit, & id Sabino tribuit,quod Saturni proprium erat,quanquam dum Saturnum ſenem appellat, videtur indicare Sabinum à Saturno vitis ſerendæ, colendæ, putandæque rationem accepiſſe, quoniam à ſenioribus iuniores artes,ſcientiasque diſcant. Quid autem Sabus ſit & Sabinus, alibi fortaſſe, dum de Sabina agemus. Laudandus igitur hac parte Ouidius, qui apertè Saturnum falciferum vocauit:

„ ——*Tuſcum rate venit ad amnem*
„ *Ante pererrato falcifer orbe Deus.*

Docuit ergo Ianũ filium ſuum Noachus pater,quinam vitis eſſet quàm optimè ad generoſi vini vbertatem excolenda, atque eius beneficij ſignum,falx apud poſteros perpetuò manſit. Cui hæc nõ ſufficient ad perdocendum,Saturnum patrem,Ianum filium eſſe,& Saturnalia ad diluuij æternam memoriam inſtituta fuiſſe, atque conſequenter ſymbolicôs indicaſſe, Saturnaliorum die eum naſciturum, qui omnes è ſeruitute & fluctibus peccatorum, quibus immerſum humanum genus erat, vindicaret; ei neſcio quid ſit amplius dicendum.Mirandum porrò maximè, ſi quid in omni diſciplinarum orbe

Miranda ſidecum nomina.

miran-

mirandum, ſic nomina ſideribus poſita fuiſſe, vt quæ per ritus & cæremonias quas expoſui denotarentur; eadem etiam cum cælorum natura ſic conuenirent, vt in eis, tanquam in tabula, deſcripta viderentur. Saturni ſidus ſummum eſt inter planetas, non aliter ac Noachus ſummus & primus inter omnes mortales cataclyſmo ſuperſtites. Saturnus tardus eſt & frigidus, cuius naturam Noachus vitæ vltra magnum Saturni annum extẽſæ diuturnitate vicit, & ante quingenteſimum ætatis annum non legitur liberis operam dediſſe. Non abs re ſit hîc addere, quod de Rabinorum fabulis quidam comminiſcuntur, Noachum Chami, improbi ſui filij maleficio frigidum redditum fuiſſe, & ineptum ad generationem. atque inde illud eſſe reor, quod de Saturni teſticulis à Ioue præfectis fabulantur. Scio equidem Chamum nomen ſibi Iouis ſumpſiſſe ſacrilegio & impietate deſpuenda, ac inde Iouis Hammonis templum nomen duxiſſe, & priſcam ſuperſtitionem; eò quòd Hebræis Ham, non Cham, ſcribatur, licet prima littera vim habeat duplicis aſpirationis. Quî verò ex Ham Cham factũ ſit; obiter, Hieronymo docente, addiſcamus, cuius in Hebraicis traditionibus hæc ſunt verba: Frequenter ſeptuaginta Interpretes non valentes Heth litteram, quæ duplicem aſpirationem ſonat, in Græcum ſermonem vertere, Chi Græcam litteram addiderunt, vt nos docerent, eiuſmodi vocabula aſpirari debere; vnde & in præſenti loco Cham tranſtulerunt, pro eo quod eſt Ham, à quo & Ægyptus vſque hodie Ægyptiorum lingua Ham dicitur. Hæc ſi Pſeudoberoſus animaduertiſſet, nec Hammonem à Chammeſe diſtinxiſſet, nec eum Tritonis, quo non homo vllus, ſed Ruachus ſignificatur, filium feciſſet, nec bellum inter Hammonẽ & Chameſem commentus eſſet, nec totam denique hiſtoriæ veritatem, tam fœdè, quàm fecit, conſpurcaſſet. Verùm quando eum totum fregi, non ſunt mihi eius nugæ apud prudentes doctosque viros impedimento futuræ; quas ſi omnes ſigillatim perſequi vellem, ingens mihi condendum eſſet volumen. Multò ſanè meliùs fabulæ proceſſiſſent, ſi Saturnum Noachum, ac Iouem Hammonem Chamum feciſſet, quando hac via non tantùm Thalmudiſtas, aut ſimiles Hebraicarum fabularum ſectatores, ſed vetuſtiſſimos etiam poëtas de Chami ſcelere teſtes haberet; qui in hoc conſentiunt omnes, caſtratum à Ioue Saturnum fuiſſe, quamuis illi magico id carmini, hi ferro adſcribant. Hac item ratione Diodoro fides haberi poſſet in iis, quæ de Saturno Hammonem perſequente ſcribuntur, eò quòd non alienum à veritate, nec abſurdum videri queat, Noachum ſceleratos Chami mores exoſum, non parum diſsidij, nec paruas concertationes

cum,

cum eo habuiſſe, quo homines ab erroribus peruerſis liberaret, nec alios deinde infici permitteret. Sed de his alibi. Hoc loco ad frigida & maleficiata (vt cum Iurisconſultis ita loquamur) Noachi membra reuerſi videamus, quantam cum malefica Saturni ſtella hoc Noachi frigus habeat cognationem, quamque egregiè ſideris nomẽ cum hiſtoria quadret. Attamen quia quæ de incantatione aut exſectione dixi, non ſunt de Aſtronomorum placitis petita, conſideremus ex his etiam, quantus ſit hominis & ſideris concentus. Horum ergo confeſsione Saturnus triſtis eſt & melancholicus: at quid potuit cuiquã mortalium triſtius accidere, quàm videre homines ob ſcelera ſua & impietatem breui interituros, nec audire tamen vocem ad pœnitentiam & meliorem frugem adhortantis, immo ridere etiam importunam & moleſtam mœſtiſsimi concionatoris orationem. Attribuunt deinde Saturno infortunium maius. Quod verò maius infortuniũ, quàm totum mortalium genus Noachi tempore perire? Iam eidem planetæ terræ culturam omnem, & inter omnes artes, quæ labore magno conſtant, ædificationem & architectonicen adſcribunt: quæ quàm Noacho conueniant, quis non videt, ſi Moſis hiſtoriam cognouit? Prẽterea dominum hẽreditatum & poſſeſsionum Saturnum conſtituunt; quæ ratio ſic in Noachum quadrat, vt nemo vnquam mortalium ampliores poſſeſsiones, luculentiorem hæreditatem & magis immenſa latifundia iure ſuo adiuerit, & à mortuorum cauſa ſuſceperit. Quod porrò addunt de carcere & ærumnis, quis vnquam hominum, quis vſpiam gentium tam inſigni carcere fuit incluſus, quàm Noachus, cùm in Arca ſua nauigaret? quis tam ærumnoſus, vt tantum laboris, tantum curæ, tantum temporis ad id impenderit, vt ſibi ſuisque firmiſsimum carcerem fabricaret? Mitto cetera quæ plurima ſunt, & altioris contemplationis apud eos cognoſcenda, qui de Saturno in mentis arce occultiſsimis diuinitatis arcanis præſidente, de philoſophiæ intimis penetralibus diſputantur; quæ omnia ſic Noacho conueniunt, vti ei conuenire maximè debent, cui omnem artium ſcientiarumque orbem, tanquam primo & abſolutiſsimo præceptori, & diuiniſsimo Hierophantæ acceptum ferre neceſſe eſt. Verumenimuero, quanquam quæ dixi plurimum habent admirationis, & cauſæ, ob quam ſideris nomen Noacho quoque communicetur; hoc tamen quod addam, omnem admirationem ſuperare mihi videtur. Saturno præcipuum & potius domicilium in Capricorno datur, quod cæleſte ſignum ſic pictum eſt à primis illis aſtronomiæ magiſtris, vt parte ſuperiore Ægocerotem, ſiue caprum cornutum, quem Ibicem vocamus, exprimat: parte inferiore deſinat in piſcem

piſcem, animal tam natura diuerſum à capro, quàm ſummi mõtium vertices ab intimo maris abyſſo diſtant. Interrogetur Hyginus, vel is, qui eius nomine & titulo gaudens, cæleſtium ſignorum explicat cauſas, quid ſibi hoc monſtrum velit, tam diuerſis naturis concretum? Reſpondebit (ni fallor) vel de capra Iouis nutrice, vel de Pane Panicos timores contra Titanas excitante, qui in piſcem deſinat: quia muricibus pro ſaxis in prœlio vſus ſit. vel de eodem in flumen præ metu delapſo, atque hac forma aſſumpta ſeruato, picturam hanc habere originem. quæ quàm ſint ridicula & vana, tametſi Eratoſthenem fortaſsis habeant auctorem, aliis iudicandum relinquo. Pierius Hieroglyphicorum interpretationem profeſſus, cùm huius picturæ in Auguſti numo meminerit, quid ſibi vellet, bono iure explicare debuiſſet. at vereor, ne ſacræ ſuæ ſculpturæ fuerit imperitior, quàm ad hanc ſublimiorem intelligentiam poſſet adſpirare, licet capras per aures ſpirantes ſibi in auxilium vocaret. Verùm quò certiùs conſtet communi antiquorum conſenſu, hanc huius ſideris fuiſſe effigiem, non erit inutile in illo Genethliaco Auguſti numo, Capricorni, pedibus ſuis orbem continentis, formam videre, ac cum Hygini ſpicilegio conferre. M. Manilius illo libri quarti loco, quo docet, quæ quibus ſignis regiones ſint ſubiectæ, videtur propiùs tũ effigiem, tum eius cauſam attigiſſe, quàm quiſquam ceterorum, qui de aſtris quidquam in lucem ediderũt. cuius hi ſunt verſus, illo, quo vixit, elegantiſſimo ſeculo digni:

„ *Tu Capricorne, regis quidquid ſub Sole cadente*
„ *Expoſitum, gelidamque Helicen quod tangit: ab illo*
„ *Hiſpanas gentes, ceu quod fert Gallia diues,*
„ *Teque feris dignam tantum Germania matrem*
„ *Aſſerit, ambiguum ſidus terræque marisque,*
„ *Aeſtibus aſſiduis terram pontumque tenentem.*

Ex his, & ſigni natura, & picturę monſtroſa forma lucis nonnihil accepit, ſed obſcurioris. quare vt ea maior euadat, enitendum. Capricorni ea eſt natura & vitæ ratio, vt à frigidiſſimis ſummorũ montium iugis, & perpetua niue cãdentibus, nunquam longiùs, quàm vbi paſcat, diſcedat; & adeò caloris eſt impatiens, vt ſi extra gelidiſſima hæc cacumina degere cogatur, ferè cæcus euadat. In Alpibus nõ ferè niſi ad perennem glaciem inuenitur. Summum ergo mediæ aëris regionis frigus, quod in frigidorum genere principatum tenet, quo melius ſymbolo ſit notandum, quàm eius animalis imagine, quod ſummo ſummi frigoris amore ducitur & tenetur? Signum igitur Tropen hibernam principio ſui metiens doctiſſimè conuenientiſſimeq; na-

turæ Capricorni habet effigiem,& quia parte posteriore humidũ est, & in Aquarium desinit, caudam piscis est sortitũ. Frigidissimo ergo planetę domicilium hoc fuit aptissimum,vt cetera interim omittam, quæ de vtriusque radiorum conuenientia copiosius ex Astronomia docere possem, nisi intelligerem nec necessarium esse apud eruditos, nec citra prolixam cum Ptolomæo de domiciliis planetarum disputationem id fieri posse,cui in obseruationum ab antiquioribus acceptarũ causis non semper accedo.Sufficit ostendisse domũ Saturni in cælo Capricornũ esse,atque eius figurã apud omnes eandé esse: quam ad Noachi domũ non quamuis,sed illam potiorem,& omniũ nobilissimã applicare proposui,ad hunc modũ breuiter exposita ratione. Arcam, Noachi in diluuio domiciliũ Ægoceros apertæ & luculentæ significationis indicio sic exprimit, & ob oculos ponit,vt clarius & euidentius nihil esse possit. Domus enim hæc,quam alij carceris,alij vinculorũ nomine denotarũt, in media regione aëris versabatur: nõ aliter quàm Ægocerotes solent, altissima montiũ cacumina petẽtes. Non tamẽ omni modo, nec omni parte huic terrestri animali similis erat,sed parte dũtaxat superiore,quę aquis exstabat:reliqua verò quę aquis adhuc erat immersa,piscem referebat. Dic,rogo,nũc quisquis es Hieroglyphicæ artis studiosus,an vllum animal fingi queat,quod melius Arcam possit significare,aut apertiùs inundationis altitudiné demonstrare? Vno igitur signo expressum est, quod Horatius de eodem diluuio canens, elegantissimis suis versibus exornauit:

„ *Terruit gentes,graue ne rediret*
„ *Seculum Pyrrhæ, noua monstra questæ,*
„ *Omne cùm Proteus pecus egit altos*
„ *Visere montes.*
„ *Piscium & summa genus hæsit vlmo,*
„ *Nota quæ sedes fuerat columbis;*
„ *Et superiecto pauidæ natarunt*
„ *Aequore damæ.*

In his inter cetera ornatè dicta in primis admirari soleo,quòd poëta columbæ sedé suam ablatã canat; quasi apud Mosem legisset, hanc auem à Noacho emissam,non inuenisse vbi requiesceret, atq; idcirco in Arcam remeasse. deinde quòd Ægocerotis signũ naturamq; proxima quadã delineatione sit imitatus,damas dicens in æquore montibus superiecto natasse, ita vt partim pisces, partim damæ viderentur. Sunt autem damæ,quas Germani Gempsen, Itali *Chamuche* vocant,exiguis cornibus in anteriora (vt Plinius testatur)reflexis; quod genus rupicaprorum ad summos etiam mõtium vertices agit, tanto homi-

hominum metu & corporis agilitate, vt ſe altiſſimis è rupibus præcipitet in extantes petras pedibus in anguſtiſſimum ſpacium contractis. Aegocerotes tamen altiora loca petunt, cornibus longiſſimis dorſum verſus arcuatis, à damis plurimum differentes, quos Steenbockey, vernaculo ſermone, id eſt, rupicapros nominamus. Non igitur longè Horatius aut à Moſis deſcriptione, aut à ſymbolo Aegocerotis receſſit, quod annotatum, & reconditam poëtæ doctrinam commonſtrat, & ſacram noſtram picturam, qua Larnacem dicimus notari, reddit apertiorem. Sicut igitur Saturnus in Capricorno, ita Noachus in Arca Capricorni effigie, rectiſsimè doctiſsimeq; ſignata domiciliũ habuit longè nobiliſsimũ, & hac quoque ratione nõ malè Saturni nomen vtrique factum eſt commune. Non iniucundum erit & illud Manilij huc adferre, quo videtur Noacho minitari vim Saturni in ipſius vita valde fore luculentam, dum in viribus ſignorum deſcribendis ad hunc modum cantat:

„ *Vltimus in caudæ Capricornus acumine ſummo*
„ *Militiam in Ponto dictat, puppisque colendas,*
„ *Dura miniſteria, & vitæ diſcrimen inertis.*

Cuius vnquã nobilior militia in Ponto fuit quàm Noachi? cuius vita magis popoſcit, vt nauem coleret ac habitaret? cui plus vnquam miniſterij aut laboris, quàm ei cui neceſſe fuit omnibus animalibus pabulum ſubminiſtrare? Vitam autem inertem eorum vocat, qui in mari verſantes nihil earum artium exercent, quibus è terræ fructibus victus paratur, & interim tamen in ſummo ſunt diſcrimine, vt veluti ignaui & imbelles ab vndis abſorbeantur. Hinc Aeneas mortis hoc genus expaueſcẽs, tanquam fortibus indignum, exclamauit:

„ ——*O terque quaterque beati,*
„ *Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis*
„ *Contigit oppetere.*——

Poterat alioquin ad Noachi Hebraicam etymologiam non incommodè inertia referri, quietem, quam alta terrarum ſilentia Naſo vocauit, indicantem. Mirum eſt profectò, Capricornum, cùm terreũ ſignum ſit & melancholicum, atque idcirco ſummæ ſiccitatis, has habere proprietates, & ideò mirabilius, quod ad ipſam brumam Alcedonij dies eſſe dicantur, Sole Capricornum ingreſſo. Sed viderint hoc Aſtrologi. Mihi ſatis eſt vetuſtiſsimam hanc eſſe doctrinam qua Capricorno Saturni domicilio hæc tribuuntur, quæ cum Noachi domo in diluuio fluitante optimè quadrant. Atque inde fit, vt eò ſim propenſior ad ſignificationem potiùs futurorum, quàm ad efficaciam ſiderum nomina poſita fuiſſe, quamuis non negem ad

vtrumque nomenclatorem reſpexiſſe. Elegantiſsimè profectò Arca Noachi Aegocerotis in piſcem deſinentis figura ſymbolicôs notatur, eo quòd altiſsima mõtium cacumina, veluti Aegocerotes, ſuperaret, cùm tamen interim Ponto non ſecus ac piſcis innataret. Rurſus igitur Saturni & Noachi in domiciliis ſimilitudo eluxit, & cauſa inuenta eſt, quare decimo menſe Saturnalia brumali hora celebrarentur, cælo ritibus in terris à populo Romano obſeruatis, conſentiente. Verùm vt Noachus Chriſti, arca eccleſiæ typum gerit, ita illud quoque videtur in cælis annotatum, & ſolenni feſto quotannis admonitum, eo tempore Chriſtum in eccleſia ſua naſciturum, quo Sol in Capricornum ingrederetur; perfecta tamen prius octaui & noni orbis conuenientia. Sequens verò menſis in terris quidem nomine ſuo Iani memoriam quotannis refert: at in cælo Hydrochous Noachum adhuc inculcat, quemadmodum piſces in cælo Februæ ſunt dedicati; adeò vt totus hic quadrans Noachi, Iani & Februæ monumentis conſecretur. Quamobrem optarem eam Calendario correctionem adhiberi, qua fieret, vt primus dies Decembris perpetuò in Tropen hibernam incideret, quò myſteria hæc rectius obſeruarentur; quamuis ſciam aliis, qui hæc nõ obſeruarunt, Ianuarium magis placere, quorum arbitratu Martius Piſces, Aprilis Arietem, Maius Taurum haberet, quod equidem non poſſum approbare. Opinor enim ego ſymbolorum & motionum cæleſtium ratione ductus, nomina ſignis eo tempore poſita fuiſſe, quo Capricornus octauæ ſpheræ hiemem naturalem, quæ ſolenni & annuo frigore definitur, exordiebatur. Qua in re declarãda, vt curioſam fortaſsis rationem videbor ſecutus, & prorſus hactenus inauditam, ita faciam vt Hieroglyphica cæli pictura admirabilior, & ea quæ hactenus dixi, veriſimiliora reddantur. Primum itaque diligenter videndum, vt diem ac annum eodem modo in quatuor ſuas partes diſtribuamus. Naturæ certè conueniens eſt, æſtatem ei diei parti comparare, qua Sol verticibus noſtris fit viciniſsimus; & contrà, hiemem alteri parti, per quã idem eſt remotiſsimus. & deinde reliquas partes diei reliquis anni partibus conferre. Verùm quia ante meridiem paulo minus temporis eſt, quo calores vrgent, quàm poſt meridiem; videtur rationi conſentaneum, vt idem in anno ſtatuatur; atque ita ver finiamus in temperata regione, quadraginta circiter diebus ante Tropen æſtiuã; hiemem verò incipiamus totidem diebus ante conuerſionem hibernam. Quod ſi fecerimus, noſtro hoc tempore hiemis initium erit ad principium Nouembris, quadraginta nimirum antè diebus, quàm Sol Capricornum ingrediatur. Atque ita fiet, vt poſt conuerſionem hiems

Chriſti natiuitas in cælo typicos picta.

Quando ſideribus nomina data.

hiems quinquaginta ſit dierum, ſi toti nonaginta tribuendi. Sed hęc craſſo modo, neglecta ea, quæ de eccentrotete & inæqualitate partiũ anni fit, ſupputatione. Hanc rationem ſecutus videtur Ptolomæus, ſi germanus eſt titulus, de ortu & occaſu ſtellarum non errantium. Noſtrates ferè idem hiemis initium ſtatuunt, ita vt in collegio Canonicorum Hiluarenbecano ignis eo primùm tempore in apodyterio ſacrarum veſtium ſtrui conſueuerit: in quo cùm puer eſſem, frigus in templo contractum, frequenter depuli. quod quia de veteri fit inſtituto, hiemis hoc exordium fuit iudicatum. Eadem ratio ſeruatur ferè apud omnes eos, quibus hiemis duritia, vel hypocauſta, vel ignes poſtulat, modò diſciplinam aliquam domeſticam habeant præſcriptam. Alios enim, qui pro arbitratu ſuo viuunt, & quo volũt tempore focis aſſident, hic non audiemus. Huiuſmodi igitur mihi videtur commoda & naturalis hiemis definitio, ſiquidem annum in quadrantes æquos partiemur. Medicos enim, qui aliquãdo breuem, aliquando longam hiemem faciunt, pro eo atque frigus diu vel exiguo tempore viget, ad hanc perpetuam normam nihil facere ſcimus. Nec Aſtronomos etiam eos admittimus, qui tum demum æſtatem & hiemem, cùm Sol conuertere ſe incipit, exordiuntur: propterea quòd non ſummo vigore, ſed caloris æſtiui, & frigoris hiberni communi initio, & eorundem finibus has anni partes terminandas putemus, quemadmodum in die æſtiuo hora nona ante meridiem calorem adducit, & hora poſt meridiem quarta paulò plus minus ſolet temperare. Sed ne ſoli hãc rationem ſecuti videamur, aut ſolo etiam libello illo de ortu & occaſu Aplanôn Ptolomæo inſcripto niti, adducemus teſtem grauiſsimum, Heſiodum nimirum, qui ęſtatẽ quinquaginta diebus poſt Solis conuerſionem, haud ſecus ac nos terminauit, atque eam ſententiam tam veram cenſuit, vt eam Ioui adſcripſerit, atque ab ipſis Muſis ſe didiciſſe dixerit, quæ ipſum docuerunt carmina canere diuinorum oraculorum plena, id eſt, Atheſphaton hymnon. Sic enim habet:

„ Αλλὰ ἡ ὥς ἐρέω ζηνὸς νόον αἰγιόχοιο,
„ Μῶσαι γὰρ μ' ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν,
„ Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
„ Ες τέλος ἐλθόντος θέρεος καματώδεος ὥρης
„ Ωραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος, ὅτε κε νῆα
„ Καινάξαις, ὅτ' ἄνδρας ἀποφθίσειε θάλασσα,
„ Εἰ μὴ δὴ προφρων γε Ποσιδάων ἐννοσίχθων,
„ Η Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεὺς ἐθέλησιν ὀλέσσαι.

Nos, vt in buccam venit, ita Latinè effudimus:

„ *Attamen & mentem dicam Iouis Aegide clari,*
„ *Carmina nam Muſæ docuerunt conſcia fati.*
„ *Quinquaginta dies poſtquàm Sol verterit axem,*
„ *Per quos æſtatis finem petit hora moleſta;*
„ *Eſt opportunum mortales nauibus vti:*
„ *Ni vel Neptunus terræ quaſſator id antè*
„ *Cogitet, vt perdat, vel ſic velit ipſe deùm Rex.*

Hîc licet cuiuis videre, ſic Heſiodum anni feciſſe partitionem, vt horam æſtatis quinquaginta diebus poſt conuerſionem extenderit, atque ita ei neceſſe fuerit, quadraginta dies ante cõuerſionem computare, quo totum quadrantem abſolueret. Similiter igitur in aliis anni partibus ei fuit ſtatuendum, quo tota ratio diſtributionis aptè conueniret. Verùm quia conuerſiones cor hiemis & eſtatis conſtituunt, fit vt ab illis, tanquam ſummis, Aſtronomi hiemem & æſtatẽ inceperint. Signa igitur nonæ ſphęræ appellationes habent accommodatas, tum ad Solis curſum, tum ad partium naturam, quam alibi aliam eſſe antè commonefeci. Sic Cancer dicitur in nono orbe, partim ob naturam eius loci humectantẽ, partim, quia Sol ab eius exordio retrò diſcedit. Similiter Capricornus & à naturæ proprietate, quam pars illa cæli ſortitur, & ab eo etiam dicitur, quòd Sol tum à verticibus eorum, qui nomina poſuerunt, longiſsimè remotus, frigus faciat ſummum, quo nullum animal æquè atque Aegoceros gaudet. Deinde ſymbolum etiam Arcæ gerit, quæ illo tempore in altiſsimis cacuminibus montium hęſit, vt mox patefiet. Eodem modo, ne longus ſim omnibus enumerãdis, de ceteris eſt ſentiendũ. Iam porrò ab hac ſphæra nomenclaturæ ad octauam per analogiam trãſierunt, ſed modo quodam admirãdo. Simul enim & naturæ diuerſitas eſt ſignificata, & prætereà oracula ſubtexta, quæ pòſt ab hominibus clarè cernerentur, quàm res indicata eueniſſet. Fateor vel de maiorum traditione, vel diuino inſtinctu Chaldæos & Magos ea etiam antè intelligere potuiſſe. Verùm id non ita, quaſi de cauſarum cognitione ad euenta earum procederetur: ſed eo modo, quo de ſignis ad arbitrium poſitis, ſignificata intelliguntur, quæ fruſtra illi vident, qui voluntatis eorũ conſcij non ſunt: quibus ea placuit pro ſignis collocare, & de rebus ſignatis dare nomenclaturas. Capricornus ergo octaui globi nomen habuit, quia frigoris, quo Aegoceros præ ceteris omnibus maximè gaudet, initium illo tẽpore adducebat, quo nomina primùm indita putamus. Indita autẽ credimus eodẽ tẽpore, quo Adam ceteris rebus proprias voces naturas earũ explicãtes, dicitur nuncupaſſe

passe. Neque enim verisimile est, dū terrenis nomina ponebat, cælestia neglexisse, nisi velimus nihil generosi, nihilq; diuinioris mentis in eo fuisse, quàm in sordidissimo quoq; cerdone. Sed omnino sic arbitramur, non sua tantum sponte ea fabricatum esse, sed diuini spiritus afflatu, qui talia suggessit, vt & naturam aptè exprimerent, & rerum futurarum, maximè earum, quæ ad hominis salutem forent necessariæ, hieroglyphicas notas complecterentur. Capricornus ergo non solùm ob frigoris initium ita nominatus est, & ea figura depictus, sed propterea etiam, vt salutē generis humani in Arca futuram denotaret, quæ quòd decimo mense ad cacumina montium in media regione aëris hæreret, superiore sui parte Ægocerotis naturam referebat, animalis in summis montium verticibus semper viuere consueti; inferiore parte, qua aquis adhuc erat immersa, piscis videbatur, animal & aquis & natatu gaudēs. Deinde sicut Aegoceros Arcæ, sic Arca Ecclesiæ militantis typū gerit, in qua sic viuimus, vt more Capricorni semper ad altissima mente & spiritu sit contendendum: cauda tamen & postica parte, carne scilicet ac animi perturbationibus adhuc in vndis huius mundi, qui Oceano bene confertur, immergamur, atque ita hac piscium, illac Ibicum naturam referentes. Verùm neque hoc modo mysterium cælo fuit affixum, sed multo etiam maiora & propius ad salutem nostram faciētia: quæ quamuis non sint huius loci, quò tamen hæc, quæ de Arca & Noacho, Aegocerotis & Saturni stellis expresso, dixi, credibiliora reddantur, breuiter quædam adiiciemus. Præter igitur Ecclesiæ ab aquis in Larnace conseruationem, aliud etiam Capricornus indicium dabat, fore nimirum aliquando, vt in sexta ætate Capricornus ad imum cæli descenderet, Solem iustitiæ secum vehens, quò eos qui in vmbra mortis sederent, liberaret, eo nimirum tempore, quo signa octaui & noni orbis ita conuenirent, vt principia signorum octauæ sphæræ ad sextum gradum signorum noni orbis peruenirent. Eo enim tempore summa perfectio orbis octaui erat expectanda, qui sese perfectè ad nonam applicabat, non ad eius principium, vbi minus adhuc virium haberet, sed ad sextam partem, quo simul & perfectio summa & sexta ætas notaretur, atq; illud tempus, quod indicatur per embolismum senarij, per partes (vt mox aperiam) prius absoluendi, quàm salus mundi veniret. Illo ergo tempore sic notato, venturus erat quidam, qui totius orbis Imperium Capricorni horoscopo acceptum ferret, atque illud etiam numis excusis apud omnes gentes profiteretur. Hoc imperante nasciturus erat, qui huius horoscopum in imo cæli haberet, atque signum illud in principio thematis, quod Augustus

in

in ſuprema cæli parte ſortitus fuiſſet, quo indicaretur panem illum cæleſtem tum venturum, cùm ſe iuſtitia æterna iuſtitiæ humanæ ſubieciſſet. Hic antea multo per Arcam decimo menſe ſeruatam in culmine montis ſignificatus fuerat, quo tempore Sol Capricornum tenebat, in quo rurſus futurus erat dum ille naſceretur, qui typo ſalutis per arcam notabatur. Si quis ergo geneſim Chriſti cum geneſi Auguſti cõferat, atque diligenter ſymbola hæc examinet, deprehendet Auguſto regnum huius mundi decerni, in quo Cacodæmon Aquilonarem ſedem habet, & Chriſto in eo regno infimum abiectiſsimumque locum portendi. Nolo hîc addere, tum Solem iuſtitiæ proximum cruci ad polum Antarcticum clariſsimis ſtellis ſignatæ admoueri, cùm Capricornũ poſsidet; qua indicatur ſuperiorem ſerpente ad Arctos ſito eo tempore crucem futuram. Præter enim hanc cæli Auſtrini faciem, ſatis multa indicia in noſtro hemiſpherio reperiuntur: quæ ſi quis diligenter examinabit, quanto magis intuebitur, tanto magis obſtupeſcet. Quid inter cetera illo admirabilius, ſtellam illam, quæ Chriſto naſcente in Oriente erat prima magnitudine inſignis, & ad femina virginis collocata, à Chaldæis nomen accepiſſe, quo illud ſignificatur, quod Latinus diceret: Signum cibi ſuſtentantis, confirmantis & eleuantis. אסימן enim ſignum eſt, at אסמך אלאכל. cibus eſt ſuſtentans, confirmans & eleuans. Nam אל articulus, quem Arabes libenter præponunt, habetur: אכל ſiue אכל cibus eſt, quam vocẽ Geneſeos capite quadrageſimo ſeũndo Septuaginta interpretes βρῶμα, vulgata Latina, victui neceſſaria, interpretatur. סמך autem idem eſt quod ſuſtentare, eleuare, confirmare. quo verbo vtitur Iſaac, dum nos legimus: Frumento & vino ſtabiliui eum. & Dauid pſalmo quinquageſimo; vbi Latini habent, Et ſpiritu principali confirma me. Quis hîc non admiretur præcipuam hanc ſtellam, cùm Chriſto naſcente exorientem, hoc nomen obtinuiſſe, quo indicaretur eum, qui naſceretur, cibum eſſe eleuantem, ſuſtentantem atq; confirmantem. Qui ergo onomatopœus fuit, ei ſpiritus diuinus inſpirauit, fore aliquando, vt hic cibus naſceretur, & fore etiam, vt ab eo Iudæi ſignũ peterent, & tũ Chriſtus diceret: Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt panem in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Bene igitur Aſimon alacel aſimech nominatur ſtella hæc, quam στάχυν Græci, Latini ſpicam vocauerunt, eadem quam expoſui, ratione, eò quòd ſpica non ſolum cibus ſit, ſed cibus viuus, e quo rurſus alius & alius cibus naſci queat;

& ita cibus fieri perennis,ac perpetuò hominem ſuſtentans. Signum igitur in cælo cibi eleuantis, ſuſtentantis & confirmantis ad vitam æternam poſitum videmus : atque ea de cauſa præ ceteris ei nomen ſigni datum eſſe,quaſi diceretur, Signate hoc myſterium cibi confirmantis, quo paſcendi eſtis non vulgari more, ſed ſic, vt vitam habeatis ſempiternam. Nec ociosè aut fruſtra Virgo hanc ſpicam manibus ſuis tenet, eò quòd cibus ille de pura virgine naſceretur, quo comeſto, ad libram iuſtitiæ æternæ procederemus, nihil amplius veriti condemnationem, Chriſto longè peccatis noſtris præponderãte. Dicitur autem hæc Virgo nomine prorſus admirabili, & tali, vt in ſe duo maximè contraria concludere videatur. Quid enim ad audiendum alienius, quàm eam Virginem vocari, quæ ab inſigni & excellentiſſimo partu nominatur? Quiſquis enim Græcæ linguæ non eſt imperitus, dum Erigonen audit, ſtatim intelligit ab excellentia ſobolis ſiue partus nomen hoc deriuari : nam γόνος, γνήσιον υἱὸν, id eſt, legitimum filium ſignificat, non adoptiuum, non putaticium, non illegitimum, ſed propriè cuique & naturaliter ſuum. Iam Eri, quia longam priorem vocalem habet, ſic reddendum, vt in Erigenía, vbi ἦρ tempus matutinum notat, ab ἠὼρ, quo ver ſignificatur, eò quòd matutinum tempus diei, qui paruus quidam annus eſt, ver eſſe videatur. quod Euſtathius in ſecundum librum Odyſſeæ annotauit. Sicut igitur Tritogenia & Iphigenia patheticôs maximè dicuntur, ita & Erigenia. At Erigone in ſignificatione agendi, quemadmodum Polygonos, cum tono acuto in penultima reddi debet. Erigone igitur eſt, quæ ver nobis diei parit; vel illa, cuius legitimus filius eſt matutinus, id eſt, ipſum Ver omnium ſeculorum. Nam ſi mille anni, ſiue infiniti Deo ſunt, ſicut dies vnus; filius Dei meritò dicetur, Ver omnium ſeculorum. Hic eſt ille, de quo ſcriptum legimus, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. In principio ergo diei genuit Solem iuſtitiæ, qui Ver nobis facit æternum. Eſaias capite quinquageſimo octauo, eodem alluſiſſe mihi videtur, dum docet, quòd Deus per Filium ſuum ſit ſanaturus non quoſuis, ſed eos, qui opera charitatis exercuerint. Tunc erumpet (inquit) lumen tuum, & ſanitas tua citò orietur. Quod Hieronymus ad lumen matutinum Solis iuſtitiæ refert. Idem, de aduentu Chriſti loquens, ſic habet: Cùm pertranſierit, tollet vos: quoniam mâne diluculo tranſibit. Dauid eodem reſpexit, dum cantaret: Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eum Deus mâne diluculo: quo loco, ſi mâne verbum Dei incarnandũ interpreteris, vaticinium reddideris illuſtrius. Auguſtinus, quo loco de ſex diebus, quibus

Deus mundum creauit, disputat, mâne refert ad cognitionem eam, quam Angeli in verbo habent; vespere verò ad cognitionem Angelorum propriam: atque ita dicit, ex mâne & vespere plenam constare cognitionem. Quod an bene an malè, nostra nihil refert: hoc satis Mâne apud ipsum etiam ad Verbũ referri. In Ezechiele Deus dicitur mâne immolaturus Agnum suum, id est, Verbum suum incarnatũ, de quo Ioannes, Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Infinita sunt, quæ huc possent adferri, sed nos ea Theologis relinquentes, Virgilium rogemus, quando hic filius nasciturus esset? Respondebit is de Sibylla:

„ *Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

& paulò pòst:

„ *Teque adeò decus hoc æui, te consule inibit*
„ *Pollio, & incipient magni procedere menses.*

Quis hîc non videt, Ver siue principium illius seculi describi, de quo addit:

„ *Te duce siqua manent sceleris vestigia nostri*
„ *Irrita, perpetua soluent formidine terras.*

Virgo igitur hæc, quam Aratus sermone suo παρθένον dixit, meritò Erigone vocanda, tum quòd partu suo nouum mundi Ver reducat, tum quòd ipsius legitima soboles, germanũ esset Ver omnium seculorum. Hæc est illa, quæ progreditur quasi aurora, vt est Salomoni inspiratum. Homero Erigenię cognomen ad auroram denotandam adeò placuit, vt non semel hoc versu vsus sit:

„ Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.

Quemadmodũ igitur Erigenia soboles Veris diurni dicta est, ita Erigone genitrix Veris æterni, quod apud Deum dies est vnus. Virgilius Sibyllæ carmina dum interpretatur, videtur virginis nomine Iustitiam intellexisse, quam Hesiodus descripsit ad hunc modum:

„ Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
„ Κυδνήτ', αἰδοίη τε θεοῖς· οἱ ὄλυμπον ἔχουσιν. *id est,*
Iustitia est virgo, summi Iouis inclyta proles,
Omnibus & reuerenda deis, sunt quotquot Olympo.

Ouidius eam Astræam vocat, ac terras reliquisse canit:

„ *Vltima cælestum terras Astræa reliquit.*

Virgilius itaque ad hanc refert, quod de virgine apud Sibyllam legerat, sed nec sibi nec veritati conuenienter:

„ *Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.*

Sed hanc Eclogam alibi exponemus, paulò forsan, quàm ceteri, clariùs

clariùs,ſi non omnibus,at ſaltem hominibus noſtris,quorũ ad captũ noſtra moderamur. Virgo certè hæc carminibus Sibyllæ celebrata, nõ erat illa quidẽ Iuſtitia, quod poëta arbitratur; ſed cũ Iuſtitia tam arctè coniuncta, vt Iuſtitia ipſa ex ea carnem aſſumpſerit, per quam omnes homines erat Chriſtus iuſtificaturus. Sicut autem hæc virgo carmine Sibyllino, multis antè ſeculis quàm naſceretur, prædicta fuit, ita Spiritus ſanctus mentibus eorum, qui aſtris nomina poſuerunt, ſuggeſsit, vt virginem illa regione cæli nuncuparent, qua Spicam ſuam,& panis viui ſignum ad Orientem collocaret eo ipſo tempore, quo Chriſtus, qui panis eſt cæleſtis, de virgine naſceretur. Eſſe autem hanc virginem Erigonen appellatam, atque in oraculis fuiſſe, inter hanc & Chelas ſtellam eſſe, quæ in horoſcopo certis quibuſdam ſignis aliis reſpondentibus poſita, eum indicaret naſciturum, qui vt Rex omnium eſſet adorandus, idem poëta ſatis clarè indicauit. Nam cùm intellexiſſet eius, qui tum totius orbis Rex futurus eſſet, aſtrum inter Erigonen & Chelas medium orìturum, ita eſt Auguſto adulatus, vt eam ſtellam ad eum vellet referre. Neque enim id ætatis alius videbatur tantus fore, vt & Rex eſſet omnium, & ab omnibus etiam Romanis adorandus. Quocirca oracula Sibyllina ab aliis ridebantur, vt factum eſt à Cicerone, ab aliis ad Auguſtum detorquebantur. Quærit igitur ex eo Virgilius, an placeat ei illa parte cæli coli, qua aſtrum eius poſitum dicebatur, quem omnes, qui ſalui eſſe vellent, adorare deberent. Sic enim poſt alia infert: *Cicerenis & Virgilij error.*

„ *An ne nouum tardis ſidus te menſibus addas,*
„ *Quâ locus Erigonen inter Chelasque ſequentes*
„ *Panditur?*

Sed nos, quæ hîc fuſiùs oporteret exponi, ad aliud tempus differemus,contenti,quod nunc volumus,breuiter indicare.Eodem alluſit in Bucolicis,Auguſtum Dionæum Cæſarem vocans,eò quòd à Iulio,qui genus ſuum ad Venerem referebat, adoptatus eſſet. Neque enim de Cometa,qui ſeptem diebus apparuit, intelligi locus poteſt, propterea quòd illo nec vua colorem duceret, nec illud tempus notaretur,quo iam homines ſegetum fruge domum illata perfruuntur. Dionæum autem,nõ ob Iulium tantùm, ſed ob id etiam vocat, quia Cometes ei in Veneris ludis apparuiſſet,quaſi reuera Venereus eſſet, quem tamen hîc non deſcripſit: *Dionæum.*

„ *Ecce Dionæi proceſsit Cæſaris aſtrum,*
„ *Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo*
„ *Duceret apricis in collibus vua colorem.*

In Georgicis autem tardos menſes vocauit, propter rectã Virginis & Libræ aſcenſionem, vel fortaſſe, quia tardi menſes à Sibylla nominati ſint, quòd patres diu per multa ſecula hunc horoſcopum expectaſſent, qui inter ſigna horum menſium intercedit. Hæc ſi à commentatoribus fuiſſent intellecta, doctiùs & clariùs verſus hos explicatos haberemus. Nos hæc omnia hic obiter duntaxat non ad aliud quàm ad Chronologiam inde depromendam: alibi latius & ex propoſito omnia hæc myſteria enucleabimus; cùm de Sibylla Cumana quædam hactenus incognita in lucem eruemus, ſi lux æterna tantiſper nobis lucem prorogabit. Nunc igitur ad id quod quærebamus. Diximus conuenientem eſſe rationem, qua hiems & æſtas quadraginta diebus Tropas initiis ſuis præuertunt, quibus Capricorni & Cancri exordia adſcripſimus. Ab eo igitur, qui nomina poſuit, ad hęc vſque tempora ille ſciet qui quadraginta gradus Cancrum & Capricornum retro aget ante Solſtitia, atque illis addet viginti ſeptem, quibus nunc Tropas conſequuntur. Quamuis enim varia ſit inter varios octaui orbis progreſſio; nos tamen rudi calculo medium tempus, quod inter celerrimam eſt & tardiſſimam, accipiemus. Ptolomæus libro ſeptimo magnæ conſtructionis Timocharis vti primi obſeruationem in ſtellis fixis adduxit. Copernicus à Timochare item exorſus, ad ſua vſque tempora progreſſus eſt: & dum alias aliorum obſeruationes examinat, deprehendit octauum orbem, dum tardiſſimè mouetur, centum annis gradum vnum abſoluere; dum celerrimè mouetur, ad vnius gradus ſpacium ſexaginta quinque duntaxat annos poſtulare. Craſſa igitur Minerua medium tempus accipiatur, quod ad octoginta tres ferè annos adſcendit. In hos annos quadraginta gradus, quibus hiemis initium Tropen pręceſſit in exordio mundi, vnà cum illis, quibus nunc Capricornus octaui orbis eandem tropen ſequitur; ducamus, & inueniemus nos non longè aberrare à ſupputatione ætatis mundi à Chaldæis, Hebræis & Ægyptiis facta: quæ quia non deſinit in perfectam anomaliæ periodum, non mirum eſt, ſi aliquot annis numerus productus excedat. Deinde nos hic indicamus tantum, quî Chronologia cum Aſtronomia & ſymbolis rerum ſaluti noſtræ neceſſariarum accommodari poſſet, ſi ad amuſſim octaui orbis motum teneremus. Quæ igitur virgo eſt ô Virgili, quam veniſſe Sibylla canit? Eadem ſanè quam Erigonen vocaſti, quæ ſpicam nobis tum attulit, cùm Auguſtus imperaret. Atque hoc illud eſt aſtrum, ad quod Sol cùm eſt reuectus, homines fruge prius demeſſa fruuntur, & vua colorem ducit maturitatis. Venit hoc ad horoſcopum, nõ quouis modo, ſed ita, vt omnia reliqua ſigna cę-

leſtia

leſtia concurrerent, quibus ſalutis noſtræ tempus à priſcis fuit indicatum. Non eſt igitur ad Dæmoniacam artem referendum, quamuis Hieronymus ita in Commentariis ſenſerit, quod Magi præſciuerint Christum in Iudæa naſciturum. Deus enim, qui Sibyllæ carmina dictauit, quique Adæ prædixerat, Serpentem à ſemine mulieris conculcandum, nomina etiam ipſi inſpirauit, quæ & cælorum naturæ conuenirent, & indicia præterea ſalutis humanæ luculenta præmonſtrarent. Neque mirum, Cometam etiam extitiſſe, qui ipſis ad locum Chriſti natalem ductum præberet, cùm Romanis etiam Cometes apparuerit, quo tempore Auguſtus Romæ Veneris Genitricis ludis præſideret, quem ita collegium Pontificium interpretabatur, vt diceret, non perinde atque plerumque crinitæ ſtellæ ſolent aut famem aut peſtem portendere, ſed generis humani ſalutem mox affuturam nunciare. Quod quamuis aſſentatores ad Auguſtum pertinere dicerent; tamen tanti eſt æſtimatum, vt ſtatua Cometæ nouo prorſus & inſolenti more dicaretur: de qua re Plinius eſt videndus. Sed de hac re alibi copioſius. reuertēdum ad Erigonen; cuius nomen apertè docet, non illud modò Virgini filium fore legitimum, ſed hoc etiam, talem eum fore, vt ver ſit generis humani, ver, inquam, illius ſeculi, quod à liberatione noſtra computamus. Imago deinde eius ſic eſt in cælo depicta, vt manu ſua ſignum monſtret cibi illius, quo qui veſcetur, perpetuò ſuſtentabitur. Hanc ſtellam mox Libra ſequitur, quæ nobis cæleſtem indicat iuſtitiam vnà cum pane cælico deſcenſuram. Vt ergo ad propoſitum hæc applicentur, ita ſubducenda ratio, tum hæc, quorum hæc ſigna ſunt, euentura, cùm octauus orbis ad nonum orbem eo modo, quo dictum eſt, accedit; vt nimirum principio ſui ſextam eius partem occupet. Computentur igitur quadraginta gradus ante Tropen & Aequinoctium, ac deinde ſex adiiciantur, mox viginti duo ſuccedant, quos à Chriſti natali octauus orbis abſoluit; videbimus nos eos propè annos colligere, quos ab initio mundi ſupputamus. Hæc quamuis nos rudiore calculo numeremus; ingens tamen pondus habent ad ſacram hiſtoriam illuſtrandam. Quis enim non commoueatur ad fidem iis adhibendam, quæ tot ſymbolis in cælis videt depicta? Et ſunt ſanè ſymbola, non cauſæ, haud aliter atque notæ hieroglyphicæ ſigna ſunt eorum quæ ipſis ſignificantur. Vitanda enim illorum impietas, qui quæ Deus ſingulari priuilegio beneficia in nos contulit, ad ſidera tanquam ad cauſas referre non verentur. cuius criminis Gerſon Petrum Alliacenſem præceptorem ſuum accuſauit, ſi rectè quæ olim legi, recordor. Quamuis verò daretur illud, quod quibuſdam placuiſſe video,

Magi.

Statua Cometæ.

non esse absurdam eius orationem, qui dicat Christi natalem à prædestinatione diuina pendêre, illum quidem, sed sic ab ea pendêre, vt astrorum etiam ordo consentiat, & ab iis corpus ipsius ita fuisse affectum, vti ceterorum hominum corpora afficiuntur, nec minus cælorum radiis, quàm famis & sitis stimulis, & ceteris corporis motionibus fuisse obnoxium : nunquam tamen concedam, religionem ad has causas pertinere. Fuerit sanè Saturnus in nona Thematis Genethliaci domo, dum Christus nasceretur; nõ fatebor tamen ea, quę hinc & è ceteris radiorum coniectibus Astrologi vaticinantur, ad Christum perinde atque alios homines referenda. sed eo propensior reddar, vt credam, totam hanc cæli per domos descriptionem ab antiquissimis confictam esse, vt per eam salutis humanæ mysteria in cælo pingerentur. Hanc scribendi rationem mallem à Trithemio Abbate nobis expositã esse, quàm illam, quam sibi vel nulla, vel obscura vtilitate commentus est. Non igitur propterea quia Saturnus in domo religionis est, Christus nouam religionem induxit; sed contrà, quia hæc cæli facies erat futura tum, cùm ille nasciturus esset, primus nominum fabricator, has domibus indidit appellationes, vt ex iis homines intelligerent, hanc religionem, quam Christus doceret, veram esse, ac à Saturno summo rerum omnium patre proficisci. Signum ergo illud, quod tum in domo religioni nuncupata fuit, Geminis, siue duobus pueris notauerunt, propterea quòd duo pueri, alter patre cælesti, alter patre terrestri natus, religionis huius principatum tenerẽt. Horũ alter fuit Ioannes Baptista, diuino miraculo Zachariæ è decrepita Elizabeta natus : alter IESVS CHRISTVS, non hominem, sed Deum patrem habens. Horũ tam arcta fuit amicitia, vt etiam in vtero adhuc manens Ioannes Christũ in vtero item latentẽ salutarit. Non igitur cognati tantùm erãt, sed diuino numine ita disponente, fratres. Nã idẽ pater cælestis ambos misit, & Ioannem, quamuis è patre mortali natũ, in vtero adhuc contentũ, spiritu sancto repleuit. De hoc scriptũ est in Isaia propheta: Ecce ego mitto Angelũ meũ ante faciẽ tuam, qui pręparabit viã tuam ante te. Idem igitur pater vtrumque misit; qua de re fit, vt fratres meritò habeantur. Verùm Ioannes ab Herode cæsus est, quem Christus morte sua redemit, & pro mortali vita in vitam æternam adsciuit, cooptatis omnibus quotquot credidissent & baptizati essent. Hinc nata fabula Poëtarum, quam dẽ Castore & Polluce è vaticiniis non intellectis confinxerunt. Legerant fortassis in libris Sibyllinis, aut è carminibus priscis acceperant, duos pueros nascituros; quorum alteri pater mortalis, alteri immortalis esset : quorum virtute totus mundus accipe-

Castor & Pollux qui.

ret

ret tranquillitatem atque vitam feliciſsimam. Horum vni, qui inter nominandum ſemper præcedit, tametſi patre ſit mortali natus, Caſtor nomen erat, ex ipſis Sibyllarum oraculis petitum : alter Pollux eſt vocatus, qui Caſtorem mortuum morte ſua redemit. Et quemadmodum Ioannes, qui Caſtor erat, pro veritate mortuus erat; ita ipſa Veritas carni vnita, mortem oppetiit, vt Ioannem à morte liberaret. Chriſtus enim ſolos eos redemit, qui Ioannis nomine ſignificantur. Ioannes enim is eſt, qui gratiam Iouis eſt conſecutus, citra quam nemo mortalium à morte ad vitam redibit. Hinc igitur fabula de alterna morte, quam Poëtæ, quòd non intelligerent, ineptè ad Tyndari filios torſerunt: & eos ſic aſtris intulerunt, vt dum alter viueret, alter moreretur. Hinc Virgilius:

„ *Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
„ *Itque reditque viam toties.*——

Verùm commentum hoc tale eſt, vt Geminis, in cælo vocatis, nequeat applicari, eò quòd falſum ſit, has ſtellas ita eſſe collocatas, vt dum altera oritur, altera occidat. Quocirca ſi de Homeri fabula ex oraculis malè intellectis nihilo melius conſuta ſtellæ aliquæ his nominibus ſint vocandæ, nullæ ſanè minus vocandæ erunt, quàm quæ Geminorum ſignum conſtituunt. Nugentur ergo, vel ſtellas alias, vel Luciferum & Heſperum ita nominari, nunquam tamen facient, vt figmentum probè per omnia quadret. Minus veriſimilitudinem oratio illorum tuetur, qui duo hemiſphæria, ſuperius & inferius his nominibus intelligunt, craſſam quandam philoſophiam ex ouo Ledæ ſibi ſorbentes; quorum ſomnia apud Euſtathium malim cognoſci, quàm eorum tranſſcriptione chartas & tempus mihi perire. Nec Homeri verſus adſcribam, qui hîc nihilo plùs quàm Virgilius vidit, niſi hoc fortaſſe vaticinium oleat:

„ ——Τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

Id eſt,

Honores ſortiti ſunt æquali cum diis menſura. Excutias omnes auctores, & Græcos & Latinos; nihil tamen ſani inuenias, quod poſsit hanc fabulam ſic explicare, vt vel hiſtoricôs, vel phyſicôs, vel metaphyſicôs etiam poſsit cohærere. Nos igitur vanis illorum nugamentis reiectis, quæ nec nominibus, nec rebus ſibi reſponderent, dicemus hîc idem eueniſſe, quod in Erigone Virgilio dixi accidiſſe. Oracula enim malè intellecta, ad eos homines Poëtæ referebant, quorum laudem ficticiis nominibus, & alienis

plumis

plumis ornare voluerunt. Videndum itaque,an meliùs noſtra interpretatio quadret, tum ad cælum, tum ad nomina, quibus Gemini vocãtur,relata. Gemini ſunt ergo partim ratione carnis, quam vterque veram accepit, tam ille qui Deus erat & homo, quàm alter qui homo duntaxat fuit;partim ratione,tum gratiæ, quam vterq; à Ioue ſuſcepit; tum baptiſmi,quẽ vterque prædicauit. Deinde ſi quis mortalium gemellus Chriſto dicendus, ille certè dicendus,de quo Chriſtus ipſe dixit: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Græci Dioſcoros eos appellant,id eſt Dei filios. quos Cicero cùm reuera nuſquam inueniret,in diuerſos eſt partitus,ita tamen vt veros ipſos, de quibus vaticinia priſca erant accipienda, non norit. Fuere ſanè Dioſcori, id eſt Iouis filij, alter quidem omni modo, alter verò ſpiritu ſancto,quo in ipſo etiam vtero fuit repletus. Horum igitur ſigna & hieroglyphicas notas meritò in domo religionis cæleſti ponendas vates cecinerunt, quia nimirum perfectam hi & ſolidam religionem terris adferrent. Priori autem proprium & ſuum nomen eſt Caſtor; qui idcirco priùs nominatur,quòd alterius fuerit præcurſor. Dicitur autẽ Caſtor voce ex ipſo Scythiſmo petita, ſiue ab ea lingua, qua hactenus Cimbri vtuntur. Significat enim eum,qui malum propulſat, & exturbat, quod Ioannis erat propriũ munus,qui miſſus erat,vt viam præpararet, atque omnia, quæ mala eſſent,è medio, quoad poſſet,dimoueret. Concionibus enim ſuis & vitæ exemplo vitiorum omnium erat interturbator & profligator.

Caſtoris etymon. Eſt autem Caſtor compoſita vox ex Κὰ, quo malum ſignificatur, & Στορ vocali longa,quod idẽ eſt,quod interceſſione,ſiue interuentu quippiam turbare ac profligare. Et quia ij,qui aliorum facta vel cogitata perturbant, plerumque homines iratos reddunt, Στορ idem etiam ſignificat, quod iratum reddo atque offendo. Vtroque igitur modo Caſtoris nomen Ioanni Baptiſtæ belliſſimè conuenit, & quòd hortatu ſuo mala omnia profligare niteretur; & quòd malos & malorum omnium patrem offenderet, ac iratum redderet, adeò vt non alia cauſa tandem ſit occiſus. Bene ad virtutem atque perfectam ſalutem præparat viam, qui malas cogitationes diſiicit & interturbat. Ad quid verò depulſor hic malorum præuio ſuo clamore præparabat? Ad perfectam & completam omnibus numeris felicitatem, quam per Chriſtum humanum genus erat conſecuturum. Chriſtus igitur Pollux dictus eſt, quaſi Phollux, ſiue Vollux, aſpirata aut potius media littera in tenuem commutata: quo nihil aliud notatur, quàm plenus felicitatis. Eſt enim Φολ ſiue Ολ, plenum. Quæ verò felicitas diuinitus,non noſtra ſponte acquiſita. Quia verò nomen

Pollucis etymologia.

prius

priùs cauſæ, quàm ei quod ab ea pendet, dari meritò debet, is propriè Voſſucs, ſiue Voſſux vocabitur, qui talis eſt, vt omnes felicitate repleat, quam nemo ſibi, ſed omnes illi, vnde pleno cornu fluit, acceptam ferre debent. Et optimè quidem id cum veritate conſentit, eò quòd Vof priùs ſignificet plenum facere, quàm plenum, vt vis agentis capacitatem patientis naturæ ordine præcedit. Quamuis ergo poëtæ inuolucrum hoc veritatis deprauarint, & neſcio quibus fœda adulatione aſſuerint; laudandi tamen ſunt, quòd integras voces ſeruarint. Græci Pollucis nomẽ dum ſuum facere conati ſunt, Polydeucen pro Polluce dixerunt, ſignificatu longè diuerſo, ſicut ex Hercule priſco Cimmeriorum nomine Heraclen formarunt. Genuinæ ergo dictiones ſunt Caſtor & Pollux, nulla addita vel abſtracta prorſus littera, ſed media vna in tenuem commutata. Chriſtus ergo verus eſt Pollux, Caſtori morte ſua vitam reſtituens, & omnibus iis, qui Caſtores erunt, id eſt, qui mala depellent, & ex animo ſuo turbabunt, veræ felicitatis & æterni nectaris pincerna, pleno & redundante calice diuinum liquorem omnibus ſitientibus infundẽs. Caſtor ergo bene dicitur mortali patre natus, & Pollux ab ipſo Ioue deſcendens. Latus hîc ſeſe campus offert ad excurrendum, ſi luberet ſigillatim omnia quæ huc faciunt, perſequi; ſed ſufficit nobis eam laudem referre, quòd primi hos fontes hominibus noſtris oſtenderimus, vnde alij queant quantum voluerint, haurire. Verùm quia nõ parum efficaciæ habet ad veritatis examen, eiusque certum argumentum, videre multarum rerum, multarumque gentium conſenſionem; conſulamus Arabes quoque, quos veriſimile eſt, non pauca à Chaldæis accepiſſe, in iis præſertim, quæ ad priſca ſiderum nomina ſpectant. Hi Pollucem vocant Abrachalu, quod eſt: Is eſt ecce cui genua flectenda ſunt. אַבְרֵךְ enim in Geneſeos capite quadrageſimo primo eum notat, cui homines genua flectere debent, cui nonnihil ad Chaldaiſmum accommodato, vt pro Abrech ſit Abrach, ſicut pro Melech Malach dicunt, adiicitur vocula demonſtrandi ſignificationem habens אֲלוּ quod eſt ecce. Abrachalu igitur ad verbum idem eſt, ac ſi diceretur, ad genu flectendum ecce: quod Latinus diceret, Ecce hic eſt, cui genua ſunt flectenda. Poſtponitur autem demonſtratio ad maiorem vehementiam ſignificationis, quod nobis etiam non raro eſt in vſu. Quod ſi aliter ſcribatur, vt Ain in medio habeat, ſitque cõpoſita vox è tribus, אַב quod eſt pater, & רְעֵה id eſt paſcere, & חַלָּשׁ quod debilem & infirmum notat, tum idem fuerit, quod pater paſcens infirmos. Quid verò magis propriè dici poteſt de pane cæleſti, qui Chriſtus eſt, quàm eum eſſe patrem paſcentem debiles,

vulneratos & infirmos? ipſe enim cum patre vnus eſt. Diceretur igitur hac ratione Abraachalas, quia hic puer pater noſter eſt, qui vulnere nos letali à Dracone inflicto debiles pane ſuo cæleſti paſcit, & ad vitam æternam alimento corporis & ſanguinis ſui recreatos perducit. Græci hanc etiam ſtellam Herculem nominarunt, eò quòd clava crucis omnia peccatorum monſtra ex animis corporibuſque hominum ablaturus eſſet, cuius ipſa in cælis characterem gerebat. Quis autem Hercules ſit, & à quibus ita nuncupatus, pòſt erit dicendi locus. Hic ſat ſit, hoc obiter addidiſſe, ne quiduis vbiuis explicatum, odioſam pariat prolixitatem. Videmus itaque quàm omnia inter ſe nomina conſentiant. Pollux enim is eſt, qui nos præter operam noſtram plenos facit felicitatis. Abraachalas dicitur idem, quia nos mortali veneno pereuntes, cibo reficit atque paſcit vitam perpetuam daturo. Hercules omnia vitiorum monſtra domat, non ferro, ſed ſolo ligno, in quo redempti ſumus. Hic igitur adorandus eſt, coram hoc genua flectenda, ita vt non ſolùm Abraachalas ſit, ſed etiam Abraachalu, de quo dici poſsit: Hic eſt cui genua flectere oportet, ecce ecce. Nunc ad Caſtorem. Hunc Græci Apollinem quoque nominarunt non leui profectò de cauſa. Alibi Apollinis & ceterorum Deorum nomina interpretabor: hîc defunctoriè dicatur, eum dici Apollinem, qui res è tenebris effert, qua de re Solis aurigam hoc nomine præcipuè dignantur. Ioannes igitur, vt cognominis Euangeliſta teſtificatur, nõ erat ille quidem lux, ſed venerat vt teſtimonium perhiberet de lumine, quod tenebræ non cognouerunt, tametſi in tenebris præſens eſſet. Ioannes igitur lucem ſiue Solem æternum è tenebris eduxit, dum ſic clamaret: Hic erat quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt; quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Egregium certè teſtimonium, quo Pollux & Deus eſſe dicitur, & homo, & is, è cuius plenitudine omnis noſtra manat felicitas: quod ipſum etiam Pollucis nomen ſignificauit. Ioannes igitur meritò Apollo dicitur, eò quòd Solem nobis è tenebris educat. Iam nunc videamus an Aſſyriis etiam ita vocetur alter Geminorum, vt aliquid ad propoſitum nomen ipſius facere videatur. Apud Chaldæos igitur, à quibus ad Arabes vox venit, Anhelar nominatur, ab עָנָה anah, quod eſt clamare, teſtificari & cantare; & ab אוֹר or ſiue אָר ar (mutata non nihil dialecto) quo Sol & lumen notatur. ל autem particula eſt ad aliquid indicans. Anhelar igitur ſiue Anhelor, idem eſt quod clamauit, Solem ſiue lucem teſtificatus eſt. Anhelor igitur teſtis eſt lucis, ſiue proclamator lucis. Poſſetne quidquam clariùs explicare vocem clamantis in deſerto lucem veniſſe,

Apollinis etymon.

nisse, quàm hæc dictio Anhelor? Bene ergo Castor, Anhelor & Apollo dicetur, eò quòd voce sua Solem nobis & lucem è tenebris educat. Hi igitur duo Castor præcurrens, & eum sequens Pollux, Dioscori sunt longè alij ab iis, quos poëtarum fabulæ è vaticiniis priscis ad sensum suum corruptis somniarunt. Nihil nobis cum Leda, nihil cum Tyndaro, nihil cum ouo, nihil cum Helena aut eius sorore. Indigna enim hæc progenies, à qua sidera nomina sortirentur. Ludãt poëtæ sua adulteria, sed sic ludant, vt hoc saltem nobis permittant, sacra nomina ab ipsorum inquinamentis liberare, & tandem docere, quî sint Hieroglyphicæ in cæli tabulis legendæ. Illorum errores facilè conuincit opinionum diuersitas, & dissona rerum & vocabulorum collatio, cùm è diuerso veritatem assertionis nostræ perspicuè demonstret insignis omnium & nominum & significatorum consonantia. Hos igitur duos pueros vates nobis in cælo sic posuerunt, vt nascente Christo in domo religionis inuenirentur, propterea quòd hi duo initium veræ religionis essent inducturi, sed tum demum, cùm octaui orbis principium ad sextum gradum noni cæli veniset, atque Spica manu Virginis in ortũ esset delata, reliquis item signis, quæ in oraculis erant indicata, consentientibus. A tempore igitur Christi ad mundi exordium tot anni computabuntur, quot nobis quinque gradus & dimidiatus, vnà cum quadraginta, qui prius fuerant absoluti in motu octauæ sphæræ producent: vti modò pinguiusculè ad calculum vocaui. Principio igitur sic fuit octauus orbis constitutus, vt Cancer æstatis faceret initium ad quadraginta antè dies, quàm Sol se retro conuerteret. Idem quoque de Capricorno octaui cæli dicendum, & de ceteris signis omnibus, quæ nomina acceperunt non ab illo, in quo tunc erant, statu; sed ab hoc, in quo futura erant eo tempore, quo octauus orbis se nono composuisset, ita vt signa signis applicarentur. Quo in statu dum ad sextum gradum noni, id est ad perfectionem ipsius signa octaui orbis peruenissent, & cetera symbola concurrerent, Christus erat nasciturus. Non igitur frustra Mosis historiam ad cælum accommodamus, quando in eo tam aperta sunt indicia salutis futuræ relicta. Et sicut illa, quæ modò de nascituro Christo adduxi, in cælo astrorum nominibus, & motionibus fuerant diuinitus notata, ita de Noacho quoque & diluuio existimandum. Sicut ergo Noachus in Arca fuit, vti in domo sua, & in ea decimo mense lætitiæ Saturnaliorum principium fecit, ita Saturnus cæleſtis in Ægocerote, Arcæ vero symbolo potiorem suam domum collocauit, & ea causa vnà cum ceteris, quas obiter adieci, coniecturam facere licet, totam hanc historiam ad posteriorum ad-

Cæli & Historiæ consensus.

monitionem in astris fuisse conscriptam, admirabili quodam genere litterarum, quas prius legere & intelligere, quàm quæ significantur, euenerint, illis solis datum, quibus Spiritus sanctus intelligentiam eandem infudit, quam illi habuerunt, qui hæc astrorum nomina fabricarunt. Nec deinde post ipsa euenta cuiusuis est vel conuenientiam hancrerum, & signorum animaduertere, vel eam ad significata rectè applicare, quod proprium est magicæ veritatis officium, artis, quam nemo hactenus satis vel de nominis significatione nouit, tantum abest vt eius multi sint periti. Quòd si ij, quos Macrobius est secutus, quidquam harum rerum nouissent, non dubium est quin ritus omnes in Saturnalibus obseruatos, & sacra symbola rectius explicata haberemus; & multo anteætatem meam constitisset, Noachum Saturnum esse, & Ianum eum quem Iapetum Græci, Hebræi Iaphet vocant, cuius frater Cham, siue (vt Latinis placuit vocem formare) Chameses fuerit, de quo paulo pòst nonnulla. Qua etiam via perspicuum fuisset, astronomiam non apud Ægyptios aut Chaldæos, quàm apud Ianigenas vel magis, vel prius cognitam fuisse. Nam ab eodem fonte & eodem doctore ad omnes gentes dimanauit. quem Noachum, siue Saturnum fuisse nemo dubitabit, qui Mosaicæ historiæ non sit ignarus. Ob quam causam inter alias apud Græcos χρόνος, id est, tempus vocatur, quia nimirum omnem temporis dimensionem & notitiam ad posteros transmisit. Ab hoc Ianus filiorum, vt ætate minimus, ita benedictione minimè postremus, omnem astrorum cognitionem, & temporum mensuram accepit, quam Cimmeriis & reliquis in Italia Ianigenis tradidit. Cuius statuam hac de re ita dedicarunt memoriæ posteritatis, vt numerus dierum totius anni in digitorum positu & flexu manus eius signaretur, & eidem duodecim aræ duodecim mensium indices ponerentur: vt Varronis diligentia nobis commonstrauit. Mirandum igitur tam crassè quosdam hallucinatos esse, vt decem duntaxat menses tempore Romuli fuisse scribant. Quamuis Romulus (vt volunt) barbaro & militari ingenio esset, vtpote proles Martis inimici mortalis omni rationi rectæ & disciplinis omnibus humanis, non tamen id probè inde colligi potest, non alios eo tempore fuisse, qui meliora scirent, & annum rectius computarent. Aræ certè duodecim & trecenti sexaginta quinque dies digitis notati, manifestissimè eos conuincunt, qui de mensibus decem propterea somniarunt, quia numerus in mensibus signatus denarium non egrederetur. In his est Ouidius ita de hac re canens:

Magorum officium.

Tem-

„ *Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno*
„ *Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.*
„ *Scilicet arma magis, quàm ſidera Romule noras:*
„ *Curáque finitimos vincere maior erat.*
„ *Eſt tamen & ratio (Cæſar) quæ mouerat illum,*
„ *Erroremque ſuum quo tueatur habet.*
„ *Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,*
„ *Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.*
„ *Per totidem menſes à funere coniugis vxor*
„ *Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.*
„ *Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,*
„ *Cùm rudibus populis annua iura dabat.*
„ *Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus:*
„ *Hæc generis princeps, ipſius ille pater.*
„ *Tertius à ſenibus, iuuenum de nomine quartus,*
„ *Quæ ſequitur, numero turba vocata fuit.*
„ *Aſt Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras.*
„ *Menſibus antiquis addidit ille duos.*

Abſurdum reuera commentum, Numæ duos poſtremos menſes tribuere, cùm antiquitas teſtificetur, Iano duodecim menſium inuentionem deberi, atque eidem trecentorum ſexaginta quinque dierum computationem. Deinde ipſum Ianuarij nomen commonſtrat, quis annum menſibus & diebus diſtinxerit, quod poſt denarium tandem modeſtiæ cauſa ſubiunxit, cui mox vxoris nomen adiecit. Hoc tamen ſiue ipſe fecerit, ſiue illi, qui ab eo hanc ſupputationem acceperunt; non magni refert. Neque nomina ipſa menſium à Romulo vel Numa poſita ſunt, vti Ouidius arbitratur. Cimmeriorum enim, ſiue Ianigenarum ſunt multis antè ſeculis indita, quàm Romulus regnaret. Latini, quanquam linguam priſcam magna ex parte Italorum irruptione perdiderunt; in menſibus tamen & ſacris rebus non pauca vocabula primi ſermonis retinuerunt. Martius enim non à Marte, vt omnes hactenus ſcriptores putauerunt, dictus, ſed à Mert, vocali producta, quæ vox huic menſi indita eſt, quòd principium eius dies augeat. Nam in ipſo æquinoctio verno exordium ſuum antiquitùs habebat. Fateor equidem, Solem id temporis domum Martis ingredi, quæ Ariete noni orbis deſignatur, ſed nego hanc cauſam eſſe potiorem, quàm ſit illa, quæ propriam & peculiarem notam temporis adduxit. quòd ſi domorum ratio ſequenda eſſet, oporteret eandem in reliquis quoque menſibus obſeruari: quod factum cùm non ſit,

quid poteſt habere veritatis in primo, in quo luculenta & aperta originatio de Cimbrico ſermone inuenitur? tametſi confiteri liceret, ſalua linguæ noſtræ vetuſtate, à Marte nomen dari, cùm ipſum hoc ſiue dæmonis, ſiue cacodæmonis nomen de ſermone noſtro ſumptũ eſſe, primo libro ſit oſtenſum: & alibi, quare Mars huic menſi attribuatur, clariùs & copioſiùs erit aperiendũ. Quod enim de Romuli patre finxerunt, vix dignum eſt vt derideatur; tantum abeſt, vt ſit operosè confutandum. Ex Mert igitur ſiue Maert, vt alij pronunciant, Martius Latinorum factus eſt, qua voce denotatur dies fieri longiores. Aprilis, ſi Ouidio credimus, à Venere, quæ Græcis Aphrodite dicitur, nomen accepit; eò quòd illa mater Æneæ fuiſſet: vbi ſi aſtronomicôs, & propiùs vero loqui voluiſſet, non fabuloſe; potuiſſet dicere, ea de cauſa à Venere nominari, quòd ea in Tauro ſigno huius menſis domicilium collocarit. Verùm vtraque ratio labaſcit, ſi menſis propria nota ſit quærenda. Non mala eſt illorum coniectura, qui ab aperiendo ſic dictum arbitrantur. Verùm quia in Cimbrica quoque lingua eodem nomine dicitur, inde potius nomen deriuandum. Aperire enim terram nec ſolius eſt Aprilis, nec primum in eo inuenitur. Quis enim neſcit, in Februario etiam & Martio terram aperiri? At hoc proprium eſt Aprilis & peculiare, quod in eo tellus ad ſummum apertionis gradum perueniat, quod vox Operef, & per ſyncopen Opref deſignat: Oper enim eſt is qui aperit. Hef verum in re quaque ſummum ſignificat: vt cùm dicimus Hey Hef ſtew, id eſt vox excellenter alta, & Heft, id eſt vir excellens, & ad ſummum fortitudinis progreſſus: vnde Hif quoque montem notat. Notandum tamen ab aliis Hif, ab aliis Hef dici pro varietate dialectorum. Operif igitur omiſſa aſpiratione lenitatis cauſa, & ſyncoptôs Opri, menſis hic dictus eſt, quòd inter eos, qui tellurem recludunt, ſit excellentiſſimus. Ex Opri ergo nomine Cimbrico, Latini fecerunt Aprilẽ, facili duarũ vocalium cõmigratione ex vna in alteram. Qui hunc ſequitur Maius, non à maioribus, vt ridiculè multi arbitrantur, nec à Maia Mercurij matre, quæ Aprili potiùs nomen dare deberet, in quo Sol ipſi inter Pleiades congreditur, ſed à primi ſermonis voce Mai, ſiue Mei, qua viror omnis plantarum ſignificatur, eſt nuncupatus. Hinc igitur Maius dicitur. Hinc etiam Meiſant, id eſt regio virore camporum delectabilis: vnde Latini Mediolanum ſibi finxerunt. Hinc Meiey etiam pro eo, quod eſt virides plantas deſecare, quod deinde ad omnia, quæ ſecantur, tranſiuit: & Meiey pro eo quod eſt deſectis viridibus plãtis quippiam ornare. Iunius verò à fauore nominatur; quòd in eo fauorem terræ ſen-

Mediolani nomen.

tire

tire incipiamus, fructibus iam se ad edendum offerentibus. Diceretur de prisca voce Gunius, quemadmodum Ianus Ganus, sed Iota consonans pro Gamma Latini suppositum. Quid, quòd & Flandri *Juy* pro *Guy* dicunt, quod ipsis idem, quod Latinis faueo, signat. Verùm hæc non erant huius loci propria, quæ non alia causa adieci, quàm quòd paulatim à Iano, & patre eius Saturno describendo ad ea me rapi sentiam. Alibi docebo origines vocabulorum, quæ è prisca lingua Latini conseruarunt: inter quæ erunt, Tempus, Annus, Anna, Vertumnus, Autumnus, Aestas, Hiems, Mensis, Calendæ, Dies, Nox, Sol, Luna, Venus, Mercurius, & alia quàmplurima, quæ nihil attinet enumerare. Hîc fuit è symbolis & aliis indiciis docendum, Noam Saturnum esse, & Iapet Ianum; quo sic deinde ad Gomerum & Ascanium descenderem. Et quia non aliò hæc à nobis tractata sunt, quàm vt generis nostri antiquitas ex his eluceſceret, non erit absurdum, si totius temporis rationem supputemus, quam ex imaginibus cælestibus indicauimus, quo intelligatur, in quos mundi annos Ianus, & Gomer, & Ascanius sint referendi. Pertinebat hic labor propriè ad eos, qui Chronica omnium gentium vniuersim cõscribunt, quod & ego post alios facerem, si tempus & principis alicuius fauor & patrocinium daretur. Sed quia id etiam in singulis hominum propaginibus obseruatur, nolui in nostra stirpe id negligere, quod maximè nobilitatem generis insigni antiquitate commendabit. Mox enim à diluuio eorum regnum & nomen nobile fuit, à quibus nostri homines & genus & linguam ducunt. Aetatem enim illam, quæ ad præputium vsque ab Abrahamo positum computatur, Scythismus vocatur, vt Epiphanius testis est. Ante igitur Babylonicam tyrannidem penes illos fuit iustum imperium, à quibus ætas illa nomen accepit, à quibus leges & vitæ instituta & ius fuit petendum tantisper, dum in campis Sennaar Nembrod, & à Deo & à Noa Scythisque iustis eius liberis desciſceret. Scythismi ergo initium ab ipso diluuio petẽdum. Sed quoto anno orbis conditi illud fuerit, nec dum satis inter omnes constat. Eusebius enim & Hieronymus & alij eiusdem melioris notæ scriptores non parum à Mosaica supputatione receſserunt, quamobrem id facerent, non satis firmis rationibus adductis. Scio à Septuaginta Interpretibus occasionem ipsis datam esse. Verùm quia illi à Mosaico calculo & Hebraica veritate dissentiunt, ostendendum fuerat, cur ita faciendum esset. Septuaginta, Arphaxat centum triginta quinque annorum faciũt, cùm Cainan nasceretur. Hunc iterum centum triginta annorum, dum Sala ipsi genitus esset:

Comeri ætas.

atque

atque ita ſimiliter Salæ, Hebero, Phaleco, Ragau & Seruch ſinguſos adiiciunt centenarios vltra numerum in Hebræis Bibliis notatum. Cùm igitur Auguſtinus & Euſebius in Chronicis hoc loco Septuaginta ſequãtur, tametſi à Moſe & Chaldæo Thurgemano longè diſcedant, ab iiſdem reliquos quoque numeros, quibus ab Hebraica veritate diſſentiunt, mutuati videntur. Sunt tamen numeri in Euſebij præfatione Chronicis præmiſſa ita corrigendi, vt iis reſpondeant, qui in Chronologiæ tabulis ſunt annotati; qui alioquin inter ſe in meo exemplari nonnihil pugnarent: quod ſatis eſt indicaſſe. Atque hac quidem correctione Euſebius conſentiet ſibi & Septuaginta fortaſſis interpretibus: ſed non video, quî cum aliis concordia poſſit iniri. Clemens enim Alexandrinus ab Ada ad diluuium vſque annos computauit centum quadraginta octo ſupra duo millia: atq; id tanta religione, vt ne quatuor quidem dies neglexerit. A Semo autem vſque ad Abraham annos mille ducentos quinquaginta: quos ſi colligas, duobus centenariis & amplius Euſebianum numerum ſuperaueris; niſi velit à Semi natiuitate fieri computationem, quo centenario vno propiùs accedat. Atque hæc quidem Clementis ſupputatio è Demetrij libris, quos de regibus Iudæorum ſcripſit, videtur accepta. Idem alium calculum ab Eupolemo mutuatur, non minùs, quàm in priore viſum eſt ab Euſebiano diſſidentem. Vtinam Philonis ſupputationẽ haberemus, quem dicit aliter quàm Demetrium, de regibus Iudæorum ſcripſiſſe. Nam Breuiarium illud, quod eius nomine circumfertur, nihil ſpirat Philonium; & ſi germanus eius partus eſſet, cauſam in eo reddidiſſet, ob quam à Septuaginta interpretibus, qui tum in manibus erant Græcorum, receſſiſſet; alioquin in maximam erroris opinionem apud omnes incurſurus, quòd à Bibliis illis, quæ ſola Græci legebant, diſcordaret, maximo numerorum interuallo. Auguſtinus monuit illud quidem in Hebræis Bibliis multo pauciores annos inueniri, ſed quî id factum ſit, aut nullam aut difficillimam rationem reddi; tametſi alibi, ſi rectè memini, culpam in ſcriptionis errorem relegare videatur. Porrò ſi omnium calculi huc eſſent adferendi, qui de mundi antiquitate ſcripſerunt, oratio ingens volumen impleret, ac tandem eo relaberetur, quo Munſterus in librum Sedar olam, id eſt in ordinem mundi ſiue ſeculi ſcribens, eſt deductus. Hic dum varias opiniones enumeraſſet, atque omnes inter ſe diſſentire deprehendiſſet, hac exclamatione quærendi laborẽ finiuit. Et (inquit) ferè tot inuenies de annis mũdi opiniones, quot ſunt ſcriptores, licet nemo pauciores, quàm Hebræus ponat annos. Quid verò quòd ne ipſi quidẽ

He-

Hebræi concordes inueniantur, vt idem copiosè ostendit, inter quos Iosephus à communi Iudæorum computu trecentis quadraginta duobus recessit. Nos igitur iis, quæ ab aliis in hac controuersia satis latè sunt explicata, supersedebimus, atque inter omnes duos nobis proponemus, Eusebium & postremum Chronicorum auctorem Funcium, qui nisi quædam suis scriptis addidisset, quæ Romanæ ecclesiæ aduersantur, omnium manibus Euchiridij loco esse potuisset: quorum numeros inter se collatos à mundi creatione ad Christi vsque natalem, deprehendemus mille ducentis triginta sex annis discrepare. Eusebius enim quinque millia centum & nonaginta nouem: Funcius tria millia, nongentos sexaginta tres computauit. Hos igitur examinemus, & ad Chaldæorum & Ægyptiorum vetustam supputationem conferamus. Aristoteles in primæ philosophiæ libro primo Aegyptios videtur mathematices & astrologiæ antiquissimos facere doctores: quibus libro secundo de cælo Babylonios adiecit. His igitur maximè videretur credendum, si verum est, in sua cuique scientia maximè credēdum esse, vt idem nos docet magister. Diligenter igitur horum rogandæ sententiæ, quò quid maximè sequendum sit, in lucem eruatur. Verùm principio submouendæ fabulæ, quas Plato in Timæo & Herodotus in sua historia secuti tantum annorum prodiderunt, vt omnem fidem excedant. Sed hîc laudandus Herodotus, qui illud non omisit, quo manifestò mendacia sacerdotum deprehenderentur. Nam qui tam insigniter vel errat, vel mentitur, vt nemo sit, mentis modò compos, qui falsitatem non clarè cernat, is citra damnum & noxam aliorum & mendacia & errores conscribit, nulli mortalium maioris mali auctor, quàm sibi ipsi, cui eam conciliat existimationem, vt ne tum quidem, cùm vera dicit, fides ei habeatur. Hoc Herodoto hîc video accidisse, dum nimium stolidè & ineptè portentosissimas Aegyptiorum fabulas scriptis tradit. Dixit enim, dum antiquitatem computat, tam longi temporis apud eos memoriā extare, vt Sol bis, vbi nunc occidit, ortus fuerit, & bis vbi nūc oritur, occiderit, rem suo ipsius prodigio, qualis sit, clarā. Chaldæi item sacerdotes & philosophi, qui in Babylonia ceu filius à patre per manus doctrinam accipiunt, non minus laxas habenas mendaciorum Pegaso admittunt, dum ad Alexandrum vsque quadringenta septuaginta tria annorum millia elapsa esse fabulantur, ex quo astrorum motiones apud ipsos obseruari cœperint. Contra horum fabulas Ctesias nos iuuabit, qui medicus fuit Artarxerxis, & historiam Persarū viginti tribus libris ab initio regni Assyriorū est cō-

plexus. Hic in ſecundo libro ab eo tempore quo apud hanc gentem regnatum eſt, mille trecentos & ſexaginta annos ad Sardanapalum vſque vltimũ regem Aſſyrium ſupputauit. Diodorus Siculus huius oppreſſionem & mortem cùm deſcripſiſſet, adiicit regnum Aſſyriorum ad ipſam vſque euerſionem mille quadringentos annos duraſſe, ita vt Sardanapalo quadraginta anni tribuendi eſſe videantur; cùm Euſebius viginti duntaxat ei annumerarit. Hæc certè Cteſiæ & Diodori ſupputatio ad amuſſim conueniet cum Chronicis noſtris poſtremis. Nam eorum calculus Sardanapali initio annos à mundi exortu cœptos ter mille centum viginti ſex adſcribit : quibus ſi eximas mille trecentos ſexaginta, quibus antè fuit regnatum, incides in annum mundi milleſimum, ſeptingenteſimum ſexageſimum ſextum; quo tempore confuſio linguarum iam facta erat, & populorum diuiſio, & varia in regna diſceſſio iam fiebat. Phaleg ſiue Peleg eo tempore ſeptimum ætatis annum exegerat, qui ſi ipſo anno confuſionis natus fuit, vt de nomine eſt veriſimile, exordiendum erit regnum Aſſyriorum ſeptem annis poſt cõfuſionem linguarum ad duos annos prius quàm Funcius è Pſeudoberoſo tradit. Nec abſurdum id eſt ad cogitandum, eò quòd Nembrod priùs tyrannidem potius quàm regnum inter homines habebat: & poſt diuiſionem per linguas factam, non ſtatim primo vel ſecundo anno imperium conſenſu hominum & legibus & iudiciis conſtitui potuiſſe veriſimile videtur. Ad hæc itaque tempora Cteſię calculus adſcendit, inferiùs quàm fuerit diluuium centum & decem annos. Et quamuis Nembrod antea fortaſſe diu rerum clauum tenuiſſet, quia tamen id fiebat more venatoris, id eſt, inuitis iis, quos gubernabat, computationis epoche ab eo tempore ſumpta eſt, quo iam regiam adminiſtrandæ communitatis formam ſtabiliuerat. Magna hæc eſt Hebræorum & Chaldæorum conſenſio, à qua nemini temere diſcedendum eſſe arbitramur. Verùm quo plus auctoritatis accedat, non erit indignum commemoratu, quod Ariſtotelis diligentiſsimum inueſtigandi ſtudium ſibi ſcribi impetrauit. Hic cùm Calliſthenem cariſsimum ſibi diſcipulum apud Alexandrum haberet, rogauit eum, vt diligentiſsimè à Babylonicæ antiquitatis peritis inquireret aſtrorũ obſeruationes, & annorum ſeriem. Qui libenter admodum hac in re præceptori ſuo obtemperans, omnes obſeruationes ipſorum in Græciam tranſmiſit. Has autem Porphyrius dicit mille nongentorum & trium annorum fuiſſe, nec plurium omninò, de qua re Simplicium licet videre, qui in ſecundum librum Ariſtotelis de cælo ſcribens doctiſsimè & copio-

copioſiſſimè veterum de cæleſtium orbium numero opiniones recenſet. Cùm ergò Alexander Babyloniam occuparit, cùm tria millia ſexcenti triginta ſex anni ab orbe condito numerarentur, neceſſe erit fateri, obſeruationes ipſorum ad mundi annum milleſimum, ſeptingenteſimum & triceſimum primum adſcendere, quo tempore Nembrod potuerit eſſe natus annos paulo plus minus quadraginta quinque: ſi Chus ſtatim à diluuio genitus Nimbrodum triceſimo ætatis ſuæ anno procrearit. Id ætatis profectò homo ad violentiam factus, iam ſatis maturus erat ad tyrannidem exercendam. Sed nihil obſtat concordiæ Cteſiæ & Calliſthenis hoc diſcrimen, quòd ille regni durationem, hic aſtronomicarum obſeruationum antiquitatem ſit dimenſus. Et potuiſſet etiam fieri, vt alij tyrannidis, alij regni iam conſtituti annum pro Epocha ſibi collocarint. Habemus ergò inter Chaldæos & eos, qui è ſacris Bibliis computant inſignia conſenſus documenta, è duobus clariſſimis teſtibus Cteſia & Calliſthene. Quocirca annos illos, quos Septuaginta Interpretes inter Ninum & diluuium Hebraico calculo adiecerũt, audacter reiiciemus. Neque enim veriſimile eſt eos annos à Chaldæis ſilentio prætereundos fuiſſe, ſi tanto antea Nembrod regnum Aſſyriorum conſtituiſſet, quàm Ninus in eo ſuccederet. Nunc ergo ad Aegyptios tranſeundum. Vt Cteſias Cnidius Herodotum in Perſicis ſuis vanitatis reum peregit: ita Diodorus eundem in antiquitate Aegyptia egregiè deceptum fuiſſe oſtendit. Is è diligenti & accurata inquiſitione didicit, Aegyptios ab initio regni ſui computare quater mille, & ſeptingentos duntaxat annos vſque ad Amaſis vltimi regis Aegyptij obitum, & ad principium occupationis à Cambyſe factæ. Quia igitur antiquiſſimam regionum omnium Thebaida Aegyptij arbitrabantur, neceſſe eſt credere eos ita rationes ſuas ſubduxiſſe, vt idem mundi & regni Aegyptij exordium ponerent. Horum igitur ſupputatio ſi cùm Euſebio conferatur, non inuenietur multum diſſidere. Ego ſanè non abſurdè dici poſſe exiſtimo, Septuaginta Interpretes ſeſe ad hunc annorum numerum voluiſſe accommodare, cùm Ptolomæo Aegyptiorum Regi ſacroſancta Biblia transferrent: ne ſi tam paucos annos, quàm Hebræi tradunt, tranſtuliſſent, totam hiſtoriam in ſuſpicionem falſitatis adducerent, apud eos præſertim, qui tam pertinaci ſtudio antiquitatem ſuam tuerentur. Adiicere igitur annos in illam temporis partem potuerunt, cuius nulla certa monumenta apud Aegyptios extarent, & vbi nihil Prophetis vel ſacris litteris noxæ maio-

Septuaginta quare ab Hebræis diſceſſerint.

ris inferretur. Reiecissent profectò Aegyptij Hebræos cum sua historia, si vidissent ab ipsis pauciores annos ad orbis conditi initium numerari, quàm in Aegypto esset regnatum.

Vt igitur libris sacris & fidem & reuerentiam interpretes conciliarent apud homines ob eruditionis variæ, & præsertim astronomiæ antiquissimam possessionem superbos, sese insinuarunt astuto hoc consilio, & mendacio, cùm nemini noxio, tum plurimum profuturo iis, apud quos esset legendum. Quod si Eusebius & ceteri Christiani hoc animaduertissent, quod nobis ex hac collatione est petitum, potuissent faciliùs se ab hac contrquersia explicare. Discrimen autem quod inter Aegyptiorum est & Septuaginta Interpretum computationem, viginti nouem circiter est annorum, quod in tanto seculorum spatio non mirum est euenire. Non igitur accusanda est scribentium incuria, nec suspicandum, notas numerorum corruptas fuisse, sed omnis computationis diuersitas ex hoc fonte videtur emanasse. Si Chaldæi perinde atque Aegyptij tantam antiquitatem in suis quoque libris scriptam habuissent, fieri potuisset, vt ipsorum etiam Turgema similiter numeros annorum auxisset. Verùm quia iustam temporum supputationem ab initio regni sui tenebant, nihil opus fuit interpreti à veris numeris declinare. Vanitas igitur & arrogantia pertinax Aegyptiorum Septuaginta Interpretes coëgit, vt iis potiùs hac in re citra damnum illuderent, quàm facerent, vt sacra Biblia contemnerentur. Poteram equidem hac excusatione videri satis feciſſe ad hominum animos ab offendiculo hoc, in quod quàm plurimi grauissimi auctores impegerunt, liberandos. Verùm quia mihi semper in votis est, conuasare omnia, quæ mysteria religionis nostræ faciunt illustriora, adiiciam hîc quiddam: quod quanti alij sint facturi, ego non magnopere curo, hoc solo contentus, si illis gratum sit pabulum, qui pia mente omnia arcana salutis humanæ perscrutantur. Promissio patribus facta erat, sexta ætate Messiam venturum. Augustinus ætates mundi distribuens, ita habet: Prima itaque (inquit) generis humani ætas ab Adam vsque ad Noe. Secunda à Noe vsque ad Abraham, qui articuli sunt euidentissimi & notissimi. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid: sic enim Matthęus Euangelista partitur. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babyloniam. Quinta à transmigratione in Babyloniam vsq; ad aduentum Domini. Sexta ab aduentu Domini, vsque in finem seculi sperանda est: qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, & interior renouatur de die in diem. Inde requies interior sempiter-

piterna est, quæ significatur sabbato. Idem alibi: Sicut sexto die (inquit) fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, sic inuenimus sexto seculo venisse Dominum Iesum Christũ, vt reformaretur homo ad imaginem Dei. Hæc ille, quibus ætates rursus eodem modo quo prius, enumeratas adiecit.

Non caret itaque mysterio, quod Seruator noster sexto die voluit cruci affigi, qui dies ab antiquissimis nostris Cimbris Veneri dedicatus ob id videtur; quòd eo venustas totius mundi facta esset, id est, quòd homo in eo esset creatus, qui finis est & pulcritudo omnium eorum quæ videntur. Quo igitur die hæc hominis venustas ad imaginem Dei facta est, eodem postquam serpentis fraude corrupta fuisset, est restituta. O venerandum senarij honorem, qui nobis imaginis & pulcritudinis diuinæ in diebus memoriam semper refricas! Hoc die Venus, siue pulcritudinis diuinæ idea animis nostris similitudinem & imaginem suam impresit, hoc eodem commaculatam conspurcatamque imaginem preciosissimo suo sanguine abluere dignatus est, quo post hunc senarium absolutum nos mundos nitidosque ad Saturnum, id est ad maximum omnium satorem atque patrem reduceret. Non ergo immeritò senarius nuptiis sacer est, propterea quòd die sexto Deus humanũ genus sibi veluti sponsus sponsam ardetissimo amore coniũxit. Sed de hac senarij proprietate (quã quinario quidam primæ classis auctores imperitè tribuerunt) multisque aliis eius arcanis in numeris nostris Cimbricis plura dicemus. Hic sufficit numerum hunc perfectum esse, atque totum partibus Suis coniunctis æqualem. Vnum enim eum vt omnes alios numeros mẽsurat, & præter vnum binarius etiam, qui ter acceptus senionem reddit, deinde ternarius, qui bis repetitus eundem dat, nec alia eius pars dimetiens inuenitur. Partibus autem his tribus, tres personæ in diuinis significantur: vnitate pater, binario filius, ternario spiritus sanctus: vt erit alibi declarandum. Tres hæ personæ vnus est Deus, qui hominem sexto die fecit, & eundem sexto die redemit. Deus igitur his tribus partibus in Arithmomantia significatus sexta ætate & sexto die sic sẽ carni humanæ cõiunxit, vt idem & vnus Deus & homo esset, quemadmodum Senarius & eius partes vnus sunt numerus. Profunda hic aperitur & abdita cõtemplationum specus, quam satius est egredi, quàm in ea caligantibus oculis hallucinari, aut cum periculo casus cæspitare. Perfectus igitur hic numerus creationem hominis & eiusdem in integrum restitutionem, & Dei & hominis perfectam vnionem significat, & ea de causa visum fuit antiquis eum

numeris ætatis mundi adiicere, quò ſemper hoc myſterium ob oculos verſaretur. Scribebatur autem antiquiſsimis numerorum notis, quas Cifras vocamus, de quibus in Numeris quoque noſtris (ſi Deus adſpiret) agemus: ſed ſic ſcribebatur, vt eius partes ordine præcederent, quò indicaretur omnem ſenarij perfectionem, pulcritudinem atque eſſentiam ab illis vnitis pendêre. Cùm igitur ſic ordine ſuo quatuor notæ, tres partium, & vna ſenarij, ponerentur, is numerus ſcriptus videbatur, qui mille, ducenta, triginta ſex comprehendit; ad hunc nimirum modum, 1236. Crediderim igitur Septuaginta Interpretes hunc numerum annis mundi addidiſſe, tum quò ad Aegyptiorum ſummam peruenirent, tum quò myſticum hunc numerum doctioribus darent conſiderandum. Certè ſi addendus aliquis numerus fuit, nullus potuit inueniri qui auctarium redderet diuinius; atque ea (ni fallor) cauſa eſt, ob quam viginti nouem annos, quibus ab Aegyptiis ſuperantur, neglexerint. Et verò fieri potuit, vt dum Ioſeph in Aegypto primas omnium rerum teneret, atque de mundi antiquitate fortè ageretur, quiſquam ſapientum Hebræorum dixerit, ſummam illam vulgarem non integram eſſe, verùm tum tandem perfectum iri, cùm ſenarius per partes ordine ſuo explicatas fuerit adiectus: ſignificare volens, ſalutem & redintegrationem hominum illo numero ſymbolicôs contineri. Quod cùm intellectum non eſſet, putauerunt Aegyptij hunc numerum adiiciendum eſſe, quò annorum mundi vera & integra fieret ſupputatio. Nec mirandum, ſi in tot annis viginti nouem plus æquo excreuerint apud Aegyptios, cùm myſterium huius emboliſmi non fuerint aſſecuti. Demantur igitur ab Euſebiana Chronologia mille ducenti triginta ſex anni, & habebitur perfecta & quadrata cum Funcij computu conciliatio. Remoui igitur nunc ſcrupulos à mundi antiquitate longè aliter, quàm quiſquam eorum, quos hactenus memini legiſſe; & id ſic feci, vt commonſtrarim etiam cælum ipſum & ſignorum appellationes huic calculo conſentire: quod deprehendet is, qui octaui orbis medium tempus accipiet, inter tardiſsimam & celerrimam eius motionem. Cùm enim celerrimè fertur, ſexaginta quinque; cùm tardiſsimè, centum annis curſum ſuum abſoluit: inter quos numeros medium occupent anni octoginta tres, neglecto ſemiſſe. In hos ſi ducas gradus illos, quos ab initio mundi ad hæc vſq; tempora octauus orbis peregit, non longè à vero calculo aberrabis. Dixi enim naturæ cõueniẽs eſſe, vt fines hiemis & æſtatis quinquaginta diebus poſt tropas, atque quadraginta antea diebus earum princi-

principia computarentur,in illo,inquam, climate & terrarum positu, in quo Christus erat nasciturus, & liberaturus genus humanum. Ad hunc enim orbis tractum respexerunt, qui nomina symbolica, velut oraculorum quædam tegmina, sideribus imposuerunt. Huius ig itur plagæ homines sic hiemem & æstatem supputabant, vti de Hesiodi & Ptolomæi testimoniis modò deduxi. Sit igitur Cancer octaui orbis principio ita collocatus, vt æstatem exordiretur: atque nomen sumpserit tum è sua natura, tum è signo cæli immobilis,cui erat tempore salutis humanæ applicandus,quo computu quadraginta gradus existent ante conuersionem. His addantur,quibus nunc Cancri principium Solstitij punctum consequitur, qui ad viginti septem adscendunt. Fiunt itaque gradus sexaginta septem, per quos orbis octauus ab initio est progressus: quos si in octoginta tres ducas annos, quinque millia, quingenti sexaginta & vnus existent, qui numerus computũ Chronicorum ad triginta ferè duos annos duntaxat excedit, proximè conueniens calculo Aegyptiorum, si mysticum illum annorum emboliſmum priùs exemeris. Hæc subducta intelligantur ad illorum captum, qui astronomicæ scientiæ sunt imperiti. A qua quamuis nonnihil hæc ratio discedat, non magni tamen discrimen est faciendum, eo quòd ne in illa quidem hactenus vera octaui orbis progressio satis certa habeatur. A Copernico certè si calculum mutuaremur, differremus quidem, sed tantillo discrimine,vt in re tam dubia,& in computatione tot annorum meritò sit negligendum. Nobis satis est hanc habere symbolorum rationem, qua doceatur, Chronologiam Christianam, Chaldæam & Aegyptiam non solùm sibi inter se, sed cũ cælo quoque verisimili collectione conuenire: quò illis os obturemus, qui contra omnem maiorum obseruationem, falsis Philosophis,aut potiùs Sophistis, adhærere malunt, quàm antiquissimarum gentium consensui,qui nobis de veris historiis tum orbis exordium,& diluuij cladé, tum Christi aduentum, non in librorum tantum, sed in siderum etiam monumentis, descripsit. Teneamus igitur hanc nostram temporum supputationem pro verissima, aut saltem pro ea, quæ ad veritatem proximè accedat, quando in tanta vetustatis caligine ipsum punctum tangere angelicæ potiùs sit, quàm humanæ cognitionis. Nec magnum etiam in tanto temporum decursu momentum habet, si Historiographi ad vnam aut alteram aut tertiam etiam ætatem dissidere deprehendantur. Admirabile sanè est, Chaldæos & Hebræos concordare, & ab his Aegyptios viginti nouem duntaxat annis

annis diſcrepare,ſi prius emboliſmus ille myſticus tollatur. Laborarunt in hac re infiniti, ſed omnes hactenus longè ab hac concordia abfuerunt.Non defuerunt, qui ante diluuium ex vno anno duos facerent, eo quòd dicerent homines primum ſub æquinoctiali in regione (vt volunt) temperatiſſima habitaſſe, vbi ſingulis annis duæ hiemes & duæ æſtates computantur. Sicut ergo nos annum hieme vna & æſtate vna definimus, ita & illos ſub æquinoctiorum circulo feciſſe,atque idcirco annũ vnum noſtrum in duos deputaſſe. Quorum ratio, quia ne ſic quidem verum numerum annorum ante diluuium inuenire poſſunt, vti friuola reiicienda. Nunc ergo ad vetuſtam Cimmerij generis nobilitatem hæc applicemus. Conſtat Chaldæorum teſtificatione regnum Aſſyrium primum firmiter conſtitutum fuiſſe poſt Babylonicam linguarum confuſionem. At ex Epiphanio docui Scythiſmum mox à diluuio computari. Quod autem Scythiſmus nihil aliud ſit quàm illa ætas, quæ à principatu Scytharum,nomen habet;quis non ex ipſo nomine cognoſcit? Scythas autem Cimmerios eſſe,atque ita per anachroniſmum ætatem illam Scythiſmum vocari, in qua omnes homines Cimbricè ſiue Scythicè loquebantur, pòſt ſuo loco clarè demonſtrabo. Antiquior igitur eſt Cimmeriorum ſiue Scytharum nobilitas, quàm vllius alterius poſt diluuium gentis. Sed hoc pòſt fiet apertius & magis perſpicuum, cùm qui Scythæ ſint, vbi primùm habitarint, atque quò inde commigrarint,è Cimmeriis tenebris, in lucem euocabo. Sit igitur nunc ſatis nobis de Comero, & patre eius Iano, & Saturno auo dictum. Hoc enim nobis propoſitum duntaxat fuit, docere qui ſupremi eſſent Cimmeriorum parentes,& quæ ſymbola extarent,quibus doceretur Saturnum Noam eſſe,& Ianum Iapetum,minimum natu inter filios Noę, & Comeri ſiue potius Cimmeri patrem:quod tamen pòſt etiam latiùs & clariùs patebit ex iis, quæ deinde enucleabuntur. Gratior autem hæc opera mea eſſe debet, eò quòd non noſtram modò originem, ſed Latinorum etiam à nemine hactenus bene ſcriptã, luculentis indiciis demonſtrarim. Eram hîc finem huic libello impoſiturus,niſi fortè in Tabulas Funcij,quibus Noæ progeniem oculis ſubiecit,incidiſſem. Video enim me imprudentem in has impegiſſe, dum communem & receptam ab omnibus Chriſtianis opinionem ſecutus,Sem maximum, Cham minorem,Iaphet minimum natu feci, cùm ille Iaphet maximum eſſe non ſcribat modò, ſed de numeris etiam ſe demonſtrare arbitratur: addens,magnos viros, quia illos non diligenter obſeruaſſent, maioribus curis forſan occupati,

Controuerſia de natiuitate filiorum Noachi.

hîc

hîc lapſos eſſe. Ratio autem omnis, qua fretus ita ſenſit, in illo continetur, quòd Noa dicatur, cùm quingentorum eſſet annorum, genuiſſe Sem, Cham & Iaphet, inter quos Sem centum & duobus pòſt annis dicitur fuiſſe centum duntaxat annorum. Non potuit igitur naſci centum ante diluuium annis, alioqui duobus pòſt annis centum & duorum, non centum modò futurus. Atque hac ſola ratione nixus contrà ſtatuit, quàm omnis hactenus Eccleſia tenuit, contrà etiam quàm habet vulgata Bibliorum in linguam Latinam verſio, non ex Hebræa tantum origine, ſed è Thargum etiam Chaldæo. Nos igitur rationem aduerſarij, ne leuis omninò pugna videatur, auctoritate etiam adiuuabimus, atque id eius auctoris, qui primæ claſsis merito ſuo debeat cenſeri. Is eſt Ioſephus, qui Chamum νεώτατον eſſe ſcripſit, id eſt minimum natu. De Iaphet autem quòd maximus natu fuerit, è Græco textu Bibliorum queat doceri: in quo legitur Sem fratrem eſſe Iaphet maioris, ſiue vt ipſo verbo dicam μείζονος: quo quidem modo mea habent exemplaria, alterum Aldinum, alterum Complutenſe. Conſtat igitur Funcij ſententia & ratione & auctoritate gemina roborata. Excutienda tamen ratio, an ſolidùm tinniat. Si eo modo quo in ceteris calculus eſt ſubducendus, dicetur Iaphet, ſiquidem illum primum ordine retrogrado ſtatuas, natus eſſe anno quingenteſimo, ſecundus autem filius anno poſt hunc primo, tertius altero, atque ita Cham medius maneret, vt medius eſt in Bibliis collocatus. Sed dicet Funcius, Noam quingenteſimo anno cœpiſſe dare operam liberis, atque ita non eſſe neceſſarium, ſingulis annis vnum filiorum aſsignare. Eſt hoc ſanè effugium, quo liceat vti ad hoc, ne Chamus medius fuiſſe dicatur. Sed ei obſtat ordo, ſiue eum à maximo, ſiue à minimo exordiaris. Hunc autem ordinem à Iaphet incipientem in generationibus ſingulorum enumerandis, vnà cum eo, quòd ſingulis annis ſingulæ videantur proles eſſe tribuendæ, tanti fecit Rabbi Salomo Iarchi, vt קטן Catan, quam vocem minorem natu noſtra interpretatio reddit, aliter interpretetur, idem valere aſſerens בזוי bazui, id eſt, contemptũ, adducto ad id docendũ exemplo ex Abdiæ capite primo, vbi Caton, non pro paruo, ſed pro contempto ponitur, dũ dicitur הִנֵּה קָטֹן נְתַתִּיךָ בַּגּוֹיִם, id eſt, ecce conſtitui te paruum inter gentes. quod eſt, non minimum natu, ſed contemptũ. ergò Cham nominatus בְּנוֹ הַקָּטֹן non minimus natu eſt intelligendus, ſed contemptiſsimus filiorũ: atque ita maxima eſt exaggeratio criminis dicere, Noam optimum patrem cognouiſſe hanc ſe contumeliam paſſum eſſe à filio ſuo viliſsimo & contemptiſsimo.

Aben Esra eiusdem est sententiæ cum Iarcho, Semum minimum, Iaphet maximum statuens, quanquam vterque asserit magnam hîc esse dubitationem ex eo subortam, quòd in Hebræo incertum sit an Sem dicatur frater esse Iaphet maior, an frater Iaphet maioris. Videmus igitur apud Rabbinos nihil ferè certi posse constitui, sed eò hos duos inclinare, vt Semus minimus, Iaphet maximus, fuisse dicatur. Quid ergo nobis erit sequendum, vbi aliter Iosephus, aliter Rabbini, aliter alij senserunt? Scimus tribus his Noæ filiis nomina non temere, sed diuino afflatu imposita fuisse. Sem igitur dictus videtur, quòd in eius posteritate is nasciturus esset, cuius nomen est super omne nomen. Vaticinatur enim Noa nomen Domini semper in Semi progenie inuocatum iri, donec nomen ipsum de cęlo descẽdat, & in Semi posteris carnem assumat, quod haud dubiè ad primogenium ius pertinet omninò. Chamo nomen datum, quòd esset futurus conscientia, vt ita dicam, cauterizata, & vitiorum nimio calore exæstuante, tum etiam daturus posteros, qui atro suo colore præ se ferrent calidæ regionis adustionem. Præterea, vt spiritus diuinus vna voce multa frequenter compendio indicat, videtur Chamus nomine suo minari, fore, vt stirps eius Solem caloris auctorem adoret, atque eos, qui adorare nolint, ignibus tradat exurendos. Iaphet nomine suo latitudinem pollicetur tum generis sui latè regnaturi, tum maximè nominis Domini, quod de Semo oriturum esset, ad omnes mundi plagas propagandi. Cùm enim antea inter solos ferè Semigenas nomen illud inuocaretur, tum denique tempore eo, quo Iapeti posteritas potissimam mundi partem in pace gubernaret, ad omnes gentes est diuulgatum: iuxta illud, In omnem terram exiuit sonus. Cùm igitur in Semo nomen venturum per ænigmata quædam significaretur, atque in eius progenie sola lex manserit, sed imperfecta & externis ceremoniis alligata: videtur Deus pollicitus esse ad vltimam ætatem in Iaphet posteris sese effecturum, vt & lex perficeretur, & nomen illud super omne nomen non amplius esset tam angustis terminis inclusum, sed dilatandum per vniuersum orbem. Videtur igitur huic vaticinio conueniens, vt vltimus filiorum, Iaphet censeatur fuisse. Verùm quia inter Iudæos nec dũ satis hæc oracula intelligerentur, eò quòd non crederent in ipso Romani imperij vigore Christum natum esse, non potuerũt hæc arcana nominũ mysteria bene interpretari. Hallucinatus igitur est Iosephus: hallucinati sunt Rabbini, eò quòd lucẽ veram mũdo iam exortã non viderẽt. Sequamur igitur non hos in tenebris palpitãtes, sed illos, qui ducẽ sibi habent

Semi etymon.

Cham cur ita dictus.

Iapeti nomen quid signet.

habent ſpiritum veritatis. Ex horum numero duobus contenti erimus,quorum prior ſit Auguſtinus. Hic eo loco, quo docet, Iectan ante Phaleg natum fuiſſe, in hæc verba ſcripſit. Proinde intelligendum eſt,priorem quidem Phaleg nominatum,ſed longè poſt fratrem ſuum Iectan fuiſſe natum; cuius Iectan duodecim filij tam grandes iam familias haberent,vt in linguas proprias diuidi poſſent.Sic enim potuit prior commemorari,qui erat ętate poſterior,quemadmodum prius commemorati ſunt ex tribus filiis Noæ procreati filij Iaphet, qui erat minimus eorum; deinde filij Cham, qui erat medius; poſtremo filij Sem, qui erat primus & maximus. Hæc lib. De ciuitate Dei decimo ſexto. Eodem libro nō ita multò antè,generationes filiorum Noæ pertractās,Cœptæ ſunt,inquit, cōmemorari à minimo filio,qui vocatus eſt Iaphet,cuius filij octo nominati, nepotes autē ſeptem, de duobus filiis eius, tres ex vno, quatuor ex altero. fiunt itaque omnes quindecim. Filij autē Cham,hoc eſt,medij filij Noæ quatuor, & nepotes quinq; ex vno eius filio.Et paulò inferiùs eodē cap.Aſſur autē, vnde Aſſyrij, nō fuit in filiis Chā, medij filij Noę,ſed in filiis Sem reperitur,qui fuit Noæ maximus filius.Poſsē plura ex eodē depromere, quibus quod volo,doceretur.Sed hæc ſatis ſunto.Nunc Cyrillus accedat,vt Duobus ſimul euntibus de Homeri ſentētia, certius, quod quærimus,conſequamur. Hic in Geneſim ſcribens, vbi de Chami in patrem opprobrio tractat,& reliquos filios oſtendit in communionē ſceleris nō deſcēdiſſe,& ob id benedictos eſſe,ſic habet in Latinā linguā conuerſus: Tres enim populos fuiſſe accepimus: vnū, qui prima ætate,ſicut & Sem ipſe fuit: alium media, cuius notam Cham maledictus gerit: tertium vltimū iſtum,qui in Iaphet prorſus intelligitur, cùm amplitudinem eum interpretamur. Et paulò pòſt: Dilatet Deus Iaphet,& habitet in tabernaculis Sem,id eſt,primi filij,ſitq; Chanaan ſeruus eius. Hoc loco Cyrillus nō ordinē tantū, ſed pluribus verbis omnē ordinis myſticā ſignificationem exponit, quam totam addidiſſem,niſi prolixitatē nō neceſſariam vitarem. Qua etiam cauſa plures teſtes non euocabo,quamuis innumeros poſſem,certò fore cōfidens, vt horum duorū auctoritas plus habitura ſit ponderis, quàm omniū eorū,qui in diuerſa abierunt.Iudæi enim extra fidem Chriſtianā cōſtituti,nullo modo myſteria & vaticinia,vel intelligere vel explicare poſſunt,vtpotè veræ lucis,& omnia quæ abſcondita fuerūt, reuelātis ignari.Reſpondendū tamē eſt rationibus,quibus innixi ſe fefellerūt. Ioſepus ex loco illo,qui habet: Cū didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor,videtur deceptus fuiſſe.Vox enim Hebræa,vel contemptū,nō

paruum ſignificat, vt Iarchus oſtendit, vel paruitas referenda eſt ad eum,cui ius debetur primogenium: vt ſit in eo ſceleris exaggeratio, quod is commiſiſſet, cuius minimè fuiſſet patrem reprehendere, tametſi iuſtiſsima fuiſſet accuſatio. Si enim pater à filiorum aliquo pudore illo fuiſſet caſtigandus ob ebrietatem, id tamen fieri decuiſſet ab eo, qui maximus eſſet natu. Deinde dum de primo poſt diluuium ſcelere agit, diſtinctè erat annotandum diſcrimen,quod inter primos fratres fuit,ab expulſione à Paradiſo,& inter illos fratres,qui egreſſi ſunt ex Arca. Nam illic Cain execrandus fuit is, qui maior natu erat; hic Cham is,qui minor fuit Semo, de cuius poſteris hiſtoria tota eſt inſtituta. Et vt clariùs ius ipſius Semi primogenium cognoſceretur, paulò pòſt dicitur frater eſſe ipſius Iaphet maior,quamuis Iaphet benedictionem ampliorem accepiſſe videretur. Verùm illo loco cùm Hebræa lectio ambigua ſit,vt modò dixi, data eſt multis occaſio labendi. Nobis ea ſententia in dubiis tenenda eſt, quæ à peritis myſteriorum magiſtris eſt recepta, ſi vnicuique in ſua ſcientia monitu Peripatetico ſit credendum. Auguſtino igitur accedemus, hunc locum capite tertio libri decimi ſexti De ciuitate Dei, ita legenti: Et Sem natus eſt ipſi patri omnium filiorum Heber, fratri Iaphet maiori. In quem locum Viues annotans, ridiculum ſe præbuit: Ordo, inquit, verborum dilucidior eſt in Græco, propter articulos:

Καὶ τῷ Σὴμ ἐγεννήθη ϗ αὐτῷ πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν ἀβὲρ ἀδελφῷ Ιαφὲθ τοῦ μείζονος.

Quod ſic vertit: Et ipſi Semo generatio fuit, patri omnium filiorum Aberis, fratri minori Iapheti. Quid hoc eſt, ô Viues? Ordinem verborum quærit Auguſtinus in eo quod dicitur Sem eſſe maior Iapeto: & tu addis, ordinem verborum dilucidiorem eſſe in Græco: Fateor equidem dilucidiorem eſſe, ſed tamen plus adferre obſcuritatis, cùm è dianetro repugnet illi ſententiæ, quam debebas illuſtrare. Non igitur ordinem verborum ab Auguſtino adductorum adiuuiſti,ſed oppugnaſti,ſciénsne an inſcius,neſcio. Verùm nos Aurelij aureolam ſententiam amplectemur, non quia ipſe ſic dixit, ſed quòd arcanam ſcripturæ interpretationem, ſi aliter legatur, neceſſe ſit corrumpi, vt de Cyrilli verbis poteſt doceri. Si igitur nobis liceret, pro eo quod eſt τοῦ μείζονος, ſcriberem τῷ μείζονι, conuenienter Latinæ verſioni. Sed in ſacris, ſi quid videtur minus probabile, notandum, non immutandum. Græcus interpres, quiſquis

ille

ille fuit, Iudaicam ſecutus eſt ignorantiam, ambigua dictione deceptus: cuius nobis nulla eſt habenda ratio, cùm Hebræa lectio non magis illum,quàm nos,queat adiuuare. Sed iam ad ſupputationem. Noe, inquit Moſes, cùm quingentorum eſſet annorum, genuit Sem,Cham & Iaphet.Et paulo pòſt: Eratque Noe ſexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt ſuper terram. Deinde inferiùs: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxat biennio poſt diluuium. Ex his ſimul collatis Funcius Iaphet maiorem,Sem medium,Cham minimum: Rabbini Iaphet maiorem quidem,ſed Semum minimum fecerunt.Nos ordinem enumerationis ſeruantes,dicimus,cùm Noe quingentorum eſſet annorum,tum demum ſe rei vxoriæ & generationi dediſſe. vnde biennio pòſt filius ei primus natus ſit. Cùm enim ſummatim filij enumerarentur, non fuit neceſſarium addere,quoto quiſque anno natus eſſet. Verùm poſteà cùm genus eius recenſere vellet, per cuius poſteros Chronologia erat continuanda,diligéter expreſsit, quoto anno poſt diluuium Sem natus eſſet; & per rationem conſequentis numerationis ſatis oſtendit,quoto anno natus eſſet ab eo tempore, quo Noe primum operam ſoboli procreandæ dare cœpit. Nullo igitur modo neceſſaria eſt collectio vel Funcij vel aliorum fruſtra ſeſe hîc fatigantium. Neque enim ſic verba ſunt intelligenda,quingenteſimo ſtatim anno Sem natum eſſe: ſed poſtquam quingentos annos natus Noe eſſet, cœpit operam dare generationi. Nec duobus pòſt annis falſum fuit Sem natum eſſe poſt quingenteſimum ætatis Noæ annum. Neque quiduis vbique neceſſe eſt explicare. Satis erat ſciri, quot annorum eſſet Sem,cùm Arphaxat naſceretur, & quoto id anno à diluuio accidiſſet,cuius tempus antea fuerat definitum.Cùm igitur hoc modo & hac verborum expoſitione rectiſsimè procedat calculus, quorſum opus eſt ob leue ſomnium omnem ſeriem turbare, peruertere omnẽ arcanorum interpretationem, tollere de medio omnem oraculorum veritatem? Condonabit nobis Funcius, ſi tantæ rationis & talium ſcriptorum ductu ab ipſius ſententia diſcedamus, quam tamen ipſi nos ad expugnandum reddidimus difficiliorem.

Effectum nunc mihi hoc libro reor,ſi non aliud, id ſaltem vt Goropio forſan doctiores aliqui ſint debituri,quòd aurem ipſis vellerit, anteſtatus contra Enneadam illam hiſtoriæ & antiquarum originum falſariam, atque inde gentium, maximè Cimbricarum, ortus germanos oſtenderit, reiecta obſtinata opinione eorum, qui Ianum Noachum ſtatuerunt. In quo dum laboris aliquantum eſt impen-

ſum, non id ſolùm, quod quærebatur, in lucem eſt erutum; ſed & alia multa eôdem ſpectantia,& hactenus perperam intellecta,ad veram intelligentiam ſunt reducta. Data etiam occaſio eſt altiùs quàm quiſquam vnquam attentarit, cæleſtia oracula examinandi, ac ex iis contra atheorum impietatem, multa argumenta producendi, quæ non magis ad religionem noſtram peregrino cultu exornandã,quàm ad poëtarum quædam figmenta, ad veram originem accommodanda, facere videntur. Adiecta deinde eſt accuratior quædam eos, qui de temporibus quicquam prodiderunt,à mundi principio inita ſupputatione,conciliandi ratio:quæ non parum lucis ſacræ Moſis hiſtoriæ infert, dum antiquiſsimarum gentium conſenſum demonſtrat. His igitur gentis noſtræ, & in gratiam eius, omnium nationũ exordiis conſtitutis, ad reliqua progrediamur.

FINIS LIBRI QVARTI.

INDOSCYTHICA.

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

Quintus Adame tuos ortus, & amœna vireta
Frondoſasque ſpecus aperit, Noachoque parandæ
Arcæ deſignat ſiluas, eiusque quietem,
Poſtque abigit curas Nyſæis ebrius vuis.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

INDOSCYTHICA

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

Quintus Adame tuos ortus, & amœna vireta
Frondosasque specus aperit, Noachoque parandæ
Arcæ designat siluas, eiusque quietem,
Postque abigit curas Nyseis ebrius vnis.

ANTVERPIÆ,
cIↃ IↃ LXIX.

AD REVERENDISS. ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM DOMINVM, D. GERARDVM A GROESBEECK, Episcopum Leodiensem, Ducem Bullonensem, Comitem Lossensem, &c.

IOANNIS GOROPII BECANI PRÆFATIO.

CVM DIV MVLTVM Q. DVBITASsem, *Præsul & Princeps illustrissime, an te ad hæc mea legenda inuitare auderem, hoc præsertim tempore, quo te scirem quàm grauissimis curis distineri, ad ditionem tuam latissimam in pace & tranquillitate retinendam; Torrentius Archidiaconus Brabantiæ, tibi in summis rebus à consiliis, eò perpulit, vt citra omnem hæsitationem id concluderem, in quo me videbat sententiam aliquantisper sustinuisse. Nam vbi hos nouem libros meos summa celeritate perlegisset, vt est ad cognoscenda ea, quæ ad seria humanitatis studia spectant, auidissimus, nouissetque à me singulos, ferè suos, præter quintum, habere patronos, quorum auctoritate & testimonio, tum Regi, tum doctis omnibus sese insinuarent; interrogauit, cui hunc destinandum putarem. Hic cùm ego te nomino, addóque, me nescire, an Principi ad tot populorum clauum in hoc tempestatis metu, quam vicinarum gentium procellæ minantur, sedenti, gratum sit futurum, si ad ea auocetur, quæ ociosam potius decent quietem, quàm hunc negociorum in Rep. feruorem, confestim audio: Quid? Tu vt ea de re anxius sis, tu vt metuas, ne munus hoc displiceat? Nulla sane ratio est. Offer modò, ego tibi sponsor sum, cùm ceteros omnes, tum hunc præcipuè librum placiturum; quo deprehendi, omnis veræ de gentium commigrationibus historiæ fundamentum contineri. Adiiciebat alia, quibus & præclaram eruditionem tuam, & ceteras Heroicas animi dotes prædicaret; tum etiam nonnihil de eo diceret, quàm bene de Christianis omnibus, atque adeò de ipso Mose me hoc libro mereri iudicaret. Ego profectò lubenter hæc audire, cùm quòd opinionem meam de eximia beneuolentia tua erga me, iam à multis annis è claris indiciis conceptam, confirmaret; tum quòd maiorem in modum gauderem, non à laudato tantùm viro labores hos*

meos laudari, ſed à tali etiam laudari, cui neſcio an alius poſſit ex æquo conferri, vel de abſoluta iuris cognitione, vel de elegantiſſima orationis copia, vel de iudicij acumine, vel de beatiſſima carminum vena, vel de candida etiam in aliorum ſcriptis æſtimandis libertate. Quamuis enim hic grauiſſimis & in Oratorum & in Poetarum ciuitate cenſor, hoc vnum mihi dixiſſet, hunc librum oculis tuis dignum ſibi videri; ex eo tamen ſolo non potuiſſem ignorare, quam de eo ferret ſententiam, quem principi omnibus modis et doctiſſimo & piiſſimo iucundum fore affirmaret. Velim itaque eum diligenter abs te horis ſucciſiuis cognoſci: propterea quòd certò ſperem, talem tibi viſum iri, vt non inuitus ſis eius patrocinium commẽdationemque ſuſcepturus. quo licet apud æquos rerum æſtimatores opus minimè foret, apud alios tamen tantum fortaſſe valebit vel inuidiæ labes, vel rerũ nunc primũ litteris proditarum nouitas, vt potius ſint quæſituri quod ſugillent, quàm quod de felici veritatis inuentione laudent. Equidem ingenuè confiteor, non parũ me crebrò dubitaſſe, an vnquam ea, quæ hoc libro expono, in hominũ vulgus eſſent proferẽda: quoniã ſcilicet multa aliter in ſacris litteris interpretẽtur, quàm à priſcis patribus ſit factũ. Verùm cùm ea aliquot Theologis & bene eruditis, & eadem nobiſcum de Catholica fide ſentientibus indicaſſem, tantum abeſt vt me dehortati fuerint ab editione, vt etiã tergiuerſantem impulerint. & inter hos cùm ab exteris mea maximè reiicienda crederẽ, eò quòd præter alia hoc etiã probabilibus rationibus docere nitor, linguam noſtram et Hebræa, & quauis alia eſſe vetuſtiorem, adiui reuerendum Patrem Alphonſum à Contreras virum, in quo dubites, Theologiáne & excellens liberaliũ artium cognitio, an morum caſtitas, integritas, candor, & comis hilariſque conuerſationis dulcedo magis ſit exoſculanda. Hic cùm à me ſuper iis, quæ paſſim in toto opere ſacras litteras aliqua parte contingunt, conſuleretur, videretque nonnihil hæſitantẽ ea in medium adferre, quæ me demoratura viderentur, quo minus editionem accelerarem, tam ſeriò me inſtigauit, vt iudicare videretur Reip. intereſſe, ne quæ primus inueniſſem, ea mecum ſepelirentur. Interrogatus verò, an quod de primogenio linguæ noſtræ iure ſcripſi, non eſſet apud doctos viros offendiculo futurum; ſic mihi viſus eſt reſpondere, vt confiteretur tam nihil hactenus certi hac in re conſtitutum eſſe, vt quis non poſſit probabiliter in contrariam partem diſputare: deinde eum à me linguæ Hebraicæ tribui honorẽ, vt maiorem neque poſtulare, neque deſiderare videatur. Cui ego tum ſubieci, me hanc ſententiam tum diutius nolle tueri, cùm cuiuſquam monitu cognouero, eam ſacris litteris, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſui aduerſari; ob eam verò cauſſam maximè placere, quòd hac prima lingua conſtituta, plurima myſteria pateſiant, quæ aliunde nequeant tantum lucis ſibi comparare; tametſi omnia ſua antiquitatum ſcrinia Hebræi, Græci, & Latini excutiant, & in iis communibus viribus ſcrutentur arcanorum interpretationem.

Vt

Vt enim poetarum fabulas omittam, vt omittam etiam plurima diuinarum poteſtatum nomina, in quorum vtroque genere non pauca de ſermone primo ad ipſum veritatis fontem in his libris reduxi, vt omittam denique totam Philoſophiam, ſiue Magiam, quam in Cratylo Platonis per ſingulas voces Hermathena noſtra demonſtrat: illud tamen non negligendum, tam multa ex hac lingua declarari ad Chriſtianam Theologiam pertinentia, vt vnico Dei nomine trilittero Sot *totum Trinitatis myſteriũ indicetur ei, qui norit vocem ad prima ſua principia referre, atque id tam clarè, vt ſingularum perſonarum propria attributa apertè ſignificẽtur, & ipſe proceſſus Filij à Patre, & Spiritus ſancti ab vtroque non tantum indicetur: ſed ordo etiam ſeruetur, quo proceſſum fieri eſt intelligendum: quod ſpero me copiosè loco ſuo explicaturum. Nunc verò ſi ne illi quidem vt doctiſſimo viro, ita ſermonis noſtri vernaculi ignaro diſplicuit, quod de linguarum primatu ſcribo; quid de te ſit cogitandum, facilè perſpicio; quem non modò clariſſimi parentes Græcis & Latinis litteris ab ipſis propè incunabulis formandum, & deinde philoſophia, legum peritia, & Theologia perficiendum curarunt; ſed ipſa etiam natura hac dote ornauit, vt nemo plures linguas vel felicius celeriusque didicerit, vel tenacius cuſtodiat, vel melius ad proprios diuerſarum gentium ſonos pronunciet. Cùm igitur in his omnibus tantus ſis, vt eorum adiumento vitæ tuæ integritas ad ſummum hunc dignitatis apicem ſit prouecta; æquum etiam eſt, vt ea lingua, quam è blandis matris ſuſurris didiciſti, aliquantulum etiam honoris apud te conſequatur, & eum tibi commendet, qui ipſi primogenium omnium linguarum ius primus vindicauit. Quis eſt enim, qui non amet patrium ſermonem? ſi modò non penitus Stoicum aliquem induerit, & adeò à ſenſu communi abhorreat, nihil vt ſua intereſſe putet, quæ maiorum vel lingua fuerit, vel inter alias gentes, claritas. Ab omni certè æuo inter homines veteris memoriæ ſtudioſos hæc iactata fuit quæſtio, quæ nam gens & antiquiſſima eſſet, & antiquiſſimam linguam haberet, quam non Herodotus modò attigit; ſed plurimi etiam alij hiſtoriæ ſcriptores: quorum alij Aegyptios, alij Arcades vetuſtiſſimos ponunt. Aegyptiis quidem Plato, & eum ſecutus Ariſtoteles in hoc certamine palmam tribuerunt, quibus aſſentiuntur, Coſmes in primo Aegyptiacorum, & Leo in primo eorum, quos ad matrem ſcripſit, & Cnoſſus libro primo deſcriptionis Aſiæ. His accedunt Nicanor, & Archemachus in Metonymiis, & Xenagoras in primo libro temporum. Apollonius Rhodius Aegyptios quidem tam antiquos facit, vt dum Thebis ipſi primum naſcerentur, necdum omnia aſtra in cælo apparuerint. Verùm Arcades non Aegyptiis modò; ſed ipſa etiam Luna priores fuiſſe ſcribit: nec non Mnaſeas, & Dionyſius Chalcidenſis, & Ariſton Chius, quod ad Arcades quidem ſpectat, adſtipulantur. Verùm quia nemo horum Lunæ geneſim ad Horoſcopon vocauit, Theodorus in vndetriceſimo libro proximè*

voluit tempus definire, aiens paulò antè apparuisse, quàm Hercules Gigantes bello adoriretur: quod vel è poeta quopiam, vel veteri historia acceptum mecum facit: tametsi Theodorus id quod aliundè descripsit, non intellexerit. Nam cùm in hac sacræ historiæ larua Luna symbolum sit confusionis linguarum, bene habet quod dictum est, hanc prius paulo exstitisse, quàm Hercules, id est Noachus, bellum contra Gigantes suscipere cogeretur. In Scythismo enim sicut vno sermone omnes vtebantur, ita in religione quoque consentiebant. at post linguarum confusionem plurimi non magis linguæ Scythicæ, quàm rituum Scythicorum in vno Deo colendo obliti, in varios errores variasque idolomanias inciderunt, contra quos Noachus Hercules terrenus (est enim & cælestis) bellum suscepit, volens eos ab eiusmodi insania reducere ad primam religionem, quam tam diu obseruauerant, quàm diu Scythica lingua & Scythicis institutis sub vno Noacho omnium communi & Pontifice & doctore vixerant. Contra igitur Chamum & Chamistas omnes, in quibus Nembrodus præcipuus Gigas erat, acriter fuit Noacho pugnandum, vti ante cataclysmum contra Indos magnum bellum diuturnumque gesserat, vt homines ad verum veri Dei cultum reuocaret, de quibus triumphum in Arca duxerat clarissimum. Sed ante diluuium necdum Hercules vocabatur; sed Sabazius, vt ex Diodoro trado, à quo quamuis Nonnus in Dionysiacis nomine dissentit, re tamen ipsa non dissentit, dum dicit Zagreum à Gigantibus discerptum, id est conuiciis proscissum, quamuis se in omnes formas mutasset, omnibus se faciens omnia, quò omnes ab impietate reduceret. Quamobrem Iupiter iratus totum mortale genus vndis deleuit: quod eum fecisse ad Zagrei iniurias vlciscendas poëta cantat, concinniùs fortaßè canturus sigillatim omnia, si hæc nostra nouisset. Quod autem Zagreus hic sit Noachus ante diluuium, tum de nomine, quo significatur eum præfecturam eius potus habere, qui fit è farragine seminum, cuius appellationis ratio hactenus apud Flandros retinetur, dum Cruyſbierken dicunt: tum de iis, quæ sequenti libro cecinit, quiuis intelliget. Nam illic Aeona introducit cum Ioue expostulantem, quòd mortales tot malis afflictos nulla suauitate recrearet: cuius querela Deus commotus, Dionysium dedit vini largitorem. quod quid aliud est, quàm si diceret, homines ante diluuium Sabazio, siue Zagreo vsos esse, & post diluuium Deum singulari benignitate post tot seculorum decursum, quibus Aeon præsidet, Noacho vinum commonstrasse. Ante igitur cataclysmum Zagreus & Sabasius à potus genere dictus est, & post eum vt Dionysius à vini in Nysa inuentione vocatus est; ita Hercules quoque cœpit nominari, propterea quòd totius mortalium generis vnicus parens esset. Quoniam igitur patris est castigare filios bene, & conuenienter sacris litteris, fabulis poetarum iactatur, Herculem mox post Lunam enatam, id est post linguarum confusionem, cõtra Gigantes bellum gessisse. quod nescio vnde Theodorus acceperit. id saltem scio è vetusta Orphicorum

corum Theologia manasse, & ea confirmare, quæ hoc libro de Proselanorum nominis ratione scribo. Nihili itaq; facio frigidum Aristotelis de Proselanis figmentum, quod in Tegeatum Rep. prodit, aiens hanc regionem, de qua quæritur, Barbaros quondam tenuisse, & hos ex insidiis ante Lunæ exortum structis ab Arcadibus eiectos fuisse, atq; hinc nomẽ Proselanorum remansisse. Nec credam vnquam Arcades primos fuisse, qui Lunæ cursum mutationesq; obseruarint, cùm de Cimbrico ipsius nomine satis constet, quibus illius natura primum omnium innotuerit. Siue igitur Duris ab Arcade Orchomeni filio Lunaris varietatis numeros inuentos dicat, siue alij eosdem Endymioni patria Arcadi adscribant, atque inde Arcadas Proselanos faciant; ego tamen de sententia mea non antè dimouebor, quàm magis cõsentanea prisco Scythismo, & Mosis historiæ docebunt. Quoniam itaque tam multi præclari viri se in hac re exercuerunt, negari non potest, opinionem quandam ab antiquo apud omnes fuisse, vnam aliquam gentem restare, quæ prima antiquissimaq; lingua adhuc vteretur: quam nunquam tanto studio quæsiuissent, nisi de vetusta aliqua vel fama, vel traditione, maxima mysteria in ea latere putassent. Non est igitur hæc contemnenda seculi nostri felicitas, quòd in eo inuentum id sit, quod ante infinitas propè ætatum reuolutiones licet quæri cœptum esset, nunquam tamen cuiquam fuit reuelatum. Quamuis itaq; non aliud toto hoc libro demonstrassem; non credidissem tamen vel me malè operam meam collocasse, vel te munus accipere Principe indignum. At nunc longè aliter res habet. Neque enim hoc solum docui: sed alia etiam non minoris pretij è tenebris erui, quæ sacram Mosis historiam luculenter mirificeque illustrant, iis maximè partibus, quas alij hactenus infelicissimè tractarunt. Omnibus enim apertissimum facio, quis sit Paradisus, qua parte Paradisi Adamus & Eua sint creati, de quo fructu ederint, quibus se foliis operuerint, qua sub arbore latitarint. Deinde præter quamplurima alia, quæ inter legẽdum te malo videre; et illa addo, quo loco Arca sit facta, vbi cõstiterit, quibus in locis vitis inuenta. quibus aliter quàm hactenus explicatis demonstratisq; doceo Cimmerios meos turris Babylonicæ substructioni non adfuisse, atq; idcirco linguam primam non perdidisse, in qua plurimas voces cum in poetis, tum in sacris litteris vsurpatas interpretor, & doceo Deum tam benignum fuisse, vt eædem in lingua Hebraica ea mysteria, quæ Moses explicauit, continerent, & in nostra quoque rationes suas haberent diuinissimas. Verùm ne præfando tempus teram, quod tibi in hoc Reip. statu consiliis tuendo quàm sit angustum, non ignoro; finem hunc facio, quo te rogem, vt & librum hunc perlegas, & suffragio tuo qualis sit, apud regem regiosque Satrapas testificeris. Excuses etiam quòd extemporaneam incultamque ad te mittam epistolam, cùm scias me longè à Musæo remotum, & hanc, & ceteras præfationes in itinere scripsisse. Poteram equidem exspe-

exſpectare, dum per ocium accuratius ſcribere licuiſſet, niſi Plantini importuna feſtinatio crebris me nunciis tandem eò coegiſſet, vt in ſuburbano Leodienſi cogerer ſubſiſtere, & ibi tantiſper in domo Enckefordiana morari, dum omnia effudiſſem, quæ ad editionem neceſſaria arbitrabatur: atque adeò en rurſus nuncius, qui non tantum nundinas Francfordianas nunc proximè inſtantes, quibus libros venum extrudi oporteat, nimiæ acceleratione ſuæ prætexit: ſed, ſi Muſis placeat, hoc etiã addit, eſſe magni nominis, nec minoris auctoritatis viros, qui opus hoc meũ tam auidè exſpectãt, vt ſi diutius differatur, auctor omnem apud eos gratiam, quam ſperabat, ſit perditurus. Et quo fidẽ huic rei faceret; inter alios aliquot, quos indignius moram meã ferre dicebat, Ludouicum del Rio, Regis apud Belgas conſiliariũ nominat, virum, vt omni litterarum genere ornatiſſimum, ita hactenus humanioribus ſtudiis tam propensè inhiantem, vt quicquid à iure dicundo temporis ſuffurari poteſt, id totum optimis quibuſque vel è Græcia, vel Latio auctoribus legendis, vel (vt craſſius dicam, ſed verius) deuorandis impendat. Siue autem veræ hæ, ſiue ſimulatæ minæ ſint, hoc ſaltem faciunt, vt properare malim, quàm eiuſmodi hominum incurrere indignationem. Quocirca ſic omnia præcipito, vt ne hanc quidem epiſtolæ rus ſuum, in quo ſcripta eſt, olentis culpam fuerim deprecaturus, niſi chorus iſte doctorum hominum, qui te ſemper circunſtat, incuteret pudorem, inter quos Langius, & Lampſonius tam ſunt Latini nitoris & exquiſitæ in dicendò ſcribendóque compoſitionis ſtudioſi, vt Catonis illud in Albinum quod noſti, in hanc excuſationem meam torquentes videar audire; contra quos ego Vlyſſis dictum reponam: Non dedit vni cuncta Deus. Vale.

IOAN. GOROPII BECANI

INDOSCYTHICA,

LIBER V.

POSTEA IGITVR QVAM SATIS apertum feci, quis Saturnus, quis Ianus, quis Gomer fuerit; ordine videtur consequens esse, quos liberos Gomer reliquerit, considerare. Moses tres enumerauit, nec plures Iosepus, aut quisquam ceterorum: quorum nomina Ascenez, Riphat & Togorma, vt antè dictum est. Hic principio considerandum, à Iosepo Gomero Gomereos pro posteris assignari, eos Galatas à Græcis nominari asserente, cùm tamen nec ab Ascenez, nec à Riphat, nec à Togorma, nec Galatæ, nec Cimmerij descendisse videantur. Ascanaxas enim, vt Iosepus vocem Græcæ linguæ accommodauit, Ascanaxas genuit; quos Græcis vult Reginos dici: Riphat Riphatæos, quos Paphlagonas nominant: Thygrammes, quo nomine Togorma permutauit, Thygrammanos, qui, vt Græcis placuit, Phryges vocantur. A quo igitur Gomari filio dicet Gomareos descendisse, si nulli trium eos assignauit? Perspicuum est non omnem omniũ progeniem sigillatim in sacra historia recenseri, sed eam solum quæ videbatur maximè necessaria ad seriem rerum & temporum intelligendam. Absurdum enim sit cogitare non multo plures liberos, homines in tam longæua vita, quantam tum in optima valetudine agebant, procreasse. Quid quod contra, si quid rationibus physicis & experimentis credendum sit, existimare debemus plurimam numerosissimamque sobolem eos sustulisse, atque in illa geminos & tergeminos frequentes fuisse. Cùm enim corporibus fuerint validis, & viribus adhuc integris, quid ni suspicemur ad generãdum fuisse maximè idoneos? Atqui nostra ætate in his præsertim regionibus gemelli adeò non sunt rari, vt duobus his mensibus proximis quibus hæc scribo, allatũ ad me sit, plurimas feminas in hac ciuitate gemellos enixas esse, quarum mihi tredecim vna mulier nominauit. Quid igitur de primo illo renascentis mundi robore sit coniectandũ? Deus certè rebus necessariis nunquã deest, sic vbiq; rerũ natura cõparata,

vt quibus maximè opus ſit ad ea quā plurimū præbeat opportunitatis. Solidum corpus & nullo vel Veneris vel Bacchi vitio eneruatū, vt ad viuendū diutiſſimè, ita ad prolem procreandam quamplurimā in primis aptum fuiſſe ſi quis dubitet, is in medicorum, & eorum qui naturæ arcana ſcrutantur, libris ſe nihil omnino profeciſſe fateatur. Neque crediderim equidem vllam feminam quæ ſaltem iugum ferre poſſet, vacuā aut otioſam primis illis tēporibus relictam fuiſſe: niſi ſi qua eſſet quam Deus ſibi ad inſigne aliquod futuri tēporis miraculū deſtinaſſet. Paucas enim Saras fuiſſe crediderim, eo quòd nō multis opus eſſet ad eam poſteritatē relinquendam, in qua ſalus humani generis eſſet naſcitura. Plures veriſimile eſt fuiſſe, quæ ſemen ſibi creditū, magno fœnore redderent, quo genus humanū breui temporis tractu, magna ſumeret incrementa. Credendum igitur eſt, non minus Gomaro, quàm ceteris, plures vtriuſq; ſexus liberos fuiſſe, quàm in Bibliis cōmemorantur. Quo fit, vt non ſit opus omnes Cimmerios ad hos tres Gomari liberos à Moſe nominatos referri. Satis eſt vel auctoritate ſcriptorum, vel vetuſtatis monumentis, vel nominibus tum gentium, tum regionum Comari poſteritatē agnoſci, quāquam ab his tribus recta linea deduci non poſſit. Excuſandus igitur Ioſephus, ſi Gomareos nulli trium filiorum qui in ſacra hiſtoria nominantur, alligarit. Fieri quidem poteſt, vt de aliquo trium Cimmerij genus ducant, ſed cùm nomen nullius eorum conſeruarint, nobis ſatis erit, ſi conſtiterit Comeri nomine poſteros hos, de quibus agimus, nobilitari. Non enim abſurdum ſit, ſi ſuſpicemur Aſcenez multos filios habuiſſe, atque eorum maximum natu non patris, ſed aui nomen generi ſuo indidiſſe, quo parentis memoriam in primogenito conſecraret. Hoc vt pro certo affirmare non poſſum, ita veriſimillimum eſſe credo, ex eo quod pòſt docebo, inter Cimmerios non ſolum Comari ſiue Cimmeri memoriam ſeruatam eſſe, ſed Iapeti etiam clariſſimum in poſteris eorum extare monumentum. Verùm relicta in præſens hac dubitatione, examinemus quos Aſcenez dederit, quoſq́ue ab eo Hebræi nominarint. Ioſepus Rheginos eos à Græcis vocari annotauit: ſed cùm Rhegini ad fretum Siculum iam olim ante Ioſepi ætatem multis ſeculis habitarint; & illi quos Hebræi Aſcanazim vocant, inter Rhenum & Viſtulam, Alpes & Oceanum commorentur, non ſatis apertum eſt quos Rheginos appellet. Nihil hic ago de illo, quod ex Aſcenez fecerit Aſcanaxas, tametſi non ſit abs re commonere, non admodum nobis curandum eſſe quibus punctis Hebræi pro vocalibus vſi ſint, vti in Gomaro quoq; prius dixi. Deinde poſtrema litte-

Rhegini.

littera in Aſcenez ſic à Ioſepo eſt tranſmutata, vt videatur potius ad Tzade quàm Zain alluſiſſe. Et fuit ſanè procliue Tzade finale pro Zain legere, ſi caſu aliquo dextrũ Tzade cornu ſit deletum vel obſcurum. Deinde tanta eſt vicinitas pronunciationis in his duabus litteris, vt mirum videri non debeat, ſi Zain pro Tzade & ſcriptũ ſit & pronunciatum. Quamuis igitur Melanchthon ab אש & בהן componi crediderit, quibus vocibus ſacerdos ignis ſignificaretur, quia tamen nec Hebrææ linguæ, nec rei ſignificatæ naturæ conueniens eſt hæc coniectura, alia mihi videtur quærenda. Propius acceſſere qui Complutenſi Bibliorum nobiliſſimæ impreſsioni præfuerunt, Aſcenez vertentes, ignem quaſi diſtillantem, vel aſpergentem. Cùm enim litteras omnes conſeruarunt, quod Melanchthon non fecit, tum naturam generis, quod ab Aſcenez deſcendit, melius expreſſerunt. Sunt enim Teuthones, quos Hebræi Aſcanazim vocãt, veluti ignis ſtillans, & aliis ſe aſpergens. Iracundia enim in illis ſic ſemper eſt dominata, vt dum offenduntur, videantur non irati modò, ſed ignem aſpergere aduerſariis. Atque hoc vitio adeò peccant, & ſemper peccauerunt, vt non alia cauſa vinci poſſe videantur, vt Seneca optimè iudicauit, & cum eo quàm plurimi alij hiſtoriæ ſcriptores, quibus omnibus ſic viſum eſt, nõ aliam eſſe cauſam ob quam Germani ſuperari queant, quàm impotentem animi impetum quo in vulnera, haud ſecus atque apri & tauri, ruunt, nulla corporis & vitæ cautione. Sunt qui à Sacan & Naza, in quibus eſt Bodinus, formarunt; ſed illi nec vim aſperſionis in Naza ſignificatam, ſatis obſeruant, nec poſterorum Aſcanaxæ proprium aliquod explicarunt. Interpretantur enim habitatorem diſperſum, cùm Naza aſperſionis & fluxus habeat notionem, & Germani non magis quàm ceteri mortales, vagis domiciliis errent. Mihi magis placet ſuſpicari, Tzade in fine pro Zain ſcribendum eſſe, eò quòd facilè queat in Tzade finali dextrum cornu obliterari. Nos igitur ab As & particula ſimilitudinis, ſiue comparationis, & Nez ducemus, vt idem ſit Aſcenez, quod vir, ſiue viriliter agens tanquã Accipiter ſiue falco; אשנז enim à quo As, ſignificat viriliter agere, & נז accipitrem, in cuius genere præcipuus eſt falco. Germanorum enim ſemper proprium fuit, vt antè in Germani etymologia docui, rapto viuere, & incredibili ſtudio prædis inhiare, adeò vt meritò generoſiſsimæ aui comparentur. Maſculum igitur Germanorum robur, & virilis animus, priore dictionis parte ſic expreſſus eſt, vt non tam cor videantur, quàm Aſech habere, id eſt, eam corporis partem, qua Hercules maxime dicitur valuiſſe, quæque omnis virilis actionis eſt origo. Hac de cauſa poſt linguarum

Aſcanez etymon.

rum cõfusionem Ascenez cœpit May vocari lingua Cimmeriorum quo vir significatur. Hinc Germani Mannum primum generis auctorem vernaculis suis carminibus celebrare solent, cuius pater dicitur fuisse Tuiscon, vt Tacitus memoriæ prodidit. Hunc si sequi placet, erit Tuiscon idem cum Gomero, qui sic fuerit nominatus à Germanis, quòd esset maximus natu inter filios Iapeti. Procliue enim fuit è Thoutsson, id est, è maximo natu filio, facere Tuisconey, vel vt alii, Thuisthoney. Alij longius recesserunt à vera appellatione, pro Thoutsson dicentes Teuton, vti ferè apud omnes enunciatur, præterquam apud Tacitum diligentissimum rerum Germanicarum scriptorem. Nostra lingua hactenus dicimus Thouts vel Thuyts, vel media littera Douts vel Duyts. Douts autem idem est quod maximus natu, ab articulo De vel The & outs: Doy verò filium notat. Siue igitur Thouts dicas, siue Thoutsson, idem dicis. A Thouts igitur qui Gomer est lingua vniuersa, posterorum nomen accepit: & omnes qui ea vtuntur, Thoutsey vocantur. Siue igitur Teutonicam, siue Cimbricam linguam nomines, eandem linguam nominaueris, quamuis ea apud alios sincerior, apud alios corruptior manserit, vti pòst erit videre. Ius igitur primogenium Gomeri diligenter est voce hac Thoutsson siue Thouts mandatum memoriæ posterorum, vt clarum hinc fiat, quàm omnia inter se consentiant, tum veterrima gentis primordia, tum vocũ significata. Eodem modo idem est Ascenez quod Germanus. Nam Germanus vir est auidus habendi; Ascenez vir similis accipitri siue falconi: nisi quod Ascenez generosius quiddam præ se ferre videatur. Quod autem Ascenez Hebræorum, Mannus sit Germanorum, ex eo liquet, quòd sicut Hebręi omnes qui Germanici nominis sunt, Ascanazim vocãt; ita Germani omnes, qui Germaniam habitant, dicunt à Manno ortos esse, à tribus eius filiis tres Germanorum nationes nominantes, Ingeuones, Hermiones & Isteuones. Verùm hæ voces à Latinis miserè sunt tractatæ, vt fieri ferè solet in vocabulis peregrinis. Erit autem non difficile correctionem adhibere, de sedibus singulorum sumpta notatione. Ad Oceanum igitur habitantes erunt nostrate lingua Ingezeswoners, id est, habitantes secundum mare. Inge enim siue Henge secundum significat; Ingezew, est idem quod secundum mare: Hos Strabo Paroceanitas vocauit. sed de his pòst copiosius. Meditullium verò Germaniæ qui tenebant, ij Hermiones vocabantur, qui nostra lingua Hertmitswoners dicerentur, id est, habitantes in medio corde, siue habitantes omnino in medio. Nam Mit medium significat, Hert ambiguũ est ad cor & ad omnino siue

pror-

prorſus notandũ. Erunt igitur, qui mediũ Germanię colũt, rectiſsima ratione Hertmitwoners nominati, è qua voce Hermiones Latini fecerunt. Iam quia Germaniæ plaga Septentrionalis mari clauditur, quod Orientem verſus ſe longè lateque infundit inter maximam illam Cherroneſum, quæ Norwegiam, Suetiam, & alias cõplures latiſsimas regiones continet, atque inter Germaniam, omnes illi, qui vel ad Oceanum, vel ad interius mare habitabant, Ingeuones, vna ſyllaba, ob etymologiæ ignorantiam, è medio ſublata, vocabantur. Qui ergo reliqui erant, ſecundum Rheni ripam habitantes, quoniam mediæ regionis hominibus, ſiue cordis incolis ad Occidentem vergebant, dicti ſunt Weſtwoners, id eſt, ad Occidentem degentes. Rhenus enim latus occidentale claudit Germaniæ, à Gallia eam ad Occidentem poſita, ſeparans. Weſt autem, quo Occidens nobis ſignificatur, etiam hodie nunc ab Italis, Hiſpanis & Gallis, in Oueſt mutatur, in anemographia nautarum vſurpatũ, eò quòd duplex w, veluti peregrinum elementum, reiiciatur, vti pòſt in nominibus Ventorum docebo. Quicunque igitur à mari & Rheno longiùs aberant præcipuis terminis regionis, Hermiones vocabantur, ſiue, vt nos meliùs exprimimus, Hertmitwoners. Sic enim dicimus, qui medium opidi tenet, vel præcipuam eius partem, eum habitare int Hert, id eſt, in corde opidi. Quamobrem omnes Germani, vel ad Rhenum occidentalem terminum, vel ad Oceanum & mare Germanicum, vel in meditullio regionis habitabant. Meditullium autem vagis limitibus inter Sarmatas, Dacos, Pæonas, Vindelicos, & Germanos continebatur, modò his, modò illis alteros prementibus. Hæc igitur antiquiſsima fuit Manni diſtributio, teſtamento fortè filiis conſignata; atque idcirco pòſt creditum ab iis, qui etymologiam ignorabant, filiis hæc nomina originem debere. Haud equidem ſum neſcius, Beatum Rhenanum & alios, ni fallor, omnes aliter longè harum vocum rationes reddidiſſe: verùm quia noſtræ linguæ & Taciti ſententiæ, tum etiam Plinio, Iſteuones ad Rhenum collocanti, hæc noſtra interpretatio conſentit, huic potiùs acquieſcamus. Vidimus modò vnde fabula nata ſit, de filiorum Manni nominibus, quibus cùm de regionibus, quas poſsidebant, appellationes & titulos, vti fieri ſolet, addiderunt; propriorum nominum memoriam obſcurarunt. Ab hoc igitur, ſiue Aſcanez, ſiue Manno, omnis eſt Germanorum origo; quamobrem communi nomine Aſcanazim omnes Germani à Iudæis hactenus vocantur. Hunc igitur & huius patrem Tuiſconem Iapeti filiorum maximum natu carminibus patriis maximè coluerunt. Ceterùm hîc occurrit ſcrupulus

quidam,quem Ioſepus iniicit. Is dicit Aſcanaxas Rheginos à Græcis nominari, cùm tamen Rhegium vnde Rhegini dicerentur, ad Siculum fretum in magna Græcia collocetur. Hieronymus in iis quæ in Geneſim commentatus eſt, huius aſſertionem eſt ſecutus,quaſi nihil in ea dubitandum fuiſſet.Vt igitur hanc difficultatem auferamus,ſic eſt exiſtimandum. Ioſephus dum hęc ſcriberet à Germano quopiam Græcæ linguæ perito forſan rogauit, quînam gens ea vocaretur, quã Romani Germanorum nomine ſignabant. Facile enim illi hoc fuit & obuium in tanta Germanorũ multitudine, quanta apud Romanos ſtipendia faciebat.Is igitur ſic interrogatus,opinatus eſt Ioſephũ intellexiſſe Germani nomen, non à regione, ſed à ſtudio & inſtituto gentis,inditũ eſſe: cupere ergo eum ſcire quînam dicendi eſſent de patria in qua nati eſſent. Reſpondit itaque aptiſſimè,Germanos illos qui Romanis militabant,eſſe Rheiningos,id eſt,ad Rhenũ natos.Nã terminatio hæc nominũ deriuatorũ,originem Germanis indicat. Sic dicimus Flamingos,Ooſterlingos,Carolingos,Merouingos,Salingos & alia id genus quãplurima linguæ noſtræ familiaria. Rheiningi igitur ſunt Rheni accolæ,vel qui ad Rhenum nati ſunt. Ioſepus igitur huius vocis notionem formationemque non intelligens, credidit à Græcis Germanos Rheginos vocari. Neque enim abſurdũ eſt aut rarum, eadem voce diuerſas diuerſarũ regionum gentes notari, vti in Cymæis & plurimis aliis apud Stephanum videre licet.E Rheiningis ergo Rheginos fecit, procliui ex vna voce in alteram lapſu,in quem Hieronymum etiam traxit. Vna igitur ſpongia vtriuſque maculam detergamus, laudemuſque eum à quo Ioſepus Rheiningi nomen accepit,tametſi in Græcam originẽ Iudæus detorſerit,vocũ ſimilitudine deceptus. Præterea in eo etiam hallucinatus eſt, quòd Aſcanaxas ad ſolos Rheiningos aſtrinxerit,cùm tota,quãta quãta eſt, Teutonici nominis regio, hac voce denotetur.Euſebius enim Gotos quoque inter Aſcanaxæ poſteros numerauit. Rectiſſimè igitur Hebræi huius ætatis generatim omnes hoc nomine vocant, qui Germanica lingua vtuntur. Quamuis enim Rheiningi eſſent, qui tum apud Romanos Imperatores totis exercitibus ſtipendia faciebant, non tamen omnes Teutones Rheiningi poterant nominari. Porrò tantum abeſt, vt ad hos ſolos Rheni accolas coarctanda ſit appellatio, vt alij etiam multi ab Aſcenez & genus & nomen ducant, qui in Aſia adhuc multo pòſt habitarunt, quàm Aſcanaxæ ſiue Germani in Europam migraſſent. Eſt enim lacus Aſcanius, & fluuius Aſcanius, & Aſcania opidũ circa Myſiam & Phrygiam.Vtamur igitur poſthac concinniore voce ad gentẽ ſignificandã,quàm Ioſepus.Cùm enim ad memoriam Aſce-

nez

nez Aſcanius lacus, & Aſcanius fluuius, & Aſcania opidum, & Aſcanius dux, apud Homerum commemoratus, referri debeant; dicemus Germanos priſca ſua voce, Aſcanios poſſe nominari, Hebræa voce in molliorem ſonum tranſeunte. Siue igitur Aſcanij memoria à Dardano locis illis ſit illata, ſiue à priſcis illis & primis Aſcanij poſteris, hoc ſaltem hinc tenebimus, linguam Germanicam ſiue Teutonicam in Phrygia olim fuiſſe, à maximo natu filiorum Gomari, & reliquis ibi relictam, vt pòſt apertiùs oſtendemus. Nomen tamen Thoutſon vel Thouts, quo primogenium ius indicatur, meritò ſibi ſoli Aſcanij vindicarunt, quoniam Aſcenez maximus natu fuiſſet; tametſi lingua ipſorum cum aliis aliquot Comari poſteris communis eſſet. Antiquiſſimum igitur eſt Aſcanij nomen, multis antè ſeculis in Aſia vſurpatum, quàm Europæi Phryges, vel Myſi, vel Bithyni eò tranſiiſſent. Potuit fortaſſe à Dardano poſtea renouari, ſed credibile eſt à priſcis Aſcaniis in locis illis primùm hæſiſſe. Homerus antiquitatum ſtudioſiſsimus, quem credo in Pontificalibus Phrygum libris, interpretis alicuius auxilio, diligenter verſatum fuiſſe, Aſcanij ducis & Aſcaniæ meminit in exercitu recenſendo:

„ Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ασκάνιος θεοείδης
„ Τήλ' ἐξ Ασκανίης, μέμαζαν δ' ὑζμῖνι μάχεσθαι. *id eſt,*

Phorcys & Aſcanius diuinus duxit ab ora,
Hinc procul Aſcania Phrygas ad fera prœlia promptos.

Euſtathius è minore Phrygia, nõ è maiore, quam Sangarius interluit, hos veniſſe arbitratur, ſecutus aliorum, vt videtur, opinionem, ſed malè mea quidem ſententia. Qui enim longè & procul veniſſe dicantur, ſi ex ipſa Phrygia, in qua Troia fuit, venerunt? Deinde, vbi Aſcaniam potius collocemus, quam ad Aſcanium lacum non magno interuallo à Sangario remotum? Xanthus Lydus poſt Troiæ euerſionem Phrygas ad Europam, & læua Ponti, ex Aſcania & Berecyntia confugiſſe narrat; quod Apollodorus ad Homeri Aſcaniã cùm bene retuliſſet, ridiculè & ineptè à Strabone reprehẽditur. Quod enim hęc cõmigratio poſt Troiæ euerſionem facta ſit, videtur ſibi Strabo probè colligere, non eandem hanc eſſe & Homeri Aſcaniam. Sed Apollodorus nõ dixerat, nec Xanthus ſomniauerat Aſcaniam tum demũ conditam fuiſſe: verùm ex antiqua Aſcania & ex Berecyntis Scamandriũ in Europa primordia duxiſſe. Quòd autem Berecynti in maiore quoque Phrygia fuerint, Seruius teſtatur; qui dicit, caſtellum hoc nomine fuiſſe ad Sangarij ripas. Nicolaus apud Stephanum Aſcaniæ appellationem magno errore ad Aſcanium Aeneæ filium retulit, aſſe-

asserens ab eo conditã fuisse,cùm de Homeri catalogo cõstet, multò antè Troianis suppetias Ascanios tulisse. Bene itaq; procul adueniſſe dicuntur, quòd ex illis locis adessent, quæ media sunt Nicomediæ atque Nicææ,vrbium multis pòst ætatibus conditarum. Ducem igitur eiusdem nominis aptissimo titulo Deo similem dixit;volens indicare diuini generis,id est,antiquissimi nomẽ ferre. Antiquissimi enim Phrygiæ incolæ Ascanij fuerunt, ab Ascanio Cimmeri filio, & nomẽ & originem habentes. Aeneæ item filius nõ sine diuino afflatu Ascanius dictus est, quòd ad posteros eius primogenium imperij ius esset peruenturum. Conseruata igitur diligenter memoria fuit primi illius Ascanij,non solùm in propriis hominum nomenclaturis,sed in opido etiam, lacu & fluuio sitis in Mysiæ Phrygiæque limitibus obscuris & controuersis. Virgilius vt imitator fuit in primis industrius,ne hoc quidem flosculo voluit carere. Quo igitur loco de amore generosissimi animalis agit, fluminis eius meminit, cui nullum nominis claritate par inuenit:

Ascanius Cimmeri filius. Aeneæ filius cur Ascanius dictus.

„ *Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem*
„ *Ascanium, superant montes & flumina tranant.*

Ab hoc flumine Aeneæ filium nomẽ habere, plerique omnes credunt; quod equidem nolim negare: sed vlterius erat quærendum, vnde fluuio nomen datum fuisset, ad hoc vt aliquid inde vtilitatis haberetur ad historiæ vetustæ cognitionem. Nos nominis primi rationẽ inuenimus,& ab eo qui princeps fuit, & nominis & gẽtilitatis omnes cognomines siue eponymos dici arbitramur. Stephanus Ascaniam duplicem fecit; alteram Phrygiam, alteram Mysiam: ita & lacum Ascanium duplicem; in vtroque deceptus varietate gentium, qui ad Ascanium habitauerunt. Nam Scylax Caryandreus Phryges & Mysos circa lacum hunc habitasse dicit; vnde fit, vt ab aliis Mysius, ab aliis Phrygius nominetur. Mysos enim toto tractu Thracij Bosphori olim sedes habuisse, illud est argumento, quod Dionysius, qui de conditoribus Vrbium scripsit, apud Strabonem tradit, Bosphorum Thracium olim Mysium dictum fuisse. Sic Euphorion μυσοῖο παρ' ὕδασιν Ασκανίοιο, id est, Ascanij prope flumina Mysi. Credo igitur Mysos & Phrygas ex Europa per Thracium Bosphorũ, Asiam antiquitus intrasse, atque ita fines permistos habuisse, vt difficillime discernerentur: atque hinc in prouerbium abiuisse, Difficile esse Mysiæ & Phrygiæ limites inuenire. Sit igitur Ascanius lacus vnus; modò Phrygius, modò Mysius nominatus; quod video Strabonis placuisse. Non diffiteor tamen fieri potuisse, vt multa nomina maioris Phrygiæ, quam primùm Thraces occuparunt, ad Phrygiam minorem

minorem sint translata, postquam hanc quoque imperio suo addidissent: quanquã mirum non est, in hisce quæ Troianis temporibus sunt antiquiora plurimos cæcutiisse, propterea quòd de iis, siquid ante Homerum scriptum sit, nihil prorsus extet. Permittamus igitur, si cui ita visum est, Stephano & ei consonis, homonymiam huius vocis ad plura pertinere. Quãto enim plura genitoris nostri vestigia in Asia restant, tanto plus fidei nostræ assertioni adstruetur, quæ cõtendit Ogygia planè linguæ Cimbricæ monumenta apud Phrygas & vicinos olim extitisse. Pręter enim Phrygas à Togorma, & Paphlagonas à Riphat descendentes, Ascanij etiam etuimus memoriam luculentissimam, adeò vt tres Gomeri filij hic gentis & linguæ semina reliquisse conuincantur. Sed iam satis de Ascanio. Videndum dehinc quas orbis partes Ianigenæ & Cimmerij & Ascanij occuparint. Iosepus ab Amano & Tauro montibus ad Tanaim vsque omnia in Asia ab illis occupata fuisse tradit, quod illis quæ de Ascanio dixi, consentit. in Europa verò à Tanai ad Gades vsque, longè lateque sedes sibi sumpsisse. In Asia, quamuis propter potentissima regna Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, Persarum & Græcorum, eos latuisse non sit absurdum; extant tamen eorum apud auctores indicia minimè obscura. In primis apud Herodotum in Clio, dum enumerat Persarum diuersas nationes, inter ceteras Germanos posuit; aratores eos fuisse dicens, licet exemplar Græcum in penultimo vocis loco, Iota superfluum habere videatur, Germanios pro Germanis appellans. Fuerunt igitur & in Persia Cyri, adhuc ætate Ascanij, qui se multò prius, quàm Thungri, Germanos nominarunt, eadem tamen, qua Thungri, ratione. Quamobrem quod antè paulo monui, rursus repetendum est; videri mihi Germani appellationem vetustissimam, quæ non solum de magno quærendi desiderio imposita sit, sed primi conditoris Hebraicum nomen egregiè imitetur. Quid enim aliud est Ascenez, id est, vir similis accipitri, quàm Germanus, id est, vir appetens quærendi? A Ser enim Seir formamus, quo quamuis omne genus auium rapacium dici posset, à nimia auiditate; nunc tamen per excellentiam soli Vulturi applicatur, quo nihil est quod prædam longius subodoretur. Thungri itaque non primi omnium nomen hoc sibi dederunt, sed primi eo vsi sunt citra Rhenum; vel quod non sine causa suspicari quis queat, primi huius appellationis notitiam ad Gallos & Romanos attulerunt. Quod autem Germani in Persida Teuthones fuerint, è Dais siue Dacis vicinis colligi potest, qui Germanis semper non in Asia tantum, sed Europa quoque fuere coniuncti. Argumentum verò hoc de vicinia

gentium ſumptum, maximi debet eſſe momenti ad originum inueſtigationem; propterea quòd ex Aſia in Europam, per eam quæ inter Mæotim eſt, ac mare interius Germanicum planiciem, populi ab omni æuo ſic influxerunt, vt proximus priorem, perinde atque vnda vndam protrudere viderentur. Hac enim primùm ab hiſtoriarum memoria Cimmerij diuerſis nominibus irruperunt: hac Getæ; hac Daæ; hac Sacſones; hac Vandali, hac Alani. Hos poſtea eadem via ſecuti ſunt Hunni, Slaui, & infinita Windorum turba, quæ magnam hactenus Europæ partem tenet. poſtremò Tartari natio adeò numeroſa, vt à Taurica Cherroneſo ad Indiam vſque latiſſima terrarum ſpatia complectatur. Nam Aſia qua ad Orientem & Aquilonem immenſis terrarum latifundiis excurrit, infinitam alit hominum multitudinem, vnde tanquam ex vtero fœcundiſsimo in omnes regiones fœtus ſuos emittit, vt meritò hîc liceat omnium gentium veluti matricem quandam collocare. Nam quod Iornandes dixit, Scanziam, quam falsò inſulam putat, gentium eſſe officinã, aut veluti vaginam nationum, è qua præter ceteros quamplurimos, Gothi quoque, quos alio nomine Getas appellat, in Germaniam venerint, non ineptum ſolùm eſt ob comparationem, ſed error etiam inprimis fœdus, vt ex iis, quæ mox dicam, luce clarius euadet. Cùm igitur in primo matris gremio Germanos inueniamus, atq; eos Dais, & Sacis, & Comaris vicinos, quibus in Europa quoque & olim & hactenus vicini ſunt; quidni dicam eiuſdem ſanguinis & ortus illos apud Perſas militantes, atque hos eſſe, qui in Europa ſedes ſibi quæſiuerũt? Certum eſt enim in Ararat prius, deinde in campis Sennaar, homines poſt inundationem habitaſſe, atque ex vtroque locorum in varias orbis partes fuiſſe diſperſos. Inter eos autem veriſimile eſt vicinitates maximè cuſtoditas eſſe qui cognationis & linguæ communione colligarentur. Qui igitur in Aſia finitimi fuiſſe deprehenduntur, eos quoque vel eorum colonos par eſt credere, paulatim ſic ſedes promouiſſe, creſcente hominum multitudine, vt & in itinere, & Europa quoque confinium ſemper ſeruarint, è quo & bella inter ipſos, & rurſus fœdera, & vt inter finitimos ſit & propinquos, frequentes tum amicitias, tum inimicitias neceſſe fuit exoriri. Quibus enim cum nihil eſt commercij, cum iis neque bella neque fœdera ineuntur, & è cõuerſo, quia cum finitimis ſemper plurimum eſt commercij, non poteſt fieri, quin frequenter magnæ exiſtant rationes, vel ob controuerſias belli inter ſe gerendi, vel ob commune periculum fœderis contra alios paciſcendi. Sic quamuis aliunde nihil eſſet adiumenti ad cognoſcendam Cimmeriorum & Getarum viciniam, è bellis

lis tamen frequentibus inter ipsos gestis, liceret colligere, finitimos eos fuisse, non illud quidem necessaria collectione, sed vt plurimùm valente. Iam quia Germanos in Asia magna, ceterarum regionum matre, inuenimus; non est mirandum, eos quoque illic reperiri, qui in Europa Germanorum nomine censentur. Ascanij enim, è locis quibus Arca quieuit, alij ad Orientem, alij ad Occidentem sedes quæsiuerunt; quorum Orientales Persis fuêre vicini, qui cùm militiæ nomen darent, Germanos se nominauerunt. Quia verò Daci siue Daæ, Sacæ, & Massagetæ, & Comari quoque, in hac plaga mundi à Ptolemæo ponuntur; cõsentaneum est rationi, ab his Dacis, Dacos Europæos; & ab his Commaris, Cimmerios ad vtrumque Ponti & Mæotidis latus; & ab his Massagetis Getas; & à Sacis Sacsones Asiaticos, atque deinde Sacsones Europæos prodiisse; quos equidem arbitror omnes Comeri posteros esse, quãuis varia nomina temporis & multitudinis progressu sumpserint. Quod non de confinio tantùm perpetuo harũ gentium, sed de linguæ etiam docetur communione, quam omnibus his vnam fuisse, quamuis in sonando nonnihil variarent, de classicis auctoribus, & multis vocabulorũ reliquiis ostẽdetur. Videntur autẽ omnes hi non à Gomero solùm, sed ab Ascanio quoq; fuisse propagati; eò quòd montes illos, quibus regio ad Orientẽ terminatur, Ascatancam nominarint; quasi dixissent, hucusque per Ascanij gratiam progressi sumus. Nã *Ascatanc*, decisa è medio vna syllaba, quod in propriis hominum nominibus est frequentissimũ, idẽ est, ac si dicas, *Ascanes tanc*, id est, Ascanij gratia. *Tanc* enim, siue medio sono *Danc*, gratiam significat, & voluntatis propensionem. Videntur igitur sic monti limitaneo nomen dedisse, quasi dicerent, Quòd huc vsq; terminos protulerimus, Ascanio gratiæ sunt agendæ. Sicut autem Ascatanca ex Imao descendens ad Orientem, ita Margiana ad mare Caspium & Occidentem horum regiones terminabat: qua de causa flumini nomen datum est *Marc*, id est, limes; vnde Margus & Margiana formantur: quod non solùm ob id regioni quadrabat, quòd Cimmeriorum finis ad Occidentem esset; verùm ea etiam causa, quòd tota hæc regio quasi arx quædam esset limitanea. Nam Strabo campum esse dicit desertis incluſum, cuius natiuum situm Antiochus Soter admiratus, totum muris circumdedit, qui mille & quingenta stadia continebant. Crebriùs iam monui, Cimmeriis plures aliquando rationes in vno nomine condendo considerari, quod hîc quoque factum esse cerno. Neque enim à limite primùm, sed à bonitate terræ Margiana dici cœpit, media littera gamma comprehendente cappa.

Vt enim Marc limes est, ita Marg medulla, quam in terra pingui sic vocari, in nomine Marga ostendemus. Quàm verò hæc regio medulla fuerit aliarum collatione, Strabo satis ostendit, asserens eam tam vitis optimæ feracem esse, vt sæpe truncum inferiorem tantum habeat, quantum satis sit duobus viris ad amplectendũ, & racemos producat longitudine binûm cubitorum. Non malè igitur linguæ nostræ hominibus Marg dicebatur, cum à limite, tum multo magis à medulla, quam vberrimam & suauissimam largiter fundebat, qua optimè item hominum medullæ refocillarentur. Post hanc erant Bactra, regio frumenti & omnium quæ sunt esui idonea fertilissima, si vnam excipias oleam, quam eadem fortasse de causa non alit, qua Castella vetus Hispaniæ, quæ & ipsa cùm tritici sit & vitis feracissima, oleas tamen excludit, partim ob frigus, partim quòd terra spissa & difficillima propter tenacem argillam penetratu, radices maiorum arborum iniquè coarctet: atque hinc fit, vt nullam ferè materiam alat altiorem. Idem verò genus soli in Bactriana fuisse ex Arriano fit perspicuum, qui Alexandro pontem in Oxo molienti, ligni inopiam causam fuisse dicit, vt tentoriorum pellibus ad vtres conficiendos vteretur, quibus colligatis flumen traiici posset. Multis sanè locis idẽ accidit, vt quæ multum dant tritici, parum habeant materiæ: vt in campis Beausiis Galliæ, & Atrebatesiis videmus: vel quòd non alãt, vel quòd plus è tritico percipiatur emolumenti, quàm ex arborum cultura. Sicut ergo illa à medulla; ita hæc à tritici copia nomen acquisiuit. Bac enim idem est quod panem facio: vnde Bec panis, & Becker qui panem facit. Tru autem significat fidum, quod bona fide commissa sibi reponit. Hinc Bactru dicetur, à bona fide panis conficiendi regio illa, quæ frumentũ copiosum producit. Bactriana igitur cùm talis esset, imperatores suos, præsertim Græcos, potentissimos reddidit, adeò vt plurimas gentes subegerint, quod Apollonius Atrammitenus apud Strabonem testatur. Bactrianis proximi sunt Sogdiani, tanto feriores, quãto pastores aratoribus. Bactrianos enim mitiores Gæographus facit, Sogdianos Nomadibus similiores; quibus etiam erant propinquiores, non locis tantum, sed vitæ quoque instituto. Videntur enim hi, cùm Sogdiorum montium radices habitarent, pecude magis & armentis quàm frumento abundasse. Appellari igitur Sogdij montes, à quibus Sogdiana nomen habet, sic videntur, à lactis & pecudum lactantium copia. Sog enim lac exuctum significat, & Duy montis est nomen generale. Sogduy igitur mons est, è quo plurimum lactis exugitur. Quamplurimos Heluetiorum montes eadem voce conuenienter quis appellaret, cùm vaccæ

eorum

eorum plurimum ex illis lactis exugant: quod Heluetij cùm emulgeant, quod par est in altissimis montibus à viris, non mulieribus, fieri, occasionem vicinis conuitij præbuerunt; quasi verò illud apud hos solos, & non in omnibus ferè Alpium pascuis contingeret: quæ cùm altissima sint & niuibus proxima, & rupibus asperis difficillima, tum ad ascendendum, tum ad pererrandum, non mirum videri debet, si virorum potius operam quàm feminarum postulent. Porrò nec ipsa flumina præcipua Oxus & Iaxartes aliunde videntur, quàm de prisca illa lingua nomina retinuisse. Aelianus in varia historia commemorat apud plurimas gentes fluuios imagine boum pingi, vt apud Stymphalios, Erasinum, & Metopam; apud Lacedæmonios, Eurotam; apud Sicyonios & Phliasios, Asopum; apud Argiuos, Cephisum. Hinc de Acheloo in taurum mutato, & de Hercule cornu eius defringente exorta est fabula. Nihil igitur absurdi mihi dicere videbor, si Oxũ à capite bouis dictũ esse affirmẽ. ⊙x enim, vel ⊙sch, vt alij proferũt, bouẽ notat; ℵot verò caput: ita vt ⊙xot caput sit bouis, aspiratione in sibilo duplicis litteræ delitescente. Hinc Græci Oxos, Latini more suo Oxus fecerunt. Causa nominis à magnitudine capitis videtur petita, quòd latissimæ fronti duo magna fluminis ostia veluti cornua addita viderentur; quibus contra mare Caspium veluti taurus magno boatu irruit, Acheloo bicorni longè vastior; & in vtroque ostio insulas aliquot complexus. Iaxartes facilis est intellectu, si exponatur quid sit Jagℌart, quod nobis idem est quod accelero vehementer. Jagen enim accelerare est, & ℌart vehementer: vnde venatores à celeritate qua vti debent, dicuntur Jagers. Hic enim arctior multo est quàm Oxus, quo fit vt celeriùs quoque rapiatur. Arrianus, nisi liber meus sit mendosus, Oxantem ab incolis, à Græcis Tanaim dicit nominari; agnoscens tamen alium esse Tanaim ab Herodoto descriptum, qui Europam ab Asia discernat. Ortus est hic error ex eorum adulatione qui credi voluerunt, Alexandrum ad Tanaim vsque penetrasse, non minore à veritate interuallo, quàm illud est quod inter vtrunq; fluuium continetur. Hinc de Aris Alexandri ad fictitios Riphæos montes sitis; hinc de legatione ab Europa à Scythis missa; hinc de Amasonibus commenta prodierunt. Verùm ne odiosus sim, si prolixiùs linguæ Cimbricæ in locorum appellationibus antiquitatem inuestigem, satis sit in Ascatancæ, Margianæ, Bactrianæ, Sogdianæ, Oxi, Iaxartis nobilissimis antiquissimisque nomenclaturis rationes indicasse. Omnes igitur has regiones dicimus à Comari posteritate primùm habitatas fuisse, non quòd omnis eius progenies hic sit locis distributa, sed quòd maximus numerus & po-

tior pars hîc olim habitarit. Cimmerios igitur bipartitò principio diuidemus, quorum hi in Asia longo tempore manserunt; illi cum Iano in Italiam nauigarunt. Priùs igitur de Asiaticis, pòst de Latinis Cimmeriis agemus. Et quia modò dictum est, quantum sit auxilij, ad lucem gentium descriptioni inferendam, nouisse earum vicinitates & linguæ monumenta; putaui me rem gratam facturum Geographiæ, & præsertim historiæ studiosis, si breuiter sententiam meam explicarem, non de Cimmeriis tantùm illis, in quibus ad Augusti vsque ætatem nomen mansit; sed de prȩcipuis etiam illorum, qui nomen mutarunt aliis atque aliis nomenclaturis ad distinctionem adsumptis: quorum confinia & successiones bene examinantes, obscuritatis plurimum Cimmeriis nostris auferemus. Plurimos video in hoc campo & olim cucurrisse, & hactenus etiam currere, sed paucissimos esse qui multum promouerint ad originum inuentionem. Verùm quia nimis prolixum esset de omnibus inquirere, nobilissimos tantùm nobis proponemus, Cimmerios, Sacas, Sacsones, Massagetas, Getas, Daas, Alanos, Tectosaces, quorum particulatim rursus colonias perquirere insani sit laboris. Primum igitur exordiar à Cimmeriis Comari genus & nomen seruantibus. Ptolemæus vir in antiquis gentium nominibus & sedibus, & inquirendis & fideliter conseruandis, longè ceteris omnibus anteuertens, Comaros ad Iaxarti fontes collocauit. Comaros autem & Cimmerios ab eodem primogenio Gomer deriuari antè satis ostendi. Diligenter igitur examinandum, quando hæc loca in media Asia Cimmerij occuparint. Nescio igitur an absurdum deberet existimari, si quis crederet aliquos ante insanas Babyloniæ turris substructiones è Comari liberis hîc commoratos esse, antequam ad cãpos descenderetur. Intra enim diluuij & Phaleci ætatem, anni paulo plus minus centum & triginta effluxerunt, quo tẽpore turris cœpit ędificari. Tãto verò temporũ lapsu, & Ianus, & Gomer, & Ascenez, & ceteri familiarũ principes maximũ liberorũ numerũ potuere procreare. Neq; enim Moses dixit, nec verisimile est statim ab inundatione ad humilia loca descendisse, sed tũ demũ cùm iam in magnã multitudinem excreuissent, & armenta copiosissima possiderent. Credo enim paulatim ab Oriente ad Occidentẽ Noachi posteros progressos esse: eo quòd maioribus nostris, & nobis hactenus moris est, Solẽ, vbicunq; liberũ est, & sine incõmodo id fieri potest, semper cõsequi, ne videamur naturę ductui sine causa aduersari. Multa sunt in Platone de quibus cõiecturã facere liceat, eũ multa in Ægypto ab Hebręis, vel Hebręorũ discipulis didicisse, quãuis Demetrius Phalereus necdũ Biblia Iudęorũ regio sumptu vertenda curasset. Di-

luuij

Iuuij apud Græcos mentio multa fuit, ſed quòd poſt diluuiũ in mõtibus primùm paſtorum vitam egerint; deinde ad latera pagos habitarint; poſtremò ad planiciem deſcenderint, ad diuinam quandam cognitionem videtur referre; Homerũ ex eo diuinum faciens, quòd tria hæc genera indicaſſet, tametſi non illis primis à cataclyſmo, ſed aliis, poëtico more, ea tribuiſſet. Primos igitur dicit, per familias in montibus diſtinctos fuiſſe, quarũ pater quiſque ſuam regebat, genere regni omnium iuſtiſsimi. Hanc habitandi viuendiq́ue formam, vt bene Homerus expreſſit, ita, meo quidem iudicio, parũ bene Cyclopibus appinxit; rectiùs & cõuenientiùs tũ veritati, tũ Platoni facturus, ſi eam paſtoribus, in altiſsimis montium pratis armenta & greges alentibus, dediſſet. Quia tamen habitationũ hæc ſeries, nõ ſolùm de natura Platoni petita videtur, ſed diuinum etiam quiddam habere; quod nihil aliud eſt, quàm quod ex antiquis diuinorum hominũ narrationibus ſit ſumpta, non dedignatus ſum verſus adſcribere:

„ Τοῖσιν δ' ὅτ' ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες,
„ Αλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα,
„ Εν σπέσσι γλαφυρῇσι, θεμιστεύει δὲ ἕκαστος,
„ Παίδων ἠδ' ἀλόχων οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Id eſt, vt ex tempore vertam:

Non fora ſunt iſtis, non publica iura ſequuntur:
Montibus at ſummis habitant caua ſaxa, ſuisq́ue
Vxori & ſoboli dicit ius quiſque ſeorſum,
Securus quid agant reliqui diuerſa per antra.

In his, dum dicit montium capita, id eſt, ὀρέων κάρηνα, habitari, optimè alluſit ad montes Ararat, quod eſt ad montes ſummæ altitudinis; in quibus cùm Arca quieuiſſet, homines primùm habitauerunt. Reliquas duas habitationes poſteriores ad hunc modum expreſſit:

„ Κτίσσε δὲ Δαρδανίην ἐπεὶ οὔπως ἴλιος ἴρη,
„ Εν πεδίῳ πεπόλιστο πόλις μερόπων ἀνθρώπων,
„ Αλλ' ἔθ' ὑπωρείας ὤκουν πολυπίδακος ἴδης. *id eſt,*

Dardaniam ſtatuit, quoniam ſacra Ilios haud dum
A diuerſiſonis in campo culta iacebat,
Sed dum deſcenſus Idæ, cliuosq́ue tenebant.

Agnouit profectò in his Plato, quod in Aegypto didicerat de diuinis libris profectum; atque idcirco dicit, poëtam non naturæ tantùm, ſed Deo etiam conſentire. Cui verò Deo? Cui, niſi illi, qui hiſtoriam hanc Moſi dictauerat? Quòd verò illud fuerit diluuiũ, poſt quod Dardaniam conditam eſſe, poëta indicauit, Nonnus Panoplita

tertio

tertio Dionyſiacôn libro perſpicuum fecit, vbi erroris eius, quos antè reieci, duces ſecutus, tria diluuia deſcribit, quorũ tertiũ in Dardani iuuenta dicit accidiſſe. Nõ ſunt igitur ociosè Poëtæ legendi. Nã vbi minimè reris, alta condunt myſteria, quæ nõ ferè cernuntur ab aliis, quàm ab iis, qui eiſdé ſunt initiati. Sic nos antè monſtrauimus, Virgilium Germanorum mores & nominis rationem Latinis applicuiſſe: quod niſi vocis originem intellexiſſemus, parum erat nobis allaturum voluptatis. Plato itaque, quòd ſacrorum conſcius eſſet, optimè ſubodoratus eſt, vnde hæc ornamenta, quibus alios indutos in Scenam produxit, Homerus ſuppilaſſet. Fures enim ſunt ſacri vates, ſed Laconici, quos non quiuis deprehendat. Verùm vt hoc in Platone laudo, ita illud ei minimè aſſentior, quod eiuſmodi Cataclyſmos, ſiue inundationes, & ſedium permutationes frequẽtes fuiſſe credat, peſsimus in hoc Ariſtoteli dux & magiſter. Credendum igitur homines, primùm illic habitaſſe, quò primùm ex Arca deſcenderunt. In ſacra hiſtoria dicitur Arca in montibus Ararat quieuiſſe: ceterùm, qui illi ſint, non ſatis liquet. Beroſus Gordyæorum montes eos eſſe prodidit, qui Ptolomæo in medio Armeniæ maioris, inter Antitaurum & Amanum ponuntur: qui ſitus facit, vt ſententia Beroſi ſit reiicienda. Nam in Bibliis legimus: Cùmque proficiſcerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in ea. Cùm igitur Gordyæi, ſiue, vt Ptolomæus ſcribit, Gordæi montes longitudinẽ habeant graduum duntaxat ſeptuaginta quinque, & Babylonia in campis Sennaar, ab Occidente, ſeptuaginta nouem gradibus totis recedat, efficitur vt medium Gordæorũ montium duobus gradibus longiùs, quàm campi Sennaar, in quibus Babylon condita eſt, ab Oriente diſtet. Quamobrem, ſi ab illis montibus Gordyæis proficiſcebantur, dicendum erat potius eos ab Occidente proficiſci, ſi ad Ortum & Occaſum duntaxat, fieret itineris deſcriptio. Cùm tamen calculus à maximis diſcriminibus itinerum, ferè ſubducendus ſit, ij qui à Gordæis montibus Babylonem peterent, à Septentrione aut à Circio proficiſci dicerentur: quia Babylon quinque gradibus Vrſam inferiorem videat, quàm Gordæi. Nicolaus Damaſcenus montem eum, in quo Arca quieuit, Barin nominat, in Armenia etiam ipſum collocans, & reliquias item in eo perinde atque Beroſus in Gordæis inueniri aſſerens. Verùm cùm ex Armenia in Babyloniam eunti iter ſit à Septentrione, non ab Oriente, ne hic quidem eſt audiendus. Pari ratione Abydenus quoque confutetur, qui in Armenia Arcam, à Seiſithro, monitu Croni factam, relictam eſſe dicit; pro Noa Seiſithrum neſcio quem, pro Ioue Cronum indu-

inducens. Omnes autem hi,& quotquot poſt eos ſunt ſecuti, nimis oſcitanter ex montibus Ararat, montes Armeniæ ſomniarunt, non animaduertentes plus ponderis eſſe in Geographica demonſtratione,quàm in vnius ſyllabæ conſonãtia. Quæ verò hæc eſt tam effrons impudentia propter alluſionem vocis hiſtoriæ cuiuſuis,nedum Moſaicæ,peruertere veritatem? Nemo mihi ſuadeat,nemo,inquam,auctoritatis quamuis magnæ, niſi fruſtra velit verba fundere, vt quicquam credam,quod apertè cum Moſis narratione pugnat, quæ vna eſt regula certiſsima omnium hiſtoriarum, ad quam niſi quadrent, ad veritatem quadrare non poſſunt. Obiiciant igitur,quotquot volent, teſtes, & inter alios ipſum etiam Chaldæum Turgumannum Beroſo conſentientem, dum montes Cardu pro montibus Ararat poſuit;omnes tamen vnius Moſis auctoritate ſubmouebo, omnibus reliquis pluſquam Colophonium in Panionio ſolet,ſuffragium præponderante. Quamuis igitur vulgata interpretatio,& hoc loco,& in quarti Regum capite vndeuiceſimo Ararat Armeniam eſſe velit, non tamen ob id erit contra ipſius auctoris ſententiam ſequenda, niſi Armeniam aliis finibus quàm à Geographis fit, includamus. Beroſus certè nullo modo excuſari poteſt,quòd non contentus fuerit Armeniæ nomine,ſed partem eius illam expreſſerit, quæ Babyloniis ad Occidentem duobus gradibus propiùs accedit. Chaldæa interpretatio Cardu pro Gordyæis poſuit, vocem eiuſdem tum propaginis, tum ſignificati. Verùm enimuero quia quod multis placuit, & in quo doctiſsimi quique conſentiunt, non poteſt carere omni ratione,ſi non veri,at ſaltem veri ſimilitudinis,diligenter hunc locum excutiamus. In primis omnibus eſt apertum & extra controuerſiam, Arcam in altiſsimis montibus conſediſſe. Deinde certum de Moſis teſtimonio, eos Babyloniis ad Orientem ſitos eſſe, cùm ad Babylonios campos ab Oriente longa profectione tandem peruenerint, vtpote qui non ante triceſimum ſupra centeſimum à Cataclyſmo annum turrem ædificare cœperint. Veriſimile igitur eſt,paulatim ab Oriente paſcẽdo,cõmorandoque, Babylonios in campos veniſſe,nec id è proximis,ſed longinquis partibus,ſi interualla temporis ratione ſint metienda. Si igitur retrò legamus iter per mõtes in Orientẽ tendentes, primùm eos aſcendemus, qui Suſianæ, deinde Perſidis, mox Carmaniæ,poſt Drangianæ ſeptẽtrionali lateri incũbunt: quibus ſuperatis, ad eos venietur qui Paropaniſi nomine dicũtur, quorũ altiſſimi & aſperrimi illi ſunt, quos Ptolemæus dixit propriè Caucaſios nominari. Ad hos igitur dicemus Arcã ſubſtitiſſe,vt ad eos,qui totius Aſiæ altiſsimi eſſent;& ab his paulatim homines montiũ ab Oriente *Paropaniſus.*

in Occidentẽ ductu perueniſſe ad eos montes, quibus cãpus Sẽnaar, & Suſiana regiones lætiſſimæ ſubiiciuntur, ac tũ demũ inuitatos cãporũ amœnitate,& pertæſos aſperæ & mõtanæ vitæ deſcendiſſe: verũ nõ ſatis fidentes promiſſioni diuinæ,turrẽ ſtruxiſſe, qui montium æquaret altitudinem,in qua poſſent ſi terræ rurſus inundarentur, ſe ſeruare. Hæc enim ipſorũ profectio per alta montiũ iuga,& tuta ipſis videbatur,& cõueniens Solis meatui;cuius auſpicia Nembrot cũ ſuis ita ſuperſtitioſe tũ videtur ſecutus eſſe,vt numinis ſummi loco & ipſe adorarit,& alios,vt idẽ facerẽt,coëgerit. Hinc apud omnes ferè vicinas gẽtes Sol diuerſis nominibus cœpit coli, tãquã is cuius ductũ ſecuti, ad beatiſsimos illos & lætiſsimos campos per cõtinuata montiũ cacumina perueniſſent. Ducti ſunt igitur à Sole,& ſic ducti, vti cõueniebat ipſorũ timori de memoria diluuij adhuc manẽti. Nec quouis ducti,ſed ad lætiſsimos Aſiæ cãpos,duorũ maximorũ fluminũ aquis, vt minora prætream,irrigatos. Adiuuabat ad hoc iter continua illa montiũ catena,quæ à Paropaniſo ad Suſianos vſque deſcendit. Videmus itaq; quàm cõſentanea ſint naturæ, quæ Moſes ſcripſit,& quàm ad amuſsim quadrent cũ illis quæ Plato hinc mutuatus videtur: quæ omnia corruunt & inter ſe pugnant, ſi de Cardu ſiue Gordyæis mõtibus intelligãtur. Sed quo omnia fiant dilucidiora,placet altiùs hęc examinare; ne in lectione ſacræ hiſtoriæ tanquã mythologia obiter omnia tranſeamus,ſuſq; deq; ferẽtes,an locorũ deſcriptioni & naturę cõſentiant,an diſſentiãt. Eſt igitur hoc principio ſciendũ, maximũ illum Aſię montẽ,qui ab Oriente in Occidentem,inter Meridiem & Septentrionem variarũ gentium domicilia continet,variaſq; montiũ maximorũ propagines huc,illuc emittit,ab aliis Taurũ,ab aliis Caucaſum nominari. Strabo Caucaſum inter mare Caſpium & Pontum Euxinum locauit,quem montẽ Ptolemęus quoque Caucaſum vocari dicit; ſed propriè tamen Caucaſios mõtes eos eſſe, qui Paropaniſum terminant. Arrianus ex Ariſtobulo ſic habet: Caucaſus mõs eſt,ſi quis alius, in Aſia excelſus, & cùm alibi multis locis caluus ſit, tũ maxime hac parte. (agit autem de parte ea quæ ad Paropaniſum pertinet) Eſt enim Caucaſus tam longè extenſus, vt Taurũ etiam qui Ciliciam à Pamphylia diſtinet,ab eo deriuari dicant, & alios quãplurimos montes ingentes,qui ex diuerſitate gentium diuerſas ſortiuntur appellationes. Ex hoc Caucaſo Iaxartem & Oxum defluere,paulo pòſt eodẽ tertio Anabaſeos libro, aſſerit: quibus Ptolemæi ſententia iuuatur, qui hac parte eos montes poſuit, qui propriè Caucaſij ſint vocandi. Plinius diligens antiquitatum cùm in aliis, tum maximè in Geographia explorator, nomen Tauri totius eſſe voluit: cuius verba, quia mul-

multũ conferunt ad propoſitũ meum, lubenter adſcribam. Taurus, inquit, mons ab Eois veniens, litoribus Chelidonio promõtorio diſterminat. (agit de ſinu ad mare Lycium, in quo Chelidoniæ ſunt inſulæ) immenſus ipſe, & innumerarũ gentiũ arbiter dextro latere Septentrionalis, vbi primũ ab Indico mari exurgit, læuo Meridianus, & ad Occaſum tendẽs, mediámq; diſtrahens Aſiam, niſi oppriměti terras, occurrerent maria. Reſilit ergo ad Septentriones, flexusq; immẽſum iter quærit, velut de induſtria rerũ natura ſubinde æquora opponẽte hinc Phœnicium, hinc Ponticũ, illinc Caſpium & Hircaniũ, contraq; Mæoticũ lacũ. Torquetur itaq; colliſus inter hęc clauſtra, & tamen victor flexuoſus euadit, vſque ad cognata Riphæorũ montiũ iuga, numeroſis nominibus & nouis, quacunque incedit inſignis, Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Parapamiſus, Circius, Chãbades, Pariades, Choatras, Oreges, Oroandes, Niphates, Taurus, atq; vbi ſe quoq; exuperat, Caucaſus: vbi brachia emittit ſubinde tẽtanti maria ſimilis, Sarpedon, Coraceſius, Cragus, iterũq́ue Taurus etiam, vbi dehiſcit, ſeq; populis aperit, portarũ tamen nomine vnitatẽ ſibi vindicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caſpiæ, alibi Ciliciæ vocantur. Quinetiã confractus effugiens quoq; maria plurimis ſe gentiũ nominibus hinc & illinc implet; à dextra Hircanus, Caſpius, à læua, Pariedrus, Moſchicus, Amazonius, Coraxicus, Scythicus appellatus. In vniuerſum verò Græcè Ceraunius. Hæc Plinius in deſcriptione Lyciæ, nõ minore copia & ornatu, quàm diligẽtia. Nomen igitur totius Plinio Taurus, q; & partibus tribuitur; Arriano Caucaſus; Ptolemæo Caucaſus, impropriè, vt vult, inter mare Caſpium & Pontũ; propriè verò inter Paropaniſum & Imaum, ad fines Comedorũ & Sacorum. Notandũ hîc eſt, tum Plinio Caucaſum maximè dici, cùm ſe quoque ſuperat, id eſt, vbi altiſſimus. Sed cùm Ptolemęus propriè Caucaſum ponat ad terminos Paropaniſi, neceſſe erit fateri, ſi cõſentanea alteri alter dicát, ad Paropaniſum altiſſimũ eſſe: quod & ipſum Ariſtobulo videtur placuiſſe, eò quòd ad Bactra maximè caluum eſſe dicat; maximè enim caluus illic eſt, vbi totus glacie eſt obſitus. Ariſtoteles nomen Caucaſi, non aliter atq; Ariſtobulus, & ex eo Arrianus toti monti applicuit; eò quòd multas gentes in eo domicilia habere dicat; altitudinem tamẽ, quæ à Ponto ſpectatur, ea parte qua Bathea vocantur, maximè admirabilem facit; ſed in eo maximè fallitur, quòd crediderit, ad tertiam vſque noctis partem à Sole illuſtrari, niſi velit crepuſculum vnà computare: quo certè modo nihil mirum eſſet, cùm nox ad finem Geminorum breuis admodũ, breuem habeat tertiam partem, & crepuſcula longiſſima in illa poli eleuatione, adeò, vt

Caucasus vbi maximè Caucasus.

nobis quoque in plano, vix tertia pars noctis lumine prorsus careat. Sed nihil ad hunc locum. Sat est mihi, docere apud omnes opinionem fuisse, Caucasum altissimum esse totius Asiæ montium, & illic eo nomine maximè dignum, vbi est celsissimus. Cùm igitur à Ptolemæo nomenclatura hæc maximè ei conuenire dicatur ad Paropanisum, erit illic quoque celsissimus censendus. Sed vnde hoc discrimen oriatur, vt alibi magis, alibi minùs Caucasi nomen mereatur, vt Geographus non expresit, ita Plinij diligentia Latinis ostendit, addita vocis etymologia de Scythico sermone deprompta. In illo enim non Caucasum, sed Graucasum ait vocari, quòd sit niue candidus. Vereor equidem vel Plinium non rectè accepisse, vel vocem pòst corruptam esse. Nam sicut in priore syllaba tenuem in mediam litteram mutauit, ita & in altera syllaba erat faciendum. Graugasus enim non Graucasus esset scribendum, à Grau Gas, quod nobis significat canam viam. Si tamen mihi liceat coniecturam facere, Grauglasum Scythæ nominarunt. Quod enim Italis est vitrum, nobis Glas est, & Sueuis Glets. Alpium igitur illa summa cacumina quæ procul à multis millibus passuum cana capita ostentant, supernè niuibus, inferiùs glacie perpetua contecta, nobis Glas-bergen, id est, montes vitrei, Italis Vitreta vocantur. Vt ergo & niuem perpetuam, & perpetuam glaciem exprimas, nulla voce aptiore, & propiùs ad vsum Scythicæ linguæ accedente id consequaris, quàm si Grauglasum pro Caucaso dicas. Sic enim intelligemus non alibi propriè Caucasum, siue potiùs Grauglasum lingua Scytharum siue Cimmeriorum vernacula nominari, quàm vbi ab Italis Alpium radices tenentibus, Vitretũ vocaretur. Miranda fuit hic Ptolemæi diligentia; miranda Plinij, sed huius magis, quàm illius, quòd vocis originem causam fecerit, ob quam vbi altissimus esset, illic propriè Caucasus diceretur: hoc vno ab altero superatus, quod ille etiam docuerit, qua sui parte talis esset, vt eam appellationem propriè mereretur. Permultum contulit horum scriptorum collatio, ad illud quod volumus efficiendum. Dicimus itaque ad finem Paropanisi Arcam appulsam esse spiritu illo à Deo misso, quem Aquilonem Ouidius optimè interpretatur; atque illic ad Caucasi initium constitisse. Donec enim pluuiæ durabant, Austrino flatu ad Septentriones propellebatur, vti pluuiis diuturnis & perpetuis ab Austro haud temerè separandis. Deinde verò cùm Ioui placeret ventum mittere quo terra siccaretur, vt Moses narrat, Aquilonis spiritu relata est ad plagam meridianam, vbi summis verticibus appulsa mansit, benignissima Dei prouidentia nauem sic gubernante, vt naturæ ductu in illa terræ zona siue plaga hęreret,

quæ

quæ omnium est temperatissima, inter quadragesimum & tricesimum latitudinis gradum comprehensa. Hinc itaque Sole præeunte, & Ioue dirigente ad Occidentem recta sunt profecti per continua montium dorsa, donec ad vberrimam & amœnissimam camporum latitudinem peruenirent. Hac igitur via obseruata, ad vnguem consentiunt omnia, tũ cum natura ventorum & regionũ situ; tum cum Mosis verissima narratione. Constanter igitur affirmo, Paropanisi & Caucasi verticibus altissimorum in tota Asia montium, Arcam constitisse. Quod vt reddatur verisimilius, de Paropanisо paucula sunt annotanda; & illud imprimis, aliter Plinio, aliter Ptolemæo montem hunc vocari, nominibus tamen ita vicinis, vt facilè quiuis sit iudicaturus ab eadem origine proficisci. Nam Plinius Paropamisum, Ptolemæus Paropanisum vocauit. Dionysius videtur Parnassum nominasse. *Arca vbi constiterit.*

Ἀλλ' ἤτοι βάκτροι μὲν ἐπ' ἠπείροιο νέμονται
Χώρην εὐρυλέρην, κνημαῖς ὑπὸ παρνησσοῖο. *id est,*
Latiùs at Bactri Parnasi ad crura morantur.

Eustathius tamen dubitat, an Parpamissus, an Parnassus sit legendum, cùm tamen hoc loco hanc dubitationem versus non admittat. Accuratiùs pòst de eadem appellatione tractat, vbi Dionysius de Arianis agens dixit ὧδε ὑπὸ πτυχὶ παρπανισσοῖο: quo loco addit multa exemplaria habere παρνισσοῖο, quod tamen non probat. Nos Ptolemæo adhæremus, cuius accuratam inquisitionem crebrò cogor admirari. Paropanisus igitur dicatur, non Parpanisus, non Paropamisus: quod ita statuendum esse, ratio vocis ostendit, quam facillimè intelliges, si scias qui Alpium aut Pyrenes, aut alterius montis magni vertices cernantur. In illis enim plærunque accidit, vt media culmina perpetua niue candeant, inferiora non item. Quocirca è planicie medius mons faciliùs & citiùs videtur, quàm eius radix, ita vt iis qui in montanis regionibus nunquam fuerũt, proximi videantur; quod & ipse in me, & aliis pòst multis, sum expertus. Demus igitur hoc modo quenquã Græcorum ab Ariano quopiã interrogasse, quinã essent illi altissimi vertices. Huic optimè & peraccommodè respõderi potuit; φαρ op an is, id est, longè hinc ad eos ascendendum esset ad ipsam vsque glaciem. Nam φαρ remotum, op superiùs vel ascensum, an, ad siue propinquum: is longa vocali glaciem significat. Composita hinc dictio Pharopanis, cui adiecta Latina terminatio, Pharopanisus facit. Glacies autem ea, ad quam cãdentes illi vertices esse dicebãtur, in Caucaso erat ab omni æuo congelata, à qua Grauglasum diximus

vocari, à vitri ſimilitudine. Dicitur enim glacies ſimpliciter Ις; quæ ſi nunquam liqueſcat, perinde atque vitrum, vocatur Ελας. Ελας verò nomen habet à læuitate & lubricitate. Lubricum enim γλατ nominamus. Siue igitur Paropaniſus ſiue Pharopanglaſus dicas, idē ferè ſignificatur. Quamobrem mons Caucaſo cohærens, optima ratione ſic eſt nominatus. Eſt autem hæc ratio nominis Scythica, quā Græci ignorantes, à Pharopaniſus Parpamiſus fecerūt. In illo tamen, ſi dicatur Paraniſus, nihil eſt erroris: eo quod φαρ an is eiuſdem eſt ſignificati, cuius Latinis Procul ad glaciem, citra notā altitudinis, quę per voculā op notatur. Cùm igitur dici rectè poſſit vtrunque, facile fuit è Paraniſo facere Parniſum, & vlterius Parnaſſum, quæ poſtrema vox Græcis magis videtur placuiſſe, ob montem in Græcia non ſolùm cognominem, ſed Muſis etiā gratum. Hinc igitur occaſio data eſt, vt cùm è priſcis & Ogygiis narrationibus accepiſſent, Arcā ſiue Larnacē Parniſo appuliſſe, pro eo Parnaſſum dicere mallent. Nec verò ob nominis conuenientiā ſolum ſic crediderūt, ſed propterea etiā, quòd quæ de Deucalione ferebātur Græcię adſcriberent. Non ĭgitur mirū fuit ſi nihil de Paropaniſo Aſiæ cogitarint, falſa diluuij Theſſalici fabula occupati. Adeò verò conſtās fuit opinio ad Parnaſſum arcā appuliſſe, vt Andron apud Phauorinū, & Stephanus in Cōpendio de vrbibus, auctores ſint, Parnaſſum dictum eſſe quaſi Larnaſſum, à Larnace, id eſt, arca: eo quòd Deucalionis arca in eo quieuiſſet. Quis hîc nō videt, è ſimilitudine nominū Parniſi & Parnaſſi, ortā eſſe fabulā? Nā Paraniſus facilè per ſyncopen trāſiit in Parniſum; vbi quia Ι vocalis longa eſt, & ſibilus longus, non malè littera conſonans eſt duplicata. Confirmatur ergo hęc mea ſententia de montibus, in quibus arca conſtitit, non ſolum terrarum ſitu, ventorum ratione, Moſis hiſtoria, & temporis in profectione longitudine, ſed Græcorum etiā antiquiſſima narratione, in qua Parniſſus Aſiæ cauſam dedit fabulādi de Parnaſſo Europę. Nicolaus Damaſcenus, cùm Parniſi fortè mētionem à maioribus per manus accepiſſet, è Parniſo Baris fecit, montem, neſcio quem, ita appellari exiſtimās, ſuper Minyada in Armenia ſitum. In Armenia maiore nuſquam Baris eſt aut Minyas, quod equidem ſciā. Altas turres ſcio βαρεῖς à Hieronymo vocari, quo tamen loco Oſeæ in fine capitis octaui noſtra Græca trāſlatio nullam facit Bareon mentionem, vt clarè cernas, Septuaginta Interpretum non eſſe. Cognita eſt ciuitas in Italia hoc nomine, ſed nihil ad montem Armenię. Venio igitur in hāc ſententiā, locum vnius litterę mutatione inſigniter eſſe corruptum. E Milyade enim Minyadem video factā, eo quòd hæc fortè ſcribæ notior eſſet. Eſt autē Milyas montana

Baris.

Milyæ.

in

in Tauro sita, parte ea qua transitus est ad Sindá. Plinius hanc regionem ad Barin collocauit, vt apertum hinc fiat, ad quam Tauri partem Arcam appulisse Damascenus prodat, quippe non procul ab iis locis, quibus Antitaurus Tauro iungitur, quò vsque Galatiæ laciniá Plinius extendit. Longè igitur hic mons abest ab illo Gordyæorum ad vmbilicum Armeniæ maioris iacente: sed quanto Armenia minor magis ad Occidentem vergit quàm Armenia maior; tanto à veritate Nicolaus, quàm Berossus, lõgiùs recessit. Verùm video quid sit: vterque eam Tauri partem accepit, quam sibi proximè sitam altissimam putauit; quanquam nescio an Parnisum non inueniens Baris acceperit. Baris certè nomen Galatarum videtur, & ei parti vicini Tauri imposita, quæ maximum vitretum, si liceat mihi voce Italica vti, siue plurimum glaciei haberet. Vt enim dixi lingua Cimbrica siue Scythica, quæ eadem est cum Galatica, vt pòst docebo, Is glaciem vocat, & Bar idem quod Latini purum: vt cùm dicimus Bar gest, id est, pura pecunia. Baris itaque Galatis erat pura glacies in illa Tauri summitate perpetuò iacens, quam hoc nomine vocabant. Parnisus igitur auditus, ad Barisum fortè transiit, inuitante etiam altitudine immani ad credendum Arcam illuc appulisse. Lubenter enim omnes id suis locis adscribunt, quod vbi contigerit, non constat; etsi constet, nomen tamen frequenter ad idem alterius significationis transferunt, vel in simile commutans, tum rerum, tum vocũ conuenientia decepti. Statuimus igitur Larnacem ad Paropanissum, vel Paranissum, vel concise Parnissum, stetisse; atque inde longa & diuturna profectione in campos Sennaar ventum esse. Ne tamen interpretationem illam quæ montes Ararat, Armenos interpretatur; & in lib. Regum, Ararat Armeniam, prorsus reiiciamus, quasi nullam habeat causam; aperiemus quid sint secuti qui sic verterunt. Hispani & Itali, & plerique etiam Galli, omnes Belgas siue Germanos inferiores, Flamingos appellant, non ob aliam causam quàm quòd illos vel proximos habeant, vel maximè notos, ob mercatum eum qui auorum memoria Brugis apud Flamingos fuit celeberrimus. Eodẽ modo, vt pòst dicam, Persæ, omnes Scythas Sacas nominarũt, quòd hos maximè nossent & in militia, & in commerciis. Haud aliter Assyrij & Iudæi, omnes illos qui in Tauro latissimè sparso versus mare Caspium habitabant, Armenos vocauerunt; quòd hos præ ceteris maximè nossent. Ararat igitur Taurus erit, qua parte ab Asia minore discedens ad Imaum vsque pertingit, secundum mare Caspium innumeras gentes complexus, quarum primum locum Armeni tenebãt; & idcirco reliquarum regionum imperitis occasionẽ dederunt,

Flamingi.

Armeni.

Ararat.

vt

vt omnes reliqui eodem nomine dicerentur. Plurima ſunt vocabula apud Hebræos, quæ ſi à ſiniſtris ad dextra legantur, idem in alia lingua ſignificant, quod Hebræis à dextris lecta ad ſiniſtra: vt מדרגת gradus Latinis: נשק, Cuſſey Teutonis, & id genus alia nõ pauca, de quibus alibi. Idem in nobiliſsimo hoc monte accidiſſe credo; ſed eum qui vocem primus de Hebræis characteribus tranſcripſit, falſum eſſe duarum litterarum magna ſimilitudine, quæ fecit vt loco Res Vau legerit, niſi fortaſſe Hebræis error hic ſit imputandus. Nam vtraque pars in voce ignota falli potuit. Quod verò dixi, ſuſpicari me, Res pro Vau irrepſiſſe, litterarum quadam ſimilitudine, id nouum videri minimè debet apud Hebræos, in vocibus præſertim peregrinis atque ignotis. Hieronymus ad nonam Hebræorum caſtrametationem annotauit pro Daphca, à quibuſdam lectum eſſe, Raphca, litteram ponentibus pro littera; eò quòd Res & Daleth paruo apice diſtinguantur; atque inde factum, vt curationem interpretarentur, de qua tropologiam inuenirent, quam ſibi putarent perſequendam. Eodem lapſu ex Vau fieri potuit Res, atque eo procliuiore lapſu, quòd Res præcedens ſecundum Res inuitare videretur. Quod ſi ita ſit, ex ארוט Aruat factum eſt Taura, vnde Græca formula Tauros. At ſi pertinaciter Res ipſum duplicandum eſſe contendas, fiet Tarra, & inde Euphoniæ cauſa Græcis Tauros, altera canina littera in u commutata. Hieronymus in caput Eſaiæ triceſimum ſeptimum ſcribens, ait, Ararat campos illos ſignificare in Armenia, per quos Araxes fluit fluuius incredibilis fertilitatis ad radices Tauri montis; qui eò vſque extenditur: addens, Arcam in qua liberatus eſt Noe, non ad montes generaliter delatam eſſe Armeniæ, quæ Ararat appellatur, ſed ad montes Tauri altiſsimos, qui Ararat imminent campis. Duo in his bene habent, alterum quòd montes Ararat, Tauri partem faciat; alterum, quòd Tauri partem altiſsimam eſſe velit, in qua Noe Arcam ſit egreſſus. Sed in eo diſcrepamus, quòd ad Araxem altiſsimum Taurum faciat contra Ptolemæum, qui Caucaſios, id eſt, altiſsimos vertices ad Paropaniſum ponit: deinde quòd nominis inductus vicinitate, Ararat campos eſſe credat Araxis. Nam ſpiritus ad terram deſiccandam à Deo inductus, quem Aquilonem eſſe, nõ Ouidius ſolus, ſed quiuis intelligit, niſi ſenſu communi careat, longè propiùs ad æquinoctialem tanto dierum ſpacio propulerit, quantum eſt à menſe quinto ad menſis ſeptimi viceſimum ſeptimum diem computandum. Nec eſt quod quenquam moueat, Auſtros, & pluuias ad quinque menſes durantes, longè remotiùs Arcam potuiſſe ad Septentriones agere, quàm quinquaginta ſeptem diebus potuerit remeare. Incertum eſt

hacte-

hactenus, quo loco sit compacta; sed cùm Deus Paradisum plantauerit מִקֶּדֶם, id est, ab Oriente, sitque India regio omnium beatissima, posset quis non absurdè in animum suum inducere, quòd Deus hominē principio collocarit, ad eam Indiæ partē, quæ est temperatissima: idque magis, quoniam Phison, quem Gangem putant, primum inter flumina Paradisi Moses numerarit. Verùm, quia Hieronymus Paradisum ante terram & cælum factum putat, de Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi interpretatione, qui Kedem hoc loco, non Orientem, sed principium significare autumant; & Augustinus, & ceteri varia admodū de illo sentiant; aliis omnia allegoricôs; aliis omnia historicôs; aliis partim hoc, partim illo modo exponentibus, nolo in re tot controuersiis intricata, quid singuli sentiant, explicare, præsertim cùm plerosque videam, vel nullis, vel parū idoneis argumentis niti. Breuiter ergo Gan eden, nihil aliud est, quàm hortus voluptatis. Adan enim deliciari est, vnde Eden nomē. Gan autē extra cōtrouersiā est hortus. Interpretes Paradisum verterūt, nec malè; cùm videam apud Xenophontem, Persarum paradisos, non hortos tantùm fuisse, sed diuersorum animalium viuaria, quæ in illis voluptatis gratia nutriebantur. Neque enim Græca vox est, sed barbara, vt Pollux annotauit, melius multò quàm Etymologici auctor, qui à δεύσω formauit, id est, irrigabo, quasi proprius esset plantarum. Paradisus igitur, siue hortus voluptatis, tota fuit terra hominibus citra molestias, cum voluptate perpetua victum præbitura, quam irrigabat fons magnus Oceanus, in quatuor orbis plagas fluuios emittens. Huius ad vetustissimos poëtas memoria, à priscis seculis promanans, campos Elysios dedit; & apud Homerum Phæacum vitam; & apud Hesiodum aureum seculum, quod sic describit:

„ Χρύσεον μὲν πρῶτα γένος μερόπων ἀνθρώπων
„ Ἀθάνατοι ποίησαν, ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες·
„ Οἱ μὲν ἐπὶ κρόνου ἦσαν ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν,
„ Ὡς τε θεοὶ ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
„ Νόσφιν ἀτερπέων πόνων καὶ οἰζύος, οὐδέ τι δειλόν
„ Γῆρας ἐπῆν, αἰεὶ δ' ὁμοίας κατὰ χεῖρας καὶ πόδας ἦσαν
„ Τέρπνοι' ἐν θαλίῃσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων
„ Θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι, ἐσθλὰ δὲ πάντα
„ Τοῖσιν ἔην, καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
„ Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον, οἱ δ' ἐθελημοὶ
„ Ἥσυχοι ἔργα νέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσι.

Nos obiter ſic:

Aurea progenies à dijs eſt facta beatis,
Principio cùm ſceptra Cronus, cælumque tenebat,
Quæ citra curas, vt dij, citraque dolores,
Ærumnasque omnes ſenijque incommoda triſtis,
Apedibus manibusque ſibi per ſecula conſtans,
Menſa gaudebat læta atque experte malorum:
Mors erat vt ſomnus: proſperrima denique quæque:
Sponte dabat tellus multum largiſſima fructum,
Quo frueretur homo tranquilla per ocia felix.

Hinc licet videre, non è loco aliquo homines eiectos fuiſſe, ſed eiectos fuiſſe ab hac naturæ benignitate, qua omnia ſuppeditabantur citra laborem, quod eſt diris illis, quas Deus Adamo inflixit, maximè conſentaneum, quæ fecerunt, vt terra tribulos ferret, ac cetera lætiorum fructuum impedimenta. Virgilius, vt Elyſium campũ ab Homero accepit, ad quem priſca fama peruenerat; ita de Sibylla diuiniore magiſtra, ad Paradiſi vitam deſcribendam, fuit inſtructus:

„ *Non raſtros patietur humus, non vinea falcem,*
„ *Robuſtis quoque iam tauris iuga ſoluet arator.*

Et paulò priùs:

„ *At tibi prima puer nullo munuſcula cultu,*
„ *Errantes hederas paſſim cum Baccare tellus,*
„ *Miſtaque ridenti Colocaſia fundet Acantho.*

Et quò videas apertè de Paradiſo agere, ingerit & ſerpentis mentionem; necnon herbæ vetitæ, cuius guſtu parentes primi periere: quamuis herbam pro pomo acceperit, Sibyllam forſan intelligentiæ ſuæ adſtringens:

„ *Occidit & ſerpens, & fallax herba veneni*
„ *Occidit.*——

Videbatur igitur Sibylla promittere, terram rurſus fore Paradiſum, & ab integro ordinem mundi rediturum.

Magnus, inquit, *ab integro ſæclorum voluitur ordo.*

Non video itaque, qua de cauſa nõ debeam affirmare, terram totam Paradiſum fuiſſe ante Dei execrationẽ. Quòd verò dicitur, Deũ plantaſſe Paradiſum ab Oriente, id non indicat modò ordinem naturæ, ſed illud etiam, quo in loco primus homo ſit factus. Hoc enim, tametſi in ſcriptura ſacra non eſſet, de ratione tamen conſtare poſſet. An non illic maximè conueniebat, primum hominem collocare, vbi non Dei modò ſingularis gratia, ſed naturæ etiam prius creatæ conſonantia faceret habitationem amœniſsimam & ampliſsimam; quam neque

neque ob anguſtiã locorũ, neque ob fructuũ omnis generis inopiam, quiſquã mutare vellet? Si vſquã in terris erat incipiendũ, ab optimis haud dubiè fuit incipiendũ, pręſertim ab eo, in cuius operibus nihil poteſt melius cogitari. Eius autẽ volũtas in creaturis eſt deſcripta, cęlo terrisq; cõſentientibus. Si igitur India optima eſt omniũ regio, & omnibus rebus vberrima, & cælo clemẽtiſsima, in illius ea parte principiũ habitationis humanæ collocabo, in qua hæ dotes maximè ſpectantur. Huic meæ opinioni Ioſepus conſentit, dum Phiſon Gangem interpretatur: quod, quamuis non feciſſet, nobis tamen de illis licuit colligere, quæ in Bibliis adſcribuntur regioni per quam fluit. Vocatur ea à diuino ſcriptore, Hauilath ſiue Euilath; vix dubito, quin ea ratione, quòd in hac regione principium fuit omnis doloris; & quòd in ea mulier cœperit parere cũ dolore. Hauila enim dolentem & parturientem reddere poſſumus. Non malè igitur à principio doloris nomen accepit: propterea quòd, quamuis alia plurima in ea ſint ſingularia; nihil tamen magis fuit notandum, quàm initium illud omnium moleſtiarum, in quas parẽtes noſtri in illa terra ceciderunt. Quo potiùs loco terrarum Deus hominem primùm ſtatuiſſet, quàm eo, qui ad vitam humanam quàm ſaluberrimè, quàm copioſiſſimè, quàm ſuauiſsimè agendam eſſet aptiſsimus; ſi nihil in perfectiſsimi opificis actionibus tale eſt inuenire, quo mens humana, vt peromnia diſcurrat, quicquã præſtantius, aut ordinatius, aut melius queat cõminiſci? Indiam qui deſcribũt, ceteris omnibus regionibus præferunt, tũ ſalubritate, tũ vbertate maxima, nõ plantarũ modò, ſed animaliũ quoq; omnis generis; & præter hęc auri & lapidũ pretioſorũ, vt Biblia quoq; de Heuilath teſtantur. Hæc Plinio & Solino Fauonij flatu ſaluberrima, binas meſſes, binas æſtates in anno habet, mediis inter illas Eteſiis hiemis loco ſpirantibus: mare nauigationibus tutum, gentes innumerabiles, innumerabiles vrbes, & ſimiles mille dotes, quibus ceteris regionibus antefertur. Nimium ſim prolixus, ſi de ſcriptoribus omnibus exquiram cauſas, ob quas primas ſibi India vindicet, in qua Ganges ſiue Phiſon inter flumina primas quoque tenet. Aromatum omne genus, quod Luſitanorũ opera Antwerpiam adfertur, ſatis eſt indicio, quanta ſit eius felicitas. Virgilius arborum enormitatem tertio Georgicorum ſic celebrauit:

„ *Aut quos Oceano propior gerit India lucos*
„ *Extremi ſinus orbis, vbi aëra vincere ſummum*
„ *Arboris haud vllæ iactu potuêre ſagittæ.*

Quod ValeriusFlaccus hunc in modum eſt imitatus:

„ *Denſior haud vſquam, nec celſior extulit vllas*

„ *Silua trabes, feſſæque prius redière ſagittæ,*
„ *Arboris ad ſummum quàm peruenere cacumen.*

Varro apud Iſidorum lib. Etymolog. decimi ſeptimi cap. ſeptimo, beatam eius & ambroſiam arundinem, his verſibus depinxit:

„ *Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,*
„ *Illius & lentis premitur radicibus humor,*
„ *Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.*

Papinius Silua ſexta libri primi: *Et quas percoquit Hypaſita cannas.* Lucanus item:

„ *Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.*

Apud hos etiam delicatiſsimæ veſtes in arboribus creſcunt, lana Xylina, & Bombycis tela, de qua falsò credidêre veteres, arboribus depecti ſolere, in quibus fuit Virgilius:

„ *Velleraque vt foliis depectunt mollia Seres.*

Sed hoc tempore arundines illæ nectareæ ad multas alias regiones tranſierunt: Goſsipium totam Aſiam, Sericum totum ferè orbem repleuit. Ceteris igitur omiſsis, quæ infinita è diuerſis, tum vetuſtis, tum recentioribus ſcriptoribus adferre poſſemus, ad beatum Indiæ & ſitum & Genium oculis proponendum, vnum tantùm addemus, in quo tantum mihi viriũ eſſe videtur, ad id, quod volo, perſuadendũ, vt licèt reliqua deeſſent argumenta, hoc tamen vel ſolo apud æquos iudices peruinceremus. Verũ nihil æquè obfuit propoſito meo clariùs enucleando, atq; magna & incerta ſcriptorũ, in hac regione deſcribenda, diuerſitas; quam qui videre volet, Strabonẽ Ptolemæo, & Plinium vtrique conferat; & his Curtium & Arrianum addat. Sed quia vereor, ne fruſtra ſingulorum ſententias examinarem, ad certi aliquid eliciendum, non plus dicam, quàm ſatis ſit ad id, quò tendo. Aceſines igitur flumen eſt, quod in alueo viginti cubitis altum, ad alios viginti extrà attollitur, & omnem camporum circa latitudinem longè lateque inundat, & perinde atque Nilus in Aegypto opida, inſulas reddit, ſi Ariſtobulo fides habenda. Alexander primùm Cophem traiecit; poſt Cophem erat Indus; poſt hunc Hydaſpes: hinc Aceſines & Hyarotis; poſtremò Hypaſis, quem Hypanin Strabo vocat, ſuperandus. Confluunt autem omnes in vnum Indum, in quem antequam deſcendant Hyarotis & Aceſines, in vnum coierũt. Inter Hydaſpem & Aceſinem erat Pori regnum, trecentarum ciuitatum, in primis opulentum. Aceſines non aliter atque Nilus fabas Aegyptias profert, vt Nearchus Strabonem docuit. Certè omnium conſenſu, regio ad Aceſinem fœcunditate eximia eſt inſignis: ſed inter cetera vnum habet, cuius cauſa de eo nobis hîc ſermo eſt.

Ex

Ex iis enim quæ ex Geographo attulimus, clarum euasit, mediam ferè Indiam superiorem ab Aceſine irrigari, eò quòd medius sit inter Indum & Gangem, cui situi Ptolemæus quoque suum calculum adiecit, tametsi alia vsus sit nomenclatura. Atque hæc quidem ad hunc modum sunto; quæ quò ad propositam quæstionem applicentur, est mihi de sacris Bibliis tertium Geneseôs caput prius aduocandum; quod sic habet: Sed & serpens erat callidior cunctis animátibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis ex omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier: De fructõ lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu verò ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendũ, & pulcrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborũ. cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cùm audissent vocẽ Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiẽ, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Ex his Mosis verbis historicôs intellectis, id mihi in mentem venit, quod à nemine antea animaduersum fuisse & video, & demiror. Non soleo equidem ocio sè & obiter, quæ diuina hæc originis humanæ expositio cõtinet, transilire; quod à plerisque fieri cerno. Scripserunt in Genesim viri præclari, atque ij complures, sed plerique omnes ita allegoriis hærent, vt ferè accuratam historiæ discussionem negligant. Equidem quoad eius cura diligentiaque mea fieri potest, omnia intus & in cute per omnia viscera rimari adlaboro: quod dum hic facio, illud occurrit, quod tãto gaudio sum amplexus, vt vix putem par mihi posse ab ipsis Musis offerri. Vltra enim omnem communem litteratæ voluptatis modum afficior, dum vel de fabulis Poëtarum, vel de vetusta idoneorum testiũ auctoritate aliquid in lucem eruo, quod à nemine prius litteris est consignatum; idque cum semper & in omnibus aliis, tum verò multo maximè, si inuentio sacram historiam illustret. Qua etiam de causa nullos auctores magis amplector & exosculor, quàm illos qui ab exteris religionis nostræ hominibus ea sibi petunt, quibus sacra scriptura aliquid accipit adiumenti, quo vel facilior ad credendum, vel

Ligni scientiæ boni & mali delineatio.

de occultis mysteriis, admirabilior reddatur. Nusquã igitur lubẽtius soleo diuersari, quàm apud Minutium Felicem, Arnobium, Tatianũ, Iustinum martyrem, Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Eusebium, & alios eiusdẽ vel similis argumenti scriptores; quibus si aliquid possum adiicere, quod ipsi non animaduerterint, totus gaudio exilio, & mihi haud secus gratulor, quàm si ingentem gazam Mercurius obtulisset. Verùm iam communem hunc Mercurium faciamus, vt est in adagio, vt cernamus, an æquè ceteri atque nos, inuento hoc sint gauisuri. Theophrastus illud reuera quod dicitur, id est, diuino ore loquens, lib. de plantis quarto, hæc habet verba:

Ἡ δὲ ἰνδικὴ χώρα τήν τε καλουμένην ἔχει συκῆν, ἣ καθίησι ἐκ τῶν κλάδων τὰς ῥίζας ἀν' ἕκαστον ἔτος ὥσπερ εἴρηται πρότερον. ἀφίησι δὲ οὐκ ἐκ τῶν νέων, ἀλλ' ἐκ τῶν ἔνων καὶ ἔτι παλαιοτέρων· αὗται δὲ συνάπτουσαι τῇ γῇ ποιοῦσιν ὥσπερ δρύφρακτον κύκλῳ περὶ τὸ δένδρον ὥστε γίνεσθαι καθάπερ σκηνὴν αἷς δὴ καὶ εἰώθασι διατρίβειν. εἰσὶ δὲ αἱ ῥίζαι φυόμεναι διάδηλοι πρὸς αὐτοῦ βλαστούς. λευκότεραι γὰρ καὶ δασεῖαι, καὶ σκολιαὶ καὶ δίφυλλοι. ἔχει δὲ τὴν ἄνω κόμην πολλὴν, καὶ τὸ ὅλον δένδρον εὔκυκλον, καὶ τῷ μεγέθει μέγα σφόδρα. καὶ γὰρ ἐπὶ δύο στάδια ποιεῖν φασι τὴν σκίαν, καὶ τὸ πάχος τοῦ στελέχους ἔνια πλείονων ἢ ἑξήκοντα βημάτων, τὰ δὲ πολλὰ τεττα ράκοντα. τὸ δὲ φύλλον οὐκ ἔλαττον ἔχει πέλτης. καρπὸν δὲ σφόδρα μικρὸν ἡλίκον ἐρβίνθος, ὅμοιον δὲ σύκη, διὸ καὶ ἐκάλουν αὐτὸ οἱ ἕλληνες συκῆν, ὀλίγον δὲ θαυμαστῶς τὸν καρπὸν, οὐκ ὅτι κατὰ τὸ τοῦ δένδρου μέγεθος, ἀλλὰ καὶ τὸ ὅλον. φύεται δὲ τὸ δένδρον περὶ τὸν ἀκεσίνην ποταμόν.

Hæc Theodorus Gaza sic vertit. Indica autem regio, arborẽ ficũ vocatã sortitur, quæ è ramis radices dimittit singulis annis, vt primo volumine retulimus: dimittit autẽ non ex nouellis, sed ex anniculis, atque etiam vetustioribus. Illæ se terræ coniungẽtes, ceu sepem circa arborem faciunt, ita vt velut tabernaculũ condatur, quo etiam morari homines solent. Radices autem nascentes, euidentissimè à ramis discernuntur: sunt enim albiores, hirtæ, tortuosęque, binaque fronde foliatæ. Item, arbos comam supernã lasciuam gerit, totaq; fornicato ambitu pulcrè orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit: quippe vmbrã bino stadio facere fertur, & crassitudine caudicis plerasque, vltra quàm sexaginta graduum orbem colligere, magna verò ex parte quadraginta: folium pelta non minus habet: fructum admodũ paruum, magnitudine ciceris, ficui similẽ; quamobrem Græci ficum eam arborẽ appellabant. Parum mirum in modum fructificat, non tantum pro magnitudinis desiderio, verũetiam omnibus rebus.

Nasci-

Naſcitur arbos hæc circa Aceſinam amnem. Sic Gaza. Adſcribamus & Plinij verba: meretur enim arbos hæc apertam copioſamq; deſcriptionem. Hic igitur de India tractans: Nunc, inquit, eas exponam, quas mirata eſt Alexãdri magni victoria, orbe eo patefacto. Ficus ibi exilia poma habet, ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis; quorum imi adeò in terram curuantur, vt annuo ſpacio infigantur, nouamque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtiuant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora ſpecie ſubter intuenti, procúlve fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelſum emicãt, ſiluoſa multitudine, vaſto matris corpore, vt lx. P. pleræque orbe colligant, vmbra verò bina ſtadia operiant. Foliorũ latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet: ea cauſa fructum integens, creſcere prohibet, rarusque eſt, nec fabæ magnitudinem excedens; ſed per folia ſolibus coctus, prædulci ſapore dignus miraculo arboris: gignitur circa Aceſinem maximè amnem. Idem alibi proditum docet, ſub vna ficu turmas equitum condi, quod de hac ficu intelligendum. Strabo libro Geographiæ decimo quinto:

Πολλὰ γὰρ καὶ δένδρα παράδοξα ἡ ἰνδικὴ τρέφει, ὧν ἔστι καὶ τὸ κάτω νεύοντας ἔχον τοὺς κλάδους, τὰ δὲ φύλλα ἀσπίδος οὐκ ἐλάττω. Ονησίκριτος δὲ καὶ περιεργότερον τὰ ἐν τῇ Μουσικανοῦ διεξιὼν ἄφησι νομιζόμενα εἶναι τῆς ἰνδικῆς διηγεῖται μεγάλα δένδρα εἶναί τινα, ὧν τοὺς κλάδους αὐξηθέντας εἶτ' ἀναδοθέντας ἐπὶ πήχεις καὶ δώδεκα, ἐπιβάλλειν τὴν λοιπὴν αὔξησιν καλωφερῆ λαμβάνειν ὡς ἂν καταχαμπτομένους, ἕως ἂν ἅψωνται τῆς γῆς, ἔπειτα κἀν γῆς διαδοθέντας ῥιζοῦσθαι ὁμοίως ταῖς καταφύσεσιν, εἶτ' ἀναδοθέντας σχεδοῦσθαι. ἐξ ἧς πάλιν ὁμοίως τῇ αὐξήσει καταχαμφθέντα, ἄλλην καλωρύγα ποιεῖν εἶτ' ἄλλην, καὶ οὕτως ἐφεξῆς· ὥς' ἀφ' ἑνὸς δένδρου σκιάδιον γενέσθαι μακρὸν πολυσήλῳ σκηνῇ ὅμοιον. Λέγει δὲ καὶ μεγέθη δένδρων, ὥστε πέντε ἀνθρώποις δυσπερίληπτα εἶναι τὰ σχέδη. καλὰ δὲ τὸν Ακεσίνεω καὶ τὴν συμβολὴν τὴν πρὸς ὑδρώων· καὶ Αριστόβουλος εἰρηκέναι περὶ τῶν καταχαμπτομένων ἐχόντων οὐ κλάδους, καὶ περὶ τοῦ μεγέθους· ὥστ' ὑφ' ἑνὶ δένδρῳ μεσημβρίζειν σκιαζομένους ἱππέας πεντήκοντα, ἔστι δ' ὅτε τετρακοσίους.

Quæ Latinis ita dicantur. Multas enim India arbores educat admirabiles, vltrà quàm quiſquã opinetur, in quibus & illa eſt, quæ ramos habet deorſum pronos: folia verò non minora ſcuto. Oneſicritus curioſiùs & accuratiùs ea, quæ apud Muſicanos ſunt, perſecutus, quos maximè Auſtrales in India facit, narrat magnas quaſdam

arbores

arbores esse, quarum ramos auctos, & iam ad duodecim cubitos progressos, deinde deorsum sumere incrementum, ac tantisper reflecti, donec terram contingant. Hinc terram ingressos radices agere, perinde atque propagines vitium à matrice in sulcos depressæ facere solent: atque deinde rursus excrescentes truncum facere, è quo iterum incremento simili deorsum reflexo, aliam propaginem in terram demittere, & ita aliam & aliam eodem deinceps modo; ita vt ab vna arbore ingens vmbraculum fiat, tabernaculo multis columnarum ordinibus distincto simile. Addit & magnitudines arborum tantas, vt sint quarum caudices quinque homines ægrè amplecti queant. Ad Acesinem verò ea parte qua confluens est eius & Hyarotidis, Aristobulus quoque locutus est de arboribus ramos reflexos habentibus, adiecta magnitudine ea, vt quinquaginta equites sub vna arbore meridiari possint. Ille tamen ad quadringentos vsque processit. Hæc è Strabone. Harum descriptionum vnius eiusdemque arboris collatio, perspicuum reddit, qualis & quanta ficus Indica fuerit. Vnum tamen relictum nobis est è Theophrasto dubium, qui arboris trunco sexaginta βήματα adscripsit, quæ gradus Gaza vertit. Boetius gradum inter mensuras numerauit duobus pedibus & dimidiato definiens. Quo videtur βῆμα Euclidis interpretari, nisi de suo adiecerit. Georgius Agricola nullum scriptorem inuenit, qui gradus vel βήματος mensura vsus sit, & ea loca quæ obiici posse videt, aliter exponit, vt apud eum licet videre. Mihi tamen minimè probatur hac parte, cùm ob alia, tum propter hunc Theophrasti locum. Neque enim hîc dicere possumus, βῆμα mensuræ nomen non esse. Verùm ingens trunci & incredibilis crassitudo emergit, si sexaginta gradus in orbem colligit. Hi enim centum quinquaginta pedes secundum Boetium redderent, ita vt caudicis diametrus ad quinquaginta pedes extenderetur spacio tanto, quantum latissimis ædibus satis amplum esset. Quod si de Plinio Theophrastus intelligi posset, βήματα non gradus, sed pedes essent vertendi. Sed incertum Plinius reliquit, dum dicit vt lx. P. pleræque orbe colligant; an de orbe trunci & vasti corporis materni, an de orbe comæ & ramorum loquatur. Credo equidem hoc Theophrasti loco offensum hæsitasse, atque idcirco quod incredibile videbatur, ambiguè scripsisse. Nos vel in numeris vel in eo mendum surrepsisse credimus, quòd addatur τὸ πάχος τοῦ στελέχους. fieri enim posse, vt scriptum fuerit τὸ πλάτος τῶν στελέχων: quod sic reddendum esset, vt tota latitudo intercolumnij sexaginta graduum esse diceretur, id est, patere secundum lineam dimetientem centum quinquaginta pedes. Hoc videtur Plinius innuisse, dum dicit, pleraſque

raſque orbe tantum colligere: ſed non ſatis conſtat, an paſſus, an pedes apud eum ſint legendi, eò quòd noſtri codices P. notã tantùm habeant. Scio hac in ſepulcrorum cippis pedes ſignari: verùm quia βήματα eſt apud Theophraſtum, fieri potuit, vt paſſum pro gradu poſuerit, quod equidem pro certo tenendum arbitror. Frequentiùs enim paſſus quàm gradus nomine pro duorum pedum & dimidiati menſura vtimur, eò quòd gradus ad aſcenſum & deſcenſum ferè applicetur. Paſſus enim mediocris, vt à mediocritate omnia menſurarum nomina ſumuntur, duorum omnino pedum eſt atque dimidiati. In progreſſu enim tantum ſpacij inter poſtremum calcaneum poſterioris, & ſupremum digitorum anterioris pedis continetur. Atque hic paſſus eſt communis, qui geminatus facit Geometricum, quo millies accepto milliaria exiſtunt. Corrigemus ergo alterum ex altero, Plinium è Theophraſto, & è Plinio Theophraſtum. Pro eo quod vulgati libri habent τὸ πάχος τοῦ ϛελέχους, legemus τὸ πλάτος τῶν ϛελέχων, id eſt, intercolumnium illud quod è multis in orbem truncis fit, veluti è columnis. At apud Plinium pro nota pedis, paſſum legemus, atque ita fiet, vt rectè Theophraſtum ſit interpretatus, dum dicit, pleraſque ſexaginta paſſus orbe colligere. Orbis enim in hac arbore fit è truncis à reflexis ramis in circuitu enatis, qui columnarum vicem in opere fornicato præbent. Quod igitur Strabo dixit, ab Oneſicrito magnitudines etiã arborum additas eſſe, id nos ſic capimus, vt putemus de arboribus iis dici, quæ per propagines vndique circa matrem enaſcuntur. Nec verò hæc etiam, quamuis prima ſit origo, multo craſsior eſt cogitanda, propterea quòd ſinguli caudices ſuis radicibus alantur. Credamus ergo Oneſicrito tantam eſſe craſsitudinem arborum ſiue caudicum è propaginibus enatorum, quantam vix quinque homines amplecterentur. Hoc enim modo probabilia ab omnibus & conſentientia dicentur. Vidimus enim & nos Caſtaneas ad Xerandiliam non longè à Diui Iuſti monaſterio, vbi Imperator noſter auguſtæ memoriæ ſupremum diem clauſit, quarum truncus antequam in tabulata diffunderetur, craſsior eſſet quàm à quinque, aut ſex, aut ſeptem etiam hominibus comprehendi poſſet. Licet igitur βῆμα pro menſura reperiri, Georgius Agricola non exiſtimarit; hoc tamen loco ita poſitum eſt, pro quo paſſum Plinius reddidit, voce vſus pro eo atque in communi eſt conſuetudine. Boëtius verò quia Geometricam dimenſionem tractabat, eadem voce Geometricôs vſus eſt, vt propria ſunt artium ſingularum vocabula. Quia verò paſſum dixit quinque pedes habere, conueniens erat, dimidium huius ſpacij alio nomine vocare. Quocirca aliud inuenit, & ip- Paſſus.

ſum etiam de Latinæ linguæ promptuario petitum. Gradus enim nomine pro paſſu communi Cicero vſus eſt tertio de finib. libro, vbi dicit, gradum vnum in ea via, quæ eſt è Latio in Indiam, pro nihilo haberi. Obiter igitur Theophraſtum emaculaui, Plinio germanam lectionem reſtitui, & interpretationem laudaui, Boëtium contra Agricolam excuſaui, atque, quod præcipuũ erat, illud conſecutus ſum, vt arboris pictura cuiuis nunc ſit futura perſpicua, & extra calumniæ morſus Theophraſtus collocatus. Poterat enim alioquin tota deſcriptio ex hac vna nota mendax videri; & non mendax modò, ſed talis etiam, vt ne veriſimilitudinem quidem cuſtodiret. Sed moleſtus nobis hic eſt Iulius Solinus, Plinij ſimius, cuius verba hæc ſunt: Pomaria ficus habent, quarum caudices in orbem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur. Ramorum vmbræ ambitu bina ſtadia conſumunt. foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur. Pomum eximiæ ſuauitatis. Hîc videre eſt omnem liquorem tanto magis corrumpi, quanto per plures canales à fonte deriuatur. Bellus hic noſter ſimius, non contentus à Plinio accipere, pleraſque orbe ſuo ſexaginta paſſus colligere; voluit è corrupto Theophraſti libro adiicere, caudices ita extuberare. Sed ſi propius inſpexiſſet hic polyhiſtor, ſtatim intellexiſſet, incredibilem ſe rem ſcribere, dum dicit caudicem ad ſexaginta paſſus in orbem patêre. Huius enim diametrus ad viginti paſſus, vt craſſo & pingui computu contenti ſimus, extenderetur: quod ſpacium quinquaginta pedes contineret, eam latitudinem quæ amplis ædibus non eſſet anguſta. Nos nihili auctoritatem cuiuſquam facimus, quam putemus rationi non inniti: multo minùs ſolliciti, quid hic è Plinio, vel Theophraſto perperam trãſſcripſerit. Admonendum tamen hoc fuit, ne quis hoc à me lectum minimè fuiſſe arbitratus, crederet, ſi legiſſem, ſententiam commutaturum fuiſſe. Profuit tamen in eo Solinus, quòd apertè paſſus poſuit, vbi notam pedum nos habemus, hac ſua ſcriptione emendationem noſtram confirmans. Quòd ſi caudex tantus fuiſſet, longè infra magnitudinis miraculum Oneſicritus ſubſtitiſſet, qui arbores eas admiratur, quas quinq; homines vix poſſent amplecti. Atqui hic tamen Oneſicritus à Strabone ſic prędicatur, vt omnes eos, qui Alexandri res geſtas memoriæ prodiderunt, teratologia, id eſt, monſtroſa fabulatione ſuperaſſe dicatur. Hic itaq; ſi tale quid vel audiuiſſet, vel legiſſet, vel fortaſſis etiã ſomniaſſet; nõ dubium eſt, quin libris ſuis inſeruiſſet, quo miranda magis, quæ ſcriberet, viderentur: quod cùm non fecerit, nec Ariſtobulus etiam, vel quiſquã aliorũ, quos Geographus adduxit; non poſſum in animum indu-

inducere hãc enormẽ caudicis magnitudinẽ à Grẹcis in litteras fuisse relatam. Verùm quia fortè quisquã in Theophrastũ incidit, qui non satis arboris naturã è descriptione peruideret, nec intelligeret quid sibi τὸ πλάτος τῶν ϛελέχων vellet; quod non intellexit, immutauit, & pro eo τὸ πάχος τοῦ ϛελέχους scripsit, priore scriptura temere inducta. Quod verò Onesicritus dixit apud Musicanos hanc arborem nasci, id hinc, quale sit, coniicere licet. Curtius classem ad Acesinem ab Alexandro structam dicit, ac per hunc amnem priùs ad alios, deinde ad Musicanos etiam peruenisse: vnde liquet, Musicanos ad Acesinis partes Australiores habitauisse, & non generatim ad omnes Indos comparatos Australissimos habendos, vt videtur Onesicritus credidisse. Curtius libro octauo Acesinem in Gangem demittit paulo ante quàm vterque in mare prorumpat, qua parte longè ab aliis recessit. Nos è Strabone & Ptolemæo Acesinem medium ferè inter Gangem & Indum tenere arbitramur, nec longè abesse à meditullio totius Asiæ, quæ orbis pars est potissima, atque ferè meretur vt sola Cõtinens dicatur. Nam Africa tenui terrarũ Isthmo adhęret, & Europa etiã Męotide, & Ponto, & Mediterraneo mari ab ea separatur. Cùm igitur totã terram Paradisum statuamus, atque in ea Asia præcipuũ sit corpus, dicemus arborẽ hanc, quam Theophrastus ad Acesinem, Aristobulus ad confluentẽ Acesinis & Hyarotidis nasci dixit, in medio Paradiso inueniri. Vidẽsne quàm omnia inter se consentiant, ficũ Indicã eam esse arborẽ, cuius fructum vetitũ primi parentes comederunt; & sub qua se absconderunt, cuiusque ingentibus foliis perizomata sibi consuerũt? Quis, rogo, erit tã impudenter obstinatus, si hæc à nobis de ficu hac ex antiquis scriptoribus allata, cum Mosis narratione comparet, vt audeat dicere aliam arborem inueniri posse, quæ cum illa magis quadret? In primis, in medio est Paradisi, atque eo loco, vbi serpentiũ magna vis ex humore & calore producitur. Fructũ habet dulcissimũ. Deinde nulla arbor vna inueniatur, quę duos homines in medio sui abscõdere queat, nisi statim in primo vigore rerũ omniũ, in quo creatę fuerunt, exesam & erosam fuisse stolidè credamus. Et ne putaret quisquam post arborẽ stetisse, adiecit Moses, in medio ligni Paradisi, à facie Domini, se abscõdisse. Quo fit vt clarè cernatur, hãc ipsam arborẽ esse, quę facillimè nõ Adamũ modò & Euã, sed quãplurimos etiã occultare potuisset. Neminẽ fore credo, qui cùm hęc legerit, nõ subitò sibi persuadeat, nullã aliã arborem inueniri posse, cuius naturę magis propriè hęc primorũ parẽtũ occultatio quadraret. Quò autẽ apertiùs cernas, addidit Moses oculos ipsorũ mox in esu apertos fuisse, & vidisse, se esse nudos, atq; idcirco folia

ficus consuisse, quo corpus tegeretur. Audimus hîc statim ab esu cõspectam nuditatem, & subitò è foliis perizomata consuta. Ex eadem igitur arbore folia acceperunt, è qua fructum decerpserant, alioquin nudi ad aliam arborem transiissent, quod contra pudorem & rationem factum fuisset, cùm proximæ arboris foliis vti possent. Si ergo ab eadem arbore frondes decerptæ, è quibus fructus; constat arborem in medio Paradisi plantatam, ficum fuisse: at non nostratem, in cuius medio nemo abscondere se posset, nec foliis eius asperrimis, & affrictu sanguinem elicientibus, quisquam vellet corporis tenerrimas partes cooperire, modò aliarum arborum vlla copia daretur. Quæ in hoc diuino volumine leguntur, non solùm simpliciter vera sunt, sed cum natura etiam conueniunt, quæ in quaque re id molitur, quod optimum est, & rebus, de quibus agitur, accommodatissimum. Hæc igitur illa ficus fuit Indica, non nostra; cùm nostra non solùm ad abscondendum & tegendum non sit idoneam naturam sortita, sed nec illud de ea dici queat, lignum esse pulcrum oculis, aspectuque delectabile. Insigne enim esse oportet, quod sacra scriptura gemina significatione expresit, non contenta dicere pulcrum oculis; quasi id ad oblectamenti vehementiam satis non esset, nisi & illud adderetur, aspectu delectabile. Si ne apex quidem vnus à Mose frustra positus est; quantum rogo delectationis indicauit qui in illa summa, quam secutus est, breuitate, eiusdem rei designationem duplicauit! Eximium fuerit, & præ ceteris omnibus eximium spectaculum necesse est, quòd hanc meruit in diuino Laconismo prærogatiuam. De nulla igitur vulgari arbore cogitandum, sed de aliqua, quæ singularibus naturæ dotibus visum oblectet. Platanus cùm omnibus, tũ sic Xersi placuit, vt eius gratia in solitudine cum vniuerso exercitu statiua habuerit, & eam torquibus aureis & armillis ornatam custodiri curauerit. Verùm huic arbori, vt folia vitis pulcritudinem aliquã adferunt, ita ea tiliis nostris multo est inferior, in quibus cœnacula & porticus supernè in ramorum tabulatis opere topiario paramus. Et certè nullam hactenus arborem vidi, quæ Tiliæ sit conferenda, adeò vt ficum Indicam imitetur, illa quidem artificio & ductu humano adiuta, sed minimè assequatur. Vidi enim ipse tam latam, vt orbe tabulati sui dimetientem lineam sexaginta pedum contineret, ramis deinde sursum reflexis ad cœnacula & porticus orbiculatas concinnandas, è quibus medius caudex cacumine suo cælum petebat, pulcerrima coma pineum pomum referente. Diebus proximis fui in suburbano Didaci Aialij hominis mihi affinis, in quo præter dumeta & sepes ex Oxyacantha densissimas, & pulcerrimè

Tilia.

tonsas

tonſas, præter porticum longiſsimam fornicatam è Corylis, Cornis, Ceraſis, Prunis, & aliis multis fructiferis arboribus conſtantem, præter ambulacra vitibus tecta, & plurimas cœnationes, veluti ſpecus fronde denſiſsima concameratas, & vndique ſeptas, quibus nulla aulæa conferri queant; præter collem vitibus conſitum, in quo ſuperiùs ambulanti, lætiſsimum & iucundiſsimum vndique ſpectaculum aruorum, ſiluarum, pratorum, hortorumque offertur; præter foſſas nauigabiles, elegantiſsima dimenſione & domum & hortum ambientes, & hunc etiam interſecantes, & illius partem è columnis ſuſpendentes; præter innumerabilem fructuum diuerſitatem, & cetera quæ in paradiſis noſtri ſtudioſiſsimè omnium gentium ad oblectamenta comparant; vidi & Tiliam, quæ tabulatū habet, in cuius medio rotundum fornicatumque eſt cœnaculum, circa quod porticus ad deambulandū, & ſpeculandum deſuper camporum hilarem multiplicēque ornatū aperitur. E medio arbos ipſa rectiſsimo altiſsimoque caudice citra ramos, veluti Abies, aſſurgit, cuius cacumen coma ad formam metæ depreſsioris gratiſsimo virore veſtit & exornat. Hanc ſi ſuperbus ille Perſarum Rex vidiſſet, non vnum modò diem, ſed complures iter myriadum ſuarum demoratus fuiſſet. Eſt profectò Tilia, omnium quas Europa habet arborum ad opus topiarium elegantiſsima, tum foliorum magnitudine, copia, virore & forma; tum ductili & ad quāuis flexionem accommodata materia; tum etiā incredibili ramorum luxuria & creſcendi celeritate. His accedit floſculorum gratiſsimus odor, qui longè lateque circà ſpargitur, atq; apes ita inuitat & oblectat, vt ad eos veluti temulentæ obſtupeſcant, & ad aluearia redire obliuiſcantur. Quocirca ab examinum magiſtris cauetur, ne aluearia in vicinia Tiliarum collocentur. Eſt ergo hęc arbor delectabilis in primis, ſed fructu non commendatur, quo nullum animal veſci aiunt. Qui igitur ficum Indicam non vidit, de hac ſibi eam imaginetur; & quod ars huic ſupernè præſtat, id illi infernè naturam perficere. Tiliæ etiam fulcris opus eſt, vel columnis ad tabulatorum latitudinem ſuſtinendam. Ficui columnæ vltro naſcuntur, citra omnem opem externam. Tiliæ folia magna ſunt, ſed minora quàm Aceri, Viti & Platano, à quibus populea ſiue hederacea etiā figura differunt. Ficui tanta ſunt, vt ſcutum æquent, & peltæ Amazonicæ tum forma, tum magnitudine comparentur. Quamuis igitur iucundiſsimum ſit Tiliæ ſpectaculum; longè tamen ſuperatur à ficu Indica. Confer his ficum noſtrā, & cogita quàm mereatur lignum dici pulcrum oculis, & aſpectu delectabile: de quo Horatius:

„ *Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.*

Atque adeò in prouerbiũ abiit, cùm mens ficulna,& ficulnus homo deridetur. Citra igitur vllã vlteriorẽ dubitationẽ,ſic ſentio,hanc arborẽ tot cameris & fornicibus inſignẽ eam ipſam eſſe, de qua Moſes eſt intelligendus:quod ſi ante me aliis in mentẽ veniſſet,bone Deus, quantũ myſteriorum, quantum allegoriarum,quantum diuinarum hinc hauſiſſent contemplationum! Hiſtoricôs certè hæc arbor accepta, egregiè veritatem tuetur; eo quòd & pomum haberet dulciſsimum ad veſcendum, & folium maximum ad femoralia conſuenda, & eximium latibulum ad abſcondendũ. Deinde nomen ipſum Ficus cum Moſe conſentit,ita vt nihil ſit quod deſideretur.Impia eſt illorum cogitatio,qui arborem hanc ſymbolicôs duntaxat interpretantur,in quorum numero princeps eſt Philo Iudæus, homo vt doctus, ita periculoſe ad allegorias ſolas plurima ſacræ ſcripturæ loca deuinciens.Hic in Coſmopœia ſua,inter cetera hæc pronuntiauit :

Δένδρα γὰρ ἐπὶ γῆς οὔτε πέφυκεν πρότερον, οὔτε αὖθις εἰκὸς φανεῖσθαι ζωῆς ἢ συνέσεως, *id eſt*,

Neque enim arbores vitæ, vel cognitionis vnquam in terra viſæ fuerunt, neque eas probabile eſt viſum iri.Immo bone Philo,& viſæ ſunt, & videbũtur, & modò alteram,cui viſum ire lubebit,oſtendi. Equidem lubentiùs ſexcenta millia aureorum,ſi Princeps eſſem, ad hanc arborem videndam impenderem, quàm ad Barbaros nefariosque milites alendos. Sed nunc nec ætas eſt ea, nec facultas. Ante viginti & plus eo ános ab Hẽrico Kneueto equite Anglo nomine Regis Henrici arrã accepi, quã conuenerat, regio ſumptu me totã Aſiã, quoad Turcorum & Perſarũ Regum cõmendationes & legationes admitterentur,peragraturũ. Ab his enim duobus Aſiæ principibus facilè ſe impetraturũ ſperabat, vt non ſolùm tutò mihi per ipſorũ fines liceret ire, ſed vt cõmendatione etiam ipſorũ ad confinia quoq; daretur penetrare.Sumptus quidẽ non exiguus erat futurus,ſed tanta erat Principi cognoſcendi auiditas, vt nullis pecuniis, ad hoc iter neceſſariis, ſe diceret parſurũ. O dignũ regia maieſtate animũ, ô me felicem,ſi Deus non antè & Kneuetũ & Regem abſtuliſſet, quàm reuerſus ab hac peregrinatione fuiſſem! Kneuetus in Galliã ſtatim vbi arrabonẽ dediſſet, legatus eſt, vbi de febre acuta mortuus,triremi atrata maximo omniũ dolore Londinũ eſt relatus : Rex paulo pòſt in morbũ incidit,quo tandẽ & ipſe ſublatus eſt, cũ quo omnis quoque ſpes illa mea iacuit ſepulta.Verùm quamuis Mercurius corporis oculis optato hoc ſpectaculo perfrui negarit; ex parte tamẽ illud in animo mihi cõpenſauit,vtpote cui nõ pauca caduceo illo ſuo demõſtrarit,quæ hactenus altiſſimis tenebris,ne ab vllo mortaliũ cernerẽtur,

oc-

occultauerat. Inter cetera & hanc arborē oſtēdit, cuius effigiē, citra inuidiā, omnibus delineaui: pro qua ſi nihil gratiæ referatur, idē patiar, quod nō optimus modò quiſq;, ſed quod ipſe etiā Deus ab ingratis perferre cōſueuit. Apage nunc Philo, apage turba ſtolida Cabaliſtarū, qui multa multis locis obtruditis digniſsima cerebro non humano, ſed caballino: quo fit, vt digni ſitis, quorū impudens aduerſus hiſtoriam ſacram os ferreis & duriſsimis cōſtringeretur lupatis. Scimus non pauca eſſe, in quibus figurata tantū locutio veritatē tuetur; at in hac arbore id negamus. Quotquot enim ſunt melioris notæ ſcriptores, veram & ſimplicē Paradiſi & arborū hiſtoriā acceperunt: quam ſi tollas, Epiphanius dicet, vti olim ſcriptū reliquit, ſi Paradiſus non eſt corporeus & ſenſilis, nō eſt ficus, non folia, non comedit Eua ex arbore, nō eſt Adam, nō ſunt homines; ſed relinquetur, vt ipſa veritas ſit mera fabula, & omnia quæ ſcribūtur, ad Allegoriā reuocētur. Theophilus pulcerrimū & amœniſsimū locum ſelectū docet, diuerſis & formoſis arboribus inſignem. Theodorus in Oriente Paradiſum collocat, & non paruū terrarū ſpatiū cōtinere dicit. Origenes itē obſcuram quādam veritatis imaginē, neſcio vnde acceperit, dum Paradiſi locum in terra medium eſſe putat, vti pupilla media eſt in oculo, atque Phiſon os pupillæ, ſiue σόμα κόρης ſignificare. Sed hi Paradiſum ſic acceperunt, quaſi ille ſolus locus Paradiſus eſſet, in quo Adam creatus eſt. Atque hac quidē opinione ſua meis inuentis robur addunt, quia dicam, in meditullio Aſię hanc arborē creſcere, ſub qua parētes noſtri latuēre. Scio per excellētiā in Oriente hortū voluptatis prę cipuè fuiſſe, eo quòd illic maxima ſit vbertas & amœnitas omnium creſcentiū: atque idcirco dici, hortū ab Oriēte eſſe, quaſi diceretur, ab Oriente inceptū plantari, eo quòd in Oriente optima & lętiſsima loca inueniantur, in quibus arborū ceterarumque rerū ea eſt laſciuia & luxuries, vt meritò, ſi ad reliqua comparentur, hęc propriè videātur Paradiſi nomine digna. Hoc eſt igitur מִקֶּדֶם, quod noſtra tranſlatio, A principio, vertit, è qua verſione Hieronymus deceptus videtur, qui Paradiſum ante terrā plantatū putat. Eſt Paradiſus tota quidem terra, ſed Deus ordine naturę, cuius ipſe auctor eſt, homini creato prouidens, ab Oriente preſertim, vti à capite & principe parte, videtur plantationem incepiſſe. Sed ſunt, qui putent, Eden proprium loci eſſe, propterea quòd dicatur גַּן־בְּעֵדֶן quo credunt ſignificari hortum in Eden. Verùm hi non animaduertunt, Be non ſolum pro In, in vſum venire, ſed etiam pro eo quod Latini Cum dicunt. Sic Be eden idem erit, ac ſi diceres, cum voluptate. Tota igitur ſententia erit, Plantauerat Deus hortum cum voluptate & deliciis,

(id

(id eſt,adiunctis his,quod idem eſt,ac ſi diceret hortũ plenũ voluptatis,quæ comes eſt perpetua pulcritudinis & ordinis perfecti)exorſus ab Oriente : vbi plantationem non ſolùm primùm tum hominibus oſtendit, ſed hoc etiam fecit, vt tanta hic creſcentium laſciuia eſſet,vt ab hoc,tanquam ob optimo, plantationem incepiſſe videretur.Quanquam enim à Deo omnia vno momento facta dicerentur, vti doctiſsimus quiſque opinatur;in hiſtoria tamen is ordo ſeruatur, qui naturæ noſtræ ad intelligendum eſt aptus . Quod igitur à Moſe dictum eſt,ab Oriente Deum plantaſſe Paradiſum,ſic intelligitur : ſi vſquam incepiſſet,hîc incepiſſet, vti ab optimo totius Paradiſi loco. Sint ſimul omnia à Deo facta , non tamen ſimul exponi hominibus poſſunt. At dum exponuntur, illo ordine exponuntur , qui naturæ rerum eſt conuenientiſsimus. Iam vt ſic Moſen explicemus , facit id quod additur מִן־בְּעֵדֶן . Neque enim quamuis Paradiſi partem ab Oriente plantauit , ſed illam duntaxat, quæ deliciis & voluptate ceteris partibus præſtat. Alioquin enim non ex vno fonte in totum hortum per quatuor canales aquas deriuaſſet ; quorum alij in Meridiem,alij in Septentrionem, alij ad Ortũ , alij ad Occaſum effunderentur; quo apertè conuincitur , totam quidem terram Paradiſum & hortum voluptatis fuiſſe,ſed per excellentiam nomina hæc Oriẽti maximè conueniſſe : vt ſi quis diceret , caput in homine , hominis nomine præcipuè dignum eſſe. Fons hic Oceanus eſt, quem ſemel è terra , ſiue מִן־הָאָרֶץ ; ſemel è loco voluptatis , ſiue Min eden , Moſes exire dixit.Et illic quidem vniuerſam terram irrigare,hic verò Paradiſum irrigare : vnde intelligi datur, idem Paradiſum eſſe ,& idem vniuerſam terram, & idem rurſus Eden. Quamuis enim præcipuè in Oriente ad hominum voluptatem & delicias accommodata eſſet; tamen tota etiam & vniuerſa terra ad voluptatem erat creata. Nam ſumma cacumina montium perpetua glacie rigentia , eodem etiam conducunt,tametſi prima facie nihil illis triſtius videri poſsit. Cùm enim plurimis aquis ad magna flumina opus ſit, Deus hæc fecit, quò ex illis innumeri fontes ſcaturirent,atque in decliuia camporum ferrentur. Tota ergo moles aquarum terræ permiſta, Oceanus vocatur, qui variis locis varia flumina emittit ad hominum voluptatẽ. Quatuor autem præcipua enumerantur, quorum quamuis non certa ſit admodum interpretatio in tanta Hebræorum ignorantia; Phiſon tamen Gangem eſſe contendunt. Equidem quatuor enumerari exiſtimo,vt modò dixi,ad quatuor cardines mundi indicandos , quo ſciretur tota terra qualis qualis eſſet,Paradiſus eſſe, & ad delicias hominis comparata.Ad voluptates enim abſoluendas , omnibus opus eſt

iis

iis, quæ diuerſiſſima in variis orbis partibus videmus. Sed quid dicet aliquis: Si tota terra ad voluptatem ſeruiebat, quare Deus hominem in ea collocauit ad operandum & cuſtodiendum, quibus in rebus nõ voluptas, ſed labor & moleſtia continetur? Ita quidem arbitrarentur homines inertes, & qui nihil bene faciunt, niſi cogantur. Aliter longè Ariſtoteles iudicaret, qui nouit omnem ſolidam hominis voluptatem ita cum actione virtutis eſſe coniunctam, vt ab ea diuelli non poſſit. Actio enim & officium, omnem in animis voluptatẽ parit & abſoluit: nec quiſquam eſt qui gaudere queat, ſi ſit ocioſus, & nullam partem virtutis exerceat. Atque adeò hoc perpetuum eſt in omni habitu & facultate, vt tum demum eam nacti eſſe videamur, dũ voluptatem ab exercitatione ſentimus. Operari igitur & cuſtodire hortum ante hominis peccatum, neceſſariam ſecum delectationem trahebat. Et nunc etiam iis, qui ad Paradiſi vitam nõnihil ſtudio ſuo enituntur, id euenire videmus, vt nihil magis volupe ducant, quàm hortos colere, ſerere, plantare, & cetera exequi, quæ ad conſeruationẽ & cuſtodiam pulcritudinis ſunt neceſſaria. An non putamus in ſummis deliciis Cyro fuiſſe, id quod de eo commemorant, dũ manu ſua pulcerrimo ordine per decuſſes arbores terræ cõmitteret? Quid Maximinus, quid Diocletianus, quid alij infiniti è re ruſtica quæſiuerũt? an nõ oblectamenta, atque ea quidem tanta, vt præ illis regna & imperia ſorderent? Verùm hæc conſideratio latiorem ad diſcurrendum campum deſideraret: quocirca omittatur. Qui Eden proprium nomen fecerunt, atque vni terræ parti orientali applicarunt, ij ſi excuſandi ſunt, hoc modo excuſari debent, vt idem ſummatim repetam. Quamuis tota terra eſſet Eden & voluptas, præcipuas tamen illa & primas partes tenebat, in qua Deus hominem principio collocauit; atque idcirco, non malo iure per excellentiæ figuram, Eden, præ reliquis partibus potuit vocari. Quòd autem totam & vniuerſam humidam materiam, per terram ſparſam, Oceanum dicam, atque hunc fontem Paradiſi eſſe velim; id facilè, vel Homeri etiam auctoritate, obtinerem, qui nõ fluminum modò omnium, ſed omnium deorum huic generationem adſcripſit, aiens:

„ Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Et quod Suidas adduxit:

„ Ἐξ ὅπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
„ Καὶ πηγαί. ——

Sic Euſtathius, humidam omnem naturam, Oceanum appellat. Et Euripedes, è petra quadam Oceanum ſtillare dixit: quo loco in-

dicat Oceanum omnem humidorum naturam esse, è qua & fontes, & flumina, & maria oriuntur. Idem Salomoni placuit, qui omnia flumina in mare fluere, & hinc rursus emanare dixit. Aristoteles veteres putat, Oceanum non solùm eam humidorum materiam appellasse, quæ terræ adest, sed illum etiam fluxum & refluxum, quo modò halitus attrahuntur à calore, modò à frigore coacti, deorsum relabuntur. Atque hac ratione ad fontem Paradisi pluuia etiam pertineret, quam scriptura non antè decidisse docet, quàm fons hortum irrigaret. Neque enim, si humor in terra non erat, vllo modo sursum trahi poterat, atque illic rursus constringi, ad imbrem generandum. Videmus vetustissimis poëtis optimè cum Mose conuenire, qui ante fontis huius, siue Oceani creationem, negat pluuiam in terram decidisse. Non parum facit ad hæc mea, vel illustranda, vel confirmanda, elegantissimus poëta C. Manlius, qui sic cecinit Augusto, de spiritu & ratione mundum gubernante, tractans:

„ *Quod nisi cognatis membris contexta maneret*
„ *Machina, & imposito parêret tota magistro,*
„ *Ac tantum mundi regeret prudentia sensum;*
„ *Non esset statio terris, non ambitus astris:*
„ *Hæreretque vagus mundus, standoque rigeret;*
„ *Nec sua dispositos seruarent sidera cursus:*
„ *Noxque alterna diem fugeret, rursumque fugaret;*
„ *Non imbres alerent terras, non æthera venti,*
„ *Non pontus grauidas nubes, nec flumina pontum,*
„ *Nec pelagus fonteis, nec staret summa per omnis*
„ *Par semper partes æquo digesta parente.*

Quis hîc non videt, nubes è ponto, ac proinde imbres etiam procedere, ita vt ante fontis Paradisi creationem meritò dicatur, non pluisse? Iam fontes etiam è pelago produci, doctissimus vates doctissimè scripsit, & nostris consentaneè. Cùm igitur plurimorum confessione, & aperta Mosis testificatione, in Oriente sit locus ille, in quo Adam est collocatus, iamque inuenerim arborem eam, cuius fructum contra mandatum comedit, cuius foliis sibi subligacula fecit; cuius in vmbroso fornice latitauit; an non videor iam digito commonstrasse, quâ Paradisi, siue terræ, siue voluptatis parte, primi parêtes fuerint creati? Qua enim alia quàm illa, quæ huius arboris amœnissimo spectaculo est insignis? Sed rogabit fortasse quisquã, quare Deus ab hac arbore potiùs abstinendũ præceperit, quàm ab alia? Hoc quamuis historiæ limites egrediatur, breuiter pro eo,

atque

atque nunc ex tempore ſuccurret,explicabo. Cùm Deus liberum arbitrium homini dediſſet, atque omnium virtutum principiis ornaſſet, voluit illi aliquid dare in rebus per ſe neque bonis neque malis, ſed adiaphoris & indifferentibus, in quo diſceret hanc libertatem moderari. Verùm vt ſumma eius fuit benignitas & infinita clementia, prę̨ceptum dedit ad obſeruandum omnium facillimum, & quod ipſa etiam per ſe ratio, vt optimũ, approbare deberet. Iuſſit enim, vt homines in tanta omnium fructuum ſaluberrimorum & obuiorum affluentia ab vno ſolo pomo abſtinerent. At quali rogo pomo? Exiguo & raro,ita vt propter paruitatem contemni,& ob raritatem non quæri debuerit. Inſani enim videatur eſſe,ſi quis maximis & vbique obuiis præteritis illud quę̨rat quod & minimũ ſit & rariſſimũ. Deinde cùm illa quæ dulciſſima ſunt facilè in bilem vertantur, ne ſalubre quidem fuit rarum hoc & minutulum pomum. Quis igitur iis neglectis quę̨ corporis valetudinem tuentur,ad illa declinet,in quibus non rarum modò ſit & exiguum alimentum,ſed inſalubre etiam & noxium? Lex igitur hæc quamuis à Deo præſcripta non fuiſſet, ab ipſa tamen ratione ferebatur. Admirabilis ſanè conſenſus eſt naturę̨ atque eius auctoris. Quid enim cõuenientiùs mandari potuit, quàm ipſum illud quod per ſe alienum à ratione videretur? Mitis ergo & vltra omnem mentis captum bonus opifex illam tulit legem ad liberum arbitrium exercendum ad moderationem, quæ facillima eſſet,ac rationi ipſi maximè conſentanea. Deinde nihil eſt quod magis homines tentet ad ea quæ vetita ſunt perpetranda,quàm ſi paſsim & vbique occurrant, & præterea vel vtilitatem aliquam, vel voluptatem allatura videantur. At hoc pomum ſic foliis occultabatur, vt nunquam niſi ſtudioſe quæſitum cerneretur. Quis ergo non admiretur, immò quis non indignetur & iraſcatur, dum cogitat primos noſtros parentes tam ſtolidos aut potius dementes fuiſſe, vt in tanta omnium fructuum copia, quos adductis ramis carpere poterant multo maiores, & ad corpus ſalubriter alendum efficaciores, huic puſillo,inſalubri, & non citra moleſtiam quærẽdo,inhiarent? Paruũ ſanè fuit præceptum, & ad obſeruandum facillimum, & in tali pomo, quod per ſe, quamuis Deus non iuſsiſſet,contemnendum videretur. Quamuis enim ad meridiandum,& vmbras captandas arbos maximè eſſet idonea, tamen illis caloribus,atque æſtu diei, cibus capi non debet, ſi quod ratio dictat,ſit ſequendum. Præterea ſiquid illis horis, quibus Sol maximè vrit,capiendum; id certè nõ cibus,ſed potus fuiſſet; atque ſi ad ſitim extinguendam aliquo vtendum fructu; is non prædulcis, ſed acidus potiùs erat quærendus; eò quòd

Pomum Paradiſi vetitum.

dulcia poma ſitim augeant, tantũ abeſt, vt extinguant. Nullam profectò ſumma Dei benignitas occaſionem reliquit, qua ad veſcendum vetito pomo parentes noſtri incitarentur. Quocirca lapſus quoque turpior, & grauiùs puniendus, quòd nõ obuio offendiculo, ſed quæſito corruiſſent, & quæſito contra omnem ductum naturæ, tametſi Deus nullam legem tuliſſet; propterea quòd, quo tempore hæc vmbracula eſſent ſubeunda, fructus hic non cõueniret. Hinc igitur factum eſt, vt cacodæmon illius animalis formam ſumpſerit, quòd prę ceteris acie oculorum plurimum polleret. Erat enim pomulum illud in denſa foliorum caligine quærendum, ad quam rem illud maximè animal idoneũ videbatur, quòd cerneret quàm acutiſsimùm. Græci enim Draconé, à videndi facultate ſumma, ita vocarunt; & Nachas, quo Hebræi pro ſerpente vtũtur, inde videtur originẽ habere, quòd iis qui auguria captant, ſint omnes templi lituo deſignati partes oculis acutiſsimis obſeruandæ. Eſt enim Nachas auguriũ, & augurium capio, vel oculis comprehendo. Quamobrem Græci & Latini ſignificantiùs pro ſerpente Draconem poſuiſſent. Verùm quę de Dracone hîc interrogari poſſent, ea, quia ad loci deſcriptionem minimè pertinent, nunc non adducam, aliàs forſan explicaturus. Atque hæc quidem ſatis eſſent, ſi ad ſolam arboris cũ Moſis narratione conuenientiam ſpectaremus. Verùm quia hiſtoria hæc præter nudam & ſimplicem veritatem, quam aperuimus, altiſsima condit arcana, non erit citra operæpretium paucis ea indicare, quo cernatur, non hiſtoricôs tantùm, ſed ſymbolicôs etiam hanc arborem aptiſsimam fuiſſe, in cuius fructu primi parentes legem Dei tranſgreſſi dicerentur. Nam ſi natales conſideres, eo ipſo loco tantùm creſcit, in quo Paradiſus primum hominem accepit, in medio nimirũ, vnde ad omnes terras coloni mitterentur. Deinde, quamuis nata videatur, vt rectà cælũ petat, vbi tamẽ pluſculũ excreuit, ramos ſpargit in omnẽ partẽ, qui non ſurſum, ſed deorſum in terram reflectuntur, & non terram modò petunt, ſed in ea radices agunt. Eodem modo homines primi ad eum finem ab opifice erant facti, vt ſemper cælum intuerentur; & quamuis è terra producti eſſent, nunquam tamen mentem à cæleſtibus ad terrena retorquerent. Verũm arborẽ imitati, cogitationes ſuas deorſum reflexerunt, & vocem ſerpentis magis, quàm Dei, audiuerunt; atque ita contra legem eius, perinde atque arbor contra communem creſcendi rationẽ, terram rurſus ſunt ingreſſi, atque in ea radices egerunt: & hoc ſuo præpoſtero facto, non ipſi modò hanc prauitatẽ contraxerunt, vt ad terrena magis, quàm ad cęleſtia ferrentur; ſed omnibus poſteris etiam eandem peſsimã procliuitatẽ reliquerũt.

Symbòla arboris Paradiſi.

Quod

Quod perſpicuè notant caudices, matrem in orbe circũſtantes: qui, quamuis ad aſſurgendum enaſci videantur, vbi tamen ad altitudinẽ quandã excreuerint, mox matrem imitati emittunt & ipſi ramos, qui haud aliter atque priores, in terrã ſe quoque retorquẽt, & ex ea alios rurſus truncos eiuſdem naturæ producunt. Quæ, rogo, ſimilitudo propiùs poterat rationem primi peccati clariùs & euidentiùs aperire? quod ſymbolũ tã propè explicare corruptæ naturæ in omnes poſteros Adę propagationẽ? Nihil vnquã Naſo cecinit illo elegãtius:

„ *Pronáque cùm ſpectent animantia cetera terras,*
„ *Os homini ſublime dedit, cælumque tueri.*

Cùm igitur ſic nati ſimus, vt ad cæleſtia ſemper tendere debeamus: quo tandem veneno factũ eſt, vt ad terrena relapſi, radices rurſus in illis figamus? Quo alio, quàm illius arboris fructu, cuius hęc eſt natura. Videmus itaque Deum tã benignè in omnibus egiſſe, vt externo etiam ſigno moneret, ab arbore abſtinendum eſſe, cuius natura humanæ perfectioni prorſus repugnaret. O ſæuũ venenũ, ô apertum indicium ad venenum declinandum! Videtur opifex ipſe clamare, Nolite Draconi credere: neque enim diis eritis ſimiles, ſi fructu hoc veſcemini; ſed naturam arboris imitati, à deorum domicilio ad terram recidetis, & inde nullo pacto auelli poteritis, eò quòd radicibus firmis ſitis alligãdi. Iam quid ſibi volunt obſcuri fornices, quid denſæ vmbræ? Quid? vt intelligamus, ſi hanc arboris naturã comeſto fructu imbiberimus, fore, vt Sol Iuſtitiæ nos non illuſtret, ſed in perpetuis tenebris mens noſtra ſepulta iaceat, & quod Deus prędixerat, ſemper deinde ſimus futuri in vmbra mortis, à qua nec parentes, nec poſteri ſint liberandi, niſi ramis & foliis abiectis, ſalus noſtra arborem crucis aſcendat. Ceterùm quòd paruulus fructus atque rarus fuerit, licet dulcis eſſet; ſignificat omnem corporis noſtri voluptatem perquàm exiguam inde conſecuturam, neque illam inter varios dolores & animi ægritudines frequentem. Et quia dulcia promptiſsimè in amaram bilem commutantur, indicabat arbor pomo ſuo mox in amariſsimos dolores hanc puſillã ſuauitatẽ tranſiturã. Porrò folia plurima & maxima, & denſam vmbram inducẽtia, an aliud dicũt, quàm ſi pomulum ipſorum quis guſtauerit, eum talem fore, vt maximis & plurimis foliis totus contegatur, & rarũ & exiguum fructum producat? id eſt, vt ſuperfluis rebus luxuriet, quæ nullam vtilitatem ſint allaturæ, ſed fructus omnes virtutum oppreſſuræ. Qui fructus copioſos in plantis quærunt, ij diligenter laſciuiam foliorum decerpendo compeſcunt, ne ſint deſiderio ſuo impedimento, vel nutrimentum rapientia, vel vmbra ſua maturationi obſtantia.

Deinde quæuis folia, qua folia ſunt, id ſignificant quod ſuperfluum eſt,& minimè fructuoſum. Vana igitur hominum ſtudia,curæ, ſollicitudines,ambitio,auaritia,& id genus cetera in hominum vita,meritò poſſent folia nuncupari;quorum magnitudo & denſitas omnem nobis ſplendorem mentis tollit, & ſic caligine ſua inuoluit, vt nunquam ſinat ſplẽdidam veritatis lucem intueri. Fit his illud quidem, vt exteriùs magnas diuitias, ingentes pompas, ſuperbos titulos, & hæc omnia verè folia, comparemus : ſed interiùs & in cute ſimus omnium pauperrimi; exiles, raros, & propè nullos, pro tanto faſtu, fructus proferentes. Vbi enim minùs ſolidæ virtutis, & veræ frugis, quàm apud eos qui ſplendidiſsimo & multiplici veſtimentorum ornatu,qui Babylonicis palatiorum ſtructuris, qui cõuiuiis Apitianis, vel qui fartis & tacitis ſcriniis omnia præ ſe contemnunt ? Hæc igitur & eiuſmodi folia ſunt exterius ad ornatũ comparata illa quidẽ, & magnum præ ſe ferentia faſtum, ſed nihil intus continentia fructuum homine vel infimi ordinis dignorum. quod arbos illa egregiè ſignificat,quæ non ſolùm non fert fructum pro eo atque magnitudo & vaſtitas exigeret, ſed ne tantillum quidem, quantum generatim quæuis vulgares plantæ producerent, vti bene Theophraſtus annotauit. Nec contemnendum illud eſt indicium, quod de foliorum forma quiuis naturæ non imperitus ſibi dari intelligit. Omnis hic ornatus, quo tam ambitioſa arbor compta eſt, foliis conſtat,non fructu: ſed quibus & qualibus foliis? Magnis nempe, ſed talibus, vt peltam Amazonicam referre videantur: cuius figura qualis ſit, Virgilius depinxit:

„ *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
„ *Pentheſilea furens.*

Eſt & Romæ in Vaticano labrũ ſepulcrale, Amazonum pugnam contra neſcio quos,inſculptam habens, in quo hanc lunatam peltarum figuram memini videre. Eſt igitur folium hoc ea forma, vt pediculo, Lunæ modo, adhæreat concaui medio, vtrinque cornua ad originem referens. Lunaris enim figura à Luna ſumitur,cùm neque plena eſt,neque ditomos; ſed tũ,cùm cornibus eſt inſignis. Qui igitur Lunæ naturam nouerit, ei mox ſuccurret, quarum rerum teſſeram frondes hæ gerant. Non eſt huius loci, per minutias, quæ huc ſpectãt omnia perueſtigare: hoc ſufficit, hac figura notari,nihil conſtans,nihil ſtabile,in eo inueniri,qui fructum huius arboris deguſtarit; at ſic perpetuò mutandum, vti hoc ſidus mutari quotidie videmus. Deinde quia humidæ materiæ Luna domina eſt, indicatur mentem eius qui pomum comederit, continentibus huius mundi

Luna.

fluctu-

fluctibus iactandam, nec vnquam ad portum aliquem peruenturam tranquillitatis. Denique, vt vno verbo dicam, non aliud figura hæc minitari videtur, quàm eum qui ſuperuacaneis his frondibus ſeſe veſtit, prorſus Lunaticum futurũ. Non addam ex Aſtrologis ea, quæ Lunæ attribuuntur: quæ licet plurima ſint, inter alia tamẽ hoc in prẽcipuis prodiderũt, ſidus hoc femininũ eſſe, nocturnũ eſſe, atq; omnium humidiſſimũ, necnõ odio Solis teneri. Hæc enim altiorem difficilioremque exigunt diſputationem, cui hoc loco vacare non eſt oportunum. Obiter tamen quiuis ex his intelligit, ſi res ita, vti tradiderũt, habet, quod hic eſt ſumendum, qui ſe Lunæ ſubiecerit, eum ſub imperio feminino ſeruire; nec mirũ eſſe, ſi tenebris noctis æternæ occupetur; atque ſemper fluctibus marinis ſimilis, vitam exigat perpetuis vndis, modò huc, modò illuc agitatam, denique talis euadat, vt Solem, vitæ luminiſque auctorem, odio proſequatur. Quid his magis horrendum, quid magis abominandum? Attamen dum Adam ſe fructu huius arboris vinci permiſit, dum eius ſe obtexuit fronde, dum in tenebras eius confugit, an non hæc omnia mala ſubiuit? Subiuit ſanè, ſubiuit, & nos eodem pertraxit. Non ergo ille ſolus Euæ ſuæ iugo ſe ſubiecit, ſed omnes nos feminæ omnium peſſimæ & violentiſſimæ, carni nimirum, ſubiugauit; quæ non fluctuat modò ſemper diuerſiſſimis deſideriis, ſed prõ dolor, ipſam etiam lucem odit. Has igitur & alias id genus merces in hac arbore venales eſſe ille indicauit, qui lunata hæc folia ex ea ſuſpendit: non aliter atque illi faciunt, qui hederam Baccho ſacram pro foribus ſuſpendentes, demonſtrant ſe vinum habere venale. Neſcio quis docuerit Heraclitum, mentem ſiccam, mentem eſſe prudentiſſimam: hoc ſcio Lunam humorũ omnium imperium tenere, adeò, vt non totũ modò Oceanũ, ſed ſigillatim medullas omnium moueat, nec vnquam eodem ſtatu eſſe permittat. Quocirca vel de naturæ ſecretis, quorum Adam conſcius erat, cauere debebat infauſtum hoc diuerſorium, cui huius Deæ imago pro inſigni ab opifice, qui fallere non poteſt, data fuiſſet. Verùm inuitabat eum immenſa amplitudo, pulcerrima ſilua, eximius viror, & cetera omnia, quæ ſpeciem optabiliſsimæ ſtationis præ ſe ferebant. Inuitabat etiam ſuauitas pomi, & cacodæmonis pollicitatio prẽclara, in primis, qua Dij futuri maritus & vxor eſſent. Eodem modo mundus hic vitiorum omnium immenſus eſt, & multa foliorum maximorum pompa ſpectabilis: ſed quæcunque de arbore diximus, eadem in hunc quoque quadrant. In eo enim tam ſpecioſo vmbraculo, tam amœno, vt foris videtur, hoſpitio, omnia ſi introſpicias & examines, execranda ſunt quæ continentur, & in tam

vaſtis

vastis & immanibus promissis rarus est, & vltra modum exiguus fructus dulcedinis, quæ & ipsa tamen confestim in amarorem transit. Sed quid ego plura dicam? Insanus sim, & diuinæ scripturę iniurius, si huius arboris in medio Paradisi plantatæ, vel vnicũ arcanum significatum me credam posse pro dignitate explicare; tantum abest, vt omnia eius symbola mihi censeam persequenda. Hoc tamen non prætereundum, vnum inter cetera indicium esse, quo bene sperare iubemur: Quanquam enim rami vndique circa caudicem in terram retorqueantur, & irradicentur; coma tamen arboris è medio exilit, & recta cælum petit: quo monemur, mentem nostram non sic esu pomi corruptam esse, vt nihil in nobis reliqui sit, quod sursum feratur. Reliquit enim nobis diuina clemẽtia scintillam adhuc quandã, qua quæ bona sunt & cælestia, videmus & agnoscimus. Nam nemo est tam improbus, nemo tam cæcus, sit licet pessimorum profligatissimus, qui non cernat quid æquum bonumque sit, tametsi id nunquam sequatur. Neque sola Medea est, sed omnis homo, cui hæc oratio conuenit:

„ ——*Video meliora, proboque,*
„ *Deteriora sequor.*——

Apice igitur mentis nostræ iustitiæ Solem adhuc intuemur; atque hinc fit, vt quamuis quis sit improbus, peccare tamen se cernat, atque iudicio suo ipse se condemnet. Hanc mentis nostræ partem Syntheresim Græcis quibusdam appellare placuit, quia hac luminis diuini scintilla adhuc quædam conseruaretur. Hinc fit, vt post commissa peccata, turpitudinem nostram intueamur, atque eam tegere studeamus. Hac Adam & Eua viderunt se nudos esse, exutos nimirum candidis diuini splendoris stolis. Quo igitur tegmine pudenda sua velarunt? Friuolo sanè & prorsus foliaceo, nec illo se satis tectos esse arbitrati, ad tenebras & obscuros carceres confugerunt. Sed video me rursus in latissimum mysteriorum campum rapi; cui emetiendo cùm par non sim, satius est cohibere gradum, & ab arbore hac antè discedere, quàm in ea curiosiùs exploranda aliquid peccem. Nomen tamen eius non est subticendum, quod geminum nobis Moses prodidit: alterum humanum, alterum, vt videtur, diuinum. Homines enim à dulcore & fructus quadam similitudine ficum dixerunt. Deus verò arborem scientiæ boni & mali: eò quòd ab eius vetito fructu, scientia boni & mali oriretur. Ante esum enim solius boni gustum & cognitionem habebant; pòst verò scientiam boni & mali. Quod profectò ipsa etiam arbor indicabat, quæ talis erat, vt plus tenebrarũ, in quibus malum est, quàm lucis, contineret.

Arbor scientiæ boni & mali.

Habe-

Habebat tamen, vt dixi, vtrunque, ſed bonum in coma duntaxat cælum petente; malum verò copioſum vndique per omnes caliginoſos fornices latens, in quibus quotidie ſæpiſsimè animus noſter, fornicatur. Meruit igitur arbos hæc, vt lignum ſcientiæ boni & mali vocaretur, non ſolùm hiſtoricôs conſiderata, ſed vocata etiam ad allegoriam prima ſeſe ſtatim fronte offerentem. Bone Deus quàm artificioſus es ſymbolorum architectus, quantum myſteriorum in vna planta comprehendiſti! Excutiantur omnia Hieroglyphica ſigna, nullum inuenietur quod vel vlla parte ſui, cum hoc ſit conferendum. Et bene habet, quòd primum omnium ſymbolorum, primas inter omnia ferat: cui quanto reliqua propiùs acceſſerint, tanto maiorem laudem merentur. Non malè ergo Druides philoſophiam ſuam quercu cum ſuo viſco deſignarunt, quam nos ſuo loco interpretabimur, quòd putarint optima indicia ab arboribus petenda. Cui ergo nec hiſtoriæ apta expoſitio, nec arcanorum diuina quædã conſonantia ſatis erit ad credendum, hanc ficum lignum ſcientiæ boni & mali fuiſſe, ei neſcio quid tandem ſatis ſit futurum. Obſtinatis cerebris non ſcribo, ſed illis, qui rationibus inter ſe concinnè cohærentibus ducũtur. Inuentnm eſt medium mundi, non eo quidem ſenſu, quaſi in orbiculari ſuperficie non vbique medium ſit, ſed illo, vt dicatur orbis habitati maximæ partis medium eſſe; vti cuiuis vel computanti, vel Chartas Geographicas intuenti, poteſt liquere. Inuenta etiam arbos eſt, quam alibi, quàm eo loco, creſcere hactenus non memini legiſſe. Locus item Moſi vel in Ægypto, vel in deſerto ſcribenti, omnino eſt Orientalis; vt bene dicatur Adam in ea parte fuiſſe Paradiſi, ſiue horti voluptatis, quæ Iudæis in Oriente collocatur, atque per excellentiam propriè Hortus cum voluptate, ſiue quod idem eſt, Hortus coniunctus omnibus deliciis, dici mereatur. Quamuis enim tota terra ad hominum delicias à Deo fuerit creata, nulla parte hominibus tam iniqua, vt non ad aliquem iucundum finem referatur, atque hoc modo fons ei attribuatur, è quo quatuor flumina egrediuntur, numero hoc in elementis corruptibilibus perfecto, cetera omnia indicante, quæ ſimiliter ad vſus hominum per hortum hunc fluunt: eſt tamen aliter Paradiſus intelligendus, dum de iis agitur quæ ad Adamum & Euam ſpectant. Nam hi in certa parte orbis creati ſunt, & de fructu vetito comederunt. Hæc igitur pars, quam ſolam humanum genus expertum eſt, hortum voluptatis eſſe, per excellentiæ figuram Paradiſus, Eden & Gan be eden nominatur; tum quia, quamuis tota terra talis eſſet, vt voluptati hominum ſeruiret, Adam tamen eius partem nullam aliam cum hac vo-

luptate vidit, quàm illam in qua creatus est; tum quòd hæc etiam orbis præcipui præcipua pars, & in meditullio Asiæ constituta maximè sit à natura ad voluptatem comparata. Neque verò ad hoc solùm nostra progressa est examinatio, vt Indiæ hanc prærogatiuam generis humani adscriberemus, sed ex arbore etiam scientiæ boni & mali cognitum est, inter Acesinem & Gangem, vbi ad confluentem Hyarotidis crescit, primùm hominem collocatum fuisse. Bene itaque Hebræi tradiderunt, locum, in quo hortum, siue Paradisum Deus plantauit, Eden vocari, & eum esse in medio mundi, perinde atque pupilla est in oculo: sed Origenes qui hæc adduxit, perperam ex his intellexit, Eden antè fuisse quàm hortus plantaretur: quod Hieronymus videtur secutus. Volebant illi loco nomen à voluptate datum esse, in quo hominem Deus constituit ad Paradisum custodiendũ, atque eum in medio eius orbis esse, qui præcipuus est inter omnes terræ habitatæ partes. Vbi enim maiores deliciæ in toto terrarum orbe, quàm in meditullio hoc Asiæ esse scribuntur? Deinde vbi Adam faciliùs omnibus animantibus nomina dedisset, quàm illic, vbi omnia inueniuntur? Seminarium igitur hominis ad Paradisi custodiam constituti, optimè loco huic fuit commissum, vnde ad omnes partes distribueretur. Expulsus autem hinc fuit non locali motione, sed terræ natureque permutatione, quam Deus ob serpẽtis fraudem verbo suo induxit. Terra enim ante execrationem Iouæ, Paradisus erat & hortus voluptatis: pòst verò spinas ferens & tribulos, laboribus & sudoribns multis exercenda fuit, vt victum suppeditaret. Eiectus itaque eodem mansit loco, sed dispari admodum conditione. Antè victurus erat, vt Hesiodus in aureo seculo scripsit; & pòst omnia dolorum & molestiarum plena, vt meritò regio in qua miserabilis vitæ fuit exordium, Hauilath nominetur. Sed video me quorundam assertione tentari, qui crediderunt inter Paradisum & Adamum exũlem, torridam, quam vocant, Zonam interiectam fuisse, atque eam significari allegoricôs per Cherubim & romphæam flammantem. Verùm hi bis peccant: semel, quòd Paradisum aliud ab vniuersa terra faciant, iterum, quòd falsò credant, torridam Zonam esse inhabitabilem, ob nimium Solis ardorẽ; quod non ita esse, præter rationes ab Auicenna adductas, clarum euasit nostræ ætatis nauigationibus, quæ regiones temperatissimas sub ea inuenerunt. Narrauit mihi Episcopus Palentinus, is, inquam, qui Pizzarrum cõsiliis suis fregit, ad ipsum æquinoctialem montes esse ob niuem frequenter inuios; in quibus perinde atque in Europæis glacies quouis tempore queat inueniri. Inter Tropicum Capricorni & Æquinoctialem

ctialem, tantum abeſt, vt torrida ſit terra, vt contrà potiùs humore nimio partes quædam Breſiliæ peccent, quàm ſiccitate: quod ex ipſis didici, qui illic in arce Scetorum habitarunt. Nec calore etiam nimio eius regionis incolæ aduruntur, ſed in perpetua quadam temperie verſantur. Sed fruſtra hæc repeto, cùm libro tertio ſatis latè, de regionibus inter Tropicos ſitis, ſit diſputatum. Quid igitur ſibi vult Cherub cum flammante gladio? Id enucleabit Diuus Paulus, qui iudicē non fruſtra portare gladium dicit, ſed eo in ira ſua ſcelera vindicare. Quid verò Cherubim aliud ſunt, quàm diuinæ poteſtatis miniſtri, qui pro diuerſitate officiorum, diuerſas ſolent habere figuras Hieroglyphicas, plerumque tamen ſemper alatæ pingebantur. Cherubim igitur hic iuſtitiæ diuinæ adminiſter eſt, ob quam cauſam gladium dicitur habere. Is autem flammare dicitur, propter iram diuinam, quæ flammæ comparatur. Poëtæ pro ea fulmen Iouis poſuerunt, fabulandi occaſione hinc fortè ſumpta. Gladius igitur Iuſtitiæ ſignum, Apoſtolo auctore; Flamma verò iram ſignificat, quæ ſcelus primorum hominum pro eo atque clementia patiebatur, puniuit. Hæc ſimplex eſt & aperta interpretatio, veritatem neceſſariò allegoria cuſtodiens, cùm angelis neque corpus, neque gladius, neque flamma ſit citra figuram tribuenda. Nihil igitur commoueor illorum auctoritate, qui toridam hîc Zonam comminiſcuntur. Primi ergo parentes, primas ſedes habuerunt in India, vbi ad fluuium Acesinem & Gangem vltrà citraque, maxima ſtatim accepere incrementa. Vnde nomen Phiſon maiori flumini datum, à multiplicando diffundendoque Hebræis factum. Non enim ſolùm homines ad eum innumerabiles ſtatim extitêre, ſed vim etiam illam habet, vt fructus omnes terræ eius irrigatione mirum in modum creſcant & augeantur, tum numero, tum magnitudine. Eodem enim, quo Nilus, modo terram fœcūdat, ſed latiùs multò diffuſus. Plinius, cùm intra alueum cohibetur, vbi minimus fluit, octo millium paſſuū latitudine; vbi modicus, ſtadiorum centū eſſe dicit; latitudine nuſquā maiore paſſuum millibus viginti. Sic enim corrigēdus eſt codex, vt è Solino & Martiano fit perſpicuum. Atque inter ceteras hanc quoque cauſam eſſe credo, ob quam ad Orientem verſi, Deum adoremus, tametſi Sol vel in medio ſit cælo, vel Occidente, vel Antipodas etiam illuſtret. Quò enim potiùs Adam ſpectaſſet, quàm eò, vbi Deum reliquerat? Neque enim in Oriente magis eſt Deus, quàm in Occidente, vel Meridie: neque exiſtimandū eſt, morem hunc à Chaldęis, Solem adorantibus, ſumptum fuiſſe. Dum igitur Orientem aſpicimus, videmur rogare, vt ad illam

Fulmen Iouis.

Gladius flammeus.

Phiſon.

beatam vitam liceat reuerti,vnde vt eiiceremur,parentes noſtri com meruerunt. His ergo indiciis & aliis multis,quæ de naturæ ſinu petere poſſem, arbitror inter Gangem & Aceſinem primum hominum genus multiplicatũ eſſe, atque inde ad ceteras regiones progreſſum. Eſt tamen tollendus ſcrupulus,qui poſſet exoriri, ex eo quòd Iſmael quoque dicatur in Euila ſolitudine habitaſſe, quam ſcriptura ſancta eſſe ait in deſerto Sur, è regione Ægypti, & inde tendere vſque ad Aſſyrios : quod cùm ad Arabiam deſertam, & Arabiam felicem, & Arabiam petræam,in quibus Iſmaelitæ hactenus habitant,pertinere ſciamus; fateri cogimur, homonymôs nomen hoc in vſum venire, & Arabiam ita vocatam, vel à dolore matris Agar, cùm ab Abrahamo eſſet eiecta, vel ab Euila vno de filiis Chuſi; quod potiùs credo. Adam ergo Heuilam ad Phiſon, omnium Indiæ fluminũ maximũ, tantiſper habitauit, dum Cain inuidia de ſacrificio concepta Abel fratrem ſuum occidiſſet. Tum enim homicida, & patris, & Dei faciem fugiens,vlterius proceſsit ad eam plagã,quę illi terræ, in qua in horto Eden primi homines peccauerũt,oriẽtalis eſt. Creſcente deinde paulatim multitudine & malitia Cainorũ, & duobus aliis homicidiis à Lamecho commiſsis, veriſimile eſt Adamum paulatim conſortium vitioſæ ſobolis ſuæ declinaſſe, atque id magis multo feciſſe, poſtquam alius ei filius,Abelo pietate nihilo minor,natus eſſet. Cainis igitur Orientis plagam, & pinguiſsima, & optima quæque rura occupantibus,vti prauorum hominum auaritia & violentia ſemper latiſsimè regnat,bonus pater cum Seth coactus eſt ad Occidentem & Septentrionem ſenſim ſedes promouere, atque id quàm longiſsimè poſſet; ne contagio malorum ad bonos quoque ſerperet. Atque hæc prima fuit gentium diuiſio, quæ tantum induxit diſcriminis, vt poſteri Seth, filij Dei; poſteri Cain, filij hominũ vocarentur. Qua verò ætate hæc diuiſio contigerit, diligenter eſt à Moſe annotatum. Dicit enim tempore Enoſi filij Sethi contaminatam fuiſſe inuocationem nominis Iouæ, ſi interpretationem eam, quam Onkelus Targuman reliquit, ſequamur : ſed de hoc pòſt, dum nomen Enos ad veram impoſitionis rationem examinabo. Nam Cain non ſtatim deſeruit adorationem, quamuis vagus eſſet atque profugus,conſcientia quoque vagabunda, vti fieri videmus in illis, quorum animus labaſcit; nec dum tamen ſunt in malis ita obſtinati, vt non agnoſcant ſe peccare; quod de nomine Enoch pòſt paulò docebo. Verùm tempore Enos, in apertam iam defectionem ab Eccleſia, homines Caini inciderunt, an vnà cum patre ſuo Cain, non eſt certum de ſcripturæ teſtimonio. Hos igitur fugientes Adam, & Sethini à Gange ad Indum

dum versus Caucasum declinarunt: quò siquid Caini contra ipsos molirentur (vt rara pax est improbis & turbulentis hominibus) ad vicinos montes & siluas confugere possent. Quamuis enim pater omnium esset Adamus, tamen tribus iam exemplis monitus erat, non esse fidendum generis sui prauitati. Deinde verebatur, ne Sethus quoque & eius nepotes, assidua eorum consuetudine, quibus ius erat in armis & libidine, corrumperentur. Non potuit tamen paterna pietas tam vitijs eorum exasperari, vt longiùs discederet, quàm vt posset aliquando monitis suis, deuias mentes ad Dei cultum, & ad rectas leges hominum animis inscriptas, quamuis characteribus obscuratis atque corruptis, reuocare. Mansit igitur in eadē quidem India, sed viuendi longè aliud genus secutus, inter suos statuit nihil citra rationem gerendum esse, docens caput rerum omnium agendarum duobus fontibus emanare: quotum alter tamen ab altero occulto meatu scaturiret, Deum nimirum supra omnia honorandum: & proximum cuique, vt seipsum, esse amandum. His enim duobus præceptis, omnem moralem & ciuilem scientiam cōplexus, exercebat suos quotidie interrogando, an in hoc, an in illo, vt quisque aliquid commisisset, Dei honorem & proximi amorem custodijssent. Ad Deum itaque honorandum magisque colendum, opera eius admirabilia in terris, in cælis, & singulis vtrobique se offerentibus, diligentissimè & summa opificis reuerentia semper intuebantur, quo lumen illud in vmbrosa arbore perditum, rursus in arboris coma, id est, in mentis apice inuenirēt. Hinc piæ adorationes, suauesque contemplationes oriebantur, illæ quidem sed semper felle illo viperino infectæ, & folijs vanitatum humanarum obfuscatæ adeò, vt quamuis maximè contenderent alis se ad superiora & omnium vnicam causam attollere, sentirent tamen semper pondus appensum, quo ad inferiora, magna, & insuperabili vi, traherentur. Hæc enim erat illa scientia mali, qua malos quidem se esse sentiebant, ad mala procliues omnia, à Deo & diuinis auersos, neq; viris voluptatibus & puris in illis perfrui, in quibus summa bonorū continetur: sed huius labis eluendæ nulla inueniebatur nec ratio, nec via. Neque enim licet caligantibus oculis, & in vmbra arboris, cuius pomum comederant, vix obscuras imagines intuerentur; sic tamen fuêre excæcati, vt crederent humanis viribus se posse purgari, quemadmodum Socrates, & ante eum Pythagoras, & alij Philosophorum pueri somniabant. Orabant igitur creatorem suum, vt peccatum remitteret, caligimen superbissimæ arboris & obscurissimæ illuminaret, atque eam mentibus humanis aciem referret,

vt possent tandem Deum intueri, in eo supremam beatitudinem esse intelligentes quidem, sed reperientes se illuc non aspiraturos, nisi à Deo noua gratia daretur. Deus igitur misertus miserorum mortaliũ, vt iustitiam suam ęternam violare non poterat; ita promisit se missurum esse agnum, cuius sanguine execranda hæc labes, & mortiferum tabum esset abluendum: quod pij viri credentes, & firmo animo sperantes, magnis amoris stimulis, ob tantum clementissimi patris æterni beneficium, incitabantur ad vniendos animos suos huic medico, qui & medicus esset, & medicina; qua sumpta, certus reditus foret, non ad Paradisum terrestrem, sed ad Paradisum cælestem. Hoc igitur cibo beatitudinis & creditæ & speratæ firmissimè vires suas reficiebant, ad cælestia maiore amore atque desiderio complectenda, quàm antè feciissent. Audiuerant enim à semine Euæ, caput Draconis, à quo erant intoxicati, contritum iri: quod quid aliud sibi volebat, quàm de sola muliere nasciturum inter mortales, qui perditam generis humani salutem repararet? Hac itaque spe firmi, Deo gratias agebant, & iam tum cælestem vitam, postquam terrestrem voluptatis hortum amisissent, meditabantur. Sed quia carnem sentiebant spiritui aduersari, & suauissimum hũc animorum pastum impedire; ieiuniis, & sobrietate, & assiduis laboribus, eam domabant, quò faciliùs eam vincerent, & ab eius obscuro carcere, qui arboris vetitæ vmbroso septo significabatur, se liberarent. Hæc igitur filiorum Sethi, & eorum, qui Adamum sequebantur, creditur fuisse viuendi ratio, ad quam omnia sua instituta & mores formarent; qua de causa Sethini filij Dei appellantur. E diuerso Caini cum suis, omnia ad voluptatem corporis referentes, per fas, per nefas opibus congerendis inuigilabant, quo immanem illam & insatiabilem beluam cupiditatum placarent. Statim igitur inter illos arces ædificari, castra muniri, pecora abigi, fieri cædes, & similia quibus mancipia voluptatum implicantur. Huic vitæ, quia multis opus est, quibus Socrates se dixit non indigere, artes variæ sunt inuentæ. Alius inuenit tentoria, quibus vaga latrocinantium, & magna armenta & greges pascentium vita tegeretur. Alius inuenit artem ferrariam ad gladios & arma, & id genus cetera seruituram. Alius Musicam, qua ventres & lumbi turgentes ad illa titillarentur, non solùm gula, sed auribus etiam, in quibus summum bonorum collocabant. Inter hos Lamech duos se occidisse vxoribus fatetur, vt iam Cain non solus haberetur latro. Similia verò quamuis memoriæ non sint prodita, permulta accidisse cogitanda succinctus scriptor reliquit. Vt igitur hoc genus hominum, non rationis ductu, sed libidinis, omnia agebat;

agebat, ita neceſſe erat inter ipſos frequentes rixas, ſimultates, & bella exoriri: & quamuis ipſi ſibi ipſis pacem manibus, non rationibus, poſſent tueri: tamen probis viris, quales erant filij Dei, ſiue Sethini, id eſt, qui Dei ductum ſequebantur, non tutior apud illos habitatio fuiſſet, quàm ouibus apud lupos. Neceſſariò igitur, ſicut ſcopo bonorum, & vitæ totius inſtitutis plurimum differebant; ita & locorum intercapedine diſtare debebant. Quia verò Cain ſe ipſe execranda fratris cæde cruentauerat, & ob id furiis agitatus vehementioribus quàm pòſt Oreſtes, cœtum bonorum & eccleſiam Agni reliquerat, videndum quò commigrarit. Egreſſus, inquit Moſes, Cain à facie Iouæ, habitauit profugus in terra, ad Orientalem plagam Eden. Hîc multa eſſent expendenda, ſi hiſtoriam ad ſymbola applicaremus. Egreditur Cain à facie Domini, quod eſt Hebræis מִלִּפְנֵי miliphne. פָּנָה eſt reſpicere & intueri. Diſcedit igitur, ne Ioua amplius eum intueatur oculis illis, quibus lucem vitæ omnibus infundit. Sic egreſſus eſt Iuda ſecundus Cain, qui ſecundum Abelem, non occidit ille quidem, ſed vendidit ad occidendum. Periculoſus diſceſſus, & tragicum habiturus exitum, à quocunque tandem fiat. Habitauit deinde vagus & mobilis, & huc illuc profugus, non magis locis quàm animi perturbationibus. Nam extra benignum Iouis aſpectum, nulla poteſt eſſe animi tranquillitas. Fluctuant enim ſemper & titubant, qui cœtum bonorum declinant; & multo magis illi qui à facie Dei ſe ſubducunt, qui ſolus cauſa eſt omnis animorum firmitatis. Sed ſatius eſt vacillare, quàm ſic cadere, vt omnino nec ſurgas, nec ſurgere connitaris; atque adeò ne cogites quidem amplius te cecidiſſe, ſed quaſi ſtationem tuam non deſeruiſſes, ita in cœno vitiorum voluteris, atque eo haud aliter atque immundus ſus oblecteris. Qui enim tales ſunt, iam non amplius vagi aut fluctuantes ſunt nominandi, ſed deſperati, & opificis ſui penitus obliti, quales tempore Enos pòſt exſtitere. Eſt hîc illud non oſcitanter prætereundum, quòd vocem Nod alij aliter ſint interpretati. Noſtra Latina verſio reddidit profugum, cui Onkelus & Thargum Hieroſolymitanum ferè conſentiunt, ita interpretati, vt Latinis vagus mobiliſque intelligi poſsit. Græcus textus loco Nod habet Naid, proprium id loci nomen faciens; vt ſit, Habitauit in terra Naid è regione Eden. Hieronymus in epiſtola ea ad Damaſum, qua de filio prodigo diſputat, eodem modo, quo Græcus, habet: Et Cain egreſſus à facie Domini, habitauit in terra Naid; quod ſane à vulgata noſtra editione longiſsimè diſtat.

Placuit

Placuit tamen adeò hæc lectio illis qui Complutenſibus Bibliis imprimendis præfuerũt, vt in Chaldæo quoque Thargum, Denod pro Nod excuderint, ponentes Bearaa de Nod, id eſt, in terra Nod; pro eo quod eſt Hebræis, Beerets Nod, quod Latinis, in terra vagus, diceretur. Miror equidem quare ab aliis Onkeli exemplaribus hoc loco diſceſſerint, niſi fortè voluerint Hieronymo & Græcis, ſcripturæ hac mutatione gratificari: quod ſi fecerunt, fatendum erit, plus illis ingenij & eruditionis, quàm fidei & integritatis fuiſſe. In Vr Chaldæorum, procliuius fuit, ex igne & flammis ciuitatem facere, quam Ioſepus ſua etiamnum ætate ſe iactare dixit Arami ſepulcro. Verùm hîc, cùm Nod ſit in Caini condemnatione idem, quod vagum vel fluctuantem & errantem ſignificans, quidni vox eadem in latæ ſententiæ executione repetita, pro eadem re poſita dicatur? Execratus enim Deus Cainũ, dixit fore נָע וָנָד, id eſt, mobilem & fluctuantem; vel, vt noſtra Bibliorum editio habet, vagum & profugum. Cainus deinde ſciens, nihil à Deo prædici, quod non ita eſſet futurũ, dixit ſe in terra fore vagum & profugum. Poſtremò Moſes docere volens, ita verè contigiſſe, addidit eum habitaſſe ad orientalẽ plagam Eden, profugum, id eſt, Nod. Quid, rogo, hîc cauſæ quiſquam inueniat, ob quam putet, Nod tertio loco aliud ſignificare, quàm primo? Et tamen videmus Hieronymum & Græcos vltimum hoc Nod, neſcio cui ciuitati applicare. Tulerat Deus ſententiam: Cain eiſdem verbis & accepit & recitauit: Moſes, ſeruato altero duorum idem propè ſignificantium, narrat mandatam executioni. Quid igitur eſt, quod cogat nos ciuitatem ſomniare, inutili, & non neceſſaria anticipatione? Vbi verò terrarum Adam fuerit, cùm eſſet in Eden, modò mihi videor ſatis oſtendiſſe; & ſi non ſatis id feci, hoc iterum loco adiuuabor. Si enim hortus, qui Adamo erat Paradiſus, in terra non fuiſſet, quînam conueniret, habitationem Cain comparatione horti Edeni definire? Equidem in Moſe ſic verſor, vt nihil ab eo non indoctum modò, ſed ne myſteriorum quidem expers dictum exiſtimem: quod qui non arbitratur, is non citra periculum libros eius leget. Scio enim quoſdam irreuerenter, & illotis pedibus hoc ſacrarium intraſſe, atque adeò nihilo ex eo meliores egreſſos, aut doctiores, vt pro pietate retulerint Atheiſmum. Cain igitur iam ſecurus eorum quæ Iupiter vellet, ſuiſque viribus & ingenio confiſus, ab Adamo & reliquis Eccleſiæ principibus ſic diſceſſit, vt putaret ſe loca inuenturum beatiora, quàm ipſe Deus homini in Eden dediſſet. Quò enim Deum ſuperare videretur, domicilium ſibi elegit, magis ad Orientem vergens, in eo progreſſus genere, Planetarum

rum errorem ſecutus, qui ab Occidente in Orientem progrediũtur, motus ſui finẽ facturi rurſus in Occidente. Bone Deus, quàm omnia hîc ſunt arcanæ diuinitatis fœcunda! Simus hîc eo contenti, Orientalem plagam collatione Edeni horti & habitationis Adami à Cain fuiſſe occupatam, atq; in ea non multis pòſt ætatibus ciuitatem filij nomine conditam. Quando igitur priùs ſatis clarum feci, Adamum cum ſuis neceſſariò declinaſſe domicilia & commercia Cainorũ, tum ne ab illis vim pateretur, tum ne grex Domini peſſimæ ſcabiei traheret contagionem; & iam conſtet, qua parte illi conſederint; non poteſt obſcurum manere, quorſum filij Dei paulatim domicilia proferre ſint coacti, nimirum ad Occidentem verſus Indum à Gange proficiſcendo. Hæc itaque prima fuit Eccleſiæ & impiorum diuiſio, vt locis, ita vitæ genere quamplurimũ alteros ab alteris diſtinguens. Ceterùm cùm Caini iam longè lateq́ imperium protuliſſent, par eſt credere, quòd filios etiam Dei iugo ſuo ſubmiſerint, eò quòd rationibus, non armis; fuga, non prælio; ſummiſsione, non ſuperba pertinacia, ſe defendere didiciſſent ab eo, cuius ductum ſequebantur. Nam hæc arma parum valent ad mundanum regnum, in quo caro & Cacodæmon ſceptra tenent, vel acquirendum vel tuendum. Dat quidem regna Deus; ſed prouidẽtia tam occulta, vt plura impij quàm pij capiant: adeò vt ſuum ipſius filium Atheis ſubiecerit; & iis non aliorũ modo, ſed patrię etiam tyrannis. Quanquam igitur principio malorum hominum ſocietatem probi viri declinaſſent, temporum tamen ſucceſſu à potentioribus ſunt ſubiecti, non animorũ quidem ſeruitute, ſed ea quæ in poſſeſſionibus externis conſiſtit. Coacti ergo ſunt, vellent, nollent, frequẽter in vrbes Cainorum venire, tum ad ea inferenda è rure ſuo, quæ vrbanis hominibus ſunt neceſſaria; tum ad ius audiendum, & illa exequenda quæ fuiſſent imperata. Magna hæc fuit probitatis clades, & principium corruptelæ liberorum Sethi. Quis enim vnquam iuuenis vidit Venetias citra damnũ innocentiæ? Quis crebrò illic fuit, vel diu manſit, vt nõ plurimum perdiderit veræ integritatis? Demum quis vnquam habitauit, & non fuit corruptus, & peſtilenti contagione perditus? Exẽplo vtor luculento, & quàmplurimis noſtratibus probè cognito atq; perſpecto. Quis in hac vrbe viuere poſſet ſcortorũ ignarus? Nemo certè, nemo, vel pauci, quos æquus amauit Iupiter, atque ardẽs euexit ad æthera virtus. Eodem igitur modo filij Dei, cùm rure ſuo relicto, ciuitates & opida Cainorum cœperunt frequentare, paulatim venenum biberunt, atque id toties & tantiſper, dum toti ebrij, fucatas meretrices, pro honeſtæ formæ virginibus, amplecterentur. Atque hac ſua inſania

non ſe modò corruperunt, ſed honeſtiſsimas etiam virgines, quæ cùm viderent, ſe præ ceruſſatis & miniatis, atque adſciticio ornatu ſe venditantibus & obtrudentibus contemni; non potuere non vinci, & eò etiam adduci, vt natiuo pudore deſerto, meretriciũ morem imitarentur; atque ita tandem mereri, vt non ampliùs filiæ Dei, ſed filiæ hominum dicerentur. Creuit itaque hoc malum in tantum, vt per vniuerſum orbem graſſaretur, non aliter atque peſtis quædam Pandemos. Optimè ergo Moſes, qui dicit, Vidẽtes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulcræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Breuiter enim, & pluſquam Laconicôs ampliſſimum contemplationis campum, ſic paucis verbis incluſit, vt ſignificantiſsimè tamen totum depinxerit iis, qui oculos habent apertos. Nam cùm nemo poſsit Deo ſeruire & mundo, qui hominibus conſtat, in quibus caro regnat; bene filios Dei vocauit, & filias hominum; quòd illi Dei ductu vixiſſent, hæ mundo totæ ſeruiiſſent. illi honeſtam vitam, ruri, & naturæ conuenientem, egiſſent; hæ in ciuitatibus totas ſe compoſuiſſent, non vt Deo, ſed hominibus, placerent. Illexerunt ergo hæ etiam illos, qui ab optimis parentibus, & diuinis viris, à quibus nomen Dei tulerunt, deſcenderunt; & ſic pellexerunt, vt eas vxores ducerent, atque hoc ſuo facto efficerent, vt omnes tales euaderent, quales illæ, quæ placuêre. Hinc igitur nati ſunt Gigantes, quos Hebræi Nephelim nominarunt, id eſt, cadentes; eò quòd patres habuerunt, qui à diuina illa viuendi formula, & altiſsima virtutis arce, in barathrum vitiorum infimum & obſcuriſsimum ceciderunt. Vnde enim rectiùs filij nomenclaturam accipiant, quàm à patribus? Inſignis profectò caſus hic fuit, & magna ratione in filiorum nomine, memoriæ æternæ traditus; quo omnes moneantur, ne cadant à virtutis arce ad voluptatum carceres, à lucis ſupremæ ſplendore, ad tenebrarum extremam obſcuritatem. Inſpirator ille ſcripturarũ omnium ſacrarũ, & idem optimus vbique interpres, bene nos monuit, dum dixit: Qui ſtat, videat ne cadat: quaſi diceret, Nolite Gigantum parentes imitari; qui cùm ſtarent, ceciderunt; & caſu ſuo filiis & nomen dederunt, & vitiorum omnium originem, ob quæ Deus humanum genus aquarum inundatione deleuit. Videmus itaque clariſsimè, quid ſit cadere, & qui cadere poſsint: illi nimirum, qui ſtant; non illi, qui ſtetêre nunquam. Nomen ergo Nephelim eodem modo filij acceperunt, quo parentes nomen Dei. Nam cùm vxores illas ducerent, non iam ampliùs filij Dei manſerunt, ſed in hoſtium caſtra tranſierunt, nomine tamen ſeruato à parentibus, qui in vero Dei cultu perſtitêre. Hi igitur ſunt, quorum fama ab

omni

omni ſeculo inter homines fuit, qui peccatis ſuis, quamuis iram diuinam vehementiſſimè iritaſſent, ſceleribus tamen ſuis non potuêre efficere, vt Creator clementiæ ſuæ obliuiſceretur. Nam tempus centum & viginti annorum dedit, quo liceret pœnitentiam agere, & ad Dei eccleſiam reuerti. Intereà Noë monuit, vt ſibi, ſuiſque filiis, & eorum vxoribus, Arcam faceret; qua animantium omnium ſemina cuſtodirentur. Hîc exiſtimare licet, quantũ toto illo tempore, quod Deus ad pœnitentiam conceſſerat, laborarit ad populum ab impietate reuocandum. Quod quò faceret efficaciùs, & maiore cum auctoritate; quis negabit eum minas quoque Dei addidiſſe, omnes nimirum perituros, & eſcam beluis futuros, niſi reſipiſcerent? At illi, vt erant cœno vitiorum toti immerſi, nec aures, nec oculos ad voces has arrexerunt; ſed è diuerſo, optimum virum deriſui & ludibrio habentes, peccata peccatis exaggerarunt, & continuò ſe vincere malè viuendo contenderunt; adeò, vt Deus tempus pœnitentiæ abbreuiarit, cernens nihil promotum iri. Noe etiam nihil ſe agere videns, Arcæ ſuæ compingendæ totus incumbebat, delecto ad id loco ad radices montis Caucaſi; tum, ne in vicinia peſſimorum hominum opus turbaretur; tum, quò & copia lignorum magna eſſet, & facilis ad deuehendam amnibus ad id ſeruientibus, in quos arbores deuolutæ, citra iumentorum opem ad locum fabricæ raperentur; vt in Atheſi, Brenta, & vniuerſim omnibus fluminibus, quibus ſiluæ incumbunt, fieri videmus. Quamuis verò ſumma Caucaſi cacumina hac parte ſint niuibus & glacie horrida, radices tamen & decliuia loca, & montis propagines, non ſolùm arboribus abundant vulgatis, ſed Cedros etiam proferunt, tanta copia, vt Nyſæi, qui alteram partem habitant, omnia ſepulcra Cedrinis lignis exſtruxerint; quæ ignis ab exercitu Alexandri, calefaciendi cauſa ſtructus, inuaſit; vt Curtius annotauit. Potuit igitur Noe Larnacem Cedrinam facere, quod feciſſe quoque eum, exiſtimamus. Atque adeò Alexander Magnus claſſem, qua per Indiam nauigauit, conſtruxit, non procul ab hoc eodem loco, vt apud ſcriptores varios cognoſci poteſt. Hoc igitur cùm ageret, atque fortè, vt fit, impij videndi cauſa aliquando accederent, riderentque eum, vt vanum & delirũ, qui illa, quæ tantò pòſt eſſent futura, ſe ſcire crederet; hortarenturque, vt ſtolido propoſito & inſano opere ſupерſederet, atque à montibus, & agreſti & dura vita ad molliorem ſe transferret; tandem nihil audiens, ſed contrà increpans, occaſionem dedit, vt fabulã eum facerent; dicerentque Prometheum Caucaſo alligatum, cuius viſcera vultur depaſceret, à Ioue immiſſus, quòd ignem ſurripuiſſet. *Prometheus.*

Quo nomine id ſua tum lingua fecerint, nihil ad nos, quando commentariis nullis id proditum videmus: hoc certè video, reliquias quaſdam obſcuras huius memoriæ, occaſionem dediſſe vetuſtiſsimis Græcorum de Prometheo fabulandi. Sed quia veræ hiſtoriæ erant ignari, longè receſſerunt à veritate. Nam Prometheum Iapeti faciũt filium, cùm hic illius fuerit. deinde Deucalionem Promethei monitu Larnacem compegiſſe aduerſus Iouis conſilium, quo vniuerſos mortales perdere ſtatuiſſet. Ego rem ita opinor ad poſteros veniſſe, Iano narrante: Patrem ſuum apud homines dictum fuiſſe Prometheum, per deriſionem; reuera tamen Prometheum fuiſſe, non ſua, ſed diuina ſcientia, id eſt, conſilium hominibus dediſſe, quo ira Dei extingueretur: ſed fruſtra Epimetheo, id eſt, populo Gigantum nihili pendente admonitionem futurorum. Quia verò poſt tot annos omnes interituros dicebat, niſi vitam emendaſſent, cauillabantur eum vulturem in viſceribus alere, qui cadauera tanto interuallo temporum & locorum præſentiret: atque hunc illi tortorem datum eſſe, atque carnificem à Ioue; propterea quòd diceret totum orbem vndis obruendum, quaſi omnis ignei elementi vis eſſet Ioui ſurripienda. Huius igitur furti ipſum pœnas pendere, nõ quòd id commiſiſſet, verùm quòd cogitaſſet. Nam quî alioqui aquæ omnia ſuperaturæ fuiſſent, niſi quis Ioui igneum elementum ſurripere propoſuiſſet? Quis verò propoſuiſſe iudicari potiùs poterat, quàm is qui ſe conſcium dicebat aqueum elementum ſuperaturum? Iam dicebant, à Ioue Caucaſo alligatum; eo quòd illinc nunquam ferè diſcederet, ſed operi tanquam metallicus quiſpiam vinctus ſemper aſsideret. Hæc igitur omnia, & id genus alia in eum conuitia torquebantur: quæ Ianus cùm liberis ſuis narraſſet, in cauſa fuit, vt multæ cæcæ fabulæ hinc confingerentur. Scio Promethei nomen Deo tribuendum, ſicut & Saturni, & Iouis, & Mercurij, & id genus alia, quibus diuerſæ in Deo poteſtates indicantur: ſed hæc, vt quæque vis diuina maximè in aliquo illuxit, ita ei tributa fuiſſe. Sic Noam Saturnum nominarunt, à vi ſeminis: Prometheum, à conſilio & prouidentia. Græci certè Prometheum bene diluuio euitando præpoſuerunt, ſed malè à Deucalione ſepararunt. Idem enim fuit, ſed diuerſis temporibus: Prometheus ante diluuium, Deucalion in diluuio. Hæc intellecta, cùm fabulis lucem adferunt, & ab eis falſa figmenta tollunt, tum docent ad Caucaſi radices Arcam factam fuiſſe; quod mihi toto hoc primę hominum habitationis & diuiſionis diſcurſu, propoſitum fuit probare. Facit hîc mecum Arrianus, qui ea quæ de Prometheo feruntur, Paropaniſadis adſcribit: quod luculentum habet argumentum

mentum, quæ dico, non ſolùm inter ſe, ſęd cum optimis quibuſque ſcriptoribus conuenire. Cùm igitur ad latus illud Caucaſi, quod Indiam ſpectat, è quo Indus exordium ſumit, Arca ſit facta, & vndis in ſublime ſublata; veriſimile eſt per canales, ventis à meridie in Septentrionem pulſam fuiſſe, naturæ lege ita dictante cum maximis pluuiis Auſtros ferè ſpirare, ſed flatu exiguo. Ponunt enim venti cum pluuiis, & contra, ferè venti Septẽtrionales pluuias tollunt, ſed multò vehementiores, quàm ſint Auſtri cum pluuiis ſpirantes. Vix igitur quinque menſibus aut circiter, tantum ad Arctos fuiſſet propulſa, quantũ quinquaginta ſeptem diebus fuiſſet ad Meridiem reiecta, niſi poſt quadraginta dies pluuiæ ceſſantes locum Auſtris dediſſent. Hi verò commodiſſimi tum fuerunt, ad Arcam plagæ frigidiori inuehendam, ne homines & animantia calore nimio contabeſcerent. Ad ipſum enim æſtiuum vigorem in ſummo aquæ conſtiterunt, per quas Arca, ventis à Meridie adhuc leniter ſpirantibus, ad frigidam Zonam ferebatur. Sed quinto pòſt menſe exacto, quàm aquæ terram tenuerunt, Deus recordatus fœderis, quod cum Noë pepigerat, Septentrionalem ventum excitauit, ſiue Aquilonem, vt Ouidius dixit, qui verus fuit demonſtrator, Deum fœderis non eſſe oblitum: vnde nomen, vt antè dixi, accepit Truiton, ſiue Triton, id eſt, fidem oſtendens. Aquilone itaque ſimul & vndæ ſunt exſiccatæ, & Arca rurſus ſub hiemem ad Zonam calidiorem eſt reducta. Verùm ne ad Indiæ planiciem beatiſſimam reueheretur, Deus prouidit, montium verticibus iam deſiccatis, qui in Aſia ſunt altiſſimi, quòd ſciret delicias regionis materiam vitiorum eſſe, & rarò accidere, quibus diuitiæ affluunt, & ea omnia quæ voluptatibus ſeruiunt, vt ij pietatem & morum probitatem colere atque retinere poſſint. Permiſit igitur, vt Arca ea parte conſiſteret mundi, in qua non eadem eſſet, quæ inter Gangem & Indum, & vicina loca, omnium rerum abundantia. Aſperitas locorum, & laboris in terra exercenda neceſſitas, magnas luxus & omnium vitiorum tollunt occaſiones. Sic Noë, quamdiu in montibus manſit, nulla in re accuſatur, ſed poſtquam paulatim è Caucaſi ſummis iugis, quæ Plinius dicit Paropaniſi nomine vocari, deſcenderat; in ebrietatem incidit. Iam igitur hinc quoque doceamus, non alio loco, quàm in Paropaniſo Larnacem hæſiſſe. Proxima enim eſt ab eius deſcenſu Margiana regio, vitis adeò ferax, vt truncum infimum vix duo homines amplecti queant; & racemus aliquando duos longitudinis cubitos impleat, vt antè de Strabone monſtraui. Vbi igitur potiùs dicemus vitis colẽdæ occaſionem Noæ oblatam fuiſſe, quàm vbi labruſcas tantas ſponte ſua naſci vidiſſet?

Triton.

In Margiana igitur dico vitem coli cœptam, atq; hîc Noam fuisse vino sopitum. Andocydes ad Alexãdrum magnũ scripsisse fertur, vinũ sanguinem esse terræ: meliùs primi illi, qui regionẽ, in qua generosam hãc plantã inuenerunt, nominauerũt à medulla. Neq; enim sanguis solùm, sed medulla videtur; eò quòd nõ carnes modò, sed ossa quoq; & neruos quàm citissimè reficiat, & ad ipsas quoq; medullas euestigiò penetret. Neque enim sanguinis alimentũ ossibus & neruis conuenit, nisi medullæ colorẽ & substantiam induerit, & illis quæ nutrienda sunt, proximũ euaserit. Sicut igitur ossa & nerui aluntur tali substãtia qualis est medulla: sic eadẽ mẽbra defatigata, quàm citissimè vino reficiuntur, quasi eiusdem cum medullæ spiritali substantia naturæ esset. Vocarunt itaque & regionẽ, & flumẽ regionis à Marg, quod est Medulla: quasi dicerent, talem eam esse, vt medullam hominibus roboret; & si medulla homini desit, liquorẽ fundat, qui medullæ loco sit futurus, & quãcelerrimè spiritus, neruos & ossa recreaturus. Curtius circa hæc loca Nysam locauit, in cuius monte Mero nominato, exercitus Alexãdri decẽ totos dies epulis & vino & corollis Deo operatus est, in quo scriptor fortunam Ducis, æquè atque virtutem miratur; quòd quo tẽpore Macedones vino essent sopiti, nõ fuerint ab hostibus inuasi. Mirus est certè genius loci, qui hederam & vitem copiosam sua spõte producit: de quo qui plura volet cognoscere, scriptoris huius octauum librum legat. Arrianus ad Paropanisadas non solùm Nysam refert, sed Promethei etiam antrum: vt dubium esse non possit, insignia hîc esse antiquitatis monumenta, quæ Græcis veræ historiæ ignaris, varias fabulandi occasiones præbuerũt. Nam vt modò indicaui, Prometheus totus natus est è Noę prouidẽtia, qui meritò homines formasse dicitur ex vda terra, eò quòd in vdã ferè adhuc terram homines eduxerit. Non ignoro, hanc vocẽ, & vocis significatum, propriè Verbo Dei conuenire; sed, vt dixi, ad hominem eum est translata, qui similitudinẽ quandã & imaginẽ illius diuinæ potestatis haberet, vel ab impiis, quasi se habere simularet, deriderẽtur. Eodem modo vitis hoc loco inuentio, & Noę ebrietas, ingentem fabulis Poëtarum materiam, & non minorem insanæ superstitioni dedit occasionem, cùm omnia Bacchanalia, & eorũ ritus & cæremoniæ hinc originẽ sumpserint. Quemadmodũ itaq; à prouidẽtia Noa Promethei nomẽ meruit, ita ab inuentione vini, Bacchus euasit. Atque hæc est causa ob quam Liberum cognomine Patrẽ antiqui vocarint; quòd Noe nimirum omnium gentium pater esset. Verùm quia varia de Libero & Dionysio produntur, quorum rationes hactenus vel inanes & ridiculæ, vel nullæ apud auctores extant; conabor de

Promethei antrum.

vera

vera Mosis narratione hanc quoque tollere obscuritatem. Diodorus Siculus Dionysios tres, diuersis temporibus adscripsit, qui omnes tamen, meo iudicio, ex vno prodierunt. Nomina diuinarũ potestatum propria, iam non semel ostendi hominibus tributa esse, pro eo atque quisque in re quapiam diuinitatis aliquam imaginẽ videretur obtinere. Noe igitur, quia omnium populorũ pater est, vocatus est à Ianigenis suis Liber, id est populos in lucem producẽs. Quamuis enim nũc Mas pro Latinorum pario, ad feminas tantũ referamus; Philosophi tamẽ antiqui ad viros etiã retulerunt. Philo cùm de hereditate Abrahę agit, mysteriũ maximũ aperuit, quod in illo latet Dei verbo, quo Abrahamum est allocutus: Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis heredẽ. Nos, quid in hoc lateat, aliàs. Hoc loco satis est scire, Abrahamo illud tribui in sacris litteris quod parientium proprium videtur. Si igitur cùm sint populi, & Mas pario vel gigno citra discrimen, Liber erit idem, ac si dicas, Populorũ procreator. Hæc etymologia vt est nobis apertissima, ita Latinis erit exsibilanda, qui arbitrabuntur Bacchum à libertate sic vocari; sicut Græcis ab eadem ἐλευθέριος est nominatus. Diodorus enim scribit, iussisse, vt omnes Græciæ ciuitates liberæ essent; & Alexander Aphrodisæus, quî sic dictus sit, interroganti, respondit, quòd pro Bœotiæ libertate pugnarit. Plutarchus causam ad licentiam refert, quæ de vini potatione solet oriri. Nos, quid Græci dicãt, non magni facimus: pluris est illud quod Augustinus è Varronis, ni fallor, monumentis eruit, Liberum ita nominatũ scribens à libramento; quòd mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem dicunt in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quòd & ipsam perhibeant semina emittere; & ob hoc Libero eandem virilem corporis partẽ in templo poni; femineam Liberæ. Video hîc Varroni, vel quisquis huius rei Augustino fuit auctor, idẽ accidisse in Libero & Libera, quod Ciceroni in Iano. Cùm enim in Ritualibus libris hic didicisset, ab eundo Ianum dici, credidit bonus vir, Latinis ab eundo dici, origine vocis Latina; quod perinde est, atque si quis audiens Philosophum nomen habere à studio sapientiæ, rationem in lingua Latina quærat. Eodem modo cùm ille didicisset, Liberum & Liberam à generãdo nominari; quæsiuit etymon in lingua Latina, cùm quærendum esset in lingua vetusta Ianigenarum. Cicero etiam hunc Liberum alium facit ab eo, quem Semeles filium esse fabulantur: dicens, eum cum Libera & Cerere augustè sanctèque Romæ consecratum. Augustinus optimè & conuenientissimè linguæ Cimbricæ, Liberam modò Venerem, modò Cererem dici indicauit.

Liberi etymon

Libera.

Sed

Sed de Cerere & Venere alibi, ne hîc nimium ſimus prolixi. Liber itaque, extra omnem controuerſiam apud antiquitatum eruditos, aliam habuit nominis ſui rationē ab ea, quæ vulgò de libertate credebatur; quæ de vetuſtiſsima illa lingua deſumpta, clarè oſtendit, quid Libero cum faſcinis ſiue Phallis. Hunc verò eundem eſſe cerno cum illo Dionyſio, quem omnium antiquiſsimum Diodorus fecit, dicens eum barbatum eſſe, & apud Indos natum. Noë enim barbatus erat, & Indus, vt oſtendi: & niſi oſtendiſſem, hinc etiam poterat colligi. Eruimus igitur ex hac collatione ſcriptorum, vini inuentorem Indum fuiſſe, & non puerum Semeles; ſed barbatum, & præterea gentium omnium genitorem: quæ omnia nemini mortalium, præterquam vni Noæ, poſſunt conuenire. Non igitur impubis fuit, nec imberbis; ſed pater; atque id adeò, vt non alium frequentiùs patrem vocent poëtæ. Sic Virgilius:

Huc ades ô Lenæe pater.—— Item Tibullus:
Odit Lenæus triſtia verba pater. Et Statius:
Omnipotens Nyſæe pater.——

Nec id poëtis tantùm eſt in vſu, ſed apud oratores etiam & hiſtoricos Latinos, Liber rarò nominatur, citra patris additionem; quod & Curtius, vbi de Mero, Nyſa, & Libero agit, diligenter obſeruat. Orpheus etiam patrem vocat:

Κλῦθι πάτερ κρόνε υἱὲ Ζαβάζιε κύδιμε δαῖμον.

Hæc licet ſufficere poterant, tamen & illud adiiciam, in quo clariſsimum extat teſtimonium, Bacchum è Noë factum eſſe. Nam inter cetera epitheta Hyes quoque vocatur; quoniam illi, vt Clidemus ait, ſacra facimus id temporis, quo Deus pluit. Hinc & Hyades Bacchi nutrices à pluuia nominantur: quòd Noë ad illud ferè tempus Arcam ſit ingreſſus, quo Sol Hyadibus coniungendus erat, eo tempore quo ille veniret in carnem, cuius typum Noachus gerebat. Liber igitur ab ingenti pluuia, qua omnia abſorpta ſunt, Hyes eſt nominatus; & ab eodem Hyades ſtellæ illæ in fronte Tauri, in quibus Sol tum futurus erat, menſis ſecūdi decimo ſeptimo die, cùm pluuia Noachi ſignificatu eſſet complenda. Mirum eſt, quàm omnia inter ſe cōſentiant, tum vocabula, tum natura ſiderum, tum vaticiniorum interpretatio. Videntur Ianigenæ Noæ diluuium in cælo tanquam in diphtera notaſſe, ne vlla temporū iniuria memoria tantæ, & cōtra impios pœnæ, & erga pios gratiæ delebilis eſſet. Noe igitur, vt de Cataclyſmo Hyes ſiue Hyeus; ita pòſt, de vitis cultura, Bacchus eſt nominatus. Lucretius donum hoc eleganter depinxit, his verſibus:

Namque.

„ *Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris*
„ *Vitigeni laticem mortalibus instituisse.*

Non tamen hac gratia Pater est vocatus, sed ea, quam propriam patris esse monstraui. A vino autem & poculo beatissimo Bacchus est dictus, ab eadem illa lingua, qua Liber, à generando, vocatur: quasi diceres בחגוט, id est, Deus poculorum. Nam בח in categoria Substantiæ poculum, & quoduis genus vasis potorij significat, quamuis in prædicamento Actionis idem sit, quod panem facio Latinis. Eadem enim vox in diuersis categoriis, diuersa apud nos significat, quo multitudinem vocum non necessariam euitemus. Homonymia autem hæc in orationis constructione est apertior, quàm vt quicquam adferat dubitationis ad intelligendum. Ex בחגוט ergo βαχχος fecere Græci, Tau mutato in Sigma, vt vocum Græcarum formationi conueniebat; & quia littera aspirata post tenuem eiusdem vocis magis placuit, quàm media; è Gamma fecere Chi. Deus ergo poculorũ Bacchus erit, voce in nullo alio mutata, quàm in eo, quo ad formulam Græcorum & Latinorum accommodaretur. Hic igitur antiquissimus est Liber Pater; cui, quia vinum tanquam inuentori consecrarunt, varia deinde cognomina dederunt, à variis cùm locis, tum vini facultatibus. Huic Nysa originem acceptam fert, nomen sortita in eadem lingua, à libando reuerenterque degustando: quo monemur, vinum non esse affatim ingurgitandum, sed veluti sacrum quendam & cælestem potum, modicè bibendum. מוטסי enim, siue מוטי, nihil aliud est, quàm cum reuerentia quadam sobriè degustare. Primogenium est מוט, id est, necessarium; à quo מוט, id est, vtile & conueniens. מוטי igitur nihil aliud est, quàm sumere aliquid, eo modo, vt necessitatem vtilitatemque naturæ non egrediamur. Sed Græci Tau in מוטסי exciderunt, quòd concursus Tau cum Sigma nõ ferè sit in vsu: sed duæ hæ litteræ in Zeta transeunt, vel prior eliditur, vti hîc videmus. Non sine magna ratione ciuitati id nominis datum, posteaquam ipse inuentor modum, in sumendo vino, egressus, ludibriũ se filio suo fecisset. Debemus itaque libare potiùs, quàm bibere, eò quòd alio modo sumptũ, nullam adferat vtilitatem, immò contrà, noxium sit & exitiale venenũ. In sacrosancta cœna, in qua corporis & sanguinis Christi conuiuium agimus, dicimus vernacula nostra lingua מוטסי, vel מוטי, id est, sobriè & cum reuerentia ad vtilitatem nostram & necessitatẽ sumere. Quæ vox igitur potiùs populo illi danda fuisset, in quo tam largo cornu vinũ Genius infundebat, vt nihil æquè fuerit verendum, quàm vt omnes, perinde atque Liber, vltrà sumerent,

Nysa etymon.

quàm vel vtilitas vel neceſſitas poſtularet? Liquorem igitur hunc diuinum, qui tanta cautione bibendus dicebatur, vocabulo accommodatiſsimo nominarunt, quo tres præcipuæ vini dotes explicarentur. Wyy enim duplici littera eiuſdem cum vocali quinta figuræ, quo Vinum ſignificatur, à Wijey deriuatur; quæ vox tria habet ſignificata: quorum vnum eſt conſecrare; alterum dilatare; tertium à lolio agros purgare. Primò itaque vini proprium eſt hominem reddere diuiniorem, & quaſi magis auguſtum. Sic Poetæ diuini hauſtu huius liquoris fieri dicuntur, cùm aquæ potores rarò carmina dicant vatibus digna. Deinde nihil eſt in rerum natura quod hominis cor & animum magis dilatet, propterea quòd largiſsimo ſpiritu totum corpus faciat turgere. Quos igitur anguſti animi & preſsi aliqua de cauſa videmus, ijs vinum damus bibendum ad animum dilatandum exhilarandumque. Tertiò vinum ita corpus ab omnibus purgat fumis & humoribus ſuperfluis, pituita, melancholia & bile, vt nihil ei ſimile reperiatur in omnibus Pharmacopœorum pyxideculis. Quod quæſo nomen quiſquam excogitet monoſyllabum, quo tam dilucidè vini natura intelligatur? Græci duplici V carentes, qua littera Wyn ſcribitur, loco eius O micron poſuerunt, ex O micro & Iota diphthongum componentes. Latini duplicem conſonantem in ſimplicem mutarunt; eo quòd duplici apud eos non ſit locus: vtrobique tamen prior ſyllaba longa eſt, longæ vocali Cimbrorum reſpondẽs. Altera ſyllaba adiecticia eſt, vt dictio accipiat peregrinam terminationẽ. Verùm quamuis liquoris diuiniſsimi nomen vna ſyllaba, vt primogenia omnia noſtratia, cõprehenſum triplicem habeat, & proinde perfectiſsimam etymologiam, qua vis omnis eius continetur; aliud tamen adhuc habet ſermonis Cimbrici magis ſingulare, quod citra principia altiora nolo explicare. Quærant Græci, quærant Latini rationes nominis, quo beatam hanc lacrymam vocarunt; & ſi quid inueniant quod par ſit, vel potius, ad naturam indicandam, lubenter cedam de vocis huius poſſeſsione, tametſi necdum omnibus, quibus poſſem, præſidijs nitar. Iam quod de femore Iouis fabulantur, id traxit originem, teſte Curtio, de nomine montis qui Meros vocatur: quæ vox Græcis femur notat. Sed ineptiunt ſiquid iudicare poſſum, quum monti ad Paropaniſadas & Margianos ſito nomen è media Græcia mutuantur. Sicut reliqua vocabula Cimbrica ſiue Scythica, quod idem eſt, eſſe demonſtraui, veris rationibus inuentis, ita hoc etiam de eodem fonte deriuabo. Prouerbio apud nos iactatur, Het ſmaect na meer, cùm guſtatum rei cuiuſpiam vehemẽter nobis placere volumus indicare, Latinis diceretur,

Vinum vnde dictum.

Femur Iouis.

Hoc

Hoc refert ſaporem pluris;quaſi diceretur,rem eam talem eſſe,vt eius copia nouam ſemper inuitet. Meer enim plus ſignificat.Beatiſsimus igitur hic mons talis erat Noę,qualis Agamemnoni Neſtor. Quemadmodum enim hic plures ſibi Neſtoras,ita ille plures ſibi eiuſmodi mõtes inter proficiſcẽdum offerri optabat; quod vt fieret,boni ominis & auſpicij vocabulo montem ſignauit. Quod Græci non intelligentes,linguę ſuæ alligarunt mõtem hũc Meron,id eſt,femur nominari putãtes. Condonãdus error vel ob linguæ Scythicæ imperitiam, vel quòd fabulæ de hiſtoria natæ inniti videatur cõmentũ.Bacchum bis natũ ferunt, priùs de Semele, iterum de Iouis femore.Mirum eſt, quantum fabularum pariant obſcura hæc antiquitatis monumenta, quæ à primis Ianigenis fabulis quidem & carminibus erant intexta, quò faciliùs pueris inſinuarentur oblectamentis his condita & ſemel inſinuata altiùs agerent radices, ſed talibus fabulis,vt à veritate non diſcederent. In primis igitur Bacchus duobus modis in eorum carminibus celebrabatur; ſemel pro Noa, & rurſus pro Noæ munere. Vtroq; modo Bacchus duos habet ortus,priorem & poſteriorem.De Noa,clarũ eſt in India natũ eſſe,de matris vtero,quę perierit,vt ceteri mortales omnes, Iouis ira primi peccati vindice.Iratus autem fuit, quòd femina nõ cõtenta fuerit cũ marito ſuo vt homine concũbere, ſed quod præterea petierit,ſerpentis ſuaſu, maritũ ſuũ Deo ſimilẽ facere,atq; ita diuinã,non humanã parere ſtirpẽ; quod ſuperbię peccatũ in omnibus pòſt hæſit hominibus, nõ modò in feminis.Inter has igitur & Noę mater fuit. Atq; hęc prior eius eſt natiuitas. Secũda eſt cũ diuina miſericordia ex oſtio arcę proceſsit, tũ nõ è muliere natus, ſed de ipſo Iouis femore.Vetuſtiſsimi enim eos qui genus ad aliquem referũt,de eius femore procedere dicũt,vt eſt in ſacris litteris crebrò videre.Hinc illud eſt,quod Abrahã ſeruũ iuraturũ voluerit manu femur ſuũ tangere, propterea quòd Deo pollicẽti credidiſſet, ſeruatorẽ generis humani de femore ſuo progreſſurũ. Qui igitur ſuper femore eius manũ ponebat,is perinde facere cẽſebatur, atq; ſi ſuper ipſo ſeruatore Chriſto manũ poſuiſſet.Et quemadmodũ illi ſuper naſcituro, ita nos ſuper eo crucifixo hactenus iuramus, manũ ponẽtes nõ ſuper femore,ſed ſuper cruce,vel libris, quibus docetur & natus de femore Abrahę eſſe,& pro nobis crucifixus. Eadẽ cauſa Iſrael Ioſepo filio ſuo iuſsit, vt manũ femori admoueret, iuraturus ſe oſſa patris maiorum ſepulcro illaturum eſſe. Significantiſsima igitur hæc fuit nota ſecũdę natiuitatis Noæ, quæ poſteros erat admonitura, non deberi natales ſuos,quos per Noã acceperant,vtero materno;ſed ſoli Deo qui Noæ pepercit. Iudicatur igitur natus de femore Iouis, cõmuni loquendi

antiquiſsimorum conſuetudine; quia genus ſecundum Ioui ſoli fert acceptum. Deinde qui ſupplices genubus aduoluuntur, olim id feciſſe videntur, quò femur oſcularentur; quaſi confitentes ſe perditos eſſe & fruſtra natos, niſi is, quem orant, faciat, vt iterum de femore ipſius naſcantur. Cui cùm genua proxima ſint, & ad flectendum ab ipſa natura comparata, nō mirum eſt, veteres ad genua procubuiſſe, cùm miſericordiam cuiuſpiam implorarent, flexionem pro rigore ſe cupere indicantes. Sed horum exempla obuia ſunt, vt nihil opus habeam hîc recenſere. Noa igitur, quia ſola ſolius Iouis miſericordia ſeruatus eſt, optimo iure dictus eſt iterum natus eſſe de Iouis femore. Præterea quia videmus iuramenta & pacta tacto femore maiorum iniri, indicatur & hoc, Deum cum Noa fœdus iunxiſſe, quo cōſtaret, ſe generi mortalium velle parcere; ſic vt à Noæ femore omnes renaſcerentur. Sicut nos igitur omnes à Noæ femore, ita Noa à Iouis femore ſecundò natus eſt, atque hinc fabulæ de duabus ianuis & gemino ortu in Baccho, à quo dicitur Dithyrambus, eſt origo. Et hæc quidem de Baccho vt homine, nunc de ipſius dono. Fuit & illud geminum; vnum & prius natum de Semele, alterum de femore Iouis. Semeley lingua Scythica ſiue Indoſcythica, vt Ptolemæus has regiones vocat, ob commixtionem, furfures nominantur. Antiquorum enim potus decocto furfurum conſtabat, vt parabili in primis, ita ſaluberrimo, ob detergendi facultatem. Eſt hîc hactenus multis in vſu apud Ambiuaritos, præcipuè in Brabantiæ Campania, adiecto fermento, quo efferueat, & ſaporem contrahat, ad palatum & guttur grata quadam acerbitate titillandum. Sed hic pauperum eſt & ruſticorum; gratiſsimus futurus vel quamuis delicatis, ſi febre torreantur. Atque hoc vſi ſunt omnes in Noæ familia, ante diluuium, vt meritò hic prior ſit Bacchi ortus. Poſt inundationem verò natus eſt iterum Bacchus, ſed non de Semele, vt antè, ſed de ſingulari Dei miſericordia & benignitate, in monte cui Meer nomen noſtri fecerunt. Græci igitur audientes femoris, in hac fabula, & Meer nominis mētionem, putauerunt Meron femur eſſe, errore facilè à linguæ Scythicæ imperitis concipiendo. Hic autem Bacchus, quia Octobri mēſe ab vuis premitur, dictus eſt natus eſſe octauo menſe à Verno æquinoctio inita computatione, à cuius proximo nouilunio menſis Niſan erat exordium. Verùm quò perſpicuum magis ſit priorem potum antiquiorem eſſe, id non de Bibliis modò colligitur, in quibus poſt diluuium vitis colendæ ratio dicitur inuenta, ſed de Poëtarum etiam Theologia. Orpheus in eo verſu quem modò recitaui:

Κλῦθι πάτερ κρόνε υἱὲ Ζαβάζιε κύδιμε δαῖμον.

Bacchum

Bacchum vocauit Sabazium, voce, quæ plurimis negocium faceſsit, dum rationem inquirunt. Amphitheus in ſecundo Heracleæ, vt Harpocration teſtatur, Sabazium & Dionyſium eundem, Mnaſeas Pataræus filium Dionyſij facit. Nos Amphitheo credentes, Dionyſium Halicarnaſſæum aduocemus, qui libro quarto in hanc ſententiam ſcribit: Ferunt & alium Dionyſium fuiſſe, ætate multò priorem, natum è Ioue & Proſerpina, qui à nonnullis vocatur Sabazius. Omitto hîc omnes, quos Gyraldus adducit, quòd ex iis nihil poſsit haberi certi. Ammianus Marcellinus libro viceſimo ſexto, primus mihi viam monſtrauit, qua liceret ad veram huius vocis originem peruenire. Is Valentem, à Chalcedoniis obſeſsis, per irriſionem & opprobrium Sabaiarium vocatum dicit, addens ad conuicij declarationem, Sabaiam eſſe apud Illyricos pauperum & tenuiorum potum, ex hordeo vel frumento in liquorem conuerſo: qua deſcriptione etymon indicauit. Nam Sat, ſeminibus omnibus commune vocabulum, cùm ſolum ponitur, pro frumento accipitur. Hinc Satijt, eſt tempus ſeminandi, non cuiuſuis ſeminis, ſed frumenti. Sbaien eſt lauare, ſi hominibus tribuatur; ſin aliis rebus, eſt macerare. Sabaia igitur ad verbum, eſt frumentum maceratum, in qua dictione Tau omittitur, vt in Satijt, conſuetudine linguæ Scythicæ, ſiue Cimbricæ, quæ eadem eſt cum lingua Thracum vetuſta. Hoc iam in lucem eruto, facile eſt iudicare, an rectè Ciceronis ſecundo libro de Legibus lectionem, docti quidam caſtigarint, vbi pro Sabeio Deo, alij Sabadium, Lilius Sabum ſubſtituit. Mihi placet Sabaium à Cicerone nominatum fuiſſe, atque inde corruptè ſcriptum Sabeium, lapſu admodum procliui. A Sabaia igitur, Deus Sabaiaſius, vel Sabazios, vel Sabadius, vel Sabus eſt appellatus, aliis aliter vocem corrumpentibus, vt ignota vocabula ferè patiuntur eiuſmodi cladem, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Fruſtra enim domi ſuæ nomen peregrini Dei quæſiuerunt, atque idcirco illorum coniecturas, vti vanas, omitto. In Euſtathio tamen notandum, Sabas vetuſtos, eius ſententia, Thraciæ populos fuiſſe, in quo haud dubiè in eo error eſt, quòd è Sabaia Thracum potu, Sabæ populi conficti videantur. Cicero peregrinum Deum eſſe agnouit, ſed cuias eſſet, non indicauit. Interpres Ariſtophanis dicit, apud Thracas Dionyſium ita vocari, & ſacrificos eius Sabos. Verſiculum tamen Comicum lepidiorem ſentiet, qui noſtra legerit, quàm quiſquam hactenus animaduerterit. Nam cùm Xanthias Soſiæ obieciſſet, eum vel reuera deſipere, vel Corybantico furore corripi, reſpondit Soſias, nihil tale ſe pati, ſed ſomno teneri ex Sabazio, quod

nihil aliud eſt, quàm ſe dicere, Thracum more, vili & frumentaceo potu ebrium dormitare. Diodorus antiquiſſimum Dionyſium Indum cùm feciſſet, poſt aliquot paginas Sabazium ceteris facit vetuſtiorem. E quo liquet, Sabazium, cùm antiquiſſimus ſit, Indum, non Thracem fuiſſe; verùm ob id apud Thracas cultum, quòd inuento eius adhuc fruerentur. Optimè ergo illi, qui hunc è Ioue & Proſerpina prodiiſſe ferunt. Nam ex aqua pluuia, vti ſaluberrima Hippocratis teſtimonio, & in qua facillimè frumenta macerentur, & vim ſuam aëream deponant, optima Sabaia conficiebatur. Iouem autem imbribus præſidere vnà cum Iunone, cum ex aliis, tum ex illo diuini vatis loco perſpici poteſt:

„ *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther*
„ *Coniugis in gremium lætæ deſcendit.*

Optimus verò imber eſt & ſaluberrimus, qui cum fulminibus decidit, vt à Coo præceptore didici, atque ei propriè Iupiter præſidere cenſetur. Eſt enim ille vi penetrandi, & ſubtilitate partium aptiſſimus ad fœcunditatem, & in eodem quàm celerrimè & quam optimè ſemina macerantur. Per Proſerpinam verò nihil aliud intelligitur, quàm frumentum vligine aliqua, vel in terra, vel extra turgens, & nouo fœtu fatiſcens. Tale autem frumentum eſſe debere, è quo Sabaia bona conficeretur, illi norunt, qui cereuiſiæ coquendæ rationem tenent, quæ nihil aliud eſt, quàm veterum Sabaia. Ægyptij vanarum ſuperſtitionum principes, omnia quæ nos Noæ, Oſiridi ſuo tribuerunt; ſed ignorantia veteris hiſtoriæ confuderunt omnia; eundem Nilum, Ammonem, Dionyſium, Serapin, Plutonem, Iouem, Panem, Solem, & neſcio quid non, nominantes. Certè Zythi inuentio Noæ fuit: quam quia ad Ægyptios primus Cham attulit, deinde Meſraim; opinabantur, horum poſtremum, gentis ſuæ auctorem, Dionyſium ſiue Bacchum eſſe. Sed hæc nihil ad præſens: non inutile tamen, erroris fontem indicaſſe. Ceterùm illud non indignum annotatu, potum eiuſmodi vbique ferè gentium Scythicum habere nomen; è quo intelligitur, antiquiſſimum eius vſum fuiſſe. Sabaia quare diceretur, modò eſt dictum: proximum eſt, Ægyptiorum nomen explicare. Zythos dicitur, quaſi ⲍⲩⲑⲟⲥ, littera vltima ad Græcorum linguam aptata, id eſt, caput ſuaue reddens. ⲍⲩⲧ enim in prædicamento Qualitatis dulce notat; in prædicamẽto Actionis, idem eſt quod dulcorare. ⲁⲑⲟⲥ verò caput vocatur. Quia ergo largo Zuthi potu homines exhilarantur & amaros mores ponunt; meritò liquori nomen datum eſt à capite edulcorando.

Apud

Apud Hiſpanos duobus nominibus vocabatur, *Cœlia & Ceria*: prius à refrigeratione, alterum à Cerere factum. Coeſen enim idem eſt quod refrigerare leniter & ſuauiter, eò quòd Coeſ id ſignificet, non quod ſimpliciter frigidum eſt, ſed quod temperatè frigidum eſt, ita vt delectet. Coeſen Wiju dicimus pro vino ſitim & ardorem extinguente, non pro frigido, ſed moderatè ſuauiterque refrigerante. Ceres autem vocem eſſe Cimbricam, alibi docebimus; vbi de nominibus linguæ noſtræ diuiniſſimis, inter quæ hoc vnum eſt, agemus. Ex eodem fonte promanauit Cereuiſia, ſic dicta à voce Scytharum compoſita Ceres ſwiju, id eſt, Cereris vinum. Noſtris hoc tempore Bier vocatur, ea ferè ratione, qua Nuſſam à libando dixerunt. Bier enim, vti Wiju, vox eſt non vna & ſimplici ratione potui huic tributa. Nam admonemur ea potum cum honore ſumendum, & illius qui dedit, & illius qui inuenit, & illius quoque in cuius præſentia bibimus. Deinde modum etiam bibendi præſcribit, vt nimirum tantiſper bibas, dum honeſti & decori fines non egrediaris. Poſtremò indicat, quid potantes conſequantur, hoc nempe, vt prompti fiant, & ad quiduis ſe paratos præbeant. Admirabile ſanè compoſitionis in vnica ſyllaba artificium. Bieten idem eſt quod præbeo, vel præbe, ſiue offer: Er, longa vocali, honorem ſignat. Bier igitur compoſitè atque contractè in vnam ſyllabam, idem eſt quod præbe ſiue offer honorem, vel præbeo honorem. Eſt ſolenne hactenus nemini apud nos honorem tribui, cui non & potum offeramus. Potare enim generoſum propterea habetur, quòd ſolius id hominis ſit, & quòd animus in eo cernatur. Qua de cauſa omnibus in rebus potus adhibetur, ſiue amicitia ſit contrahenda, ſiue quid ſit emendum, ſiue omnino quicquam in commune vel conſulendum vel gerendum. Verùm nihil immutato ſono componi poteſt à præpoſitione & nomine, vt ſit à Bi, id eſt, apud; & er, id eſt, honore; qua quidem ratione monemur, in potando nos nunquam debere honeſtatis obliuiſci. Præterea à ſolo verbo ſi deriuetur citra compoſitionem, ſignificabit præbitorem. Poti enim ad omnia ſe faciles promptosque prębent, magna futurorum ſecuritate. Poſſem in hac voce ad vim ſuam reuocãda, non exiguum conficere librũ: ſed hæc modo ſufficiat indicaſſe. Effecimus itaque, vt faciliùs poſthac credi queat, Bacchũ eundẽ cũ Noa eſſe; nec id modò, ſed rationes etiam nominũ præcipuorũ in lucẽ protraximus, quæ hactenus omnes latuerunt. Verùm quod de Prometheo diximus, id fortè nõ ęquè probabile, atq; cetera, habebitur; quòd illud de Hercule, qui eũ ſoluiſſe dicitur & Vulturẽ occidiſſe, non videatur quadrare. Percommodè ſanè accidit, vt huius mihi

in

in métem veniret. Nam & illud ipſum quod videtur obſtare, docebimus nobiſcum facere, vt quæ maximè. Diximus Noam Liberum à
Hercules. gentium procreatione, vocari: dicimus nunc Herculem quoque eadem de cauſa, & eadem de lingua nominari. Vt cetera nomina Deorum falsò credita, nihil aliud ſibi volunt quàm diuerſas poteſtates in vno Deo colendas eſſe; ita hoc quoque vnum eſt, Dei illam vim ſignificans, qua maſculam facultatem rebus infundit. Hoc verò Galenus facilè crederet, qui teſticulos ipſi etiam cordi præfert; huic viuẽdi, illis bene viuendi principio tributo. Hercuſ autem Scythica lingua nihil aliud eſt quàm teſticulus communis ſiue publicus, cuius nimirum vis ad omnes teſticulos generandi vim propagauit. Hæc igitur vox, à poteſtate diuina ad ſidera, vti fit, tranſlata, Soli dicatur: eò quòd in Sole vis illa generandi maximè elucet. Eius enim acceſſu & receſſu generationem & corruptionem fieri, Ariſtoteles Peripateticos docet. Idem dixit, Homo generat hominẽ, & Sol, adeò vt omnium rerum generandarũ communis teſticulus videatur eſſe. A cælo autem ad homines detracta, cui vox hæc potiùs tribuenda ſit quàm Noæ, à cuius teſticulis omnes nationes quotquot vſquam ſunt terrarum, profluxerunt. Huic fabulantur Iunonẽ fuiſſe iniquam, propterea quòd pluuiæ, quibus Iuno citra fulmina cadentibus præeſt, tempore ipſius omnes terras ſubmerſerint. Quî verò Hercules Prometheum è vinculis ſoluit, ſi diuerſis nominibus idem vocetur? Cõfiteor equidem, eundẽ Noam eſſe, ſed vt in ſcena fit, diuerſas induere perſonas. Quamdiu enim prouidebat cataclyſmum, Prometheus erat; & quamdiu ſubodorabatur omnium animantium ſubmergendorum cadauera, vulturem intus alere dicebatur, non citra graues dolores quos è commiſeratione generis humani perituri patiebatur. Simulatque verò hęc præterierunt, deſiit Prometheus à prouidendo vocari, & vulturem paſcere; iam deinde Hercules futurus, non ſolùm quia viriliter omnia aduerſa ſuperaſſet, ſed quòd iam de ſolius ipſius teſticulo, tota humani generis communitas pendêret. Hercules igitur Prometheum liberauit, detracta nimirum prouidentię larua; & dolore, & commiſeratione tranſlata ad fortem deinde animum fœdere diuino confirmatũ, de ſemine ipſius genus humanum reparatum iri, & tandem Herculem alterum naſciturum, qui miſeros mortales, ab omnibus omnis æui monſtris, claua crucis liberaret. Noa igitur Hercules dictus eſt, ab Her, quod eſt commune & publicum, ſiue ad omnes ſpectãs. Sic Herban, eſt via publica. Hertog, eſt dux communitatis. Herman, eſt monitor publicus. Heraſt, ſenator publicus, ſiue communitatis. Cuſ verò teſticulum notat, ſignificatu

ficatu omnibus notiore, quàm vt exemplis debeat doceri. Græci igitur à Latinis ἡρακλῆς mutuati, vocem magis deformarunt, fruſtra in omni ſua regione etymon quęſituri. Hanc nominis rationem qui intelliget, facilè videbit, quamobrem tum Sol, tum Noa, tum fortiſſimus quiſque & animoſiſſimus, Hercules dicatur, atque inde haud difficulter rationes dnodecim laborum comprehendet, quos non eſt huius loci explicare. Hinc etiam Herculis in India res geſtæ, hinc ipſius ingens poculum, hinc alia permulta ipſi cum Baccho communia, defluxerunt. Vt igitur ad propoſitum quæ de Noa diximus, applicentur; diligenter conſiderandum, omnia hæc ad Paropaniſum accidiſſe, quæ de vineæ plantatione, & ebrietate Noæ atque filij opprobrio narrantur. Inuenimus enim hic Nyſam vrbem, Merum mõtem, Promethei liberationem, & Bacchanaliorum originem, & nominum impoſitionem hiſtoriæ noſtræ conſentaneam. Verùm, quia varia de Nyſa prodita ſunt, ſciendum alias pòſt vrbes, à prima illa ad Merum ſita, nomina trahere potuiſſe, atque ita in Arabia etiam vnã inueniri: quæ homonymia fecit, vt varia quoque de Bacchi ortu & educatione fingantur. Nos igitur Ptolemæi adhibebimus diligentiſſimi Geographi ſuffragium, qui Nyſam inter Margianæ ciuitates ad eam longitudinem & latitudinem collocauit, vt à Paropaniſo non poſſit auelli. Videmus igitur quàm omnia conueniant, & amicè in illud conſpirent, Arcam ad Paropaniſum conſtitiſſe, atque ad eius radices vineæ colendæ rationem ab ipſo loci genio Noæ commonſtratam eſſe, terra vltrò vites magna in copia producente. Nemo credat quanta voluptate perfundar, dum hanc Moſaicæ hiſtoriæ cum ipſa natura & profanorum traditione conuenientiam contemplor. Mõtes igitur Ararat Taurus erit, in cuius altiſſimis verticibus, quos Plinius Paropaniſum dicit vocari, Arca quieuit. Non audio igitur Hieronymum, qui ob Araxæ & Ararat vocum in principio ſimilium alluſionem, putauit campos, per quos Araxes fluit, Ararat vocari, & montes his incumbentes, montes Ararat. Auctor libelli de fluminibus Araxam interpretatur μισοπάρθενον, è Dorotheo Chaldæo, ni fallor, cuius ſecundũ librum De lapidibus adduxit. Verùm Araxa non eum qui virgines odit vel execratur, Chaldæis & Hebræis ſignificat, ſed eum qui peroſus eſt genus femineum. Aſſa enim ſiue eſſa non virginem, ſed mulierẽ notat, ſiue viraginem. At ego longè ſecus exiſtimo, flumẽ non Chaldęis vel Hebręis, à quibus lõgiſſimè abeſt, nomẽ debere; ſed Scythis eius accolis. Ararin Gallia à fluxus tarditate, ſicut Rhodanus à celeritate nominatur. Araxes igitur erit Araſſe, id eſt, fluuius primũ tardus, deinde celer, pòſt lacus. Et eſt ſanè hæc flumi-

nis natura, vt aliquibus partibus sit tardissimus, in campis latè stagnans; aliis rursus partibus celer, ob montium angustias per quas prius arctatur, quàm in mare Caspium effunditur; quibus duo fiunt, alterum vt prius, quasi clausstris horum & obstaculis prohibitus, tardè fluat: alterum, vt postquam ad rupes angustas tanquam ad clepsydram peruenerit, rapidus feratur. Nec verò semper fluuius est aut tardus aut celer, sed aliquando etiam lacus siue mare, quod postrema syllaba significatur. Non possum hîc illud tacere, quod per omnia sacra possem iurare contigisse mihi in hoc fluuio, vt naturam eius ante de etymologia nominis cognouerim, quàm de scriptorum pictura. Quo igitur omnes intelligant, quanto artificio vocabula Scythica sint impósita rebus significandis, addam fluminis huius descriptioné è Pomponio Mela petitã. Multi, inquit, in eo sinu magni patuiq́ue amnes fluunt, sed qui famam habent, ex Ceraunìis montibus vno alueo descendit, duobus exit in Caspium Araxes Tauri latere demissus. Quoad Armeniæ campos secat, labitur placidus & silens; neque in vtram partem eat, quanquam intuearis, manifestus: cùm in asperiora deuenit, hinc atque illinc rupibus pressus, & quanto angustior, tanto magis pernix. Frangit se subinde ad opposita cautiũ, atque ob id ingenti cũ murmure, sonanq́ue deuoluitur adeò citus, vt qua ex præcipiti casurus est, in subiectam non declinet statim vndam, sed vltra quàm canalem habet euehat plus iugeris spacio sublimis, & aquis pendentibus semetipsum sine alueo ferens; deinde vbi incuruus arcuatoq́ue amne descendit, fit tranquillus, iterumq́ue per campos tacitus & vix fluens in id litus elabitur. Curiosa admodum & copiosa varietate Pomponius flumen hoc ornauit, celeritatem eius tarditatemq́ue diligenter atque clarè depingens; verùm lacus, in quem se diffundit, non fecit mentionem; adeò vt ego ex sola etymologia propiùs ad imaginẽ à Castaldo depictã accesserim, quàm Mela plurimis verbis; quanquã Ptolemæus paludé vocauit id quod lacũ nominaui. Vel hoc vnico exẽplo possem docere, & vocẽ nobis vernaculam esse, & nullius omnino nominis rationem in sermone Scythico negligendam; denique toto illo maris Caspij tractu, totaq; Armenia huius linguæ vsum fuisse, vt latiùs è migrationibus & coloniis patebit. Mirũ est quàm in omnibus vocibus Scythicis dilucidè rerum significatarum natura explicetur. Neque nomen magis hoc amnis quàm prolixa & accurata descriptio videtur. Herodotus Araxem Istro maiorem & item minorem esse refert, & in eo frequentes insulas Lesbo magnitudine pares, deinde in eluuies & paludes eius partẽ, reliquum per apertũ in mare Caspium euolui; quibus

satis

satis aperitur diuersa fluminis natura, nomine Scythico consignata. Elegantissimè nostra hac ętate Castaldus Araxem delineauit in charta Geographica, diligentissimus totius Asiæ, quoad secula nostra & principum supina incuria fert, pictor; in qua licet videre, quàm aptè nominis interpretatio quadret. ארא nobis, siue ארט, siue ארס, celerem notat, contrarium conuersis litteris indicatur, vt plurima sunt vocabula Cimbrica, quæ contrario ordine pronuntiata, contrarium signant, quod in linguæ nostræ causis ostendam. ארא igitur tardum est, ארר bis tardum, fluuio in Gallia tributum, cuius tarditas facit, vt vix cernatur in vtram partem fluat. ארט igitur tardum celere: deinde & mare siue lacus: ארת se igitur siue Araxes, fluuius tarditate, celeritate & lacu insignis. Quòd si dicas ארארת, bis tardum, ac deinde celerem significaueris, lacus nulla facta mentione. Verùm quia mons ארוט, dictus est, opinione quidem mea, Taura, litteris, Hebræorum more, à dextro lectis, suspicor ex ארוט primùm ארט, & subscripta vocali ארארת factum esse, ab eo qui de Vau, ob similitudinem Res, formauit. Demus igitur fluuium Araxem, siue ארארת Scythica lingua vocari, atque ab eo fortè Ararat in Bibliis pro Armeniis poni, quòd per eorum fines fluat. In illo tamen loco, vbi de Arca tractatur, vnius litteræ commutationem irrepsisse credo, eorum vitio, qui parum distinctè montem & fluuium, & gentem confuderunt, nominum vicinitate decepti. Quòd autem Taurus Scythicum quoque nomen sit, ostendamus, quo innotescat Hebræos ex eo Aruat feciſſe, non contrà Taura ex Aruat, tanquam priore voce retrogrado litterarum ordine manasse. Lubentiùs enim concedimus, vnius litteræ in similem commutationē errore factam, quàm falsam ab Oriente in Occidentē progressus narrationē, quam confiteri necessariū esset, si ab Araxe ad Babylonios campos à diluuio descendisse Noæ liberos diceremus. Tauru igitur significat officinam fluuiorum. תאו enim idem est quod paro vel efficio; hinc תאוה quoduis instrumentum, quo quippiam fit & paratur. תו verò generatim omnem aquam defluentem notat. תאור ergo dicitur effector siue opifex fluuiorum. Cùm enim mons hic plurima & maxima flumina effundat, siue, vt Aristoteli placet, frigore suo halitus condensante, riuos infinitos efficiat; per excellentiam Taurus, Scythico sermone, nominatur. Monui sæpè, à fine & vsu optimè poni vocabula: quod hîc quoque factum animaduerto. Præcipua enim montium altissimorum & perpetua niue rigentium vtilitas est, in riuis effundendis, qui in primis hominibus sunt necessarij, tum ad potum, tum ad lotionem, tum ad irrigationem. Postremò etiam, vbi

Arar. Taurus.

multi canales in vnum iuncti, magnum flumen faciunt, nauigationis ad importandũ & exportandũ vſum prębent, vt interim reliquas commoditates omittam. Taurus itaque maximus & excellentiſsimus montium, à præcipuo & excellentiſſimo naturæ ſcopo nomen duxit, in prima illa Scytharum lingua, qua illis in locis homines vſi ſunt, vbi Arca conſedit. Eſt hîc & illud non ociosè conſiderandum, quòd quamuis Tau in categoria Actionis materiam quamuis parare ſignet; propriè tamen in vſu eſſe ad eam rei præparationem, quæ fit comprimendo, vt Certauwey, corium parare. Non igitur Tauru hoc ſolùm notat, quòd fluminum materiam paret, ſed illud etiam, quòd aquæ fiant comprimendo, vt Ariſtoteles in Meteoris explanauit. Alterum igitur duorum in Geneſi accidit, vel pro Ararat Aruat eſt legendum, vt Arca dicatur in montibus Tauri conſediſſe; vel ſi à flumine tota Armenia Maior Ararat vocari concedatur, confitendũ erit, à Iudæis totam Scythiam Armeniam vocari, ea ratione, qua omnes Belgæ vocantur Flammingi. Ex hoc igitur ſcripturæ loco & interpretum ſententia, mirum in modum adiutus ſum, ad Plinij diligentiam peruidendam: & erit fortè, quòd manes ipſius mihi debeant hanc eius aſſertionem, quam recitabo, eſſe confirmatam. Nobis certè infinitum eſt & immane, quantum lucis attulerit vnica hæc curioſi ſcriptoris notula, ad eorum intellectionem, quæ non minimam partem complectuntur totius noſtræ antiquitatis. Verba eius hæc ſunt: Vltrà ſunt Scytharum populi, Perſæ illos Sacas in vniuerſum appellauere à proxima gente, antiqui Aramæos. Hieronymus, & plerique Hebræorum, omnes Aramæos Syros eſſe credunt, ab Aram filio Semi genus & nomen ſortitos. Quod quia bis per omnia cum antiquorum pugnat ſententia, quam Plinius è monumentis vetuſtis in lucem reuocauit, confitendum erit, vel Hieronymum & ceteros erraſſe, vel homonymiam vocis eſſe recipiendam. Hieronymus Armenos ab Vl filio Aram deriuat, non addita nominis ratione; quod tamen nõ debuiſſet præterire, niſi putarit fortè ſatis intelligi, Armenos ab Aramo patre Vli nominari: atque ita leui diſtinctione, Aramæos eſſe Syros diuerſos ab Armenis, ab vno tamen generis auctore profectos. Nos in hac controuerſia ſic exiſtimamus, vnicuique in ſua ſcientia maximè credendum eſſe. Quando igitur Plinius ex profeſſo vetuſtiſsimos quoſque auctores, cùm Latinos, tum Grecos, atque eos plures quàm quinquaginta ad hanc partem hiſtoriæ, quæ populorũ continet origines & nomina, illuſtrandam euoluerit, potiùs illi accedam, quàm Ioſepo, Hieronymo, Euſebio, & ceteris, qui ſolis coniecturis & alluſione nominum ad Hebraicam linguam nituntur.

Quò

Quò tamen vtrique parti sit satisfactum, concedamus Aramæos alios esse ab Armenis, & eos quidem, quos Græci Syros vocant, Hebræorum lingua Aramæos, ab Aramo dici: illos autem, quos Scythas nominamus, antiquitùs dictos & illos quidem Aramæos esse; verùm non Hebraica, sed sua, id est, Scythica lingua. Nihil enim potest absurdius cogitari, quàm gentem aliquam tam vecordem inueniri, vt non sibi de sua lingua nomen imponat; nisi alterius populi imperio sic sit subiugata, vt omnis suæ antiquitatis & linguæ sit oblita. Hoc verò, cùm in omnibus, tum maximè in Scythis sit absurdũ, qui nullo vnquã maximorum Regum iugo potuerunt domari, non Cyri, non Darij, non Alexandri. De Romanis nihil attinet dicere, qui Scythas non antè nouerunt, quàm à Gotis & Vandalis, & Herulis & aliorum nominum Scythis crebrò cęderentur, atque nõ ita multò pòst, & imperio & vsu veteris sermonis spoliarentur. Sint itaque Hebræis Syri Aramęi; apud Historiæ verò & Geographiæ peritissimos, de quibus Plinius sua deprompsit, Scythæ olim fuerunt Aramæi nuncupati; non de Hebræa, sed lingua sua, nulla vnquã seruitute pressa. Dicuntur autem hoc nomine, quòd ipsi sibi atque aliis terminos terrarum ponerent, à nullo mortalium poni sibi permitterent. Magnanima profectò nominis promissio, ne dicam audax & superba, conueniens tamen Scytharum moribus & institutis, quibus summũ bonorum in libertate collocabant. Dixi modò ארת in prædicamento siue categoria Qualitatis tardum signare; nunc addo eandem vocem in categoria Substantiæ terram notare, propter summam in ea tarditatem, aut potius perpetuam quietem. Vocatur autem ארת terra, addita littera Tau, quæ nobis æquè atque Platoni, dictionis est clausula, omittenda in deriuatis & compositis, si suauitas soni ita postulare videatur. Ab ארת enim dicimus ארץ vel ארי, quod est arare, littera illa finali reiecta: sic in compositione quoque Aramæus, non Artamæus. ארץ autem vocali longa, siue ארי, idem est quod extendo, quoad fines cuiusque rei pertingere possunt. Hinc & ipsum instrumentum, quo aliquid ita tendimus, vt longiùs tendi nequeat, eodem nomine vocatur, more eorum, quæ in diuersis prædicamentis significant diuersa, originis tamen seruata ratione. אר verò, à quo postrema syllaba formatur, caput notat: in quo nostra consuetudine, aspiratio in compositione, in qua præcedens littera aspirationem respuit, euanescit. Fit igitur è tribus vna vox ארם, quæ ad Latinam formam translata, Aramæus fecit, id est, terræ ad fines, quoad ferre potest, extendendæ caput. Sumebant igitur hoc sibi Scythæ ius hac appellatione sua consignatum, vt terras suas eousque

extenderent, quoad eius commodum ſibi videbatur, nullis aliorum limitibus aſtricti aut compreſſi. Hac nominis ratione intellecta, non erit fortè alienum, ſi quis ſuſpicetur Armeniam non ab Aramo Semi filio, ſed ab Aramæis dictã eſſe, quia hanc quoque habitarint. Deinde nec illud abſurdum videbitur, ſi Arca dicatur in montibus Armeniæ, id eſt, Aramææ conſediſſe, quòd nihil aliud hac via ſignificaret, quàm Larnacem in montibus Scythiæ quieuiſſe, inter quos Sacę Maſſagetæ & Daæ à Plinio primi nominantur. Accedam igitur iam tandem quò volebam peruenire. Si conſtet de profectione ad Occidentem, & reliquis ei conſentientibus quàm plurimis, quæ in medium adduxi, Larnacem ad Parniſum ſiue Paropaniſum acquieuiſſe, atque hîc Noam vineæ culturam inueniſſe, non poſſumus negare, primam hîc hominum poſt cataclyſmum habitationem fuiſſe. Deinde, cùm nulla calamitas legatur, ob quam ad vnum omnes hinc emigrarent, cogitandum eſt, idem hîc eueniſſe, quod in aliis migrationibus fieri animaduertimus. Cùm Margiana, quam tenebant, exigua eſſet regio, vndique ferè arenis incluſa, niſi qua Paropaniſo hęret, non potuit creſcenti hominum multitudini ſatis eſſe. Nebrod igitur, cuius vaſtus animus tam exiguo loco contentus eſſe non poſſet, vel ſponte ſua, vel Noachi, vt veriſimile eſt, hortatu, ducem ſe præbuit coloniæ primæ deducendæ. Hunc igitur, vt quiſque maximis latifundiis plurimùm inhiabat, maxima pars hominum eſt ſecuta, à Nyſæis finibus Margianam Occidentem verſus egreſſa; nec antè conſiſtens, quàm latiſsimos Suſianorum & Babyloniorum agros teneret. Quis hîc non apertè videt, conſonum eſſe rationi, aliquos in Margiana relictos eſſe, qui præ exigua, ſed vini ferace terra latiſſima regna, quæ ceteri certa ſpe conceperant, contemnerent, alij fortè ex ignauia, alij, quòd paucis eſſent contenti, alij, quòd à delicatiſsimo liquore non potuerint diuelli; alij aliis rationibus, quo minùs ſequerentur, impediti. Inter hos tamen veriſimile eſt maximum illorum numerum fuiſſe, qui ſuauitate & copia vini, tanquam Circæis poculis fuerunt detenti. Si quis contrà arbitretur, nullos hîc Noachi poſteros manſiſſe, at omnes vnà egreſſos; is magnæ inſaniæ omnium patrem accuſet, qui tam parum à communi hominum ſenſu valuerit, vt certa putauerit pro incertis ab omnibus ad vnum eſſe relinquenda. Referat, quæſo, is, quando vnquam vlla hominum natio regionem eiuſmodi, qualis erat ad Nyſam, & Merum, & totam reliquam Margianam deſeruerit, nulla peſtilentia, nullo terræ motu, nulla cæli terræve calamitate, nullo denique hoſte compulſa? Quòd ſi quis eſt, qui obſtinatè contendet, omnes vnà diſceſsiſſe, is intelli-

intelligat ex diametro se cum Noachi proposito & prudentia pugnare, cui hoc erat in votis & Dei promissis, quo breui generis humani incrementa omnes terras colerent, & rursus pristino restituerent nitori. Quibus igitur Furiis actos putabimus lætissimos colles deseruisse, qui vt omnes capere non poterant, ita erant summè necessarij ad comeatum, & præsertim optimum & copiosissimum vinũ proficiscentibus subministrandum. Quantumuis læta, & fertilis, & amœna sit regio, si angustior est, quàm vt omnes suos filios alere possit, cogitur illa quidem colonos aliò destinare; sed nunquam sic insanit, vt omnes vnà emittat, omnibus aruis, omnibus vineis, omnibus oliuetis & pomariis, omnibus pratis, & ceteris, quæ vitæ vsibus seruiunt, relictis, & quasi despectis. Ingrati hoc sit hominis, tantum Dei Optimi Maximi munus contemnere, quantum in Margiana pleno cornu Bacchus effudit. Præterea qui Iouis mãdato obediisse dicentur, iubenti vt crescerent & multiplicarentur, & replerent terram; si optimam & beatissimam terram, atque adeò non terram, sed terræ medullam non reliquissent modò, sed quasi sterilem, & agricolis iniquam aspernati fuissent, nullis omninò relictis colonis? Non omnes igitur aliò profecti sunt, sed tot manserunt, quot terræ colendæ satis essent. Quot verò illi fuerint, non difficile sit de regionis amplitudine coniectare; verùm illud nihil ad nos. Non omnes ergo turris structuræ adfuerunt, cùm nec credi queat, omnes vnà profectos, nec à scriptura id asseratur; quæ vt omnes vnius sermonis, ita non dicit omnes profectos fuisse, sed propositione vsa est infinita, vt Dialectici loquuntur. Sibyllæ apud Iosephum verba clarè docent, ad hunc modum Mosen esse intelligendum, cùm dicit,

Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων πύργον ὠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον ὡς ἐπὶ οὐρανον ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ. οἱδὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. *id est,*

Cùm omnes homines eiusdem linguæ vsum haberent, quidã eorum turrem ædificarunt altissimam, quasi per eam cælum essent ascensuri. Dij verò immissis ventis, turrem euerterunt, & linguam cuique peculiarem & propriam dederunt, à quo euentu ciuitas Babylon est vocata. Cùm igitur Sibylla quosdam duntaxat turrim ædificasse dicat, & Moses illos, qui ex Oriente ad Occidentem profecti erant, id fecisse testetur; satis liquet eos, qui ad Margianam colendam relicti fuerant, turris ædificationi non interfuisse. Quocirca quia non solis illis, qui in Campo Sennaar erant, eadem fuit lingua, sed omnibus

omnibus hominibus neceſſariò fatendum erit, Margianis priſcam linguam remanſiſſe; eam nimirum, quæ priùs fuerat communis vniuerſorum. Nec mirum, ſi magni faciam hanc Sibyllæ, apud Ioſepum, auctoritatẽ, qua Quidam referuntur, non Omnes turrim ſtruxiſſe, cùm non Euſebius tantùm eandem, eiſdem verbis recitarit, ſed Hieronymus etiam ad verbum trãſtulerit, libro de locis Hebraicis. Nec Sibylla igitur, nec Ioſepus, nec Euſebius, nec Hieronymus, nec ipſe denique Moſes, omnes huic moli condendæ adfuiſſe dicit, nec cuiquam ſano tale quid eſt ſuſpicandũ, quod rationi & Dei præcepto & hominũ cõſuetudini & cõmoditatibus omnibus aduerſetur. Lingua igitur illa, quam antiquiſsimam in locis Nyſæ vicinis fuiſſe, exemplis aliquot oſtendi, eam primam & excellentiſsimam eſſe contendo. Ne tamen de ſola coniectura Iapeti potiùs genus hîc manſiſſe, contendere videar; addam & illud, quod in Ezechiele dicitur, Gomeri genus latera Septentrionis poſsidere. Si igitur Noachus eam fecit inter tres filios partitionem, vt Aſiam ad Orientem & Meridiem & Occidentem Sem, Africam Cham, Europam & Septentrionis latera Iaphet haberet: quæ fuiſſet Iapeti & Gomeri inſania, extra eas ſedes commigrare, quas à patre ſibi habebant deputatas; Imao, Paropaniſo, Amano, reliquisque Tauri laciniis à maiore Aſia diſtinctas? Ioſephus Tauro & Amano Ianigenas in Aſia concludit, ad quos montes, cùm ex eo loco, in quo Arca quieuit, Septentrionem verſus ſit proficiſcendum; qua cauſa, rogo, ad campos Sennaar cum reliquis deſcendiſſent; Septentrionis cardine, verſus quem colonias emittere Noachi iuſſu debebant, neglecto? Num illuc commigrare voluiſſent, vnde patris mandato mox fuiſſent expellendi? Quî verò ſcis, dicet aliquis, Noachi hanc fuiſſe voluntatem & partitionem? Ex eo, quòd diuinum virum ſciam nihil feciſſe, quod nõ Dei faceret inſtinctu. Cùm ergo videam per ipſos Prophetas Deum Septentrionem Cimmeriis dediſſe; quid ni credam, diuinam hanc fuiſſe voluntatẽ, vt Noachus Aſię Septentrionale latus Iapeti poſteris aſſignaret? Non fuit itaq; iis ab eo terrę tractu diſcedendũ, niſi & Deo & Noacho, & communi hereditatis diuiſioni aduerſari temerè voluiſſent. Quamobrem minimè ſuſpicandum, Cimmerios confuſioni Babylonicæ interfuiſſe; atque idcirco ne cauſa quidem vlla eſt, ob quam cogitari queat, aliam eorum linguam à prima fuiſſe. Sed video hîc ſtatim exilire magnum agmen aduerſariorũ, clamantium cum Hieronymo, & aliis non paucis, Hebræam linguam primam fuiſſe, propterea quòd cernamus, omnia propria hominum nomina ante diluuium, & mox à diluuio Hebræorum eſſe vernacula. Deinde ſacris litteris

litteris conuenire, vt ea lingua tradantur, qua Adam, & ceteri ante cataclysmum sint vsi. Pace tamen tam illustrium & grauium scriptorum, dico, Mosen historiam à maioribus per manus accepisse, atque illos item à Noa, qui sciebat adhuc, quibus rationibus nomina in prima lingua data fuissent; quod equidem non Noam solùm, sed liberos etiam & vxorem credo retinuisse, atque ea causa facile illis fuisse, in linguam Hebræam ea transferre. Neque verò necesse fuit, sacra Dei oracula, primo & perfectissimo sermone perscribi, nõ magis, quàm Christum è ditissimis nasci, & vestitu vti, & victu splédidissimo. Nam, vt ostenderet nihil hominum meritis aut fastui se tribuere, sed omnem suam gratiam conferre gratis, semper humilia & infima quæque elegit gratiæ suæ instrumenta. Abrahamum statuarij & idololatræ filiũ elegit, in quo Circumcisionis poneret exordium. Quid, quòd & ipse Christus, dum nasceretur, vix casam sibi sumpsit, qua, recèns ex vtero prodiens, se ab aëris inclementia tueretur. Potuisset profectò, si ita placuisset, vel ex totius orbis Regina nasci, & id in summa rerum omnium affluentia; maluit tamen fabri filius haberi, atque à tenuis fortunæ virgine in lucem edi. Cùm enim contraria contrariorum sint remedia, conueniebat, vt extremæ superbiæ, cuius venenum pestifer Draco mentibus afflauerat, si vetito parentes nostri fructu vescerentur, Deo similes futuros, opponeretur medicamentum ex diametro repugnans. Agnus igitur ille immaculatus, contra superbissimam belluam pugnaturus, humilitatem & abiectionem illam induit, qua nulla posset maior excogitari. Sicut igitur vera victoria, & summus totius mundi triumphus per humillima & abiectissima quæque, atque adeò hominum iudiciis abominanda, actus est ad capitolium cæleste, ita eius triumphi typus & oracula, semper in iis hominibus viguerunt, qui habiti sunt vilissimi. Videas id in Abrahamo primùm enutrito apud patrem idolorum fabrum, vt alibi latiùs docebo, deinde profugo; deinde rursus profugo, pòst etiam contento, vt vxori vitium adferretur, quò famem & mortem euitaret. Iam in Israel & eius posteris quid cernimus, præter ęrumnas & seruitutem? Quis verò eos liberauit? Num Rex quispiam aut Monarcha? minimè gentium; sed is, qui abiectus fuit, atque vndis & feris expositus crocodilis. Si per singula eas; in singulis inuenies, illa Deo placuisse maximè, quæ hominibus maximè solent displicere. Non ille, cùm tandem liberatum nos venisset, oratores sibi de Ciceronis, vel Demosthenis; aut philosophos è Peripateticorum scholis, elegit, qui contra Draconem debellatum esse, hominibus per totum orbem nuntiarent; sed homines rudissimos,

è rudiſſimo genere vitę, nempe piſcatores & nauicularios fecit, victoriæ ſuæ præcones. Non eſt igitur, quod quiſquam putet, vel legem typicam, vel legis perfectionem datam eſſe in ea lingua, quæ ceteris omnibus antecelleret. Videamus igitur, quæ omnium præſtantiſſima humano iudicio cenſeri debeat, vt principio conſtet, quam Deus ab humili ſuo & vili apparatu reiecerit. Eſt ſanè is optimus ſermo, qui verbis componitur, rerum proprietates quàm optimè exprimentibus. Cùm enim verba notæ ſint earum imaginum, quæ in animo ſunt depictæ, ad rerum ſimilitudinem, & optimas imagines rerum & ſimillimas is ſibi pingat, qui rerum naturam clariſsimè intuetur & imitatur; neceſſarium eſt confiteri, ab eo, qui rerum naturæ peritiſſimus eſt, cùm optimas in animo imagines pingi, tum verba fieri has imagines quàm proximè imitantia. Talem verò primum hominem fuiſſe par eſt credere, vtpotè, quem nulla labes corporis, nulla caligo mentis, nulla adhuc animi perturbatio, quò minùs rerum naturas perſpiceret, obſcuraſſet. Hoc illud eſt, quod Moſes dicit, Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Bene inquit, adducta eſſe, vt videret, quid vocaret ea. Diligenter enim erant omnia inſpicienda, vt omnium natura & proprietas cognoſceretur, atque ab illa ſingulis nomina darentur. Addit deinde non fruſtra vidiſſe, ſed tam feliciter in contemplando fuiſſe verſatum, vt omnia ſuis nominibus appellaret, atque nullum nomen dediſſe, quod rei non optimè conueniret, adeò, vt non facta nomina, ſed cum rebus ipſis nata viderentur. Quando igitur de hac lingua ſuperbire homines non ſine cauſa poſſent, agnoſcentes in ea veteris ſapientiæ clara documenta, voluit optimus & prudentiſſimus medicus hanc etiam arrogantiæ occaſionem ab ea ſcriptura abeſſe, qua myſteria ſalutis noſtræ continerentur. Sicut enim diligenter medici curant, ne pyxides è ligno virulento fiant, aut aliquid omnino ſpirent, quod pharmaco ſit futurum noxium; ita exemplar illud medicorum omnium accuratiſsimè cauere voluit, ne vſquam in vaſculis, quibus erat remedia ſua commiſſurus, vel minimum eſſet veneni illius veſtigium, quod erat exſtirpandum. Agnus enim contra ſuperbiſſimum Draconem infima quæque & abiectiſſima elegit, ne vlla induſtria, aut virtus humana aliquid ſibi in ſalutis ſuæ procuratione vindicaret. Nihil igitur putamus abſurdi

ſurdi ex eo conſequi, ſi dicamus; illam linguam primam fuiſſe, qua illi ſunt locuti, qui ad Nyſam remanſerunt, cuius admirandam fabricam & artem, cùm omnibus, tum philoſophis Platonicis maximè obſtupeſcendam, nos alibi in lucem eruemus; in qua tantum latet myſteriorum, vt nihil hactenus vel par, vel ſimile, in vniuerſo diſciplinarum orbe ſit inuentum. Verùm, quò diuiniora omnia & occultiora appareant, ſacræ hiſtoriæ arcana breuiter addam, quî factum putem, vt nomina eadem hominum propria, & in prima lingua & Hebræa inueniantur. Animaduerto enim non ſolùm, vt modò dixi, per interpretationem vel nouam impoſitionem à primis Hebræis factam, nomina poſita fuiſſe, quibus vaticinia continerentur; ſed ſpiritum Dei tam admirando in illis modo operatum eſſe, vt non ſolùm in prima lingua rationes ſuas veras haberent, ſed in illo etiam ſermone oracula continerent, quo Hebræi erant vſuri: quod quamuis Moſes à maioribus non accepiſſet; poterat tamen inſtinctu diuino commoneri. Certè multa in nominum rationibus oracula dedit, quæ multis poſt ipſum ſæculis euentum ſuum ſunt ſortita. Deinde non nego, multas quoque primæ linguæ reliquias, & in Hebraico & aliis ſermonibus relictas fuiſſe, quas confuſio Babylonica perturbauit quidem, ſed non penitùs deleuit. Experiamur igitur, an in illis nominibus, in quibus Moſes oracula inuenit, rationes etiam aliquæ primi ſermonis appareant. Incipiendo igitur à primo limine, videamus an Adam duntaxat Hebræam habeat nominis ſui originem, à rubra terra deductam. Hat, vocali longa, odium nobis & inuidiam ſignificat; quæ vox multis citra aſpirationem pronuntiatur. Hinc Græcorum Ate Dea odij, è cælo præcipitata, non alia, haud dubiè, ab angelo tenebrarum nomen accepit. Homerus cùm alibi, tum Iliados vndeuiceſimo Aten deſcripſit, pedibus teneris eſſe dicens, vtpote, quibus ſic incedat, vt terram non tangat, ſed ſuſpenſo gradu in hominũ capita inuolet, mentibus noxã illatura. hanc à Ioue manibus in gyrum libratam, in terram è cælo fuiſſe deiectam. Hæc igitur non alia Dea eſt, quàm ſerpentis è cælo deiecti inuidia, quæ perpetuò mentibus hominum inſidiatur. Vox ergo Hat, vocali longa, odium & inuidiam notat; Dam verò aggerem ſignat, vel obſtaculum vndis obiectum. Adam igitur, Tau littera tenui ante mediam ablata, de more noſtro, vel in ea deliteſcente, aſpiratione in compoſitione pereunte, vt in Atuaticis annotaui, idem eſt, quod agger inuidiæ fluctibus obiectus. Optima hæc fuit Adamo de nomine ſuo admonitio, quo fortiter inuidiæ ſerpentis reſiſteret, non aliter, quàm agger Oceani fluctibus perpetuò verberandus: ſed frau-

dulentus ſerpens tacitè & lubricè capiti ipſius, per placida vxoris verba illabens, omne obſtaculum malorum diſiecit, & venenum inſpirauit. Nec admonitio ſolùm fuit hæc ab Opifice facta, qui nomen ei dedit, vt Moſes teſtatur, quo caueret; ſed veriſſimum vaticinium, ſerpentem inuidum, tanquam liquidas vndas occulto meatu aggerem ſubiturum & euerſurum, & perpetuò fore, vt homo in hoc mundo eſſet, tanquam agger Oceano vaſtiſſimo obiiciendus, qui cùm maximè blanditur, maximas cogitat procellas. Magna eſt vis in hac hominis ad aggeres, & inuidię ſerpentis ad aquas, comparatione: quam intelliget meliùs, qui de Leuiathan & terræ natura in mentem ea vocabit, quæ in ſacris litteris non rarò occurrunt. Nos, cùm de numero quinario & quinto die agemus, paulo forſan accuratiùs hæc tractabimus, ſi Deus cogitationes noſtras dignabitur promouere. Sicut igitur Adam Hebræis à terra rubra nominari videtur, ita in ſermone illo primo à terra quidem, ſed non rubra; verùm vndis, & inuidiæ, odiiq́ue fluctibus obiecta vocatur. Eua geminum etymon præ ſe fert; alterum ab Ɛ & Vat, id eſt, à iuramento & vaſe; alterum, ab Ɛu & Vat, quod eſt à ſæculo & vaſe. Poſterius igitur priore loco explicabo. Ɛu nobis ſæculum ſignificat; hinc Ɛuich, perpetuum ſiue æternum. Vat idem quod Vas Latinis, quod à capiendo in lingua noſtra formatur, de quo plura alibi dicenda. Vas igitur totius ſæculi mulier illa nominatur, in qua principium omnium ætatum fuit conceptum. Hinc Vater is dicitur, qui in vas indit, quod vt omnibus vaſa implentibus eſt commune, ita per excellentiam propriè pro eo vſurpatur, qui ſemen genitale vtero commiſit, vnde proles ſit nata. Dicitur autem Ɛuat, Tau reiecto, vt crebrò fit, vel quia ſic commodius Hebræi etymon inuenerunt. Altera nominis ratio è Geneſi fiet perſpicua, in qua Deus pollicetur fore, vt ſemen mulieris conterat caput ſerpentis. Quicquid autem Deus pollicetur, iuramentum eſt, eò quòd aliud iuramentum non habeat, quàm ſuum verbum. Ɛ igitur vocali longa, ſiue Ɛet, iuramentum eſt. Quia igitur gratiam huius ſeminis diuini, quod ſerpentem erat contriturum, mulier erat acceptura, dicta eſt Vas iuramenti, quo nullũ vnquam iuramentum hominibus fuit ſanctius, nullum ſalubrius, nullum magis neceſſarium. Ex his itaque duobus naſcũtur filij duo, quorum priori Cain, poſteriori nomen Abel. Cain ad verbum nobis ſonat, malum finem; Cat malum, Ɛnt vel eint, finis. Caen ergo, conſuetudine componendi noſtris vſitata, qua Tau tollitur, homini malum finem portendit. Cùm enim omnia officia è fine bonorum

norum & malorum pendeant, meritò à malo fine appellatur, qui tam grauiter erat à recta naturæ rationisq; via declinaturus, vt proprium & vnicum occideret fratrem, dimidium ſpei omnium ſæculorum. Abel priorem ſyllabam cum patre communem habet, atque eiuſdem ſignificationis. הבל verò eſt à הבעג, quod eſt iraſci & pugnare; vnde Belgis quoque nomen, & Latinis bellum, ab eodem deriuatum. Abel igitur eſt quaſi אבעג, ſiue אבעג extra compoſitionem; quo ſignificatur is, cui bellum erat futurum cum inuidia & odio. Vox haud dubiè propria bonorum omnium, quibus perpetuum bellum eſt cum Ate illa peſtilentiſsima, & ſine induciis omnibus perpetuum prœlium cum inſidiis ſerpentis. Quando enim homines pacem cum hac bellua componunt, è bonorum ſtatim numero eximuntur: & ſicut boni contra hanc generis humani peſtem pugnant ſine intermiſsione; ita è contrario, omnium malorum inuidiam contra ſe iritant, vt primus Abel non alia cauſa à fratre ſit cæſus. Hac igitur appellatione tam bonorum omnium propria, omnes hactenus eos vocamus, qui modeſtiam & decorum in omnibus rebus obſeruant. Latet hîc & aliud etymon: ſed quia nulla linguæ noſtræ hactenus à me eſt data catecheſis, omittetur. Iam nomina illorum, quibus nihil ſingulare eſt attributum, è quo ratio nominis pendêre videatur, non ſunt examinanda, eò quòd nihil in illis ſit, è quo liceat videre, verámne rationem an falſam eruamus. In Lamech notatum eſt, duas eum accepiſſe vxores, quod matrimonij, à Deo inſtituti, prima fuit labes. למך idem eſt, quod mutilum & enerue. נשים verò legitimum ſignificat coniugium. Lamech igitur is eſt, qui matrimonij legem mutilauit, & caſtiſsimi amoris inter geminos conſtituti, omnem vim primus eneruauit. Quiſquis enim amorem in duas diſtrahit, is in neutra totus eſt; atque ita meritò, cùm vtrobique mancus ſit, dicitur legitimum matrimonium mutilaſſe. Nomen verò hoc, vt cetera pleraque omnia, ſemel vni hac ratione datum, ad alios quoque tranſiuit, non quidem eadem cauſa, ſed ita, vti paſsim fit, nomenclatura parentum & auorum, ad poſteros tranſeunte, quo memoria eorum refricetur. Cognouit quoque adhuc Adam, inquit Moſes, vxorem ſuam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Seth nobis idem ferè quod Hebræis ſignificat, poſitionem interpretantibus: verùm plus habet apud nos efficaciæ & latitudinis. Cùm ad corpus refertur, eam partium rationem indicat, qua coxa hinc cum ſpina, hinc cum tibia, angulos quaſi rectos repræſentat.

Generatim verò,in prædicamento ﻫﻮﺱ ﺗﻮ, ſiue, ad aliquid, idem eſt, quod pono, Latinis. At in categoriæ qualitatis prima ſpecie, idem eſt quod Latinis, grauis quædam & tranquilla modeſtia, cum decoro in omni genere officiorum; hinc ﺳﻴﺜﻴﺢ, vel per mediam conſonantem, ﺳﻴﺪﻴﺢ, quo mollior fiat ſonus, is dicitur, qui hac virtute eſt præditus. Seth igitur non ſolùm, quia pro Abel fuit Adæ repoſitus, ita eſt nominatus, ſed quòd ſimilis etiam futurus eſſet patri, omni morum vitæque tranquillitate. Verùm de hac voce alibi latiùs, vbi Senarij numeri vim explicabo, quem nos ﺳﺎﺱ vocamus, perinde atque Hebræi, ſed nobis potiore, quàm illis, & priore ratione. Porrò, quia de Sethi filio Enos ſingulare quiddam notatur, reddenda eſt & illius nominis in prima lingua originatio. Latina noſtra lectio habet: Iſte cœpit inuocare nomen Domini: quod equidem neſcio quî poſsit cum veritate conuenire, cùm prius Adam, Abel, & Cain nomẽ Domini inuocarint. Vulgata Græcorum interpretatio ad hunc modum reddidit: οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ· quod Latinus interpres vertit: Hic ſperauit inuocare nomen Domini Dei; melius forſan expreſſurus, ſi diceret: Hic ſperauit ſe cognominatum iri nomine Domini Dei. Nam filij Seth filij Dei vocati ſunt. Hebræis eſt אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה, id eſt, Tunc fuit profanata ſiue pollutа inuocatio nominis Ioua. Onkelus ſic habet: בְּכֵן בְּיוֹמוֹהִי חַלּוּ בְנֵי אֱנָשָׁא מִלְּצַלָּאָה בִּשְׁמָא יְיָ id eſt, ſi ad verbum vertas: Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, non inuocare in nomine Iouæ. Dauid Kimchi חָלַל exponens in ſuo Radicum libro, locum hũc Moſis ita explicat: In diebus Enos errauerunt ad cultum peregrinum, & inuocatio nominis Domini tunc fuit profanata. Miror itaque quòd exemplar Complutenſe prælum ſit ſecutum, quod pro חַלּוּ ſubſtituit שְׂרִיאוּ, non diuerſę quidem ſignificationis vocabulum; ſed quòd alterius videatur adferre interpretationem, ac deinde loco מִלְּצַלָּאָה dictionem intulit contrariam לְצַלָּאָה, omiſſa particula negationis. Optarem equidem eiuſmodi variationis cauſas ſemper adferri; & doceri cuius auctoritate prioris lectionis verba ſint mutata. Nemini enim mortalium tantum tribuendum cenſeo, vt pro arbitratu ſuo quicquam omnino vel in Hebræo vel Chaldæo textu permutet; tantum abeſt, vt velim quippiam tolli. Hæc verò, vt ſunt impudentis arrogantiæ, ne dicam, audacis ſacrilegij, ita illud longè eſt ſacerrimũ illud inducere & delere, cuius defectu intelligatur prorſus cõtrarium, vti hîc videmus accidiſſe. At ſi quando exẽplaria variant, diuerſæ lectiones ſunt annotandæ, quo liberum ſit expendere, quænam earum maximè quadrare videatur. In Hebræo verbum eſt הוּחַל ambi-

ambiguum ad incipere, & violari, siue profanari; è quo orta est omnis hæc difficultas, quæ facilè tollitur, si consideremus prius etiam nomen Iouæ inuocatum fuisse; deinde interpretationem vocis Enos nihil habere cũ adorandi principio affinitatis. Profectò, dum varietatẽ & discordiam eorum animaduerto, qui de Hebraico sermone in Græcum & Latinum sacras litteras transtulerunt; venit aliquando vel inuito in mentem, non posse magnoperè eam linguam de perfectione laudari, in qua tam obscura sunt signa rerum, vt interpretes nonnunquam ex eisdem verbis contraria sensa vertant. Iam in ipso nomine Enos, quàm doctissimi quique dissentiant, dignum est admiratione. Enos enim, hominem, omnes vertunt; sed qua ratione sic dictus sit, alius aliter sentit. Nam ab Anas plerique vocem deriuant, quod significat desperare, imbecillem esse, atque quouis modo grauari, ac dolere. Anus autem grauatus & infirmus. Philo verò Iudæus, vir tanta doctrinæ laude clarus, vt impudens videatur, siquis ei de sua ipsius vernacula lingua loquenti non credat, dicit in iis, quæ de lege non scripta commentatus est, Enos Chaldæam esse vocem; cùm tamen Chaldæi Anasa, pro Enos, efferant; & non contentus eo, à bona spe & confidentia, hominem hoc nomen habere addit, quasi hominis nomine sit indignus, qui desperaret: atque in hoc etymo maximum credidit latere mysterium, in quo hominis vita bene & naturæ conuenienter instituta, tota cõtineretur. Quid, obsecro, his sententiis magis dissonum, quæ ita distãt, vt sperare & desperare, fidere & diffidere? Quid, quòd ne hominem quidem censet appellandum, qui à spe & fiducia humanæ vitæ firmamentis sit deiectus? Atque totam hanc præclaram philosophiam, de vera ratione nominis Enos, sic depromit, quasi nemo mortalium de ea posset dubitare; cùm tamen nullam excusationem è totis Bibliis credam inueniri, qua tueri quis queat, Enos à fiducia & bona spe denominari. Scio benedictionem pro maledictione in sacra scriptura reperiri, sed id ad ironiam est referendum, atque sarcasmum, non alia ferè figura, quàm qua Iouа vsus est, cùm dixit: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum; qua nihil potest esse valentius vel ad amarorem, vel ad acerbitatem. Sed ineptus sit & explodendus, qui hominem dicat Enos dictum esse, id est, desperatum, per antiphrasim vel irrisionem, quasi talis sit, vt plurimùm speret atque confidat, cùm sit desperandum, atque hinc argumenta ducat, quibus doceat, hominem non esse hominem, sed bestiam, si desperet. Et hæc quidem Philo, magnus Iudæorum Plato: quem quis crederet linguæ suæ fuisse imperitum,

cùm

cùm Græcæ sit peritissimus? Eusebius septimo Paraſceues libro, magnum sibi videtur aperuisse contemplationis campum, in quem per eiusdem nominis ianuam ingressum monstrauit. Nam Enos credidit primum fuisse, qui vniuersitatis totius opificem Deum & Dominum vocandum esse tradiderit; atque in eo adeò multus est, vt videatur oblitus esse, multo ante Abelum & Cainum non solùm nomen Dei inuocasse, sed munera etiam obtulisse. Neque credendum est, Adamum primum mortalium, tam immemorem creatoris sui fuisse, vt ignoraret vel Deum & Dominum esse vniuersorum; vel vt talem inuocari ab omnibus debere. Ceterùm non immorandum est his vocibus, κυρίου & θεῦ, quæ sunt in Greca interpretatione, nec in iis vis quærenda, aut significandi efficacia, cùm positæ sint pro vno vocabulo Ioua Dei nomine ineffabili. Non semel antè Moses Ioua Elohim coniunctè, dixit; & iterum modò Ioua, modò Elohim, separatim; in quibus si nihil discriminis fuit, quid est hîc philosophandum in nomine Domini & Dei inuocando, si solùm Dei nomen tetragrammatum sit scriptum? Nunc verò quis admittat; Enos primum fuisse, qui Iouæ nomen vel excogitarit, vel inuocarit? Certè qui omnibus animantibus & in vniuersum omnibus rebus nomina dedit, & ipse à Deo nomen accepit, is minimè credendus est opificem sui & corporis & animi, & omnium denique rerum aut sine nomine reliquisse, aut si Deus ipse nomen sibi dederit, illud ignorasse. Nec inuocatio igitur, nec nomen Dei tetragrammatum, ab Enos primum fuit inuentum. Sequenda itaque interpretatio ea, quæ tradit, tum primùm pollutam esse & profanatam nominis Iouæ inuocationem. Quamuis enim Cain pessimus esset, et inuidia atque odio fratris cõtabesceret; Iouæ tamen nomen inuocauit, primitiis etiam fructuum oblatis. Verùm id temporis tandem neglectus est cultus Dei, cùm Enos nasceretur. Quod accuratè si considerassent docti illi patres, non tam fuissent impediti in quærendo, quænam essent filiæ hominum, & qui filij Dei. Nam tempore natiuitatis Enos facta est bipartita hominum diuisio; aliis in Dei cultu manentibus, aliis ab eo profanatis: quorum illi filij Dei dicti sunt, quòd veram religionem sequerentur; hi filij hominum, quòd Dei nomine polluto, toti suis viribus & ingenio fiderent, & non ab alio, quàm ab hominibus penderent. Hinc fit, vt ne illos quidem audiam, quamuis veritati propiùs accesserint, qui tradiderunt, Seth ob vitæ probitatem & pietatem singularem, Deum fuisse cognominatum, eo modo quo dicitur, Dixi, Dij estis & filij excelsi omnes. Clara est enim hæc nostra distinctio, quæ docet, ad natalem Enos plurimos ab ecclesia discessisse, &

eos

eos filios hominũ fuisse nominatos, eò quòd nihil in illis esset præter hominem, in quo Dei spiritus non manet, quia caro est, vt ipse Ioua testificatur. Qui verò in Ecclesia manserunt, & vero Dei cultu, eò quòd omnia sua à Deo pendère arbitrarentur, eumque vt verum patrem inuocarent, meruerunt per Dei gratiam, vt filij Dei vocarentur. Videmus itaque, per natalem Enos signatum esse exordium hominum profanorum; sicuti per tempus Phalag notata est diuisio linguarum. Sed quemadmodum Phaleg, quamuis nomen à diuisione haberet, non tamen fuit diuisionis auctor: ita nec Enos censendus est ob id à coniugio illo, quod est inter Deum & Ecclesiam, recessisse, quia nomen inde duxit. Eusebius Enos ita interpretatur, vt dicat, hominem verum eo significari; in quo, vti Hebræum sermonem non est secutus, ita nescio quid sit secutus. Suspicor tamen vel legisse vel percontatum, Enos quid significaret; responsum accepisse ληθῆς ἄνθρωπον; atque tum, quòd parum etymologia hæc atque notatio, cum Historia ad Græcos ex Hebræo traducta, conuenire videretur, arbitratum fuisse, non ληθῆς, sed ἀληθὴς scribendum fuisse. Neque enim rarò euenit, vt ij, qui componunt simul & scribunt, aliquando non litteram modò, sed integram etiam vocem omittant, mente, dum alia speculatur, non satis ad manus ductum attenta: quod Eusebius Doctori suo euenisse credens, pro ληθῆς ἄνθρωπος, legit ἀληθὴς ἄνθρωπος: id est, pro obliuionis homine, verum hominem supposuit; quòd in illo nulla, in hoc maxima se mysteriorum latentium, vt putabat, materia ad contemplandum offerret. Sed sit hoc sanè, vt quis volet: hoc saltem certissimum est, Enos ab obliuione posse deriuari. Nasa enim obliuisci significat, vel cum He in fine, vel citra He: atque hinc in Psalmi octaui versiculo illo: Quid est homo, quòd memor es eius? videtur magna vis esse, ad exaggerandum Dei beneficium ab oppositorum collatione; propterea quòd hoc loco Enos pro homine ponatur. Idem enim est, ac si diceret, Quid est hic obliuiosus omnium beneficiorum, ob quod adhuc eius es memor? Num ipsa te obliuio benefactorum inuitat, ad noua beneficia conferenda? Nam statim subiungit, quo obliuio illa maxima & abominanda declaretur: Aut filius hominis, quoniam visitas eum. quo loco non iam Enos est Hebræis, sed Adam; vt videatur dicere: Quidnam inuenis in obliuioso hoc, quo memor sis eius; & quid in illo, qui filius Adami cùm sit, maculam hanc obliuionis à patre primo deduxit? Prius ergo Enos posuit, ac deinde exemplo primi parentis docuit, hoc nomen ab obliuione factum, proprium esse

filiorum, qui eadem ſunt imbuti obliuione. Hinc Barnas homo quoque dicitur, non aliter ac ſi diceretur, Filius obliuionis; eò quòd Nas & Naſa, ſine diſcrimine, obliuionis habeant ſignificationem. Quiſquis igitur ille fuit, qui Enos ληθῆς ἄνθρωπον vertit, è quo ἀληθὴς ἄνθρωπος Euſebio ſit natus, optima nixus fuit ratione, quia nimirum Chaldæis videret Barnas filium hominis dici, citra Aleph in Anas radicale; quod dum à Nas vel Naſa deducitur, non eſt radicale. Euſebio igitur condonandus error, qui, vt Hebraicæ linguæ imperitiam arguit, ita pietatem & fidem non læſit; & eò magis condonandus, quòd in eadem voce Philo etiam, Hebraicæ philoſophię anteſignanus, ſit lapſus. Scio doctiſsimos patres, & nobis perpetuò in primis colendos, à Iudæis fuiſſe frequenter irriſos, atque deceptos, dum de vocum Hebraicarum ſignificatis interrogarent, odio Chriſtiani nominis ita ſuadente. Quod vbi fit, exoſculanda eſt pia Chriſtianorum diligentia, & Ate illa Iudæorum deſpuenda. Dictus eſt igitur Enos; non à veritate, vt Euſebius; non à fiducia & bona ſpe, vt Philo voluit; ſed contrà, à deſperatione & obliuiis illius temporis, quo de multorum ſalute fuit deſperandum, propterea quòd nominis Iouæ obliuiſcerentur. Atque hæc quidem eſt Hebræorum interpretatio: videndum nunc, an in prima etiam lingua ratio aliqua lateat, quæ hanc Eccleſiæ cladem, illo tempore factam, queat notare. ᠪᠠᠯᠠᠨ, vel ᠪᠠᠯᠠ, ſiue ᠪᠠ longum, iuramentum ſignificat, ſiue ſacramentum; eo ſignificatu, quo militare ſacramentum Latini dicunt. Primum autem iuramentum poſt Adæ lapſum illud fuit, quo Deus promiſit fore, vt Semen mulieris contereret Draconem: cui iuramento qui credebant, & firma ſpe innitebantur, atque hinc diuini amoris fomitem & incitamentum eliciebant, quo perpetuò Deo hærerent, ſacramento magno Deo erant deuincti. Atque hoc fuit coniugium legitimum Dei & Eccleſiæ, pura gratia & miſericordia Dei, nullo merito, nulla formæ elegantia, nulla denique alia ſponſæ dote contractum. Quamdiu igitur homines huic coniugali ſacramento ſe non eximebant, in Eccleſia, & ſanctiſsimo matrimonio dicebantur manere. Cain igitur poſt fratrem occiſum, & peccati grauiſsimi agnitionem Dei caſtigatione ſuſceptam, verebatur ſe non ampliùs ſacro hoc coniugio copulatum iri, ſed à Ioua repudiandum eſſe. Verùm miſericors Deus iram ſuam repreſsit, pollicitus etiam vltrò, ſe talionem non redditurum. Quocirca Cain, cùm videret ſibi filium natum, quem homicidio ſuo meruerat, vt nunquam impetraret, quòd deſtructor humani generis eſſet; præ

gaudio

gaudio exclamauit Enoch, id est, si de prima lingua interpreteris, Sacramentum adhuc? quasi diceret, O misericors Ioua, adeóne bonus es, vt necdum me repudiaris, necdum me è consortio tuorum remoueris? Certò certò nunc video, necdum me reiectum esse, quem adeò non spreueris, vt etiam sobole bearis, qua ego & te & patrem meum, heu scelus, orbaui. Dedit igitur filio nomen Enoch, & quò posteri etiam, coniugij necdum soluti, memores essent, ciuitatem de nomine filij, Enochiam vocauit; magno exemplo & illustrissimo omnes monens, peccatoribus delictorum pœnitentibus in Ecclesia Dei adhuc locum esse; & neminem, quamuis sceleratum, à matrimonio remoueri, si peccatum agnoscat, & confiteatur, & veniam supplex oret. O admirabilem Mosis historiam! vt nullus apex est, qui non prægnet mysteriis, ad salutem nostram necessariis. Sed, prô dolor, quamuis Cain ob grauissimum peccatum, ab Ecclesia Dei sponsa, non sit expulsus, nec sacramento exauctoratus; non ita tamen multo pòst tempore, quo Enos est natus, horrenda facta est discessio, in qua iuramentum & vinculum hoc amabile est ruptum. Tunc enim primùm quidam Iouæ adorationem, & verum veri Dei cultum polluerunt atque profanarunt, & ita se sacramento & coniugio exemerunt. Hinc igitur Enos nomen accepit, quòd tempore ipsius coniugium sit dissolutum, & diuortium factum inter Deum & Sponsam. Nam Enos componitur ex E, vocali producta, quam nostrates ob eam causam duplicem scribũt, hoc modo, Ee; & Mos. E autem iuramentum, sacramentum, & legitimum connubium; Mos omne nocumentum indicat. Verùm Mos apud nos hac tempestate non est in vsu, in hac quidẽ regione, quod sciam, præterquam in compositione: Onnosel enim dicimus eum, qui non est Mosel, id est, qui caret noxa, siue, qui nulli rei attulit nocumentum. Quòd verò nostræ linguæ sit vernaculum, de conuersa voce demonstro. Soy enim sanitatem significat: sed quia necdum formam impositionis nominum in primogenia lingua exposui; ad illum, quo hanc tractabo, locum, latior huius vocis explicatio differetur. Enos igitur à coniugij & iuramenti nocumento dicetur, eò quòd illa hoc tempore integritatem suam Cainorum maximè culpa amiserint.

Videmus hîc, quàm diuersa in prima lingua Enos notet ab illis quæ Hebraicè significat; interim tamen in vtroque sermone conseruari id, quod Moses dicit nominis causam dedisse. Siue enim Enos pro infirmo & desperato ponas, siue ab obliuione deriues, vtroque modo satis indicatur, diuisionem hanc hominum alteri parti ita noxiam

fuisse, vt tum demum homo verè potuerit dici Enos, id est, infirmus, desperatus, & obliuiosus. Iam in primo sermone clariùs multo idem significatur, in quo non desperatio & infirmitas, quæ consequuntur, sed hominum culpa & noxa in coniugio & sacramento violando, apertis verbis est expressa. Tum enim tandem desperandum est de cuiuspiam salute, cùm se de Ecclesia eximit, in qua sola mortales queunt seruari. Est itaque satis explicatum, quàm nomen Enos conueniat cum ea interpretatione, quæ dicit, Inuocationem Iouæ tum temporis fuisse pollutam, & profanatam, siue Hebræam, siue primam linguam consulamus. Deinde, si vulgatam versionem sequamur, incidimus in quæstionem, quînam verè dici queat, tunc demum homines incepisse Iouam adorare; cùm liqueat, antè multò non solùm nomen eius inuocasse, verùm & primitias & hostias obtulisse. Ego igitur, si pace Ecclesiæ liceat, Onkelum libenter sequar, qui Huchal, pro violari, non pro incipere, accepit; vti à Paulo Fagio doctissimo interprete, in Latinum sermonem est versus. Nam quibus in vocibus est homonymia, ea potissimũ est amplectenda significatio, quæ maximè videtur proposito & veritati conuenire. Nec illud modò hac vocis acceptione consequimur, vt quæstiones euitemus, & nomen Enos, veræ rationi applicatum doceamus, aptissimum esse ad cladem illam significandã; sed hoc etiam, quò certò constet, qui sint filij Dei, & filiæ hominũ vocandi, in quo multi laborauerunt. In reliquis nominibus, ante diluuium à Mose enumeratis, non est quòd origo quæratur, propterea quòd nihil singulare in illis notauerit historia; quanquam si luberet, aut esset operæprecium, non deesset interpretandi facultas. Hoc tamen addam paradoxis ceteris, nomen Mathusale mirum in modum quadrare cum eius ætate, si ad linguam nostram vocetur. (Maeth) (sal) (ich), & syncoptôs, (Math) (sal) (ich), nihil aliud est, quàm si Latinè dicas, Fac te saluum: quasi hoc nomine homines monerentur, tantisper tempus fore, quo liceret ad meliorem vitam redire, atque ea se seruare, dũ Mathusale moreretur. Nam eodem anno, teste Hieronymo, mortuus est, quo diluuium incepit; ita vt pòst nulla esset spes salutis. Verùm de Noach omnino est reddenda ratio, nisi statim cum nouo hoc inuento explodi & exsibilari velimus. Scimus, nemini prorsus mortalium curæ fuisse futuri cataclysmi ineuitabilem pœnam, vno Noacho excepto. Contemnebant enim eo ipso nomine pium virum, quòd sibi necessarium putaret Arcam fabricari; atque idcirco, vti diximus, Prometheum, per irrisionem nominabant; dicentes, in visceribus vulturem alere, cuius

monitu

monitu tot annis antea cadauera præsentiret. deinde etiam Caucaso alligatum, quòd igneum elemẽtum, quo aqueum inter fines suos continetur, surripere cogitasset; atque id genus alia fortassis ad deridendum accommodata. Noach igitur dictus est, quòd curam gereret necessitatis futuræ. Not enim vocali producta, necessitatem; acḥt verò, rationem & curam habere, signat: Tau propter compositionis suauitatem, vt frequenter monui, est exemptum priori syllabæ; posteriori verò, quò Hebraicæ linguæ aptaretur. Hebræi enim Noach habent cum Chet littera finali, non Noë, vt Latini verterunt. Est autem Noach, quiescere, vt cùm dicitur: Requieuitque Arca mense septimo: Hebræi habent, Vatanach, id est, requieuit; à radice Noach. Non igitur Hebræis solùm vaticinij vim, vocabulum habet; sed optimam quoque significationis, in prima lingua, rationem; in qua ipsum hoc nomen Noachum monebat, vt curam necessitatis gereret, ne cum ceteris periret: quam admonitionem toties audiebat, quoties nomine suo vocabatur. Quod, quæso, nomen vel Mathusale, vel Noacho melius datum fuisset, quàm illud, quo homines monerentur, curandum, vt se quisque saluum faceret, ac curam gereret necessitatis futuræ? Eodem modo Sem, Cham, & Iaphet, Gomer, Ascenez, & similia, vtrobique significata sua, quantumuis sint diuersa, ita tuentur, vt non tantùm de Hebræa, sed de Cimbrica etiam origine mysteria omnia à Mose indicata, eruantur, & patescant. Sem igitur à modestia & decore nomen nostris ducit: dicimus enim Semelic vel Temelic, id est, modestè & decorè. Temt enim vel Semt, variante dialecto, significat idem quod Latinis, decet. Est enim in posteris Sem seruatum decorum tũ typicôs, tum reuera. Nam Christus animis nostris solus potuit restituere decorum, ablatis iis, quæ decoro aduersantur. Cham idem est quod Cha amt, id est, malus magistratus, siue malus princeps. Ca enim siue Cha malum signat, vt in Cain notaui. Amt verò magistratum, siue eum, qui ius habet imperandi, quod antè quoq; in Ambacto declaraui. Egregiè certè quadrat significatio, propterea quòd Chami posteritas pessimos datura esset Imperatores, vt Nembrodum, & alios infinitos, qui idolorum cultum essent imperaturi, & tyrannidem inducturi truculentam. Hinc Nembrod in nostra lingua eum notat, qui panem præripit; qua voce quid, quæso, potest aptius esse ad eum notandum, qui per vim nobis tollit, tam ea, quæ ad hanc vitã sunt necessaria, quàm quæ ad futuram atque sempiternam? Mem idem est quod aufero & rapio; Zrod idem quod panis.

Iam panis duplex eſt, corporalis & mentalis; hic animorum, ille corporum vitam alit & ſuſtentat; hic cæleſtis eſt, & de cælo deſcendens, ille terrenus, & è terra productus; hic ad vitam nunquam interituram alit, ille ad vitam mox corrumpendam. Crudelis igitur, qui corporis tollit alimentum; crudelior, qui animi; crudeliſsimus, qui vtrumque; quod videtur Nembrod feciſſe. Eiuſmodi Imperatores Cham dedit, ob id nomen ſortitus mali magiſtratus. Porrò Iaphet nomenclatura, nec bonos mores, nec malos notat; ſed maximam vim procreationis filiorum. Jap enim vox vna eſt de illarum numero, quæ conuerſæ proprietatem rei ſignant inſeparabilem: de quibus ſuo loco. Signat autem idem, quod liberis operam dare. Het verò vel Hoet caput eſt. Iaphet igitur ſignificat caput, ſiue primarium in liberis procreandis; quod quàm illi conueniat, cui Hebræi de lingua ſua latitudinem adſcribunt, clarius eſt, quàm vt ſit latiùs explicandum. Gomer huius filius, ſicut Hebræis à perfectione dicitur, ita nobis illum notat, qui bonæ famæ eſt, ſiue exiſtimationis. So enim bonum, Mer famam noſtri vocant. Quòd ſi in dictione Mer pronuncies per longum tempus, vt in Meros fit, voce prius explicata; Gomer is dicetur, qui bonorum eſt augmentator; ſed prius eo debet placere, quòd hactenus Gomer proprium viri nomen ſit, à bona exiſtimatione ductum, atque per Mer, non Meer, finitum. Aſcenaz Cimbrica lingua, ab As, Ken & Haſt, deriuaret, quomodo non idem quidem, quod Hebraicè, non longè tamen diuerſum, ſignificaret. As-ken-haſt enim idem eſt, ac ſi dicas Latinè, Hominem, qui eſcam celeriter cognoſcat; eò quòd As ſiue Aes, eſcam; Ken noſco; Haſt celeriter ſignificet. Profectò accipitres acutiſsimis ſunt oculis, & eſcam celerrimè agnoſcũt: quod proprium etiam eſt Germanorum, qui non modò idonei ſunt, vt bello rem quęrant, quod Germani nomen pręfert, ſed ad hoc etiam, vt celerrimè norint ſibi artem comparare, qua victus ſuppeditetur; vt alibi, cùm de ingenio Aſcaniorum contra quorundam illuſtrium auctorum opinionem diſputabo, diligentiùs oſtendam. Facile mihi eſſet, in ſingulis nominibus rationes inuenire, quæ ante confuſionem linguarum poſita fuerunt, ſi Hebræi vocalium accuratam rationem perpetuò obſeruaſſent. Sed quamuis etiam illud daremus, nihil in illis variatum eſſe; fruſtra tamen laboraremus, propterea quòd nulla indicij formula poſſet inueniri, qua conſtaret, an etyma hominibus conuenirent; quorum nihil extat ſingulare, pręter nudas nomenclaturas. Reliqua igitur vocabula omittemus; ſatis nũc oſten-

ostendisse rati, in vtraque lingua, & ea, quam primã dico, & in Hebraica, insignes voces, significationum suarũ mysteria tueri: & quãuis altiores & latiores rationes in prima habere cernantur, apud Hebræos tamen tantum retinere originis, quantum satis est ad eundem finem, licet diuersa nõnihil via, perueniendum. Vt ergo ad propositum redeamus, arbitramur apud illos primogeniam linguam mansisse, qui in Margiana relicti turris Babylonicæ ædificationi non interfuerunt. Hinc illud esse puto, quod hactenus apud nos frequenter vsurpant, dum eum quem non intelligunt, dicunt, Babeley, id est, tam confusè & inarticulatè loqui, vt non intelligatur; propterea nimirum, quòd Cimbri ad Nysam habitantes, sermonem eorum nõ intelligerent, qui à Babel venissent. Verùm vt demus, nihil in hac tota obseruatione esse momenti; tamen speramus fore, si Deus tantisper vitam proroget, vt ductu meo omnes videant nullam esse linguam, & vix esse posse, quæ Cimbricæ sit conferenda. Credendum autem, quæ excellentissimas habet significandi rationes, eam quoque antiquissimam esse, si Adamo illud non denegemus, quod Mosis testimonio est tributum; eum nimirum nomenclaturas dedisse, de rerum natura ita petitas, vt cum rebus natæ viderentur. At talem nostram esse, ex ipsis philosophiæ penetralibus, alio libro per principia ab omnibus mihi concedenda, clarissimè demonstrabo: vt siquis minùs historiæ credat, ei ex Platone & Aristotele satisfiat. Prima ergo erit lingua Scythica, siue Cimbrica, siue Ascania siue Togormana, qua Phryges sunt locuti: quorũ linguam omniũ primam esse, Ægyptij fatentur. Cùm enim Rex eorum Bec vocem esse deprehendisset primæ hominum linguæ, nec eam intelligeret, à Phrygibus didicit panem ea significari; vt pòst à nobis ex Herodoto erit latiùs enarrandum. Quocirca iudicauit eam linguam omnium primam esse, in qua Bec panem notaret: quæ vox cùm hactenus panem nostratibus significet, & Becker is sit, qui panem facit; consequenter fatendum, antiquissima hac Psammetichi sententia, linguam nostram omnium esse primam. Verùm Ægyptiorum antiquissimi illi maiores, quò perpetua extaret memoria, quisnam primus hominum sermo fuisset, de more vetustissimorum poëtarum fabellam confinxerunt, qua decantaretur, Regem pueros aluisse, in casa solitaria, ad quam solæ capræ nutrices futuræ ingrederentur; dato sub graui pœna pastori mandato, ne illos vnquam alloqueretur. Hos exacto biennio pronos manibus extensis procidisse, supplicantium ad morem ante pastoris pedes, atque nullam aliam vocem edidisse, quàm

Bec,

Bec, rogantes nimirum vt panem sibi, deinde pro lacte subministraret. Non vana igitur hæc est fabella, sed de vera nata historia. Primam enim mundi post diluuium ætatem infantium nomine signabant, atque eorum linguam illam fuisse, in qua Bec panem notaret. Neque enim hoc voluerunt homini à natura sermonem datum fuisse, quod absurdum sit de Ægyptiorum doctrina suspicari, sed primam mundi infantiam, hac lingua vsam esse. Claudianus etiam hoc antiquitatis flosculo carmen ornauit, ad hunc modum canens.

——Nec Rex Ægyptius vltra
Restitit, humani postquam puer vberis expers,
In Phrygiam primùm laxauit murmura linguam.

Aristophanes totius philosophiæ in vno Socrate proditor, & carnifex, hanc antiquitatem derisit, vti à plebeis & imperitis, ea semper contemni, atque rideri videmus, quorum notitiam non sunt assecuti. Socrates apud hunc in scenam productus, sic Strepsiadem alloquitur, vt antea quoque commemoraui.

Καὶ πῶς ὦ μῶρε σύ, καὶ Κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέλινε.

Eleganter sanè mordax Poëta Becceselanos dixit eos, qui tam stolidi essent, vt ea crederent, quæ de Bec & Proselanis antiqui fabulati fuissent. Riserit sanè, vt decuit, Sannionem: hoc saltem lucri ex eo capimus, quòd intelligimus, apud veteres omnes linguam eam, quæ Bec panem vocat, antiquissimam habitam fuisse. Arcades se fabulabantur ante Lunam fuisse: quod ego sic intelligo, ab eis dictum fuisse, quòd scirent maiores suos tam vetustos esse, vt ante linguarum fuerint confusionē. Sicut enim Solis constantia & vnitas est propria, ita Lunæ inconstātia, commutatio confusioq́ue est tributa. Linguarum verò diuersitas per Lunam notatur, eò quòd linguarum varietate alij aliorum moneantur, quemadmodum diuersis Lunis alius aliud sibi agendum intelligit. Nam Luna à monendo in prima lingua nominatur, vt alibi copiosiùs erit disserendum. Tria igitur doctè coniunxit nomina, quibus prima & vetustissima significarentur; Cronia, Bec, & Proselanos. Lingua igitur Croni, siue Saturni tēpore vsitata, vna erat, & nullis mutationibus à prima illo suo splendore corrupta, in qua Bec panem notabat. Quia verò Phrygibus Bec panis erat, eorum lingua prima erit dicenda: qua de causa Apuleius Phrygas primogenios appellauit, quos nos à Comero per Ascanium & Tygrammanum filios descendisse scimus. Platoni antiquitatis studiosissimo philosopho, quærenti primam linguam, necessarium fuit confiteri, Græcos plurimas voces à Barbaris mutuatos esse, & inter

hos

hos, quibus illas debere viderentur, Phrygas potiſsimùm nominauit. Quid, quòd omnium Græcorum vetuſtiſsimus Homerus multis locis indicauit, alia Deorum eſſe, alia hominum vocabula, quibus res nominarẽtur; cuius diſtinctionis rationem nemo, quod ſciam, hactenus potuit in ſingulis inuenire; quamuis Plato communem cauſam indicarit, illa diuina eſſe definiens, quæ rei naturam optimè explicarent: verùm hæc nota nõ poteſt docere, quî fiat, vt Moly apud homines nullum nomen ſit ſortitum. Nam ſi hæc vox deorum eſt, quid vetat, quò minùs alia huic herbæ ab hominibus imponeretur, qua non æquè natura eius tota ſignificaretur? Aliud certè, aliud fuit, quod poëta hoc diſcrimine vocum volebat. Didicerat nimirum à Phrygibus, vetuſtas voces optimis rationibus in lingua ſua fuiſſe factas, atque eas idcirco diuinas appellari, quòd non ſolùm impoſitionis optimas cauſas continerent; ſed quòd priſci quoque illi homines, qui in deorum numerum ſunt relati, illis olim vſi fuiſſent, priùs multo, quàm vrbes in planitie cœpiſſent muniri. Quæ enim Babyloniæ in campo exſtructæ priſcos tribuiſſe acceperat, ea, more poëtico, vt antè indicaui, Ilio ſuo affinxit, homines tum primùm Meropes, id eſt, diuerſiſonos factos eſſe, docto ſuo epitheto commonſtrãs. Linguam igitur illam diuinam iudicauit, qua homines in montibus, & montium propaginibus, & lateribus & coſtis, tum locuti ſunt; cùm necdum plano & humili loco ſe credere auderent; recenti adhuc cataclyſmi memoria metum & diffidentiam incutiente. Hanc verò noſtram fuiſſe, clariſsimè tum demonſtrabo; cùm ad Cratylum Platonis, & diſcrimẽ diuinarum humanarumque vocum explicandum, ſeries me orationis deducet. Hoc interim hîc admonere duntaxat volui, Homero quoque non ſuboleuiſſe tantùm, primam aliquam linguam fuiſſe, ſed notitiam etiam quarundã eius linguæ vocum, eum tenuiſſe, edoctũ fortaſſe à Phrygio aliquo vel ſapiente, vel ſacerdote, penes quod hominum genus antiquitatum ſcientia ſolet conſeruari, & in pretio haberi. Verùm, relictis in preſens teſtibus externis, ad Chriſtianos accedamus; qui quamuis Hebraicæ antiquitatis opinione ſint anticipati; clara tamen indicia dederunt huius noſtræ ſententiæ. Scio equidem inter ſcriptores antiquiſsimum omnium Moſem eſſe, atque idcirco in ſermone litteris conſignato Hebraicum principatum tenere: ſed ex eo conſequi nego, Hebræorum linguam eſſe vetuſtiſsimam; cùm homines non perinde ſcribere atque loqui ſit neceſſe. Scimus enim, hac etiamnum ætate quaſdam linguas eſſe antiquiſsimas, quæ nunquam hactenus ſcriptæ,

fuerunt; è quo tamen nemo tam ſtolidus eſt, vt colligat earum nouitatem. Epiphanius igitur, diligens mundi antiquitatis, & in eo ſectarum perſcrutator, omnes eos, qui poſt diluuium à Noachi filiis proceſſerunt, ad turris vſque Babylonicæ ædificationem dicit Scythas fuiſſe nominatos, & genus illud vitæ, quod tum homines ducebant, Scythiſmum vocauit. Hunc igitur, ſi quis interrogaſſet, quînam cenſeret linguam eam, qua tum loquebantur, appellandam; an non Scythicam dixiſſet? Dixiſſet certè, ſi conſentanea ſibi dicere voluiſſet: verùm hoc tum non agebat, cùm non de ſermone, quo vterentur, ſed de vitæ inſtitutis tractaret. Addidit porrò de regione, Scythas fuiſſe appellatos; in quo quidem hactenus nihil reprehendo: ſed quòd montem, in quo Arca quieuit, Lubar nominarit, inter Gordyæos & Armenos ſitum; id ad illa relego, quæ antè de Gordyæis & Armenis diſputaui. Cùm enim æquè diſſideat à Moſis narratione, qui ab Oriente in Occidentẽ profectos Noachi pueros dicit, non eſt quo pluribus hanc eius aſſertionem refellam. Deinde nihil refert ad hoc propoſitum, qua parte Scythiæ Arca quieuerit, modò conſtet in Scythia quieuiſſe, atque hinc illius temporis viuendi conſuetudinem fuiſſe nominatum Scythiſmum. Si enim & Scythæ erant, & Scythicè viuebant; quid ni & Scythicè locuti fuiſſe dicantur? Iam verò antè non ſemel dixi, nihil intereſſe inter Cimbricam, Phrygiam, Aſcaniam, & Scythicam linguam, quæ diuerſis nominibus eadem eſt. Vnde verò Scythæ ſint vocati, mox oſtendam. Eſt igitur veriſimum, quod Plinius dixit, eoſdem eſſe Scythas & Aramæos. Ex his ergo efficitur, Scythicam linguam & Aramæam non eandem modò eſſe, ſed primam etiam, qua homines ante Babyloniæ inſanas ſubſtructiones vtebantur. Quæ verò illa dicetur potiùs fuiſſe, quàm illa, cuius reliquiæ & clara monumenta in nominibus montium, fluuiorum, & regionum extant, ea mundi plaga, quam Scythæ ſtatim poſt diluuium habitauerunt? Quòd ſi quis adhuc nobis non aſſentiatur, age dicat, quid Bactra, quid Oxus, quid Margus, quid Nyſa, quid Meros Hebræorum ſermone ſignent; & ſi ad naturam rei eius, quàm noſtra interpretatio, propiùs accedat, obuiis manibus herbam porrigemus. Quis hactenus ex illa lingua oſtendit, qua cauſa rex montium omnium Taurus vocetur: quis è nomine Araxæ eius naturam & deſcriptionem eſt aſſecutus? Quis Paropaniſi, quis Caucaſi nomina ad veras origines, ex Hebræa lingua vocauit? quis denique cetera huius regionis, quæ nos in lucem eruimus, ex alia lingua vnquam ita potuit explicare, vt vel minima eſſet

esset rerum & vocabulorum consonantia? Vel taceant igitur, vel in his montibus, in quibus Aramæi siue Scythæ ante linguarum cõfusionem habitarunt, mecum certent, & veriores, si possunt, vocibus origines assignent. Nominat Hebræus liquorem eum, quo Noachus est inebriatus, Iain: sed rogo, vt ostendat, sic eius potus naturam nomine hoc contineri, vt ego in voce ea, qua pro eodem sermo noster vtitur, demonstraui. Scio D. Hieronymum annotasse, procliuem esse Hebræis lapsum è littera Vau in Iod, & contrà ex hac in illam, propterea quòd Vau, solius caudæ longiore ductu, à Iod distinguatur. Idem ego hîc suspicor euenisse, ita vt Hebręi etymologiæ & primogeniæ vocis ignari, ex יין fecerint יי, ac deinde vocales pro arbitrio suo addiderint, duas pro vna efferentes. Pro ויי igitur ויין dixerunt; ac deinde figura Vau in Iod deleta, fortè cauda transeunte, pro ויין Iain dicere cœperunt. Si enim Aquila Thira legit, vbi Symmachus Thora, solius Vau & Iod similitudine, quæ sola magnitudine, Hieronymo teste, differunt: quid vetat, quò minùs credamus antiquitus è Vain, Iain factũ esse, in voce præsertim, cuius origo videtur ad Scythiam referenda, in qua primum est diuinus hic liquor inuentus? Prętęrea, quæ est affinitas aut cognatio inter Iain, quod vinum; & Charem, quod vineam Hebræis signat? Credo igitur Hebræos, Græcos ac Latinos ab eius regionis indigenis, vini nomen accepisse, in qua primum vinum fuit inuentum. Sed quia omnes duplici w carent; pro duplici, simplex acceperunt: quod Græci deinde in Omicron vertentes, diphthongum fecerũt, οἰ, pro ויין pronunciando: cui terminatio Græca accedens, οἶνος explet. Latini ex ויי, Vin, atque deinde Vinum nominarũt. Similiter opinor & Hebræos primùm scripsisse יין Vin, ac deinde more suo יין Vain; tandem ignorata vocis origine, Vau in Iod degenerasse, ob similitudinem litterarum; atque ita pro Vin, Iain in vsum venisse. Longissimè igitur aberrarunt, qui Iani nomen à Iain, corrupta Hebræorum voce, duxerunt; cuius nos ab eundo appellationem, cum Cicerone de libris Ritualibus, deriuamus. Prima ergo lingua post cataclysmum, petenda fuit ab illis, quos Scythas, communi & vsitata voce, nominamus, eosdem cum Aramæis: quod quamuis modò de veteri historia & antiquitatum monumentis docuerim, pòst tamen rationibus validissimis, ex veteris Academiæ & Peripateticorum musæo petitis, ita confirmabo; vt neminem fore sperem, sit licet peruicacissimus, qui non idem mihi sit assensurus.

Vt ergo tandem sarcinas colligamus, & reliquum itineris, quod

cœpimus inire, absoluere pergamus; videmur nobis non parum promouisse. Scimus enim Gomarum hinc ad Iaxartum, & vltrà; hinc ad Ascanium vsque lacum, posteritatis suæ colonias habuisse; atque toto hoc terrarum tractu, multa vetustæ Cimmeriorum linguæ vestigia exstare; clarissima tamen ad Caucasios montes, ad quos Arcam docuimus quieuisse. Atque hæc quidem de Ascanio, vltra Iosepi & ceterorum testimonia, ex Poëtis adieci; licet alioqui satis fuisset, ad Comeri & genus, & linguam, hîc collocanda, illius vnius auctoritas; qui Tygrammæos, siue Togormanos, Phrygios esse dicit, à minimo Cimmeri filiorum propagatos. Gemino itaque principio à Comero Phrygij descendunt: omisso etiam interim Dardano, recentiore conditore; cuius tempore Nonnus tertium diluuium fuisse cantat: quem in Romanis originibus à Cimmeriis etiam, quorum Homerus in Odyssæa fecit mentionem, descendisse monstrabo. Inuenimus etiam, vbi terrarum Adam Paradisum sit egressus, id est, vbi fuerit, cùm Deus terram exsecraretur, ne deinde hortus esset voluptatis, sed terra laboris & ærumnarũ. Deinde, quò illinc commigrarit Cainorum vitabundus; atque mox vbi Arca sit à Noacho constructa, & quibus hic nominibus à Poëtis sit celebratus. Hinc quibus vecta & reuecta ventis Arca ad viciniam Paropanisadarum peruenerit; & vbi primùm vinum sit inuentum. Præterea, quod caput erat omnium, ostensum est, Cimmerios Scytharum nomine hîc mansisse; cùm ceteri maioribus inhiantes, ad Babyloniam & reliquas orbis partes proficiscerentur. Hinc ergo duo intelliguntur, quorum maximum est ad historiæ contextum pondus; alterum, Gomaros illos, quos Ptolemæus ad hæc confinia collocauit, omnium Cimmeriorum ferè primos esse, à Nysa paulatim eousque progressos: alterũ, linguam Gomarorum non esse in Babylonica confusione corruptam; atque idcirco primam esse habendam, atque excellentissimam; intra tamen humanæ rationis metas. Neque enim negare possumus, Hebraicam & Syram, ratione eorum, qui illis vsi sunt, nobiliores illustrioresque meritò dicendas; illam quidem, quòd Prophetæ plerique & Moses ea diuina oracula prodiderint; hanc verò, quoniam Christus Seruator noster ea sit in humano corpore locutus. Duplicem ergo linguæ considerationem facientes, Cimbricam dicimus, arte atque humani ingenij præstantia, longè ceteris præferendam; Hebraicam verò & Syram singulari gratia ab eo accepta, qui ad humani generis salutem nihil sibi præsidij ab humana industria petendum putauit. Repudiata

diata enim illa, quam Adamus conſtruxerat, quæque ad ſummum ingenij, & artis humanæ apicem pertingebat, eam ſibi elegit, quæ his dotibus atque hac laude carebat, ne quid ſibi homo in ſalute acquiſita arrogaret. Cimbrica igitur artificioſa humanæ ſolertiæ compoſitione primas ferat; Hebraica, gratia & beneficio eius, qui nos redemit; adeò, vt altera humana, altera diuina non malè diceretur; & illi quidem artis, huic gratiæ diuinæ daretur principatus. Poſthac igitur clariùs intellectum iri ſpero, quæ cauſa ſit, vt Scythæ antiquiſsimi hominum ferantur; & prima poſt diluuium ætas Scythiſmus nominetur. De locutionis autem Cimmeriæ arcanis, & ſubtili ſtructura, cùm non parum coniecturæ, quiuis de exemplis paſſim à me, vt fortè occurrunt, explicatis, facere poſsit, tum illic totum artificiũ apertiùs oſtendetur; vbi ſacra quædam & myſtica vocabula enucleabuntur, vnà cũ iis omnibus, quæ in Cratylo ſuo Plato conatus eſt ad cauſas vocare. Prius tamen, quàm ad illum Hermathenæ ſacrum limitem accedemus, non paucæ voces inter eundum per Cimmeriorum colonias, vernaculas inuenient interpretationes; è quibus reliquas, quæ diuiniores ſunt, licebit æſtimare. Gomari igitur, Gomerum nobis, Iapeti maximum natu, in memoriam vocarunt; cuius ductu per linguæ veſtigia, & locorum ſitum de coloniis emiſsis iudicandum: quas ſequenti libro, ſi Deus tantum ocij in hoc infeliciſsimo Reip. ſtatu, aut potiùs in periculoſiſsima & exitiali diſſectæ ciuitatis plaga, concedere dignetur, enumerabo: non omnes illas quidem, quòd nec vtile ſit, nec fieri poſsit; ſed eas maximè, quæ & nobiliſsimæ fuerunt, & quarum cognitio ad hiſtoriæ lumen inferendum, plurimum adfert momenti; & ea ex hominũ animis tollet, quæ ex errore vulgarium ſcriptorum profecta, tam altè radices egerunt, vt ad eas exſtirpandas, Herculis mihi viribus opus eſſe credam. Quis enim vnquam quicquam ſani de Saxſonum origine ſcripſit? quis Gotorum, Vandalorum, Alanorum, Danorum, & complurium eiuſdem generis aliorũ veros natales, germanosque maiores, à prima ſtirpe deduxit? Quis Amazonũ fabuloſam hiſtoriam, vt plerique credunt, ad veritatem reuocauit? Quis Venetorum nominis, vel generoſiſsimam antiquitatem, vel originationem, vnquam potuit aperire? In his igitur omnibus, & iis, quæ huc pertinent, illuſtrandis, eam me ſpero operã collocaturũ, vt nec me in perueſtigando ſucceſſus, nec alios pœniteat laboris, ſi quem in his nouis & paradoxis legendis, impendere dignentur.

FINIS LIBRI QVINTI.

SAXONICA

LIBER SEXTVS.

SAXSONICA.

LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

Ortam è Cimmerijs gentem docet eſſe Sacarum
Sextus, Saxſonicos eadem ad primordia ducens,
Æternosque ignes repetens Anaitida iungit
Aſſeclis, redditque pijs bacchanda Sacæa.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

DD. GASPARO SCHETZ, BARONI IN WEZEMALE, DOMINO IN GROBBENDONCK, HEIST, &c.

MELCHIORI SCHETZ, Domino Rumestæ, Schooten, &c.

BALTHAZARI SCHETZ, Domino in Hoboocquen, &c. Et

CVNRARDO SCHETZ, fratribus. Et

IOHANNI FLEMINGO, Domino in Wyneghem, D. Gaspari genero.

IOANNES GOROPIVS BECANVS

S. P. D.

ETSI QVAMPLVRIMA VIRI AMPLISsimi, his meis Originum libris contineri sciam, quæ communi hominum opinioni aduersantur, nihil tamen comperi, apud omnes æquè absurdum haberi, atque linguam nostram à me dici non vetustissimam modò esse, sed artificiosa etiam vocum fabrica, immenso discrimine ceteris omnibus præstare. Quis enim mortalium persuadere sibi possit, sermonem eum omnium esse excellentissimum, in quo tantum abest, vt quisquam hactenus artis quippiam deprehenderit, vt contra ipsi illi, quorum vernaculus est, quouis alio quàm eo loqui malint. Video sanè ab aduersariis validis me rationibus oppugnari, & talibus, nihil vt queat apud omnes tam doctos quàm plebeios probabilius adferri, & in primis illud maximo omnium applausu obiici; quî fiat, vt in tanto seculorum decursu nemo vnquam vel minimum elegantiæ in eo potuerit annotare. Neque enim id posse nostratium ingeniorum ruditati imputari, quibus nihil est promptius ad varias linguas perdiscendas, nihil dexterius ad eas bene sonandas, nihil acutius ad genuinam puritatem in ijs, & peruidendam, & imitandam, adeo, vt si ab hac discendi facilitate, ingeniorum felicitas æstimaretur, nulla gens hominibus nostris ingeniosior posset inueniri. Jam nec curam & sedulitatem ijs deesse ad ea perquirenda, quæ ad domestici sermonis ornatum quouis modo facere possent, cùm videamus plerosque tam curiosos, in omnibus Græcorum & Latinorum angulis & latebris explorandis discutiendisque, vt ne puluisculum quidem sinant intactũ. Eosne tam domi suæ cæcos esse, nihil vt pulcri in lingua sua videre queant, quorũ tam perspicax est foris acumen? Nec porrò dici posse elegantiã hanc quidẽ animaduersam à multis fuisse, sed nemini hactenus curæ fuisse, vt eam ceteris communicaret. In tanta scilicet scribendi prurigine, quantam videmus apud omnes nationes hac ætate grassari, erit quisquam qui asserere audeat, nostrates omnes tam taciturnos fuisse, tamque Harpocrati deuotos, nemo vt fuerit, qui eximium patrij sermonis decus è penetralibus, quibus abditum iam olim latuisset, euulgaret. Non ea sunt tẽpora, tale vt quid suspicemur, cùm nihil tam sacrum sit, nihil tam venerabili silentio dignum, quod non videamus, non animo-

animorum modò periculo maximo, sed extrema etiam Reip. euersione apud rudem plebeculam & aniculas disputari, tãtum abest, vt quicquam abditi in sermone eo maneret, quem tam variæ gentes per plura quàm quingenta milliaria Germanica secundũ Oceanum & Sarmaticum mare habitantes, iam inde ab omni historiarum memoria loquuntur, quos omnes vno nomine Hingezewoners veteres nuncupabant, è quo Ingeuones Latini fecerunt. Quis ergo credet in tanta linguæ latitudine, quicquam omnino tam immensis ætatum spaciis potuisse latêre, quod humana saltem industria assequi posset, præsertim cùm eius antiquitas tanta sit, vt vel ipsum tempus omnia fuerit reuelaturum, quamuis supinis & negligentibus nedum hominibus nimio plus curiosis. Jam illud ab omni sani hominis cogitatione omnium remotissimũ videtur, eam linguam de perfectione laudari, quam non modò exteri addiscere minimè desiderent, sed cuius etiam eos ipsos pudeat, qui eam à teneris vnguiculis ab ipsis matribus inter lallandum imbiberunt Hispanus suo se iactat sermone. Jtalus linguam suam admiratur. Gallus suæ tam est studiosus, vt eam ab ipsis Græcis deriuare conetur. Anglus sua negat quicquã suauius, quicquam delicatius, quicquam elegantius inueniri, ab eo maximè tempore, quo Thomas Morus in ea admirandæ eloquentiæ commentaria conscripsit. At omnes hi sermonem habent è barbara Latinæ Germanicæque farraginis confusione permistum, ita vt neque de antiquitate, neque de sinceritate queant gloriari; à quarum vtriusq; laude tam longè absunt, quàm qui longissimè: cùm post Gotorum & Francorum, & ceterarum Germanici nominis gentium, irruptionem, hæ loquendi corruptelæ Europam primùm inuaserint, & latè Hispaniam, Italiam, & Galliam, diuersa fractarum vocum colluuie occuparint, quam nec Latinus nec Germanus intellecturus esset. Quamobrem meritò quis Jtalos quosdam derideat, qui quàm possunt longissimè à Latina pronunciatione recedentes, stolidissimè sibi arrogant vetustam Thuscorum linguam, quasi quisquam inter eruditos posset inueniri, qui tam historiæ omnis sit ignarus, vt nesciat eum sermonem, quo nunc Jtali vtuntur, è Latino, Gotico, Longobardicóque corruptis, & veluti in mortario pistis, fœda perturbatione coaluisse. Sed his longè magis ridiculos se docti quidam viri in Gallia præbuerunt, qui linguam suam è Germanica Latináque turpiter fractis, mutilatísque coaceruatam, è Græcis fontibus deriuare sunt ausi: qui quàm procul ab historia & veris originibus aberrent, Gallica nostra clarissimè ostendent, omnibus ijs vocibus, quæ vetustæ ipsorum linguæ ab auctoribus adscribuntur, ad naturam rerum significatarum enucleatis. Quales quales tamen hæ linguæ è diuersorum sermonũ corruptione natæ, dicendæ sint; illud saltem apud omnes constat, nullam inter eas esse, quam non honori sibi ducant, qui ea ab incunabulis sunt instructi. Soli nostrates sunt, quos suæ & pigeat, & pudeat, tanquam præ ceteris omnibus pœnitendæ, cùm tamen puram sincerámq; antiquitatem custodiat. Cui igitur tandẽ persuaderi poterit, quod cum alibi, tum quinto libro à me est explicatum, hanc nimirum, & primam & perfectissimam esse habendam, præsertim cùm in his meis Saxsonicis annotarim, ipsis etiam Saxsonibus, quos à primis Cimmeriorum colonis deduco, Cimbricam puritatem simplicitatémque displicere, omnibus studiosè affectantibus flatulentum Allemanorum stridorem. Nec nouus hic est Germanorum morbus, nec noua item de Allemanici Sueuicíque sermonis excellentia

opinio, cùm eam olim admodum plerisq; omnibus fuisse animaduertam, iam ab illo vsq; tempore cõceptam, quo Sauromatarum & Amazonum connubia ab Herodoto celebrantur. Sauromatæ enim, quos germanos Cimbros esse in Amazonicis doceo, inter Scythas Solæcizare dicebantur, propterea, quòd Amazones sermonem principio non satis probè didicissent: quo quid aliud indicatur, quàm Sauromatarum sermonem feminarum, non virorum videri, quandoquidem vitium pronunciationis mulieribus adscribitur. Quid? an non idem hodie nobis obiicitur, sermone nempe nos vti effeminato, & prorsus muliebri, vtpote in quo virile illud, & masculum Sueuicorum laterum robur desideretur? Est autem hoc iudicium non Allemanorum modò, sed nostratium etiam, & exterorum; quibus in vniuersum videtur, linguam nostram feminas potius quàm viros decere; atque idcirco minimè ferendum, quenquam omnino inueniri, qui eam ausit, vel ad ipsum Adamum referre, vel saltem perfectissimam iudicare. Hæc aliaque id genus complura opponi mihi cerno, maximo omnium consensu, & tanto, vt pæne effrontis audaciæ videatur esse, vel semel contrà mutire, nedum disputare, & sententiam ferre. Quid igitur spei reliquum, quid animi, quid fiduciæ, vbi vni contra omnes est digladiandum? Perparum profectò fuisset, nisi scirem Diogenem magno nisu cõtra totius populi turbam ingredi conatum, reapse nobis demonstrasse, ferè contra vulgi opinionem esse sentiẽdum: si veritatis maior quàm popularis erroris ratio sit habenda. Quot, quæso, exemplis doceri queat, nihili faciendum esse imperitæ multitudinis præiudicium, cùm ex Philosophis omnibus, tum Stoicis præcipuè, è quorum placitis ea Cicero mutuatus est, quæ quamuis verissima essent; Paradoxa tamen propterea nominauit, quòd vulgi opinionibus aduersarentur. An num minus verum est, nemini, ne inimico quidem, ne percutienti quidem, malefaciẽdum esse, quia id vni soli Socrati placuit, reliquis ferè omnibus cõtrà sentientibus? Minimè gentium: nimis enim verè iactatur, verbis vtendũ, vt multi; sentiendum vt pauci. Nam ita plerunq; vsu venit, vt quo res quæq; vel melior est, vel diuinior, vel ad vitã vtilior, eo minoris apud populum æstimetur; cùm tamen è diuerso à Deo, & natura ita sit in rebus omnibus comparatũ, vt quo quæq; sunt humanis vsibus aptiora, eo paratu sint faciliora: quod & in re cibaria, & in morborum remediis clarissimè est videre. Quid malua copiosius? quid tritius? quid item eadem vtilius ad vsum medicamentorum? An non vna brassica & interius & exterius omnium medicamẽtorum vicem habere potest, si à perito, & multarum rerum experiente viro, ad vsus suos applicetur? Nunquid gramine magis protritum? nunquid frequentius? Nunquid rursus aliud, quod plures vires habeat ad medendum? Hæc tamen, & id genus infinita alia, apud omnes ferè homines in vilissimis habentur, non aliam, ni fallor, ob causam, quàm quòd propter immensam copiam fastidiantur. Quod si eadem ab vltimis Indis, aut China, aut Moluccis, aut Brasilia adferrentur, bone Deus, quanti essent æstimanda! Precia ergo rerum vulgus non de natura ipsa petit, sed de raritate, & difficultate ad acquirendũ; cùm opifex contra ea plurima esse voluerit, quæ essent ad vsum nostrum quàm maximè necessaria. Absit itaq;, vt ea de causa lingua nostra vilior iudicetur, quia talis à vulgo hominum hactenus fuerit existimata. Nec vlla temporis, quamuis longi, mora nobis præscribere debet, quid sit de veritate iudicandum, cùm omni æuo eadem fuerit imperitæ multi-

tudinis

tudinis in rebus æstimandis peruersitas. Contempserunt olim, & nunc contemnunt nostratem loquendi consuetudinem tanquam effeminatam, quasi aliquid elumbe in linguæ posset inueniri. Quid verò causæ eò homines impellit, sic vt iudicent? Non aliud inuenire possum, quàm quòd minimo labore, & lenissimo sono, sermo noster enũcietur, cùm Sueuicus, ingentes spiritus, & robusta latera poscat. Quis hic non videt, quàm ineptum hoc sit iudicium? Si enim ea via optima est, quæ et rectissima est, & facillima ad eundũ; quid ni, & illa optima sit locutio, quæ et facillimè & breuissimè eò peruenit quò tẽdebat? Iam cùm sermo omnis ad eum finem sit referendus, vt id quod volumus alteri significemus; num poterit negari eum optimum esse, qui quàm facillimè & lenissimè omnia animi sensa queat explicare? Scilicet hoc illud est, si Mercurio placet, quod muliebre vocant, quòd lingua nostra citra omnem pronunciationis asperitatẽ, citra laborem, citra molestos hiatus, omnia sic exprimere potest, vt videatur virgineam quandam modestiam, & castum, puellaremq; pudorem custodire. O egregiũ sermonis vitium! O infamem notam! Illud insani homines carpunt, quod Aristoteles, quod Plato, quod omnes deniq; veritatis studiosi, summis laudibus essent cuecturi, nisi inter eos tam præposteros rerum æstimatores nobis fingamus, vt superuacaneum laborem, & difficultatem minimè necessariam, suaui ac leni progressui præferendã arbitrarentur. Non ibo equidẽ infitias, Almanicam aptiorem esse ad gloriabundos Pyrgopolinicæ cuiusꝓiam flatus plenis buccis exprimẽdos: sed hoc non magis linguæ nostræ vitio verto, quàm si diceretur, aliam quidem magis idoneam videri, ad vrsos vel leones imitandos; nostram verò non ad aliud seruire, quàm ad mentis humanæ sensa facilitate summa, et summa lenitate indicanda. Porrò quàm hæc æquabilis & moderata pronunciandi facultas non sit vituperanda, inde licet existimare, quòd nulla omnino natio inueniatur, quæ facilius quàm nostra, quasuis linguas et addiscat, & ad proprios ac vernaculos singularum gentium accentus accommodet: quod ego non alia ratione euenire credo, quàm quòd sermo noster eam promptitudinem sonandi, à teneris annis inducat, vt homines idoneos reddat, ad quasuis voces quouis modo canendas. Sint enim duo; alter nostras, alter, vel Hispanus, vel Italus, vel Gallus, vel Anglus, vel Almanus, atq; ijs ignota lingua addiscenda proponatur; quiduis deponere ausim ad certandum, nostratem longè fore superiorem, cùm in percipiendi celeritate, tum in dexteritate pronunciandi: quæ res ad solum ingeniorũ discrimen referri nõ potest, quoniã ea paria dari queant in ambobus. Latissimus hic sese campus offert ad discurrendũ, per varias in diuersis gentibus canendi rationes: sed ea disputatio plus sibi tẽporis deposceret, quàm clepsydra hæc nostra posset elargiri: hoc vnum mihi videor citra prolixas controuersias tenere posse, eam linguam, quæ hanc imitãdi quasuis facultatem & promptitudinem adducit, mediam quandam omniũ indolem obtinere, nec ad vllum pronunciationis extremum declinare; atq; idcirco optimam quoq; esse censendam, si ea quidem optima sunt & pulcerrima, quæ modũ in omnibus per omnia conseruant. Quid autem laudabilius, quàm & breuiter & leniter, & facilè quiduis significare, & præterea sic instrumenta vocalia omnia comparare, vt quàm promptissima sint, ad quamuis cuiusuis linguæ prosodiam accuratè, & adamussim imitãdam. Ennius tria se corda habere iactabat, quoniam tres diuersas linguas teneret, Latinam, Oscam, & Græcam, fortassis excordem se dicturus, si

ſciuiſſet quamplurimos, & propè infinitos noſtrates eſſe, qui præter Cimbricam, Hiſpanicam, Italicã, Gallicam, Almanicã, duas alias, Latinã & Græcã, optimè norunt; quorum non pauci ſic efferunt ſingulas, vt ijs vernaculas eſſe credas. Eant igitur nunc linguæ noſtræ contẽptores, & lenem eius æquabilitatẽ accuſent, è qua id fieri videmus, vt eius conſuetudo homines ad quemuis ſermonẽ addiſcendum, & citra vitiũ pronunciandum aptiſſimos reddat. Verũ cùm talis ſit, & præterea plurima arcana cõtineat, quî fit, vt nemo hactenus ea animaduerterit? Neſcio ſanè, niſi id rectè dicatur, eorũ homines minimè ſtudioſos eſſe, quæ in nulla ſunt admiratione. Quis verò eſt, qui aliquid in ea lingua miraculi quærit, quam à primis vnguiculis ſecum ſcit adoleuiſſe? Cum itaq; admiratio ad inquiſitionẽ ſtudiumq; inuitet, quibus rebus ſcientia omnis comparatur, nihil miri eſt, ſi nemo in vernaculo noſtro ſermone ad eam notitiã peruenerit, quam ego licet exiguã adhuc, & minimè perfectã ſum conſecutus. Quid verò me præ ceteris potiſſimum ad ea indaganda, quæ nemo antè attigiſſet, incitarit, etſi è libro quinto facilè colligi queat; nõ grauabor tamen breuiter vobis hic indicare. Herodotus, vt hiſtoriographorũ qui exſtant antiquiſſimus, ita à me antè lectus quàm ceteros adirẽ, in Bec & Puromus vocibus duabus noſtratibus primã dedit inquirendi occaſionẽ. Huic Plato aduunctus, flagrantiſſimum deſideriũ ad intima quæq; perſcrutanda accendit: ad quæ deinde numeri Cimbrici duodecim diuerſis nominibus, aliter quàm in ceteris linguis nominati, certiſſimã viam commonſtrarunt, ad duodecim deorũ adyta penitus perluſtranda. Omnia verò quæ inde varia mentis agitatione perueſtigaui, ad religionẽ Catholicam à vanis Ethnicorũ nugis reuocata, magnã mihi voluptatẽ attulerunt, dum viderẽ vocibus ea intexta, quæ antiquitati omni maximã lucem inferrent, & Chriſtianam fidem externis teſtimoniis ornarent. Crebrò mihi in mentẽ venit mirari, dum res in his regionibus à Romanis geſtas legerem, quî exiguus hic terrarum angulus linguæ ſuæ puritatem cõſeruarit, præſertim cùm animaduerterẽ Romanos tanta cura linguæ ſuæ propagãdæ incubuiſſe, vt ne Græcis quidem Græcè dicere iura vellent, ſi Valerio Maximo ſit credendũ. Verùm poſtquã ad linguæ noſtræ ſacrariũ ſingulari Dei gratia ſum admiſſus; omnis ea admiratio ceſſauit; eo quòd clarè cernerem, inſigni numinis benignitate factũ eſſe, vt eius linguæ germana ſimplicitas vſquam gentium integra retineretur, qua tot myſteria eſſent conſignata. Fuiſſe autem in omnium opinione aliquã talem linguam inueniri, vt intellecta plurima ſapientiæ arcana enuclearet, id luculento indicio eſt, quòd videmus inter gentes de linguæ primatu maximas altercationes extitiſſe, atq; eas tanti à Philoſophorũ principe habitas, vt ipſe quoq; ad primas vocum origines inueniendas, omni ingenij eruditionisq; ſuæ ope contenderit. Hanc autẽ noſtram eſſe, ſi docere vellem, Ariſtotelis mihi ratio fuit tenenda, quæ demonſtrat, apud homines imperitos Inductione potius quàm Syllogiſmo vtendum, quam hic à Socrate accepit; cuius quaſi propria fuit hæc via ad rudem populum in opinionem ſuam perducendi. Hanc igitur mihi quoq; adhibendã putaui, non recto tamen impetu, ſed obliquo per Inſinuationẽ quandam oratoribus vſitatam. Neq; enim ex propoſito his meis libris de ſermone primo ſcribo: ſed dum primos Atuaticorũ parentes quæro, varia exempla adduco, è quibus clariſſimè cernitur, quantã neceſſe ſit eius linguæ perfectionem eſſe, in qua tanta eſt rerum & vocum conſonantia. Poſt verò quàm his animi hominum non-

nihil

nihil fuerint emolliti, & à contemptu sermonis nostri retracti, Hermathenam nostram in lucem mittemus, quæ alia via & ratione à primis principiis progressa, summum linguæ nostræ artificium necessaria conclusione demonstrabit, adeò vt quod hic verisimili historiæ veteris ductu, & exemplis quamplurimis declaratur; illa sit ostensura cum primis rationibus ad vnguem conuenire, nec possequidem à viro sapiente, & in disserendi arte exercitato, contrariũ eius cogitari. Verum enimuerò cùm intelligerem, quàm ab omnium auribus, præsertim exterorũ, hæc noua assertio mea abhorreret; veritus sum, ne me ficticiis exemplis pleriq; vti existimarent: atq; inter eos etiam metuebã, ne ipsi quoq; Saxsones crederent, ea me comminisci, quæ ipsi, à prisca sua lingua plurimũ digressi, non essent ex vernaculo suo sermone percepturi. Quod igitur huic malo remediũ? Quod aliud quàm illud commune eorum omnium, quæ ratione nequeunt cõfirmari, sed de testimoniis duntaxat idoneis sibi asserunt veritatem. Cùm enim in hoc genere hæc quoq; versetur quæstio, an voces verè nostrates, verè sim interpretatus; cogor testes mihi eos denuntiare, qui simul & linguæ nostræ sint periti, & Græci Latiniq́ue sermonis minimè ignari, & eam præterea apud exteros habeant existimationẽ & auctoritatem, vt nemo de ijs, quæ ipsorum testificatione muniuntur, velit dubitare. Quamobrem quos mihi potius ad hanc rem citassem, quàm eos, qui non modò omnium confessione harum linguarum doctissimi habentur, sed tales etiam sunt, vt Rex, cui hos labores meos deuoui, non aliorum fidem in regionibus nostris maiorẽ experiatur. Quis enim Gaspari fraternæ vestræ cõcordiæ duci, & eximio ornamento, non aliquot voces credat, cui Rex totius Belgicæ credit ærarium? Bene igitur rebus meis accidit, vos in hac ciuitate natos esse, quorum singulis tantum fidei ab omnibus datur, vt vel vnius testimoniũ instar plurimorum esse possit. Vos itaq; viri omnibus rebus ornatissimi, maiorem in modum rogo, vt hæc nostra cognoscere & perlegere succisiuis horis, quas grauioribus negotiis ad relaxandum animum subducere debetis, si valetudini & saluti vestræ consultum vultis, ne graue vobis ducatis; quò ecquid falsi attulerim, ad vocum nostrarum interpretationẽ, videre possitis. Quod si quicquam secus ac linguæ nostræ natura fert, à me adductum cernatis; obtestor vos per omnes Musas, vt quicquid ab ijs armorum accepistis, id totum in caput meum conuertatis: ad quod equidem, nisi optimè mihi conscius essem, nunquã vos prouocassem, vtpote quos sciam tantum in poësi valere, vt si quæ in me irati scriberetis, ea haud dubiè ad sempiternam posterorum memoriam ingenti nominis mei ignominia essent peruentura. Satis noui cum ceterorum, tum Gaspâris, & Flemingi salsissimum acumen, multis epigrammatum experimentis mihi perspectum; in quibus videre erat, quàm Archilocho, si bilem quis vobis moueret, nihil cederetis. Sed quid, dicetis, nostra refert, tibi ne fides adhibeatur, nec ne: permultum, ita me Dius fidius amet. Cùm enim & vos Scheti, in clarissima hac vrbe nati, & ab Erasmo patre vestro, viro non tam fortunarum affluentia (quamuis eas maximas haberet) quàm vitæ integritate nobilissimo: & tu Fleminge, cũ fratribus tuis, à Sebastiano Flemingo, viro similiter omnibus rebus ornatissimo, ita sitis educati, vt nõ plus vobis clarissima patria, quàm vos patriæ, attulerit ornamẽti; oportet, vt sic paternæ virtuti, & exspectationi respondeatis, vt nulla parte vel industria, vel fauor vester desit, qua possit claritatis aliquid huic regioni conciliari; in qua amplissimas & maxi-

maximas ditiones possidetis. Quis verò maior splendor à maioribus possit affulgere, quàm is qui in vetusta lingua inuenitur, si omnes passim nationes ad id maximè videmus eniti, quo sermonem suum ornent, & apud alios ostentent, qua in re admirandos sese Romani præstiterunt? Credite ergo Vvesemalum, Grobendoncum, Heistam, & alias clarissimas ditiones hoc sibi à Gaspharo domino suo poscere, vt me in lingua nostra honori suo prisco vindicanda, quoad eius fieri potest, adiuuet. Num verò minus Rumesta antiquissimo dominio nobilis, à Melchiore postulabit? Quid? an Hobocum, cui in Saxsonia olim arx eognominis ab historiæ scriptoribus est celebrata, priscum linguæ suæ decus à Balthazare negligi æquo animo ferret? Iam Vviningbemum, & iurisdictione & aliquot iugerum centenariis, Flemingum ornans, an non putamus patronum suum appellare, quo debitum linguæ Flemingæ honorem sedulò curet reuocandum, pro eo, ac ipsum etiam nomen videtur admonere? Nec sileret superbum Conrardi palatium Liræ amœnissimo loco ædificatum, si tam se auribus quàm oculis, ingenti herbarum arborumque varietate posset insinuare. Omnium enim horum locorum Genios mihi videor audire postulantes, vt ea lingua, quam inuitis Romanis retinuerunt, rursus excolatur, & ad primos suos deducatur natales, ne quam summa olim maximi imperij vis non potuit, eam negligentia, & hominum socordia inducat obliuionem. Id verò præstiteritis, si tum apud alios, qui Cimbricam linguam prorsus perdiderunt, tum apud Saxsones, apud quos paulatim magis atque magis degenerat, testes mihi sitis, me verissimam adferre vocum nostrarum interpretationem: quæ docebit, quanto sit ceteris omnibus præstantior is sermo, in quo tam admiranda cernuntur arcana. Quantum verò Saxsones huic labori meo debituri sint, illis relinquo æstimandum, qui aliquando apud eos in antiquitatum studiis sunt versati, quorum candidum iudicium ipsa experientia me docebit, dum sentiam quanti augustum Sacarum genus Augustus faciet, quantoque honore eum dignum putabit, qui nobilissimos ipsi parentes primus ostendit, & totum genus ab Imao vsque per varias colonias in Europam deduxit.

IOAN. GOROPII BECANI

SAXSONICA.

LIBER VI.



VEMADMODVM PRIORIBVS libris multa in lucem eruimus, quæ in Cimmeriis tenebris, prouerbio quàm reapſe notioribus, hactenus latuerunt: ita deinde tentanda via eſt, per primas Cimmeriorũ colonias, vt ob oculos ponatur, qui tandẽ in Europam ab ipſa vſque Nyſa peruenerint. Difficile iter ac arduum, & haud ſcio,an vllis tritum veſtigiis eorum, qui de gentium migrationibus & originibus, ~~ante~~ poſt mille annos quicquam ſcriptis tradiderunt. Tentarunt fortaſſis aliqui aditus, & eminus neſcio quam vmbram caligantibus oculis annotarunt; at qui apertè rem tradiderit, nemo hactenus eſt inuentus. Quocirca mihi condonandum, ſi non omnia quæ dicturus ſum, idoneis teſtibus confirmauero,quando ne ſunt quidem vlli,qui locorum, in quæ Cimmeriorum pueri primùm cõmigrarunt, ſatis fuerint periti. Operam tamen dabo quàm potero maximam; ne,quę de coniecturis colligam, fructu ſuo carere videantur; & quod hactenus feci, hîc quoque diligẽter cauebo,ne qua pagina ſit quæ non habeat vel raræ aliquid & inſignis antiquitatis; vel rem nouam quampiam, & necdum animaduerſam. Quia ergo de coloniis Cimmeriorum tractaturi ſumus, monendum eſt principio, quod anteà quoque monui, me hoc loco in animo non habere, vt Iani in Italiam commigrationem vnà cum Cimmerijs quibuſdam velim explicare; eò quòd illa ſuum poſteà locum ſit habitura: verùm de illis me hîc duntaxat acturũ Cimmeriorum colonis, qui multis pòſt ætatibus in Aſia manſerunt,quorum tandem aliqui poſt longum ſeculorum decurſum in Europam commigrarunt. Quocirca fauſto omine, boniſque verbis rem auſpicaturi, eam ab initio conſuetudinem exponamus, quam Dionyſius Halicarnaſſæus memorię prodit; in qua re,vt prolixitatem vitemus, ſi Græca ſcribantur, naſcituram; Gelenij non mali interpretis verbis contenti ſimus. Libro igitur Romanarum antiquitatum primo ſic habet. Primùm finibus egreſſa eſt ſacra quædam iuuentus exigua

numero, ad quærendum victum à ſuis emiſſa parẽtibus more antiquo, quem receptum ſcimus à multis tam Græcis quàm Barbaris. Quoties enim vulgi multitudo in aliqua ciuitate nimiũ excreſceret, nec alimẽta domi omnibus ſufficerent, aut aëris intemperie cæſa terra fruges proferret pauciores ſolito, aut alia talis ciuitatem occuparet calamitas, ſiue bonum ſiue malum cogeret minui multitudinem, Deo cuipiam ſacrantes, quantum hominũ annus pareret, emittebãt armis inſtructos è ſuis finibus: ſi pro iuuentutis felici prouentu aut victoria gratias Dijs agerẽt, peractis ſolennibus ſacris, fauſta ominatione proſequẽtes abituros in coloniam: ſin irata numina placarent, finemque præſentium malorum poſcerent, eodem modo ſacris operati, mœſti veniamque petentes à ſuis, quos ablegari neceſsitas cogeret. Illi verò poſthac carituri patria, niſi aliam pararent, quæ ſe recipiat quicquid terrarum armis acquiſiuiſſent aut gratia, habebant vice patriæ, creditumque eſt eis adeſſe Deum, cui dicabantur, & ſupra humanam ſpem proſperare eiuſmodi colonias. Hæc ille; qui tam antiquam hanc emigrandi conſuetudinem facit, vt eam Aborigines in Italia occupanda ſecutos fuiſſe dicat. Nec verò de vetuſtate eius hoc ſolo auctore ſententiam fero, ſed ex Strabone etiam idem colligo. Is enim libro Geographię quinto, ait de Samnitibus huiuſmodi narrationẽ ſe accepiſſe, Sabinos quos Italiæ indigenas alibi fecit, contra Vmbros diuturno bello implicitos, vouiſſe, Græcorum quorundam more, ſe, quæcunque eo anno nata eſſent, immolaturos. potitos autem victoria, eorum quæ nata erant, alia quidem immolaſſe, alia verò conſecraſſe. At cùm ſterilitas eos quodam pòſt tempore affligeret, dixiſſe quendam, liberos etiam conſecrandos eſſe: quod confeſtim ſecutos, proles tũ natas Marti fauſta acclamatione deuouiſſe, quam deinde ſobolem ad virilem ætatem progreſſam, in coloniam tauro duce emiſiſſe, quam in Opicorum per pagos degentium agro quiete capta, atque priſcis colonis eiectis, ſedes ibi poſuiſſe, ac Taurũ Marti qui ducem eũ dederat, de vatũ iuſſu ſacrificaſſe, atque hos a Sabinis voce blãdiuſcula Sabellos eſſe nominatos, Sannitas verò alia de cauſa, quos Græci Samnitas dicunt. Hæc Strabo de Sabinis indigenis, Vmbris & Opicis antiquiſsimis Italiæ populis cùm referat, an non inſignem huius ſacri ritus prodit antiquitatẽ? Sunt haud dubiè quę illis ſcribuntur, ita penè nimio ſitu temporum obſoleta, vt Opica in prouerbium abiuerint, in illos cõuicij loco futurũ, qui vel nimiũ rudes & ſimplices, vel apertè obſcœni viderentur. Opicę certè vetuſta Cimmeriorum lingua qui cũ Iano in Italiam venêre, eum notat, qui aperto pectore ingenuè & citra ſimulationẽ, id quod ſentit, vultu &

lingua

lingua prodit; ita vt credã Opicos vel Cimmeriorũ ſobolẽ fuiſſe, vel generatim viros candidos, & ruſtica quadã ſimplicitate apertos, qui iam olim ante multa ſeculorum curricula, nõ ex Italia tantũ, quamuis præcipuè, ſed alijs etiã quamplurimis regionibus ſunt eiecti, breui, ni fallor, ex his noſtris Cimbricis reliquijs, vbi hactenus etiãnum Opici, præſertim in pagis, vt olim, habitant, à Sabinis expellendi. Eſt ergo huius conſuetudinis antiquitas illa quidẽ ſingularis, ſed vnde primùm profecta ſit, nec ab his auctoribus, nec ab alijs, quod equidem ſciam, declaratũ. Nos igitur primis poſt diluuiũ hominũ ſedibus inuentis, quæremus cui coloniæ inde aliò emiſſæ ritus hic principium ſui debere videatur. Prima ſanè & nobiliſsima commigratio ea fuit, qua Nembrodus cum ſuis Noachi pronepos ad latiſsimos & fertiliſsimos Babyloniæ campos per montiũ catenam longiſsimam deſcendit. In hac tamen primores & capita tribuũ ſuis magis viribus quàm diuino numine, ſuaque potiùs prudentia, quàm diuinis oraculis iter tenuiſſe, ſedeſque fixiſſe videri poſſunt, ſi de illis, quæ conſecuta ſunt conſilia, licet æſtimare. Cùm enim & numero hominum, & diuitijs indiſſolubile ſibi & quaſi adamantinũ regnum conſtituiſſe viderentur, eò venerunt ſuperbiæ, vt non antè colonias aliò emittere vellent, quàm iunctis copijs & viribus turrem extruxiſſent, qua ſe aduerſus iram Iouis, ſi rurſus fortaſsis vndis terras cooperire vellet, tueri ac ſeruare poſſent: eodem facto bis impij, ſemel quòd promiſsis Noachofactis, non crederent; iterum, quòd humanis viribus ſe poſſe Deo illudere, ac eius furorẽ effugere, putarent. Nimbrodi inſani tyrãni, & vaſti & efferi gigantis inſaniſsima cogitatio, duo ſtatim commonſtrauit, tũ quàm populus procliuis ſit ad ſtultitiam & veſaniam Principum ſequendam; tũ quàm nihil valeant ſuperborũ inſanorũq; regũ dementes contra diuinam voluntatem molitiones. Confeſtim enim cœptũ eſt opus, & moles montiũ omnium vertices & nubium regionem longè ſuperatura ductu & auſpicijs furioſi tyranni, & cæci vulgi veſano ſtudio rem vrgente; duabus peſtibus nunquã citra graue exitium ſimul euntibus. At at non dormiit Deus, nec oculos Saturnijs, quas vocant, lemis habuit occluſos, ſed vecordem audaciã & ſuperbiam Gigantæam obſtinatiſsimis animis progredientẽ deriſit, turbine vaſta murorum molimina diſrumpens & funditus euertens, addita etiam pœna perpetuo in hominũ genere ad ſempiternam ſceleris impij memoriam duratura. Linguam enim vinculũ & nuncium humanæ ſocietatis cõfudit, & vnam qua vnio populorũ continebatur, in varias commutauit, ita vt alterũ alter non intelligeret, ac perinde homo ab homine voce differret atq; taurus à cornice, fieretque

tanta inter eos alienatio, quanta est inter diuersorum generum feras aut belluas, quo nihil potest ad societatẽ communitatemque hominum dirumpendam plus virium habere. Hoc ergo primũ & maximũ documentum habemus, Deo conuenticula hominum suo numine neque consociata, neque freta, grauissimè displicere, ac omnium huiusmodi studia & labores vanos esse, ac in nihilum abituros. Hęc igitur prima post cataclysmum mortalium colonia non illos est sortita successus, quos Dionysius Halicarnassæus eis adesse scripsit, qui se numini diuino dedicantes, eiusque ductum sequentes, nouas sedes quærunt; sed contrà in maximas calamitates, & in discordiam nulla vnquam pace, dum mundus erit, componendam inciderunt, cuius incommodis hactenus humanum genus torquetur. Qui ergo in primis sedibus, in quas ex Arca parentes descenderant, adhuc manebant, dum hunc cognatorum casum viderent, nec quemquam eorum qui structuræ Babylonicæ turris interfuissent intelligerent, singulare hoc diuinæ iræ exemplum in rem suam verterunt, eò felices quòd alieno periculo fierẽt prudentiores sapientioresque. Eos igitur quos non intelligebant, dicebant à turre illa confusionis linguarum sermonem trahere, quod hactenus apud nos Cimmeriorum posteros *Babesey* dicitur, quo nihil aliud significamus, quàm quẽquam ita loqui, vt non magis intelligatur, quàm si turris Babylonicæ structuram adiuuisset. Est igitur hæc vox æternum nobis illius impietatis & temerariæ audaciæ monumentum eo diligenter conseruãdum, considerandumque, ne quid simile vel moliamur vel cogitemus. Verùm non ea sola contenti fuere admonitione maiores illi nostri, sed in prima colonia emittenda diligentissimè curarunt, vt fauore diuino, non consilio duntaxat humano, deduceretur. Hinc igitur prima est origo colonias eo ritu quem aperuimus de Grecis auctoribus, in nouas sedes dimittendi: quod vt quiuis intelligat, videamus quę prima colonia post illam Nembrodicam à Nysæis finibus & Margiana sit emissa. Diximus anteà Cimmerios omnes, qui primis in sedibus remanserant, Scythas vocari solere, atque inde ætatem primam post diluuium dici Scythismum, eò quòd apud solos hos prima & antiquissima lingua permansisset. Qui autem antiquissimi horum sint coloni, à vicinis Persis interrogemus, qui à Bactrianis, eiusdẽ linguæ hominibus, Magiam se accepisse confitentur. Ex his audiemus nihil antiquius aut notius esse Sacis, adeò vt ab his tanquã primarijs omnes qui Scythici nominis sunt, Sacas appellent, quamuis Plinius id ea tantùm causa factum putet, quòd proximi essent: aperto errore, cùm Margiani, & inter eos Massagetæ & Daæ, & alij non pauci, à

Ptole-

Ptolemæo, diligentiſsimo priſcæ memoriæ cuſtode, Perſis ponantur multò, quàm Sacæ, propinquiores. Nos igitur ſic exiſtimamus poſt primam coloniam illam maximam Occidentem verſus emiſſam; alteram, & illi ſecundam, in oppoſitam mundi partem fuiſſe deductam, pro eo atque conueniebat; tum ad omnes mundi plagas populis implendas, & primùm quidem temperatiores, & ſub eadem Zona ſitas; tum ad contentiones & bella, quæ inter finitimos oriri ſolent; quoad eius fieri poſſet, euitanda. Secunda igitur colonia Sacarum fuit, tanto à Margiana ferè in Orientem interuallo miſſa, quantum Aſſyria in Occidentem remouetur; ſi Ptolemæi deſcriptioni, quæ omnium eſt veriſsima, fides habenda; in qua Sacæ ſub ipſo Imaõ habitant, è regione fontium Gangis, quorum collatione ad Vrſas vergunt. His locis montium obiectu aſperrimorum tutiſsimis, in tantam gentem excreuerunt, vt Perſis præ ceteris omnibus Scythis notiſsimi eſſent, eò quòd longè lateque militiam ſuam proferrent, armis non minùs, quàm generis antiquitate, nobiliſsimi; & idcirco de horum nomine, omnes reliquos Scythas Sacas nominarent, vti Herodotus, in Xerxis exercitu recenſendo, tradit. Hîc tamen ante omnia monendum, priſcum ipſorum nomen eſſe Saga, quo Pomponius Mela vſus eſt; non Saca, vt poſterior ætas enuntiauit: quod ita eſſe, de Tectoſagis, Sagartiis, & Sagari, quæ à Saga deriuantur, clarè docetur. Sagaris enim gladius Scythicus fuit, perinde apud Perſas à Sagis, atque in Italia à Bononia Bologneſe latum illud Parazonium, nomen inuenit; cui Sagarim ſi non figura, at ſaltem vſu, ſimilem fuiſſe credo, cùm videam apud Xenophontem, pro Sagari aliquando Machæram poni, qui Sagari Amazones vti cùm dicit, facit, vt faciliùs ſim perſuaſurus, omnium Scytharum communem fuiſſe, cùm Amazones quoque Cimmerij generis eſſe, pòſt ſim oſtenſurus. Et ne quis ſuſpicetur ſecurim ſiue bipennem eſſe, qua Amazones quoque vtebantur, ex Herodoti Polyhymnia hæc diſtincta tela fuiſſe cõſtat, qui inter Sacarum arma Axinas, id eſt, ſecures, & Sagares ſigillatim recenſet; quo loco Valla erraſſe mihi videtur, dum bipennem pro Sagari ponit. Strabo Maſſagetis Machæras & Sagares diſtinctè tribuit; quo fit, vt non ſatis liqueat, qua fuerit forma, niſi quis ſuſpicetur ſecures fuiſſe, vna, non duplici, acie, quæ in longam cuſpidem terminetur, à bipenni differentem. Qualis qualis tamen, quando necdum liquet, Sagaris fuerit, hoc ſaltem nomen ipſum demonſtrat, à Sagis appellationem non aliter veniſſe, quàm parazonio illi ſex digitos, paulò plùs minùs, quâ maximè patet, lato, à Bononia in Italia nomen datum dixi.

Hoc genere teli ad ſcindendum maximè apto, vt λυσιφλεβῖ quidam vocarit, Perſę Sacas, alij Maſſagetas, alij Amazones, armarunt, omnes tamen à Sagis deducto nomine vſi. Sagartios porrò cùm Herodotus Nomades faciat, quos Stephanus in Cherſoneſo Caſpij maris collocat, ſic dictos opinor, quòd longo apud Perſas ſtipendio merentes, genus quidem & naturam Sagarum adhuc retinerent, linguam verò Perſarum ob diuturnum apud eos conuictum in vſu haberent, atque eo de ſigno Perſæ viderentur; natura verò & indole Sagæ manerent. Sagart enim ad verbum eum ſignat, qui Sagarum genus & naturam refert, ab Art, voce antè explicata, & Saga facta compoſitione. Sagartiorũ arma tum exponam, cùm de Mirmillonum certamine quædam ſuo loco annotabo. Tectoſages verò iam mox qui ſint, & vnde orti, vt doceam, ſeries orationis poſtulabit. Sagæ igitur antiquitùs, nõ Sacæ, nominabantur, qui ſecundam coloniam Orientem verſus deductam corpore ſuo conſtituerũt, quos Ephorus colonos Nomadum eſſe aſſerens, hominum iuſtitiæ legumque in primis obſeruantium, idem mihi dicere videtur, ac ſi clarè pronunciaret, hos eſſe eorum colonos, qui primi Scythæ fuerunt, penes quos æqui bonique laus omnium teſtificatione tenuit principatum. Veteres enim Græci generatim omnes Scythas Nomades vocarunt, eò quòd illos maximè noſſent, qui paſcendis gregibus armentisque præcipuè vacarent: vnde quem alij Scythiſmum, Græci quidam Nomadicam vitam nominarunt. Strabo enim Scythis ad Caſpium mare ſigillatim ſuis nominibus recenſitis, addit Scythas vniuerſim vt plurimum Nomades Græcis vocari, nomine minimè ad Aramæam, ſed ad Græcam officinam referendo. Nobilis ergo & præcipua Cimmeriorum colonia ſic emiſſa eſt, vt omnes, qui adſcribebantur, conſecrarentur, & cum fauſtis precationibus dimitterentur; atque id tanta cura, & tam ſollicita religione, vt à benedictione & fauſta precatione nomen ipſis daretur. Sagunen enim, quod alij Segunen pronunciant, idem eſt quod Chriſtianis conſecrare, & omnia felicia fauſtaque precari: vnde Sagæ nomen duxerunt, quo ſancta votorum nuncupatio pro diſcedentium ſalute atque proſperis ſucceſſibus ſuſcepta, perpetuò in gentis appellatione audiretur. Quod Babylonico exemplo moniti prudenter admodum ſanxerũt, ne coloni vnquam quicquam citra ſacram hanc benedictionem aggrederentur, ſed omnibus in rebus auſpicandis ſemper Deum principio, vt benigno ſuo numine aſpiret, obſecrarent. Hinc hactenus nobis in vſu eſt, iis qui iter aliquod aggrediuntur, hac benedictione valedicere, atque Deum rogare, vt euntes deducat. Ceterùm tempus

eſt

est demonstrare Sagas à consecratione dictos esse, & id in ea lingua, quam Ianus Gomero filio suo ad Margianam reliquit, quo certò cō-stet nos hic ipsissimam veritatem tenere. Si enim docuero, Sagis de Cimbrica lingua nomen esse, nemo tam impudenter erit obstinatus, vt eos eiusdem gentis colonos esse infitias eat: cùm rationi consentaneum sit, ab iis nomē accipere populum, à quibus acceperit generis sui natales. Verùm hic mihi video statim in ipso limine obiectum iri, Sagas de Latino sermone, non Cimbrico nominari. esse enim in iis quæ Paulus è Festo collegit. Sagam dici mulierem peritam sacrorum, & virum sapientem, producta prima syllaba, propter ambiguitatem euitandam. Sagmina item herbas Verbenas quas Festus puras interpretatur, quia ex loco sancto arcebantur à Consule, Prætoréue, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum, vel à sanciendo, id est confirmando. Vnde Næuius dixerit, Ius sacratum Iouis iurandum sagmine: & quod ex eodem Paulus recitauit, Scapos atque Verbenas sagmina sumpserunt. Iam & Sagaces, quos solertis acuminis Festus appellat, & ex Afranij Brūdusina versiculum ad id docendum aduocat: Quis tam sagaci corde atque ingenio vnico. Videntur satis argumenti habere, Sagas à Latinorum fonte nomen hausisse. Annius Viterbiensis è Pseudoberoso suo magna mysteria, si Deo placet, emulget, Sagam Armeniam, & in ea Sagalbinam primam vrbium proponens, addita interpretatione Aramæa, iuxta quam Saga Pontificem siue Sacerdotem significet, & Albina imperialē à fascibus imperij insigni, quos Aramæi Alba nominēt. Sed hic Aramæam linguam, quam & Scythicam vocat, eandem cum Hebraica facit, in qua Saga idem est quod Latinis, auget, & Sagi, auctum & magnum, tantum abest vt huius somnia vera possint videri. At cùm in iis quæ absurdissima sunt, vix locum suum inuenire possit id quod dicit de Scythica lingua & Hebraica, non est operæprecium multis agere contra hoc Viterbiense oniropolium. Rogentur Gotti, Vandali, Daci, Sacsones, Cimbri, Alani & ceteri qui Scythæ sunt, nemine vnquam refragato, an Hebraicam linguam vnquam seculorum sint locuti? Docebunt id scilicet ipsorum propriæ nomenclaturæ, quas apud historiæ scriptores inuenimus, tum Græcos recentiores, tum priscos illos qui de gentibus Scythicis quicquā memoriæ prodiderunt. Quòd si egregius hic antiquarius Sagam è Latinorum officina produxisset, firmioribus se rationibus potuisset tueri, dum Festi & Plinij auctoritate niteretur. Hic enim libro naturalis Historiæ tertio ad hūc scribit modum: Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex foro Cornelienſi agro. Proximum inde ostium Capra-

siæ

praſiæ,dein Sagis,dein Volane,quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina, foſſaſq́ primi à Sagi fecere Tuſci. Quem Plinij locum ſic Annius legit,vt prępoſitione exempta dicat à primis Sagis Tuſcis foſſas factas eſſe; cùm tamẽ Plinius hoc velit, tria oſtia à Sagi computando; Capraſiæ videlicet Eridanum ſiue Spineticum & Paduſam à Tuſcis primùm facta eſſe, nulla Sagorum Tuſcorum mẽtione interiecta. Sed coactus eſt ab Annio antiquariis figmentis ſubſeruire. Vt vt tamen hæc legenda verba ſunt, id ſaltem docent, in Italia potius Sagarum originem, quàm apud Hebræos, quærendam. Quid verò Cicero? an non apertè demonſtrat huius vocis originem Latinis deberi, dum libro De diuinatione primo ita ſcribit: Neque enim illud verbum temere conſuetudo approbaſſet, ſi ea res nulla eſſet omnino. Præſagibat animus fruſtra me ire, cùm exirem domo. Sagire enim ſentire acutè eſt,ex quo Sagæ anus,quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes. Is igitur qui antè ſagit quàm oblata res eſt, dicitur præſagire,id eſt,futura antè ſentire. Ineſt igitur in animis præſagitio extrinſecus iniecta atque incluſa diuinitus: ea ſi exarſit acrius, furor appellatur, cùm à corpore animus abſtractus diuino inſtinctu concitatur. Videtur igitur de Ciceronis,Plinij & Feſti auctoritate ſic exiſtimandum,Sagæ vocabulum Latinum eſſe, non verò Aramæum aut Hebræum. Contrà tamen cùm equidem ſentiam,enitendum,vt, quod ſentio,aliis quoque queam probare. Neque Cicero diligenter adlaborans, quo præſagiendi vim de nomine explicaret, etymologiam inuenit; neque id etiam aperuit quare Sagæ ſacris præeſſent, niſi fortaſſis idem putarit multum velle ſcire & ſacris præfici. Iam quid ſagmina faciet, aut vnde vocem deriuabit? Elegantem ſcilicet Acron nominis rationem, fruſtra ab aliis quæſitam, inuenit, inillud Horatij ſcribens:

„ *Quæ ſaga,quis te ſoluere Theſſalis*
„ *Magus venenis,quis poterit Deus?*
„ *Vix illigatum te triformi*
„ *Pegaſus expediet Chimera.*

Saga, inquit, dicta eſt venefica quòd ſatis agat, & ea eſt quæ carminibus, & herbis mala hominibus dicebatur vel arcere vel impellere. Solers ſanè acumen; Saga dicitur quia ſatis agat: quaſi verò quæ mala homini carminibus accerſit, ea ſatis agere videatur. Primùm igitur rogo Latinos,an Sage,antiquiſſimi vltra Bactra populi,nomen ſuum è Latio mutuati ſint. Negabũt,ni fallor, & dicent, id caſu eueniſſe, vt eadem vox apud diuerſas gentes in vſu ſit, quamuis non eodem ſignificatu. Sit ſanè ita. Nobis tamen altiùs res examinanda, viden-

videndumque an ab eodem fonte vox ad Sagas & Latinos sit deriuata. Dixi modò, Segunen nostro sermone idem esse quod cõsecrare, atque ab eo Sagas dictos esse, quod tamen vocabulum, quia compositum est, ad simplicia redigendum, vt intus & in cute vis significationis peruideri queat; quod dum fiet, non exigua Cimbricæ philosophiæ fenestra aperietur. Coaluit enim Saguy ex Sac & Suy, quorum Sac causam, Suy faueo signat. Sed Sac ex aliis rursus componitur, & eisdem litteris scribitur, quibus Sac, saccum significans, solo illo differens, quòd pro causa vocalis producatur, pro sacco corripiatur. At quia breue tempus longo prius est natura & ortu, priùs videndum, vnde Sac pro sacco formetur. Audio hîc murmurari Sacci nomen non esse magis nostras quàm ceterorum, eò quòd Hebræis quoque Sac dicatur, à quibus fortassis alij pòst acceperunt. Dent igitur Hebræi etymon, & illam primæ linguæ proprietatem, quæ in conuersione litterarum consistens, contrarium ei, quod priore ordine notabatur, significatum inducit, & lubenter eis cedemus. At tantisper dum id facere minimè poterunt, nobis permittant primogenia huius vocis frui possessione. Nam Sac oppositæ significationis vocem habet Cas: qua dum vtimur, prorsus contrarium ei intelligimus quod Sac signabat. Est autem Sac, res æstimatu dignas colligere, ac in vnam sarcinam componere. Cas verò contrariæ notationis, idem est quod eximo ex illorum numero, quæ conseruanda iudico. Hinc dicimus: Jc cas ȝ, id est, te eximo, vel in numero non amplius habeo: inde *Casser* & *Cassar* leui discrimine & Galli Romanisantes, & Itali Germanisantes acceperunt. Vel vno igitur indicio liquet, voces has & significatu & litterarum positu contrarias, Cimmeriorum vernaculas, eò quòd hæc nominum fabricandorum ratio iis solis sit in vsu. Est autem ſact ⌣ idem quod collige, vel in saccum inde: quod dum dicitur cuipiam, duo videntur moneri, alterum ſo ȟact ⌣, aspiratione in sibilo delitescente, dum vox conciditur, quo significatur, adstringe, siue in vnum collige & contine, atque ad id te inclina. Sic dicimus ȟi ȟact ⌣ daer na, id est, ad id se inclinat vt habeat vel teneat, indicato vehementi habendi desiderio. Dicitur verò Hac in prima persona compositè ab Ha ic, id est, O si haberem. Sac ergo, id est, quod factum est ad ea continenda quæ tenere cupimus. Alterum eorum, quæ moneri dicebam, est, vt quædam tanti faciamus, vt ea colligamus & teneamus. Nam qui dicit ſo acſ, videtur etiam dicere ad æstimandum, quæ significatio in Ambactis est declarata. Quod autem Sigma, non Tau, principium faciat, ſo pro to vsurpando, suam etiam causam habet. Est quidem

vbi hæ litteræ citra significationis discrimen poni queunt, vt in Temlich & Semblich: at alibi id fieri non potest, vbi nimirum significatio variaretur, quod in Sac accidit. Quamuis enim To & So indifferenter idem signent, quo ad, Latinorum, aliud tamen est Sac & Tac. Nam Tac idem est quod arripio, dum verbum est; at si vt nomen vsurpetur, ramum notat. Tac igitur quasi To hac dicitur, quasi ad aliquid tenendum inclino, idem quod So hac: sed in cōpositione aliud Tac, aliud Sac notabit, ita varietate rerū multas voces exigēte. Quāuis ergo diuersa Sac, & Tac significent; ex eodē tamē fonte manarunt, & è vocibus idem significantibus cōponūtur. Monemur igitur quædā nobis esse desiderāda & tenēda, quo futuræ necessitati sit prospectū. Quid igitur, dicet aliquis, in causa fuit, vt cū Sac primæ linguę vocabulum sit, ad Latinam, Gręcā & Hebræam, & eius cognatas potiùs, quàm aliæ voces, trāsiuerit? Equidem id hac maximè ratione credo accidisse, quòd homines ferè nullius æquè rei recordentur, ac firmam memoriam conseruent, atque sacci sui, & eorum quæ sacco cōtinentur. Quamuis igitur reliquarum vocum memoria confunderetur in turris deiectione, nemo tamē videtur fuisse qui non sacci reminisceretur. Memini in Hispania Almanū quēdā è causide febre in phrenesim tātā prolapsum, vt escario sibi cultro thoracē perfoderit, nullius rei ferè memoriam habuisse, quàm sacci, quē argēteis regalibus plenum in principio morbi ceruicali supposuerat; atque metu, ne quis eum subduceret, nec me, nec alterum medicum qui cum eum curabam, ad lectū admittere voluisse. Miser homo non meminerat, nos medicos esse, & ad morbum profligandum accedere: nec vllius rei ad salutem necessariæ in mentem veniebat: vnicus interim saccus memoriam occupabat. Eodem modo in confusione illa Babylonica, morbo generis humani grauissimo, quāuis homines vocabula rerū longè præstantiorū in Lethæo illo Oceano reliquissent; sacci tamen quisque sui tam re quàm nomine tenus integram memoriam conseruauerat. Dei, citra cuius opem, & spiritum essentiæ & vitæ datorem, nihil esse potest in tota rerum vniuersitate, homines ferè obliuiscuntur, & non alia magis causa obliuiscūtur, quàm quòd saccis suis toti & noctu & interdiu inuigilent, inhient, indormiant, & tandem immoriantur. Nō igitur exigua causa fuit, ob quam Sacci nomen è memoria hominum non fuerit deletum, sed ad omnes ferè linguas nobis notas, è prima transiuerit. Qui nomen fabricauit, monuit illo quidem, nobis quædam colligenda esse atque reponēda, sed pauca & exiguo tempore, breui vocali hoc indicāte. Quid verò illud sit, ad quod diu multūq; sit animus inclinandus, & quod colligere & tenere

tenere diuturno ſtudio debeamus,iiſdem litteris mõſtrauit,ſed ſic,vt vocalis quæ in Ηac corripitur,ſit producẽda. Ηac enim vocali lõga,cauſam ſignificat,ad quam tenendam non manibus aut brachiorum ramis, ſed mente & eius digitis contendere debemus.In cognitione profectò, quæ mentis eſt comprehenſio & collectio, felicitas hominis cõſiſtit,& in ſummę cauſę cognitione ſumma felicitas:quare nobis ſemper annitendũ,vt multũ temporis cauſarũ collectioni & earum comprehenſioni impendamus; parum verò temporis iis quæ ſacco continentur;quoniã in his corporis tantũ cõmoditates,in illis ſummumbonorum eſt comprehenſum . Admiranda hæc fuit Onomatopœi ſolertia,qua tribus litteris ſic corporis & animi bona cõplexus eſt,vt & ambo ſignificarẽtur,& amborũ acquiſitio,& acquiſitionis modus & mẽſura ſimul indicaretur.Ηac enim ſo ſhac notat,quo inclinatio ad aliquid & apprehenſio eius notatur: quæ ſi breuis eſſe debeat,Ηac vocali correpta pronũciatur,ſin lõga & operoſa,vocalẽ in longũ tẽpus producit. Ad duo igitur inclinati ſimus,& ad illa colligenda quę corporis vſibus ſunt neceſſaria,& ad illa cõprehẽdenda, in quibus animi bona & vera hominis beatitudo cõſiſtit: ſed in illis breui & exiguo,in his lõgo & diuturno tempore cõmorandũ. Quid rogo breuius,quid ſignificãtius,quid perfectius his tribus litteris inueniri poſſit ad totius vitæ ſtudiorum ſummam comprehendendã? Prima littera ſibilo ſuo motionẽ ad aliquid, media littera quadrato ſuo ſono ſtationẽ & morã, vltima ſpiritus in ſe retractione ſuum cuique commodũ ad ſe trahendum docet.Omnibus igitur ſpirãdum ad aliquem ſtatũ,& hoc ſtudium ad ſe retrahendũ,ita vt non vltra tendat quàm vel corporis vel animi bonis cõducat; & illud in eo mediũ ſeruandũ,vt breui tẽpore in corporis cõmodis colligẽdis ſtemus, diu verò commoremur in iis quæ animi felicitatem cõprehendunt.Sicut igitur Ηac,vocali breui, omnia illa complectitur quæ corpori ſunt neceſſaria; ita Ηac vocali longa, omnia continet & comprehendit quæ faciunt ad veram hominis felicitatem. Conferant igitur alterius linguæ homines, omnes ſuas rationes ad hoc nominis fabricandi artificium, & videant,an quicquam queant inuenire,quod vel aliqua parte huic ſit ęquandũ.Habemus nunc quid Ηac ſit vocali producta,quæ pars altera eſt in Ηagun,cuius etymon quærebamus . Verùm quamuis generatim quæuis cauſa Ηac nominetur,cùm tamen citra additionem dicitur, excellentiſsimam cauſam ſignificare intelligitur,non aliter quàm Poëta, Latinis Virgiliũ,Græcis Homerũ per Exochen notat.Simpliciter ergo Ηac pronunciatũ,primam cauſam ſignificat efficientia ſua perpetua rebus omnibus eſſe infundentem.

Quamobrem, cùm Suy faueo significet, vt alibi declaraui, Sacguy, & compositè Sayuy, idem erit, ac si diceretur, Faueo primam causam, siue, fauore meo primam causam do, siue confero. Quid autem aliud est, primam causam fauore nostro cuipiam dare; quàm optare, vt Deus efficientia sua, quod agitur, promoueat, & effectum reddat? Ita me prima causa bene amet, atque id, quod mihi agendum est, prosperet, vt impiè me facere arbitror, dum hæc primorum parentum mysteria non solùm propalo, & in vulgus iis indignum edo; sed ea etiam in arctum constringo, & angustis spaciis includo, quæ integra volumina, ad mediocrem duntaxat explicatum, postularent. Quid Aristoteles totis suis Postnaturalibus, vt ita vertam, aliud egit, quàm vt varia rerum distributione, & multiplici in genera coactu, tandem ad supremam causam perueniret, è qua omnia dependent? Ad illum nimirùm contendit, qui vi sua omnia suspensa tenet, quique caput catenæ à Ioue demissæ, & omnia alligantis, perinde tenet atque vncus, quæ ex eo suspenduntur. Quis igitur is est? Ipse nempe opifex rerum, prima causa omnium eorum quæ sunt, quæque esse possunt, perpetuo efficaciæ suæ influxu omnibus id infundens quod sunt, quodque esse dicuntur. Hæc igitur causa apud nos illud nomen habet, quo & ipsa sibi omnia tanquam vnco alligare, & præterea quæcunque sunt, ad illam, tanquam ad vltimum scopum, suspirare ac ferri intelliguntur. An est cuiusquam tanta eloquentia, tanta vis, quæ velit, exaggerandi, vt huius nominis, tribus duntaxat litteris constantis, omnem latitudinem & potestatem, & diuinum artificium oratione possit explicare? Sit sanè alius, cui venam tam beatam Deus, sermonis arbiter & præses, benigno suo afflatu concesserit; at ego tamen ingenuè fateor, ne sexcentesimam quidem partem eorum, quæ trigrammato hoc indicantur, me posse pro eo ac meretur, verbis ornare. Hac, & vncum, & tenere signat; quod primæ causæ ita conuenit, vt nulli natura priùs aut excellentiùs. Eadem vox notat, quod Latinus diceret, impense ad aliquid ferri. Vna igitur includit, & quod primæ causæ proprium est, & id quod omnibus faciendum, qui consequi cupiunt summam felicitatem. Quid ergo potest cuiquã optari beatius, quid fauore maius conferri, quàm si precemur ei, vt primam causam rebus suis habeat præsentem? Nullus profectò fauor est, si hoc non sit fauere; atque idcirco optimè primi illi parentum nostrorum magistri constituerunt, vt Saguy is diceretur, quibus summum optimumque illorum, quæ possumus, precamur. Putarunt igitur huius consuetudinis & nominis architecti, Deum non toti modò vniuerso præsidere, & consistendi vim

vim ſuppeditare; ſed ſingulis etiam ſingulorum hominum actionibus adeſſe, atque eas pro placito ſuo gubernare, longè ſecus atque Epicurus & eius diſcipuli opinantur. Non eſt hoc loco admonendum, quantum ad omnia officiorum genera momenti habeat, perpetuò admoneri, non in noſtra poteſtate, ſed in voluntate primæ cauſæ rerum omnium euenta eſſe conſtituta; quoniam ſi id faciendũ eſſet, omnis mihi, quanta quanta eſt, moralis philoſophia eſſet percurrenda; nec ea tantùm, ſed bona etiam pars Theologiæ, tum externæ, tum Chriſtianæ. Quocirca per tranſennam hæc eminus indicaſſe contenti, ad ea, quæ cœpimus, reuertamur. Saguy igitur ſiue Seguy, vti pro Sac, Sec, Angli & Zelandi plerumque pronuntiant, idem eſt, ac ſi dicam, Faueo tibi primã cauſam adeſſe: quod ſignificatum nulla alterius linguę voce, bene integreque verti poſſe exiſtimo, eò quòd non homini tantùm erga hominẽ, ſed Deo etiam erga omnia creata conueniat & applicetur. Eſt enim fauor Dei in nos, vt prima nobis cauſa efficientia ſua adſit, id eſt, vt ipſe nobis vim ſuã aſpiret: & eſt fauor hominũ erga nos, vt cauſam primam cooperantẽ habeamus. Scio equidem Borach Hebræis eodem modo in vſum venire, vt & Deo & hominibus tribuatur; ſed vellem quiſquã me doceret, hanc, quam in noſtrate vocabulo oſtendi, ſignificationis vim ineſſe, de qua intelligeretur, in quo conſiſteret id quod voce ſignificatur. Græci εὐφημεῖν pro eodem dixiſſe videtur, quo Euſtathius ſignificari vult τὰ ἀγαθὰ ἐνθεσιαστικῶς λέγειν, id eſt, bona diuinitus dicere: & rurſus libro Iliados nono ſua adſcribens, χρησολογικὴν εὐχὴν, id eſt, preces bonis verbis conceptas, Euphemiæ nomine notari dicit. Vota enim nuncupaturi aut operaturi ſacris, iubebant εὐφημεῖν eos, qui intereſſent, quod Latini, fauere linguis, dicere ſolent. Neſtor apud Homerum priſcum hunc ritum apertè nobis indicauit, ita inquiens:

Φέρτε δ' ἐρσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,
Ὄφρα δὶ κρονίδῃ ἀρησόμεθ' αἴκ' ἐλεήσῃ. id eſt,

Ferte vndas manibus, linguisque fauere iubete,
Quo Cronidam oremus, ſi fors miſeratio tangat.

Verùm, vt Latini pro, fauere linguis, bona verba dicere, poſuerũt; ita Tibullus vtrumque coniunxit.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quiſquis ades linguis vir mulierque faue.

Fauere itaque linguis, non hoc ſolùm eſt, nullo verbi omine facere, ne ſacra ritu ſolenni procedant; verumetiam adiicere bonas fauſtasque precationes, quibus adiuuẽtur. Idem Poëta alibi, faueat ſimpliciter

pliciter dixit: *Quisquis adest faueat, fruges lustramus & agros.* Quo loco ineptè codex meus habet, *Quisquis adest valeat.* Segnem igitur nullo verbo propinquiùs exprimeretur, quàm si pro eo, fauere, diceremus, ipsam primam causam tacitè intelligentes; quanquam non tam luculenta est eiusdem rei significatio. Ceterùm, quò videamus, quanto nostri meliùs de hac re sensérint, Ciceronis è libro priore de Diuinatione verba recitemus, quibus totus ritus & Græcorum & Latinorum explicatus, aperiet, quanto interuallo in sapientiæ arcanis maiores nostri iis præuerterint. Neque solùm, inquit, Deorum voces Pythagoræi obseruarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, præfabantur: rebusque diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis, imperabatur; inque feriis imperandis, vt litibus & iurgiis se abstinerent, itémque in lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret; & cùm Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules obseruant, vt primus miles fiat, bono nomine. Ex his Tullianis licet perspicuè nosse, apud Romanos bonorum verborum in omnibus omnium negotiorum actionúmque initiis magnum pondus habitum fuisse, sed minimè intellectum, ad quam causam bona verba pertinerent, & vnde efficaciam suam nanciscerentur. Deinde cùm εὐφημεῖν, & bona verba dicere, & fauere linguis, Deo tribui non possit; fit, vt eius mentio in medium non veniat, à quo tota prosperitatis ratio pendet, nostro interim vocabulo vtrumque fauorem & Dei & hominum comprehendente, atque eo ipso fontem felicis successus indicante. Præterea vanum illud est, & apud graues viros pæne ridiculum, verbis ipsis efficiendi aliquam vim adscribere, vti ab ipsis factum videmus, quando & veritas & Aristoteles clamat, propter nostrum affirmare & negare in rebus nihil immutatum iri; tantum abest, vt fausta acclamatio, vires aliquas sortiatur. Haud ignoro tamen esse auctores primariæ grauitatis, qui stolida incantamentorum paraphrenesi laborantes, ingentes vires carminibus tribuant, hoc suo errore facientes, vt minùs Poëtarum figmenta miremur, apud quorum principem legimus:

——*Nihil hîc nisi carmina desunt.*
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cælo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.
Frigidus in pratis, cantando rumpitur anguis.

Quid

Quid ego huc Amphionem Thebas carminibus condentem? Quid Orphea ſiluas & feras ducentẽ; & id genus poëticas laruas aduocem; cùm vix vlli ſint ſub ferula pueri, quibus hæc non ſint figmenta quàm ſua cuique domus notiora? Apud rei ruſticæ ſcriptores, apud medicos etiam quoſdã & inter ceteros Aëtium & Marcellum Virgilium, obſtinatæ ægritudines, verbis vel nugacibus, vel prorſus nihil ſignificantibus, ſi Apollini placet, curantur: & ne horum nomina de hac re leuitatis accuſes, audi ipſum Catonem; illum, inquam, qui totum Romanę grauitatis pondus impleuit. Is luxum membrum ſecundùm hanc verborum formam docet excantare: *Motas væta daries, dardaries, aſtataries, diſſunapiter*: & quo ſuam hic oſtenderet copiam, duas alias formulas addit, quibus nihilo plus ſubeſt intelligentiæ, quàm primæ. Eiuſmodi nenias & deliria ſi perſequi vellem, ad immẽſum volumen excreſceret oratio: quibus omnibus oppono verba omnia ad placitũ hominũ ſignificare, ſi modò ſignificent aliquid, & non vanæ ſint ſine notatione voces, quales pleræq; ſunt, quibus incãtatores vtuntur. At ſiue hoc modo, ſiue illo modo ſonãdi rẽ ſignemus, nihil in rei natura mutatur: quod ſi in vocibus ſignificantibus pro veriſſimo tenendum; quæ tandem vires erunt earum, quæ nullius mentem rei cuiuſpiam conſignatione pulſant? Cùm ergo vocibus, vt ſignis, imaginum mente conceptarum nulla vis efficiendi aliquid in rerum natura tribui poſſit; qua, rogo, ratione tribuetur ijs, quæ nihil prorſus ſignificant? An fortaſſe vt ſoni ſunt laryngis, muſculis, lingua, palato, dentibus & arteria formati, vires aliquas habebunt? Quas verò vires, niſi vt, quemadmodum cetera ſenſuum obiecta, organis ſe ſuis imprimunt; ita & hi aures feriant, & interiora tympana ære̊o ſuo plectro pulſent? Nolo equidem prolixiùs hanc ſtolidam & anilem credulitatem exagitare, cùm nemo ſit, qui vel primoribus labris ſapientiæ ſtudia deguſtarit, qui non intelligat, de conſideratione noſtra nihil in rerum natura immutari; tantum abeſt, vt ſignis, vocalibus, aut caſſis & ſine mente ſonis, aliquid ſit præter aures immutandum. Sed obgannient circulatores & tetragrammatophantæ Cabaliſtæ, Deum vires herbis, verbis, & lapidibus indidiſſe, & quæ nec lapidibus nec herbis, ea verbis fieri poſſe. Agnoſco Dialecticam omnino diuinarum virium partitionem, in qua, ceteris excluſis, triplex duntaxat earum materies explicatur; digna certè ijs, qui vel Anticyræis herbis purgandi, vel è tam fallaci inanium verborum foro lapidibus pellendi, quãdo ſana verba philoſophorum, nihil virium contra eos videntur habitura. Apage itaque in malam rem, quiſquis his nugis Cæretanis nobis

nobis obſtrepet: nos redeamus ad bona verba, quibus Romani æquè atq; Cæretani & tetragrāmatophantę vires ineſſe putauerunt. Quanto igitur ſapientius maiores noſtri fauorem diuinum implorabant, atque in primæ cauſæ adiumento omnem proſperitatem conſtituebant, nulla facta bonorum verborum, vel ſuperſtitione, vel mentione. Bene enim precantes, dicebant, vti & hactenus dicimus, Got ſagun ſ, id eſt, Deus eo te fauore proſequatur, vt primam tibi cauſam aſpiret; quod nihil aliud eſt, quàm, vt det ſuam efficientiam. Chriſtiani videntes, nullum nomen nec Latinis, nec Græcis eſſe, quo illud Borach Hebræorum Deo & hominibus attributum exprimeretur, Latinè quidem benedicere, Græcè verò εὐλογεῖν, pro eo in vſum traxerunt; quorum tamen neutro id ſignificatur, quod vox noſtra declarat. Iactent Græci ſuum μηδὲν ἄγαν, & diuinum γνῶθι σεαυτὸν, & illa Delphicis foribus inſcribant: noſtris hominibus interim liceat duabus his in ſyllabis gloriari, quibus non bene precandi modò ratio, ſed tota ferè primæ ſapientiæ doctrina continetur. Philo ſapientis vitam citra leges ſcriptas agentis, duabus rebus contineri oſtendit; his naturæ ordine ſubiectis, illis caſibus & fortunæ: ad quarum priores ſuum cuique ingenium eſt adhibendum, quò fiant, pro eo atque natura poſtulat, ad has precibus opus eſſe & ſupplicationibus, quo diuina prouidentia hac nos parte felices reddat. Nos idem aliter dicemus; eorum quæ ad hominis ſpectant felicitatem, alia in poteſtate noſtra eſſe, alia non eſſe: ad illa omnes vires noſtras conferendas, ad hæc nulla noſtra ſtudia quicquam valere. Ad hæc igitur poſteriora ſolæ preces conducunt; ad illa & preces & omnis induſtria noſtra conferenda. Quæ enim in poteſtate noſtra ſunt, in iis nobis ipſi quidem cauſę ſumus felicitatis, ſed ſic tamen, vt ſecundariis cauſis prima ſemper & primò inſit, & omnem vim efficiendi largiatur: qua de re, ſiue res arbitrij noſtri ſint, ſiue non ſint, vtrouis modo primæ cauſæ fauor ſemper principio implorandus, & quia ad id imploratur, vt cauſa boni alicuius nobis ſit, ſub nomine cauſæ conuenientiſsimè inuocatur. Non malè ille, qui dixit, ἐκ διὸς ἀρχώμεθα, id eſt, à Ioue principium capiamus: ſed ſignificantius noſtri Dei efficientiam omnibus rebus primam adeſſe optant; eò quòd neceſſariò prima prius quàm ſecunda cauſa agat, & vim ſuam effundat. Sed ſatius eſt hîc continere pedem, ne ſi pergamus in primæ philoſophiæ penetralia, altiùs intremus, quàm propoſitus nobis finis poſtulat. Quid ergo ſit Saguy, ſatis oſtenſum: nunc addendum ipſum Suy, in præterito facere San, vocali breui, quæ in San, quod eſt ire, eſt producta. Hinc Sagan eodē modo dicetur, pro, Deus ſiue prima cauſa fauit,

quo

quo Got gaf pro, Deus dedit, & ſicut hoc proprium viri eſt, ita & illud eſſe poteſt, cùm vtriuſq; eadem ferè ſit ſignificatio. Primus igitur Cimmeriorum colonus, quòd cum benedictione parentũ emiſſus eſſet, Sagan, id eſt, Deus fauit, vocatus eſt, à qua voce ad formam Græcorum ſequendam, Ni finale eſt ademptum. Hinc nunc eluceſcit, qua de cauſa fatidicę mulieres, & viri ſacrorum periti, Sagę apud Latinos nominentur: ob id nimirum quòd futurorum cognitio, nulla hominis poteſtate, ſed ſolo ſolius primæ cauſæ fauore contingat: cuius originis ignorantia occaſionem dedit, vt incantatrices ita vocarentur: & fit alioquin ita plerumque, vt pro veris vatibus impoſtores irrepãt, qui præſtigiis ſuis vulgo illudentes, eò religionẽ & ſacra deducunt, vt contemptui habeantur; & non ipſa modò, ſed nomen etiam eorum, qui ſacris diuinitus pręeſſe deberent, in conuitium & contumeliam rapiatur: quod hodiernis exemplis, quia nemini nota nõ ſunt, fruſtra doceremus. Qui igitur vel ſacris, vel vaticiniis præeſt, meritò Sagæ nomen habebit, eò quòd ſacrorũ vera adminiſtratio hominibus à Deo conferatur: cuius niſi donum ſit, non poteſt dici verum ſacerdotium. Deinde iis, qui ſacris pręſunt, vaticinia quoque fauore diuino infunduntur, vti Caiphæ, bonum eſſe vnum hominem mori pro populo, diuinitus fuit infuſum, quòd illius anni Pontifex eſſet. Videmus igitur quæ ratio nominum illorum ſit, quæ Latini à Cimmeriis Ianigenis retinuerunt, ad ea ſignificanda, quæ vel ad prædictionem, vel ad ſacra ſpectant. Hinc igitur Sagæ, & mens Saga, & Sagio, & Præſagio, & Sagax. Prætereà quiuis hîc videt, citra benedictionem diuinam, ſiue hominis miniſterio, ſiue citra illud à Deo collatam, neminem ad ſacra munera admittendum: quod vtinam quàm rectè nomine Sagarum eſt ſignificatum, tam rectè ab omnibus obſeruaretur: fieret enim, vt minor eſſet ſacrorum neglectus & contemptus, & vt Deus nobis meliùs & copioſiùs benedictionis & fauoris ſui gratiam per veros Sagas largiretur. Qui igitur fauore primæ cauſæ, & ſolenni diuini fauoris ſupplicatione ad ſacra & oracula ſunt conſecrati, quod nos Sagunen dicimus, ij veri Sagæ ſunt habendi: at qui alia via vel fraudibus irrepunt, vel vi quapiam irrumpunt, ſiue ad aras, ſiue ad ſuggeſta & concionatorum pulpita; ij nec Sagæ, nec Sacerdotes, nec Benedicti, nec Conſecrati ſunt dicendi, ſed impudentes & impij circulatores. Copioſa profectò & fecunda rationum nomenclatura eſt, dum Saga pro ſacrorum Præfecto ponitur, eò quòd fauore primæ cauſæ hoc munus accipiatur, & is qui accipit, ſolenni ritu conſecretur: & vbi conſecratus fuerit, alijs etiam benedicat, & precibus

ſuis primæ cauſæ fauorem conciliet, atque ita fiat, vt non vna de cauſa dignus ſit, vt nomen à voce noſtris benedictionem ſignificante adipiſcatur. Connexum huic interpretationi eſt cauſam aperire, ob quam Sagmina dicantur herbæ à Legatis portari ſolitæ, in quibus, vt ſanctum quiddam eſſe Grammatici veteres videbant, ita non facile iis erat vocem à ſanciendo communi vſitataque aliqua formula deriuare. Quid ſit *Sagum*, dixi: è quo mox, quæ ſint ſagmina, & quę eorum credita vis & poteſtas, perſpicuum euadit, ſi antè quid *Men* priſcis & noſtris hactenus Cimbris ſignificet, intelligatur; quod idem eſt quod duco & ago. Vnde veterrimi Latini Minare fecerunt, vocem, Latino Bibliorum interpreti, in gregibus & maiore pecore ducendo, eleganter ſeruientem. *Sagumnen* igitur, ſi verbo verbum reddas, idem eſt ac ſi diceretur, primæ cauſæ fauorem, ſiue fauſtum felicemque diuini fauoris euentum adduco. Syncoptôs igitur *Sagmen* & inde Sagmina, pro herbis iis dicuntur, quæ in loco ſacro conſecratæ, ac inde vulſæ, vim eam diuinitus accepiſſe credebantur, vt iis, qui eas ferret, Deus omnia proſperaret. Faciet hæc interpretatio permultum ad Plinij locum de herbarum præſtantia tractantis, intelligendum, qui ſic legitur: Interim fortius augetur auctoritas: quæ quanta debeatur etiam ſurdis, hoc eſt, ignobilibus, herbis perhibebitur. Siquidem auctores imperij Romani, conditoreſque, immenſum quiddam & hinc ſumpſere: quoniam non aliunde Sagmina in remediis publicis fuere, & in ſacris legationibus Verbenæ. Certè vtroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt, gramen ex arce cum ſua terra euulſum: ac ſemper & Legati, cùm ad hoſtes clarigatúmque mitterentur, id eſt, res raptas clarè repetitum, vnus vtique Verbenarius vocabatur. Mirũ videtur à Plinio dici, vtroque nomine idem ſignificari, nec vllã vel ab ipſo, vel à Feſto rationẽ additam, qua idem ſignificari demonſtraretur. Simile hîc Plinio euenit illi quod in Cicerone alibi annotaui, qui Iani nomen ab eundo dictum, à quopiam ſacrorum perito doctus, in Latina lingua etymologiam quæſiuit. Acceperat Plinius vel de auditu, vel de lectione Ritualium librorum idem diuerſis his vocibus notari; ſed non acceperat qua in lingua idem notaretur; & eadem difficultas alios quoque torſit. Nos igitur, quò tenebras etiam has, à Cimmeriis ortas, Cimmeria luce illuſtremus, exponamus quæ ſint Verbenæ, & qua de cauſa ita vocatæ. In primis generale nomen eſſe Plinius & Feſtus teſtificantur, ne fortè quis ſuſpicetur, ſolas Periſtereonis duas ſpecies ſic nominari. *Ver* ſiue *Var*, metum nobis notat: *Ben* verò, ſiue *Bein*, ligo: vnde *Bende*, Faſcia ad ligandum vocatur; vti antè tradidi.

tradidi. Herbæ igitur consecratæ ad hoc, vt omnia terriculamenta, & omnes timores siue Panicos siue hosticos compescerent, Verbenæ sunt vocatæ. Bene igitur è loco sacro vellebantur, eò quòd non suis ipsarum facultatibus à natura inditis, sed diuina benedictione eas vires nactæ essent, quibus terrores compescerent & alligarent. Neque enim referebat quodnam graminis genus, aut quænam herba esset, quæ ad hunc ritum adhibebatur: hoc vnum referebat, vt solennibus sacris, locus vnde vellebantur, esset consecratus, quo fauore diuino terriculamentorum fierent amuleta. Siue igitur Sagmina, siue Vrbenæ dicantur, eodem conducere herbæ intelliguntur: Sagminibus nomine suo pollicitis, se ductura fauorem diuinum, qui omnia aduersa, & omnem metum excludit; Verbenis promittentibus, se ligaturas ipsum metum, ne cuiquam nocere possit. Virgilius libro duodecimo Æneidos suæ, ad hunc ritum respexit, dum Monomachia Turni & Æneæ bellum dirempturus, sic canit:

Campum ad certamen magnæ sub mœnibus vrbis
Dimensi, Rutilique viri, Teucrique parabant
In medioque focos; & Dijs communibus aras
Gramineas: alij fontemque ignemque ferebant
Velati limo, & Verbena tempora vincti.

Hic Popis Verbenas tribuit, quod clarum est, è limo vestis genere ab vmbilico deorsum ad pudenda tegenda pendentis, vt in marmoribus vetustis est videre. Dum autem Verbena vinctos dicit, videtur ad Verbenarũ interpretationẽ alludisse: & sanè si simpliciter Verbenam citra duorũ nominũ compositionem dicamus, vt *Verbenen* sit alligare, & *Ver* particula præponi nostris ad significationis vel vehementiã vel mutationẽ solita; nihil aliud erit Verbena, quàm herba alligans, siue quid vinciens. Seruius ad hunc locum sic commentatur, vt Verbenam propriè herbam sacram esse dicat, sumptam de loco sacro Capitolij, qua coronari cõsueuerint Fæciales & Pater patratus fœdera facturi, vel bella indicturi; per abusum tamen Verbenas etiam vocari omnes frondes sacratas, vt Laurum, vt Oliuam, vt Myrtum. Nam hanc postremam à Terentio intelligi sic dicente: Ex ara hinc Verbenas sume. Nam id ex Menandro, è quo Terentius sumpsit, cõstare Myrtum hoc loco nominante. Quia verò fœderibus sanciendis adhiberi dixit, idẽ hic artificiũ video à Cimbris quæsitum, quod in aliis non paucis vocibus annotaui, vt duas simul rationes eiusdem nominis inuenirent, quarum vtraq; ad rem signandam vim suam haberet bene luculentam. Citra enim, vt modò dixi, vocabuli immutationem, Verbena duo nobis exprimit: alterum, quo dicitur

metum & terrores ligare ac compeſcere, iuxta Magicæ locutionis formam; alterum, quo ſimpliciter ſignificatur obligare. Illud in ſaeris & fœcialibus bellũ indicentibus, locum ſuum habebat; ne quid aduerſi, cuius terrore ſacra & iter impediretur, eueniret. Hoc fœderum iungendorũ proprium videbatur, in quibus vtraque pars alteri per ſacramenta & aras, & alia eôdem pertinentia, obligabatur. Quãobrem Virgilius, de pactis ineundis tractans, capita Poparum Verbenis vinxit, ipſo vinciẽdi ſignificatu Verbenas interpretatus: quod alij ad caſum referant, ego ſic Poëtam amo, vt vix dubitem, non ſecus hîc Verbenarum, quàm alibi Germanorum appellationis rationem indicatam eſſe, vel de Pontificum libris, vel de quopiam linguæ noſtræ perito acceptã. Idem videtur ſecutus conſilium in Pharmaceutria; in qua verbenas adhibet ad Daphnim ligandũ, & inſano amore deuinciendũ, venuſtiſsima ſanè ad Verbenarum nominis originem & germanam ſignificationem alluſione, vt non magis carmina ſuis numeris, quàm res, quas tractat, mirabili cognatione vinciãtur. Cùm enim ligare & ſoluere propria ſint Magorum, vt ex illis, quos paulò antè recitaui, Horatij verſibus, diſcere licet, ſumma arte Verbenę ſacrificio, ad amorem conciliandum facto, adhibentur, ſuo ipſarũ nomine id indicantes, ad quod vota tendebant. Vocauit verò Verbenas pingues, vt nõ quaſuis herbas ſacras intelligeremus; ſed eas duntaxat, quæ eſſent idoneum ignibus accendendis alimentum. Quas igitur Verbenas dixit pingues? Nempe Lauros; in quibus Theocritus præiuit illi quidem, ſed ea gratia caruit, quæ de Verbenarum, & nomine, & ritu efflореſcit, quas Virgilius loco philtrorum potuit habere, quando non aliud ea ſint, quàm ea, quibus quis in amore ligatur, quæ vis Verbenis, & opinione & nomine datur. Ille habet:

Πᾶ μοι ταὶ δάφναι; φέρε θέσυλι, πᾶ δέ τὰ φίλλα;

Et alibi:

Δέλφις ἐμ' ἀνίαζεν, ἐγὼ δ' ὑπὶ Δέλφιδι Δάφναν
Αἴθω. Hic verò:

Verbenas adole pingues. Et paulò pòſt, vt ſcias quas Verbenas intelligat:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine Lauros.
Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide Laurum.

Non igitur ſatis ei fuit, Verbenas pingues oleoſo ſuo ſucco adhibere, quales Myrtus eſt & Sabina; ſed pingues & plenas ignibus Lauros accerſiuit, quibus ea eſt vis, vt ignem tritu accendant, maximè ſi Hederæ infricentur: nec harum natura contentus, bitumine ignem

procul

procul rapiente, & aquis, vbi accensum fuerit, nõ extinguendo, Lauros incendi voluit: quasi diceret, Daphnis, qui nomine suo Laurinæ naturæ se esse profitetur, non interno modò igne suo ardeat, sed exteriùs etiam sacris ita accendatur, vt nullis aquis queat extingui, atque is ardoris fomes non aliter atque bitumen tenacissimè adhæreſcat. Iudicent alij, vt placet: mihi hoc loco Virgilius ita videtur Theocritum imitatus, vt eum in his versibus longo post se interuallo reliquerit, tum in Verbenis & bitumine, tum in Daphnidis & Laurorum conuenientia de nominibus in diuersis linguis idem significantibus studiosè quæsita. Quid igitur Verbena significet; aperui, & eo ipso summum Poëtæ artificium ob oculos posui; & Plinij locum, licet perturbatè & scabrè, vt mihi quidem videtur, ex aliis descriptũ, reddidi planiorem facilioremq; ad intelligendum. Sed sentio mihi obstrepi, obijciq;, Verbenam illam solam esse, quę Peristereon Grecis & Hierobotane vocatur, duobus generibus recto & supino distincta: videriq́ue ita ex alio Plinij loco, vbi tamen Verbenacam, non Verbenam nominari dixit, sic de ea scribens. Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicauimus. Hac Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustranturque. Genera eius duo sunt; foliosa, quam feminam putant; mas rarioribus foliis. Ramuli vtriusque plures, tenues, cubitales, anguloſi: folia minora quàm quercus, angustioraque diuisuris maioribus: flos glaucus, radix longa, tenuis. Nascitur vbique in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed vnum omnino genus faciunt: quoniam vtraque eosdem effectus habeat. Vtraque sortiuntur Galli & præcinunt responsa. Sed Magi vtique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nulliq́ue non morbo mederi. Hæc ille, & plura. Fateor equidem hac potissimùm herba, dum adesset, ad sacrificia vsos esse; atque idcirco Verbenacam dici, eò quòd eam existimationem apud homines occupasset, vt plerumque in aris Verbenarum partes haberet: verùm nego solam Verbenacam Verbenas esse, vt ex ipso Plinio, & Festo, & Seruio, modò demonstraui; atque idcirco diligenter notãdum, à Plinio obseruari, vt pro Hierobotane Verbenacam, non ferè Verbenam vsurpet, quo discrimen appareret: quanquam & illud admitto, per excellentiam Verbenam apud medicos Peristereona vocari. Ruellius videns à Dioscoride Peristereonem & Hierobotanen curiosè magis quàm necessariò, in duas species atque formas distinctas; priorem Verbenacam, non Verbenam, Plinium in eo & linguæ proprietatem secutus; posteriorem, sacram herbam nominauit: quamuis in historia sua indifferentem faciat

Verbenæ & Verbenacæ nomenclaturam. Noſtra ætas præter rectam, quam Periſtereonem Dioſcoridis putant, duas alias agnoſcit; alteri feminæ, alteri maſculi nomine tributo, occaſione de Plinio ſumpta, qui tamen totum genus bipartitò diſtribuit, non trifariam, vt hoc modo, neque cum Plinio, neque cum Dioſcoride traditio procedat. Infinitas eſt herbarum, in quibus non tria tantùm, ſed plurima genera inueniuntur, longè plus quàm Verbenacæ differentia, quæ omnia tamen ſub vno nomine comprehenduntur: ſed curioſitas Magorum fecit, vt in hac herba diligentiùs diſcrimina notarentur: quibus tamen effectum eſt, vt Dioſcorides in diſtinguendo videatur vacillare, nec ſatis firmam rationem ſequi, ob quam communem, ſi Periſtereon, vti noſtris placet, communis ſit, non vocarit æquè Hierobotanen, atque poſteriorem; cùm veriſimile ſit, priorem vti frequentiorem inuentu, ſæpius ad ſacra veniſſe. Nec illud ei aſſentior, Periſtereona vocari, propterea quòd Columbæ, quæ Periſteræ Græcis dicuntur, lubéter circa eam verſentur, quamuis Galenus id ſit ſecutus. Columbas enim Veneri ſacras eſſe ſcio, atque idcirco hanc herbam ab eis nomen habere potuiſſe ſuſpicor; quia non alia ad columbina oſcula & Venereos amores, qui maximè in columbis elucẽt & excellunt, colligandos præſtantior putaretur. Multas autem ob cauſas Veneri ſacræ ſunt, ob oſcula nimirum frequentiſſima, & quòd citra hæc non coëant, & quia tam ardeant ad congreſſus, vt ſi mas deſit, feminæ ſe inuicem adſcendant, deinde quòd non vltra duo oua fœtus reddant, & illos quidem ea ferè ratione, vt prius ouum marem, poſterius feminam edat, qua Venereum coniugium ſeruatur. Nec eſt vllum anni tempus, quo non pariãt, ita vt decies aliquando in Ægypto, etiã duodecies vno anno. Quid quòd mas & femina in hoc genere tanto inter ſeſe amore degant, vt mas parturienti feminæ obſtetricis officium præſtet, ac eam in nidum, ſi tardior ſit, impellat. Nihil igitur ſuauius, nihil amabilius, nihil blandius dici poſſit, quàm illud eſt Salomonis, Colũba mea, formoſa mea. Hinc Spiritus ſanctus verus veri amoris dator, ſpecie columbæ deſcendit in eum qui amore ſponſæ ſuæ ſanguinem ſuum precioſiſſimum erat effuſurus. Murmur item & gemitus columbarum, amantium blandimentis exprimendis ſignificanter admodũ accommodatur, vt in illo molliſsimo carmine Gallieni Imperatoris, quod manus ſponſorũ tenẽs dixit, licet videre:

„ *Ite, ite ô pueri, pariter ſudate medullis*
„ *Omnibus inter vos, non murmura veſtra columbæ,*
„ *Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.*

Sic enim legendũ, geminata prima dictione, non, vt vulgati codices

ces habent; *Ite, ait, ô pueri*; ne quis credat imprudenter nos ita scripsisse. Murmur autem & gemitus hic, in genere columbaceo turturibus peculiaris est, & ab aliis differens, quem Græci principio vocis τρύζειν de sono factæ, exprimere voluerunt: Latini litterarum transpositione Turturem ipsam auem nominarunt, quam nostrates Trouteſ duiſ, vel per metathesim, vt vulgus multa corrumpit, Tourteſ duiſ vocant: vnde Troutelen idem est quod blandiri, & omnibus modis & gestibus conari cuipiam placere, & propriè, id facere suauiis & amplexibus, quod à Turturibus docemur. Et mirum est in hac voce, & sonum quodam modo ipsius auis exprimi, & præterea significari fidei excellentiam, quæ in Turturum coniugio tanta est, vt meritò princeps fidei dici possit. Trouu fidem notat, & Trout idem est quod coniugio copulat. Hel verò excellentiam notare, alibi opinor me tradidisse. Hinc Troutel de iis dicitur feminis, quæ blanditiis columbinis amorem sibi conciliare student; & in masculis Troutelaer eodem modo vsurpatur. Poëtæ Columbas Veneri dicarunt, vti Princeps eorum his versibus dedit intelligendum:

Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè Columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venêre volantes,
Et viridi sedêre solo: tum maximus heros
Maternas agnoscit aues, lætusque precatur.

Has enim Venus Æneæ filio suo duces ad aureum ramum perueſtigandum miserat: quo figmento doctissimus vates Satyros suos auritos docet, fido amore ad aureum ramum perueniri, cuius beneficio omnia nobis patescunt, quæ post mortem vel bonis vel malis sunt euentura: de qua re alibi latiùs. At nostrates Turturem minimam columbarum his amoris & fidei dotibus excellentissimam arbitrati, non nomen tantùm ab iis fecêre, sed eam præ ceteris Veneri cõsecrarunt, adeò vt apud eos, qui externis moribus necdum corrupti, patrios ritus conseruant, nefas habeatur Turturẽ occidisse: & ne honos amabili auiculæ à maioribus tributus ob Veneris cultum abolitum periret, dicunt eam Diuæ virgini sacram esse, attexta etiam nescio qua fabula, ad opinionem apud vulgus confirmandam. Non mirum tamen est, Antwerpię homines hac religione non ampliùs teneri, cũ inde nõ hic modò ritus, in quo fidei amorisque cõiugalis monumẽtũ erat consignatũ, sed ipsa etiam fides, & omnis castus amor, ab Italis & Hispanis, & horũ similibus dedecorũ, vt Horatius inquit, precioſis emptoribus ferè sit exactus. Non erat igitur Dioscoridi de Peristereonis nomine colligendum, Colũbas Verbenaca gaudere, ita vt

herba

herba inde traheret nomen; cùm nemo nec veterum nec recentiorum, inter tot remedia ad alliciendas retinendasque maximo studio solertiaque quæsita, hac herba paratu facillima, & vbique ad margines viarum obuia, vsus esse deprehendatur. Plinius cùm Verbenacam semel describat, & bifariã, vt dixi, diuidat alibi, nescio an sui oblitus, an eandẽ herbam esse nescius, Peristereon depingit; addito etiã sic dici, quòd Columbæ ea delectentur: quo facilè quiuis intelligat, cæco eum iudicio à Dioscoride id accepisse. Vtrique cogitandũ fuisset, an turtures etiam, perinde atque columbæ, ea gauderent; propterea quòd Trygonium quoque nominetur. Mihi extra omnem dubitationem est, eadem de causa Peristereonem & Trygonium Verbenacam vocari, quòd nimirum ad eos amores conciliandos, ligandosque valere crederetur, in quibus hæ aues, omnium gentium iudicio, habent principatum. Nec alia de re dicta est Philtrodotes; quòd Virgilius sciens, loco Philtrorum, quæ Theocritus Lauris adiunxit, Verbenas carmini suo intexuit, arte vt eximia, ita à nemine, quem legerim, animaduersa. Verùm ne quisquam hoc herbæ nomen à Veneris aue sumptum apud Græcos fuisse, dubitare possit; videat ipsam mox Venerem in eodem sacrificio nominari, & quo Verbenæ appellationem à ligando connectendoque priscis Cimmeriis dictam esse faciliùs credat, illa, quæ de nodis cecinit, animo reuoluat: quod qui faciet, admirabilem rerum verborumque cognationem videbit, de qua Socrates Magos voluit nomina sua petere ac fabricare. Verùm quo interiùs hæc peruideantur, de numero etiam Veneri sacro cogitandum, quem Senarium esse, alibi ostendi. Sed quid, inquies, ad senarium numerus impar, quo Deam gaudere dicit? Permultum, si rem bene expendamus. Est enim totum Veneris gaudium, & totius venustatis vinculum, tribus è numeris constitutum, quorum singuli integrum senarium metiuntur, quibus tanquam tribus nodis est colligatus proportionum continuarum Arithmetica collatione; in qua tanta est & tam firma connexio, vt tres partes totum citra excessum aut defectum reddentes, æquabilem faciant, & absolutam concordis nexæque compositionis pulcritudinẽ, è qua mox Geometricus proportionum consensus existit, dum sic se habet partium minima ad secundam, vt partium maxima ad totum. Nec deest harmonica proportionum collatio, dum duo, tria, & sex comparantur, tripla differentia terminorum numeros colligante, excluſa ea parte, quæ, vt numeri principium & pars, ita numerus non habetur. Videmus itaque, non partes tantùm integrum senarium æquata numeratione constituere, sed tres etiam proportionum analogias inter partes & totum

inue-

inueniri; quas si coloribus expressit, diligentior doctiorque fuit consideratio, quàm sit Grammaticorum captus. Dum ergo Deum numero impari gaudere dixit, non ad Hecaten, quam Theocritus induxit, non ad Dianam, de qua Seruius somniat, sed de ea Dea locutus est, cuius vincula nectebantur; quæ, qua alia re magis, aut debeat, aut possit gaudere, quàm & numerum suum tribus partibus totum æquantibus constare; & in iis etiam proportionũ elegantem comparationem inueniri? Ex his enim tribus partibus vt omnis perfectio existit, ita tota pulcritudinis ratio hac partiũ & totius æqualitate constat, quam Senario diximus esse consignatam. Seruius, cùm semel per errorem statuisset, parem numerum inferis, imparem superis tribui, ex Theocrito ad Hecaten quidem venit, sed ad tria virginis ora Dianæ confugit, quò Deam ad superos relegaret. Pythagoram ternario perfectionem tribuisse; atque idcirco omnibus rebus perfectis inesse, Aristoteles testatur. Verùm tres partes hoc Arithmetico proportionum colore inter se; & Geometrico inter se & totum; ac Harmonico etiam, exclusa vnitate, distinctas, Senarius primus sibi suo iure sumit, vt meritò Venus hunc sibi vindicarit. Doctiùs ergo à Virgilio Venus, quàm à Theocrito Hecate, ad aras est vocata; quòd illi, & amores, & horum firmum vinculum, & Verbenæ ad id efficaces debeantur. Quare verò Hecate tria ora habeat, & in triuiis colatur, aliam longè causam habet, nihil ad propositum hoc facientem; quam alio loco fortasis explicabo. Sed audiamus nunc Poëtam; videamusque, quî commentatio hæc mea mentem eius ostendat:

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim:
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,
Necte Amarylli modò, & Veneris, dic, vincula necto.

Quis hîc non videt, omnem ligationem ad Venerem referri? cui verbenæ quàm sint commodæ & gratæ, nomine suo Cimbrico clarissimè testantur; quod à nectendis vinculis deductum, vires earum & vsum ostendit: cui ita Græca vox consentit, vt non ligationem & nexum quidem, sed amores firmissimos, fidissimos, calidissimos & fœcundissimos symbolicôs signet. Columba enim Veneri sacra, ac amoris singulare & vnicum exemplar, herbæ illi nomen dedit, cuius ad hunc colligandum, in primis validę præsentesque vires crederentur. Et quamuis nostrates Turturem, quem, amisso pari, totam vitam

ſolitariam lugere dicunt, huic Deæ præcipuè conſecrarint. Græci tamen columbam generatim ei dedicarunt. Non poſſum, quin ex Anacreontis carminibus, quæ anno quadrageſimo ſexto vltra ter quingenteſimum in Anglia, ex Clementis, per vxorem Græcæ Latinæque linguæ bene peritam, Thomæ Moro, & litteris, & mortis genere nobiliſsimo, affinis, codice deſcripſi, ſub titulo συμποσιακῶν ἡμιαμβίων, illos ſuauiſsimos verſiculos adducam, quos de columba cantauit, à me, cùm in vrbe Anacreontiacis luſibus apta, agerem, ſic ex tempore Latinè verſos:

Amabilis columba,
Vnde, vnde ades volando?
Quid eſt rei, quod altum
Cælum citò ſecando,
Tam copia benigna,
Spires liquentem odorem?
Tam copia benigna
Vnguenta grata ſtilles?
Quis eſt? Tuáne refert?
Hæc téne cura tangit?
Me miſit ad puellum
Anacreon Bathyllum:
Me miſit, inquam, ad illum,
Qui nunc recens potitus
Potentia impotenti
Tyrannus eſt in omnes.
Huic cantione parua
Laudem in ſuam recepta
Me vendidit Cythera.
Hinc nunc Anacreonti
In talibus miniſtro,
Tantiſque prompta rebus,
O qualibus tabellis
Nunc ſeruio ferendis,
Mox ilico futuram
Me liberam recepit.
At ego, licet manu me
Mittat, tamen manebo
In ſeruitute eadem
Apud hunc meum patronum.
Nam quid neceſſe montes,

Agros-

Agrosque peruolare,
Ramis quid insidentem,
Agreste quid comesse,
Cum pane delicato
Nunc pascar ociosa
Rapto ex Anacreontis
Manu, rapi sinentis?
Iam quid quod illud offert
Vinum mihi bibendum,
Quod ipsemet propinat?
Et si deinde pota
Ducam leues choreas,
Patronum Anacreontem
Alis meis obumbro.
Si deinde pressa somno
Dormire cogar, ipsa
Est barbitus cubile.
Nunc cuncta habes, abito
Tu, qui morare cursum,
Et me loquaciorem
Cornice reddidisti.

Dulcissimus Poëta ad amores suos magis deuinciendos, eam auem misit, quam ab ipsa Venere, cui sacra est, se fingit emisse: quod dum facit, omnes amabilitatis numeros videtur cõprehendisse. Quoniam verò dixi, Verbenam non solùm simpliciter pro ligante herba poni, sed eisdem etiam litteris significari timoris ligandi facultatem; videndum, an & hac parte cum columbis habeat vel affinitatem, vel cognationem. Ælianus variæ Historiæ libro primo, de columbarum genere tractans, ait masculum pullis recèns natis inspuere fascinationis amuletum: quod quale esset, Aristoteles explicat, dicens, salsuginosam terram præmansam, à masculo in pulli modo excusi, os indi. Magnus ergo, & hac parte naturæ consensus est, inter Columbam & Verbenam, dum & illa fascini periculum atque metum à pullis, vbi primùm in lucem prodierunt, auertit; & sputi sui efficacia abercet; & hæc non solùm timores fascinationis, sed generatim omnes, ne nocere possint, quasi compedibus quibusdam coërcet. Est enim apud nostrates hactenus magna superstitione seruatum, vt ad Diui Ioannis Baptistæ Festum, in ipsa præsertim vigilia, omnes se herbis cingant & obuinciant, non aliam ob causam, vt aiunt, quàm vt ab incantationibus, & fascinis, & lemuribus, toto

anno ſecuri viuant; quæ conſuetudo haud dubiè ab eis iam olim dimanauit, quorum lingua Verbenæ & à ligando, & à metu coërcendo nominantur. Idem ergo Verbenæ & Sagmina ſignificant, ſed non eodem omninò modo; quando hæc in ſacris à fauore conciliando, illæ ab aduerſis coërcendis, & iis alligandis quæ in votis habemus nominentur: vtraque verò appellatio doceat ea, quæ neceſſaria ſunt ad id quod volumus, diuinitus conſequendum. Ex his item intelligere licet, quid ſit ſerta & vincula ſoluere, niſi quis de contrario in contrarij cognitionem nequeat peruenire. Atque hæc quidem hoc loco de Sagminibus & Verbena, quæ Periſtereon, Trygonion, Philtrodoteſque, de eadem amoris Veneriſque conciliandi facultate nominatur, ſatis ſunto. Porrò quoniam à benedictione & conſecratione Sagas dictos oſtendi, factum eſt, vt omnis ſacrarum diuinarumque rerum doctrina, quæ tota ad fauorem numinis propitium nobis reddendum referri debet, Sagey hactenus appellétur, quamuis poſt religionem Chriſtianam ſuſceptam, nomen hoc vſurpemus in iis ſignificandis, quæ ad Ogygias fabulas pertinere iudicamus; eò quòd totã ſuam Theologiam priſci homines fabulis occultauerint; ne, ſi paſſim ab omnibus quid vel fieret, vel diceretur, intellectũ eſſet; religio & pietatis adiumenta, quæ ceremonijs & ritibus continentur, apud plebem in contemptum abirent, vti hac ætate ferè euenire cernimus, qua nullus cerdo eſt tam vel vilis vel indoctus, qui non velit cum doctiſsimis quibuſque, tum de difficillimis ſcripturę ſacrę ſenſis, tum de ritibus & ceremoniis per ſana maiorum inſtituta inductis, diſputare; ac eos qui aliter, quàm ipſi viſum ſit, ſentiant, contemnere, & velut impoſtores aſpernari & odiſſe. Hunc enim perpetuum fructum conſequi veterrimi illi videbant, vbi quæ veneranda ſilentio ab ijs ſolis tractanda ſunt, qui ſacris ritè ſunt initiati, ea apud vulgus indoctũ, & temerario iudicio de ſui animi perturbationibus accepto, omnia perturbans, in circulis, & in hanc & illam partem tanquam inſanis quibuſdam fluctibus agitãtur. Quid enim hoc aliud eſt, quàm Roſas & Amaracum, & totum myrothecion ſuibus dare conculcandum, & luto fœdandum? Quicquid igitur ex his ſacris maiorum fabulis profectum eſſe arbitramur, id Sag nominamus. Prætereà quia ſermo diuinum donum eſt ſoli homini inter omnia animantia tributum, putauerunt ijdem illi linguæ noſtræ artifices eo ſic vtẽdum, vt ſemper ad diuinum fauorẽ conciliandum tenderet: quod fit, ſi veri vbique, quod cum prima cauſa per omnia quadrat & conſentit, ratio diligens & ſollicita cura cum veneratione quadã habeatur, atque ſemper & principiũ & finem ſermonis primæ

cauſæ

causæ inuocandæ dedicemus. Illud igitur quod Latini Dicere nominant illi Segghen vocauerunt; quo omnes monerentur, Segghen à Seguney deriuatum, ab ipsa sua origine docere, cum reuerentia primæ causæ omnia videntis & audiẽtis orationẽ vbique habendam esse. Atque hoc tam accuratè monuerunt, vt non in hoc tantũ vocabulo præceptum hoc indicarint; sed illud etiam quod Latini verbum nominant, ipsi Wort nuncuparint; cui voci sic fides & veritas est intexta, vt eximi non possit, quin vocis integritas corrumpatur. Nam si easdem litteras à dextris ad sinistra legas, veritatem fidemq́; significabunt, apertè clamantes, Verbum non esse verbi nomine apud Cimbros dignum, quod non sit cum veritate indiuidua vnione connexum: quam mysticam nominis rationem, vt alibi latiùs sum enucleaturus, ita hoc loco adijciendam obiter duxi; quò constaret non vanum illud esse, quod de hac voce Segghen, qua Dicere significatur, modò dixi. Non mirum igitur, Mercurium sermoni à maioribus nostris præfectum Deum, ipsa sua nomenclatura admonere, permagna & summa opus esse consideratione, ad bene saneq́ue dicendum: quem eundem alio nomine Herman vocauerunt, voce à Græcis hactenus retenta; quo communis admonitor indicatur. Omnem ergo sermonem nostrum non solùm sacrum esse oportet, atque verum, & ad fauorem numinis supremi conciliandum idoneum, sed talem etiã, vt ab insigni consideratione & cogitatione eorum, quæ dicenda sunt, profectus, ea exponat quæ faciant ad aliquid vtiliter & communiter monendum. Hinc saxa quadrata in triuijs & quadriuijs poni apud antiquos cõsueta, ad aliquid toti hominum communitati vtile commonendum, Hermas vocauerunt: quod hîc, quamuis aliàs suum locum sit habiturum, volui indicare; quo liquêret, quantã prisci homines sermonis curam habendã putarint, quantaq́ue ratione pro Dicere, Seggen Cimbri vsurpent. Præcipuum enim argumentum veræ orationis est, si tota veterum sapientiæ ac monumentis consentiens, rerum & verborum solidam cognationem exponat: quam ego, & hîc, & vbique secutus, spero fore, vt non ægrè alijs quoque ea probem quæ vident per omnia inter se & alijs cõuenire, & ea explicare, quæ non solùm Philosophorum placita confirmant, sed ex ipso veritatis fonte Christo Domino nostro videntur proficisci, qui nobis hanc reliquit sententiã: Dico autem vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Quæ sententia si vera est (& quî non sit verissima quam ipsa Veritas pronũciauit) bene maiores nostri linguę artificio nos adhortantur, sermonem in primis sacrum habendum, &

non temere & citra præmeditationem, ſed conſideratè loquendum, non quæuis illa quidem, ſed quæ in commune vtilitatis aliquid honeſta aliqua admonitione conferre poſsint, haud ſecus atque Hermę apud veteres, optimis ad vitæ bene agendæ rationes præceptis inſcripti, publicam ad virtutis officia exhortationem paucis ſtrictiſque verbis continebant. Sunt hæc omnia alterius loci, in quo, ſi Deus det, aliquando verſabor, magis propria; ſed hîc omittenda non omnino fuerunt, ad oſtendendum totam vocabulorũ progeniem, quę à Sac & Saguy, & Sag deſcendit, Cimbricam eſſe, atque inde primę coloniæ ſacris fauſtiſque precationibus emiſſæ, nomen Sagarum remãſiſſe. Quia tamen alienum à ratione videbatur toti genti illud nomẽ dari quod ſacerdotibus & pontificibus propriè conuenire videretur, religioſo conſilio factum videtur, vt Sagæ quidem vates & ſacerdotes nominarentur; gens verò tota, cui hoc nomen in colonia deducenda tributum fuit, paruo appellationis diſcrimine diſtingueretur, Sacarum pro Sagarum nomine ſuſcepto. Nec caruit hęc immutatio ſumma ratione, non ex eo ſolùm petenda, quòd in Germanni & Crygmanni vocabulis aperui, vt diſtinctiùs, quos nominaremus, intelligeretur; ſed ex illo etiam, quo hominum vulgus moneretur, non ſatis eſſe ad felicitatem bonis ominibus & diuino fauore ſedes nouas occupaſſe: ſed id deinde maximè ſpectandum, annitendumque, quò cuius fauori beneficium hoc acceptum ferri oportet, eum cognoſcamus, & cognitũ pro eo ac meretur honoremus; rogemuſque, quò ſicut cœpit, ita & fauere pergat. Pro Sagay igitur, quod eſt, Deus fauit, Sakan ſiue Saken ſe Saga nominauit; quo ſignificatur is, qui primam omnium rerum, omniſque felicitatis cauſam nouit: eò quòd Kan ſiue Ken noſſe ſignet; & prior ſyllaba, idem quod in Saga notet, duplici Cappa in ſimplex, lenioris ſoni cauſa, de conſuetudine Cimbrica, trãſeunte. Quanta, bone Deus, breuitate omnis ſapientiæ apicem hæc diſſyllaba dictiuncula videmus expreſſum; & quanto id melius quàm Apollineo illo oraculo γνῶθι σεαυτόν; quo ſuiipſius quidem vt notitiam quiſque quærat, admonetur; ſed in quo eius perfectio conſiſtat, non aperitur. Si bene Ariſtoteles definiuit, ſcire eum qui rem per cauſam nouit; prudentiſsimè monet, & rectum iter ad hominis ſummam beatitudinem demonſtrat, qui ad cauſæ cognitionem adhortatur. Nec ad ſummam tantùm cauſam, ad quam tamen primò & propriè pertinet; ſed ad quamuis, quæ quidem ad vtilem aliquam notitiam in quauis re propoſitam, conducat, ſtatim ab ipſo conſiderationis limine, nomen hoc Sakey eſt applicandum, quo vbique certis veſtigiis veritatem ſequamur. Neque quiſquam mortalium

talium sui scientiam habere potest, nisi per causas animi & corporis rectè expensas, ad eam conscendat, & in vltimum vsque finem quicquid homini contingit, resoluat; in quo tandem sicut efficientium causarum, sic etiam summum est bonorum. Quod cùm Aristoteles probè nosset, animaduertissetque omnem artem, omnemque doctrinam, sicut actionem etiam omnem, & omnem deliberationem ad finem aliquem referri; sic totius moralis Philosophiæ & publicæ administrationis disciplinam exorsus est, vt statuto finalem aliquam homini causam esse, ob quam omnia alia; ipsam verò propter se, & non ob alia petat; statim addat huius cognitionem plurimum adiumenti ad humanæ vitę rationes conferre; propterea quòd scopo, more sagittariorum, inspecto, omnia studia, omniáque officia dirigere queamus, quæ alioquin incerta & vaga sint futura. Saca ergo ipso statim suo nomine docetur, quicquid vel ad naturæ cognitionem, vel ad morum probitatem, vel ad differendi artem, vel ad sapientiæ contemplationem est necessarium. In omnibus enim his ab inspectione causarum exordiendum; & in iis semper recta pergendum, nec vsquam in vlla omnino actione ab ipso vltimo scopo cogitatio & mentis acies diuertenda, donec recta linea collimando, ad ipsam primam perueniamus, cuius intuitus & cõtemplatio omnem hominis felicitatem complectitur & absoluit. Longè igitur meliùs is monet, qui, vt causam noscamus, monet, quàm is, qui dicit, Nosce teipsum. Neque enim homini summum bonorum in sui cognitione consistit, sed in cognitione summæ causæ: & quanquam haud inscius sim, hominem se nouisse non posse, nisi causam quoque nouerit; expressius tamen & rectius iter commonstrat, qui docet, quo modo, & qua via sibi quisque sit noscendus, & quo omnium eorum quę aguntur, regula sit dirigenda. Nolo hîc diutiùs hærere, vbi licet plurimum verborum effunderem, nunquam tamen consequerer, vt præcepti latitudinem & dignitatem, & efficaciam oratione æquarem. Maximus est Grecorum in seipsos amor; nec minor Latinis rerũ suarum admiratio & iactantia; quorum tamẽ omnium quotquot vsquã vel librorum vel gentium extant ad vitam vtiles sententiæ, si cum hac vna vocula conferantur, & iustis lancibus ponderentur; non dubium est, quin plurimùm sint eleuandæ; atque id quidem haud secus, quàm si quis parem molem auri cum alterius rei pari magnitudine velit examinare. Verùm quia propositum mihi est, sigillatim eam scientiam, siue vt veriùs & magis propriè dicam, sapientiam, quam vernaculo sermone Cimbri Magiam vocarunt, quæq; ab ipsis

ad

ad Bactrianos, & inde ad Persas transiuit, tractare ; hoc loco satis sit monuisse, vocabulum Σακεϊ, qua quidem tenus est è Σac & Κεϊ compositum (nam potest & simplex esse pro pluribus causis vsitatũ) totam in se philosophiam complecti, & vtramque compositę dictionis partem artificio constare tanto, vt nulla alia lingua quicquam habeat quod vel ex minima parte cum eo queat comparari. Ab hoc igitur Sacæ Græcis & Latinis dicuntur, ea, quam dixi, causa appellatione prisca commutata. Hi igitur, vti coloni erant Cimmeriorum, ita patriæ religionis & auitæ virtutis strenuos se imitatores tum domi, tum foris præstiterunt; adeò vt horum nomen apud vicinas gentes omnibus Scythis fuerit attributum, quasi præ his ceteri nulli essent. Ab his & pacis & belli artes, & in primis Magiam Persas accepisse arbitramur, quod Sagaris, & religio vtrisque communis satis declarat. De Sagari Xenophon cõsulatur, qui, vt modò dictum, gladij hoc genere Persas etiam accinxit: de religione verò quod aio, illustri exemplo iam mox docebo ; tametsi ex iis quæ de Magia optima religionis magistra pòst scribam, satis id liquere possit. Sed priùs de loco, quem primum prisci Sacæ habitarunt. Strabo diligens in primis antiquitatum scriptor, dicit ab antiquis nihil de Sacis & Massagetis proditum, ne ab illis quidem qui Ciri contra Massagetas expeditionem conscripserunt, ac ea de causa posterioribus potiùs credendum esse, vtpote iis, qui ab antiquis ignorata sub populi Romani imperio faciliùs potuerint explorare. Quamobrem nos Ptolemæum Alexandrinum plurimi facimus, cùm in ceteris omnibus, tum in his maximè regionibus describẽdis, quæ vel Caspio mari sunt vicina, vel paulo ampliùs ad Meridiem & Orientem vergunt ; propterea quòd videamus vetusta gentium nomina diligentissimè ab eo vbique fuisse conseruata; & quòd eo tempore vixerit, quo Adrianus imperauit, princeps & cetera doctissimus, & Græcæ litteraturæ vltra ferè modum studiosus, tum etiam rerum longinquarũ ita curiosus, vt Athenis in templo Iouis Olympij à se ædificato, Draconem ex India vsque deportatum dedicarit. Et fuit sanè alioqui maxima ei occasio, ob quam diligenter harũ, de quibus agimus, regionum descriptionem perquireret, eò quòd tempestate ea Alani, quos Massagetas Dion vocat, totam Mediam & Armeniam vastarint, nec antè ab armis discesserint, quàm à Vologeso pace cõparata, ad sua redière. Potuit igitur Ptolemæus, tum ex illis, quæ à prioribus Romanis, vel per duces, vel per exploratores comperta essent ; tum ex iis quæ suo tempore Imperatoris impẽsis essent peruestigata, quamplurima, quæ priores historiographi ignorassent, litteris mandare. Huius igitur Geographiam

graphiam ſecuti, Sacas inter Aſcatancam, Imaum & Caucaſios montes ſic propriè, ſiue potiùs per exochen nominatos collocamus, quo à Cimmerijs fuerunt emiſsi. Quòd autem Cimmerij antiquiores ſint, Strabo etiam nouit, qui Sacas dicit, eiuſdem ſæpe modi excurſiones feciſſe, quales olim Cimmerij & Treres, aliquando quidem ad propinquiora, aliquando etiam longiùs remota. Apud eundem Ephorus teſtis eſt, Nomadum eſſe colonos. At Nomadas Cimbros eſſe, & alio quoque nomine Scythas dici, & antè monuiſſe me puto, & pòſt latiùs etiam docebo. Hinc Chœrilus in tranſitu ratis, quam Darius contra Scythas Europæos expeditione ſuſcepta iunxit, teſtatur Sacas genere Scythas eſſe, verùm & Aſiæ feraciſsimam partẽ occupaſſe. Quòd autẽ Cimmerij, fuerint Nomades à genere vitę Græcis vocati, cùm ex alijs, tũ ex illo etiã veriſimile redditur, quòd apud hos iuſtitię præcipuam & primam adeò eſſe laudem, omnes ferè teſtẽtur; & inter ceteros Homerus, cuius tẽpore iam circa Thraciam eorũ coloni habitabant; quos, dum de Francorum origine agetur, latiùs deſcribemus. Sumptis igitur illis quæ paulatim fient clariora, Sacas dicimus Cimmeriorum colonos eſſe, & principio eo quo Geographus notauit loco, habitaſſe: cuius ſententiã Strabo quoque antè cõfirmauerat, Sacas aiens & Sogdianos totius regionis ſuæ ſolo Indis ab Eratoſthene opponi, & Sacas quidẽ Iaxarte flumine dirimi à Sogdianis. Ptolemæus ergo tanto poſterior Eratoſthenis aſſertionem ſuo calculo adſtruens, facit, vt citra hæſitationem omnem, hanc primam Sacarum ſedem fuiſſe pronũciem, è qua quicquid vſquam eſt Sacarum, poſteà emigrarit. Chœrilus Aſię partem, quam tritici feracẽ appellans, ad nominis ſui etymologiam vocauit, ſciens ne id, an neſcius ignoro, habitaſſe; his verſibus dixit, apud Strabonem quidem perperam ſcriptis, ſed de coniectura mea ſic reſtitutis.

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾶ σκύθαι, αὐτὰρ ἔναιον
Ασίδα πυροφόρον, νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι
Ανθρώπων νομίμων. Quos ſic vertam:

Vpilióque Sacas Scythica de gente, ſed almam
Frugiferamque habitans Aſiam Nomadumque colonus
Iuſticia inſignis populi.

Bene profectò iuſtitia & legum æquitate inſignẽ eam gentẽ dixit; quæ à Cimmero Iani filio natu maximo, & nomen & ius ſuum acceperat, & colonis ſuis illud nomen dederat, quo ſanctæ vitę & cultus diuini perpetuò admonerentur. Nomades ergo à paſtionibus Græci omnes eos Scythas nominabãt, quos alijs nominibus diſtinguere nõ

possent,at antiquiores eos solos, apud quos iuri adhuc suà integritas inuiolata mãsisset,vt ex hoc loco Chœrili licet videre. Hi autẽ Cimmerij fuêre,penes quos,sicut patris nomen, ita iustitiæ laus & sacrosancta priscæ religionis doctrina, & eadem linguæ puritas tam diu mansit, vt tum etiam, cùm multò pòst in Europa, Thraciæ finibus iuncti habitarẽt,de eisdem dotibus nobiles essent,vt Homerus testificatur; qui Iouem pugnarum & prœliorum inter Græcos & Troianos pertæsum, dicit oculos suos ad horum regionem cõuertisse, quò animi molestiam ex eorum,quæ viderat,diritate ortam,læto iustitię, probitatis,religionisq́; spectaculo discuteret, nõ aliter ac si quis oculos fatigatos,ad suauem hilaremq́; Smaragdi virotẽ declinaret. Hoc igitur loco Hippemolgos & Galactophagos eos appellat;quod haud aliud est,quàm si Nomades eos vocasset. Qui enim pascendis gregibus armentisq́; viuunt,lacte plurimùm & caseo vescuntur: quẽ cùm Græci Hippacen apud Scythas nominari putent; bene ab Homero factũ est, quòd nõ Galactophagos tantùm, sed Hippemolgos etiam appellarit,ad Hippacen ipsorũ alludens.Sed de hoc,dum de Francis, latiùs; satis hîc arbitratus esse, si indicassem, nõ in Asia tantùm Cimmerios siue Nomades,iustissimos omnium mortaliũ fuisse, sed δικαιοτάτων ἀνθρώπων, id est, iustissimorũ hominũ nomine apud Homerum etiam tum celebrari,cùm ad Thraciam,in quam Treres colonos valde olim miserunt, habitarent. Sacæ igitur Cimmeriorum, quos alij Nomades,alij Galactophagos vocarũt,coloni principio longè à Persia habitarunt; sed paulatim tẽporis progressu, loca ei vicina in Asia occuparunt; atque hinc factum est, vt frequenter apud Persarũ Reges militarint. Sunt enim & à Chœrilo in Darij, & ab Herodoto in Xerxis exercitu recẽsiti. Nihil ergo miri,si & Sagarim & Magiam ab eis ad Persas veniisse dicam. Inter cetera autem, quæ à Sacis ad Persas transierunt,sunt & Festa illa, quæ Sacæa, de gentis nomine,vocãtur: quorum tanta est antiquitas, vt nihil certi de eorum origine apud scriptores traditum habeamus. Operæ autem precium me facturum duxi, si quæ Strabo, tum de Sacis,tum de Sacæis,in scriptis reliquit, ad verbum transscripsero, atque iis censuram meam adiecero:

Σάκαι, μέν̓τοι, φησὶ, παραπλησίας ἐφόδους ἐποιήσαντο τοῖς Κιμμερίοις καὶ τῷρεσι (οὕτω γὰρ γραπτέον οὐ τριήρεσι τῷ τῆς ἐτυμολογίας, ἣν ἐν τοῖς ἔξης ἀποδείξομαι, κ̓ σεφάνου τὸ τὰς πόλεις ἀπειράψαντος, μαρτυρίῳ) τὰς μὲν μαχερέρας, τὰς δὲ ἐξύβεν. Καὶ γὰρ τὴν Βακτριανὴν κατεῖχον καὶ τῆς Σογδιάνης καλεμένης τὴν Σακασηνὴν κ̓ μέχρι καππαδοκῶν καὶ μάλιστα τῶν

πρὸς

πρὸς εὐξείνω οὓς ποντικοὺς νῦν καλοῦσι, προῆλθον ἐπιθέμενοι αὐτοῖς πανηγυρίζουσιν ἀπὸ τῶν λαφύρων ἡ τότε ταύτῃ τῶν περσῶν στρατηγοὶ νύκτωρ ἄρδην αὐτοὺς ἠφάνισαν. Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ πέτραν τινὰ προσχώματι πληρώσαντες εἰς βουνοειδὲς σχῆμα ἀπέθηκαν τεῖχος, καὶ τὸ τῆς ἀναΐτιδος καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο ἀμανοῦ καὶ ἀνανδάτου περσικῶν δαιμόνων. ἀπέδειξάν τε πανήγυριν κατ' ἔτος ἱερὰν τὰ σάκα, ἣν μέχρι νῦν ἐπιτελοῦσιν ἡ τὰ ζῆλα ἔχοντες· οὕτω γὰρ καλοῦσι τὸν τόπον. Ἐστι δὲ ἱεροδούλων πόλισμα τὸ πλέον. Πομπήιος δὲ προσθεὶς χώραν ἀξιόλογον καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ συνοικίσας εἰς τὸ τεῖχος μίαν τῶν πόλεων ἀπέφηνεν, ὧν διέταξε μετὰ τὴν μιθριδάτου κατάλυσιν. Οἱ μὲν οὕτω λέγουσι περὶ τῶν σακῶν. ἡ δ' ὅτι κύρος ἐπιστρατεύσας τοῖς σάκαις, ἡττηθεὶς τῇ μαχῇ, φεύγει· στρατοπεδευσάμενος δὲ ἐν τῷ χωρίῳ τὰς παρασκευὰς ἀπολελείπη, πάσης ἀφθονίας ἁπάσης καὶ μάλιστα οἴνου, διαναπαύσας μικρὸν τὴν στρατίαν ἤλαυνεν, ἀφ' ἑσπέρας ὡς φεύγων πλήρεις ἀφεὶς τὰς σκηνάς. προελθὼν δ' ὅσον ἐδόκει συμφέρειν, ἱδύθη. Ἐπιόντες δ' ἐκεῖνοι καὶ καταλαβόντες ἔρημον ἀνδρῶν τὸ στρατόπεδον τῶν δὴ πρὸς ἀπόλαυσιν μεστῶν ἀναίδην, ἀνεπίμπλαντο. ὁ δὲ ὑποστρέψας ἐξοίνους κατέλαβε, καὶ παραπλήγας. ὥστ' ἡ μὲν, ἐν κάρῳ κείμενοι καὶ ὕπνῳ κατακόπτοντο, ἡ δ' ὀρχούμενοι, καὶ βακχεύοντες, γυμνοὶ περιέπιπτον τοῖς τῶν πολεμίων ὅπλοις, ὀλίγα δ' ἀπώλοντο ἅπαντες. ὁ δὲ θεῖον νομίσας τὸ εὐτύχημα τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἀνιερώσας τῇ πατρίῳ θεῷ προσαγορεύσας σάκαια· ὅπου δ' ἂν ᾖ τῆς θεοῦ ταύτης ἱερὸν ἐνταῦθα νομίζεται, καὶ ἡ τῶν Σακαίων ἑορτὴ βακχία τῶν ἀνδρῶν μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ διασκευασμένων σκυθιστὶ πινόντων ἅμα καὶ πληκτιζομένων πρὸς ἀλλήλους ἅμα τε καὶ τὰς συμπινούσας γυναῖκας.

Horum hæc est sententia. Sacæ certè inuasiones quàm simillimas iis, quas Cimmerij & Treres, fecere (Treres enim, nõ Trieres, est scribendum, cùm etymologia, quam pòst in sequentibus monstrabo; tũ Stephano, qui vrbiũ descriptiones reliquit, ita testante) alias quidem maiore à patria, alias minore interuallo susceptas. Nã & Bactrianam occuparunt, & Armeniæ optimã regionẽ acquisiuerũt, quam deinde de suo nomine Sacasenã vocarũt. Ad Cappadoces itẽ vsq;, maximeq; eos, qui ad Euxinũ Pontici dicũtur, processerũt. At ij, qui tũ Persarũ duces ibi erant, ex insidiis noctu adorti, quo tẽpore festos conuentus inter se, propter opima spolia celebrabant, eos funditùs deleuere, ac

lapideam quandam molem terra aggesta in collis siue tumuli formam in campo posuerunt, muro etiam circumducto; delubro item ibidem Anaitidi Deæ, & Amano, & Anandato dæmonibus Persicis in eadem ara colendis, quos symbomos Græci dicunt, dedicato. Præterea sacrum quendam conuentum exhibuerunt quotannis nomine Sacorum agendum, quem ij qui Zela habitant hactenus celebrãt. Sic enim locum appellant qui opidulum est à sacris ministris maiore ex parte habitatum. Pompeius verò adiecta regione non contemnenda, atque iis qui in ea degebant intra mœnia collocatis, effecit vna vt vrbium esset earum quas post Mythridatem deuictum, ac regno exutum, constituit & legibus formauit. Atque hic quidé est horum de Sacis sermo. Aliis placet Cyrum exercitu contra Sacas ducto, & prælio commisso superatum fugisse, ac castris positis eo loco, vbi impedimenta reliquerat, omni genere bonorum & præsertim optimo vino instructissima, copias nonnihil quiete refectas ad nocturnum crepusculum velut fugientem eduxisse; hincque progressum, quantum rebus suis conducere arbitrabatur, consedisse. Tum illos inuadentes, & castra occupata viris vacua illa quidem inuenientes, at plena iis quæ ad delicias voluptatesque faciunt, immodicè se & turpiter ingurgitasse: Cyrum autem reuersum omnes deprehendisse temulentos & mente captos, adeò vt alij graui sopore ac somno oppressi cæderentur; alij saltantes & bacchantes in arma hostium inciderint nudi & inermes, atque ita omnes perierint exiguo omnino temporis momento. At hunc arbitratum diuinitus sibi hanc felicitatem cõtigisse, diem illum Deæ patriæ sub nomine Sacæorum cõsecrasse. Vbicunque igitur huius Deę templum est, legibus statutum est, vt hæc Bacchica Sacæorum festa celebrentur, viris omnino Scythicè, tum interdiu, tum noctu se tractantibus, dum inter se & cum mulieribus vnà bibentibus, poculis certant atque confligunt. Hæc pro eo ac in exemplari, nõ emendatè admodum, meo quidem iudicio scripto, vertebam: in quo pro eo quod erat τῆς μὲν ἡμέρας, posui de coniectura τῶν ἀνδρῶν, quo intelligentia sanior constaret. Est & alter locus, vbi τεῖχος ponitur, suspectus: sed quid agerem, dũ nullius alterius codicis ope possem iuuari? Mihi in historia satis fuit, si sensa assequerer, mendis ad Grammaticos relegatis. Strabo itaque, dum duas diuersas de Saceis festis sententias attulit, non paruum indicium dedit, nihil certi de origine constare. At quia ad Cyrum vsque auctorem altera adscendit, antiquissima ea esse confitendũ; quod alioquin etiam ex eo patet, quòd quo tempore, & qua de causa cœperint, non possit liquere. Vtraque sanè sententia non solùm temerè conficta,

sed

ſed abſurda etiam videtur. Quis enim vnquam populus tam inſanus fuit, vt exitium alterius gentis ſponte ſua velit imitari, & id in ſacris habere, quo ſciat alios funditus fuiſſe deletos? Quod commentum, vt à ſanæ mentis homine admitti non poteſt; ita ad neminem minùs referendum, quàm ad Cyrum Perſarum Regem prudentiſſimum. Is ſcilicet inſana Bacchanalia viris mulieribuſque, pari inſanientibus ebrietate, quotannis celebranda præcepiſſet, quia per hoc vitium turpiſſimum Sacas ad vnum omnes vidiſſet perire. Nollet Xenophon tam ſtolidam imprudentiam, tamque fœdam notam ſuo regiarum virtutum ſpeculo inuri. Nos igitur planè cõtrà ſentimus, atque proditum de Sacæis videmus, & victoriam illam Cyri contra Sacas, de Cyri contra Maſſagetas expeditione, de qua mox plura, confictã putamus. Non aliunde verò ſacrorum exordium ducemus, quàm ab iis à quibus nomen ſuum ducunt, & ab iis quidem accepta eſſe, non ad cladis alicuius memoriã, ſed ad religionis imitationẽ videntur: quod vt manifeſtò verũ eſſe demonſtretur, de lingua Cimbrorũ, qua Sacæ vſi ſunt, argumẽta ſumemus. Strabonis teſtificatione innotuit Anaitidi Deæ, & Amano, & Anandato eiuſdem aræ dæmonibus, Sacęa hęc tum à Zelitis, tũ ab omnibus aliis celebrari ſolere. Anaitis igitur quæ Dearum ſit, & qua cauſa ſic vocetur, inueſtigandum. Agathias ex Beroſo & Athenocle Symmacho, qui Aſſyriorum Medorũque res antiquiſsimas conſcripſerunt (vtinam hoc tempore extarent) Venerẽ hoc nomine docet apud Perſas nuncupari; cui alij ferè omnes qui Anaitidis meminerunt, refragantur; in quorum numero Plinius etiam videtur eſſe, qui libro triceſimo tertio ſic de ea ſcriptum reliquit. Aurea ſtatua prima omnium nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant Holoſphyraton, in templo Anaitidis poſita dicitur: quod in ſitu terrarum nomine hoc ſignificauimus, numine gentibus illis ſacratiſsimo. Direpta eſt Antonij Parthicis rebus: ſcitumque narratur dictum vnius veteranorum Bononiæ, hoſpitali Diui Auguſti cœna, cùm interrogaretur, eſſet ne verum, eum qui primus violaſſet hoc numen, oculis membriſque captum expiraſſe? Reſpondit enim, tum maximè Auguſtum de crure eius cœnare, ſeque illum eſſe, totumque ſibi cẽſum ex ea rapina eſſe. Hoc loco Hermolaus pro ſitu terrarũ, ſitu terræ Armeniæ ſubſtituit: de quo, ſexto libro Plinius ſcribens, Dianæ facit mẽtionem, quam Anaitidẽ eſſe de hoc eius teſtimonio videtur colligẽdũ. Suſianẽ, inquit, ab Elymaide diſterminat amnis Eulæus ortus in Medis, medioque ſpacio cuniculo conditus, ac rurſus exortus, & per Meſobatenem lapſus, circuit arcem Suſorum, ac Dianæ templum auguſtiſsimum illis gentibus. Hic igitur

ſignificat hoc nomine, quod gentibus illis templum auguſtiſſimum hoc Dianæ, faciat Anaitidem Dianam eſſe; quam totam auream triceſimo tertio libro fecit. Hermolans Anæitidem, corruptum Pauſaniæ exemplar ſecutus, hanc Deam appellare maluit; & vbi quinto libro Anaetiam regionem Plinius nominat, Anæitiam ſcribendum putat; cùm tamen, ſi de nomine Deæ regio ſit appellationem adepta, vti reor, Anaitia ſit dicenda. Pauſanias libro tertio Dianæ Anaitidis nobile fanum apud Lydos eſſe dicens, apertiùs Agathiæ teſtibus aduerſatur. Plutarchus item in vita Artarxerxis, Dianam Anaitidem Perſis vocari, & virgines ei conſecratas perpetuam caſtitatem vouere, tradit. Nos igitur, quando magnum inter Venerem & Dianam diſcrimen eſt, & caſtitas huic grata, ex diametro cum illius muneribus pugnat; de horum teſtium collatione nihil adiutos, amplius cõſiderare, ac alterum Strabonis locum de Perſarum religione priùs adducere, quàm, quid nobis viſum ſit, aperiamus, oportet. Græcis itaque nõ rectè per omnia ſcriptis, quò breuiores ſimus, miſſis, ſic quod ſcripſit interpretemur. Perſæ nec ſtatuas, nec altaria erigunt, at in edito celſoque loco ſacra faciunt; eò quòd cælum Iouem eſſe arbitrentur. Venerantur verò & Solem, quem Mithram vocant: & Lunam, & Aphroditen, & ignem, & terram, & ventos, & aquam. Sacra autem faciunt in loco puro, cum precibus hoſtiam coronatam adhibentes; vnde Mago, qui ſacris præeſt, hoſtiæ carnes partito, quiſq; ſuo accepto diſcedit, nulla Deo portione relicta, quia Deum putent ſola victimæ anima, nulla re alia indigere. Quidã tamen eos omenti nonnihil igni imponere aiũt. Præ ceteris verò omnibus igni & aquæ ſacra faciunt; igni quidem ſiccis lignis decorticatiſq;: quibus impoſitis deſuper iniiciunt aruinam, ac oleo deinde infuſo, flammam excitant; nec buccis ventum aut follibus, ſed flabellis, aut manuum volis facere fas eſt: adeò vt ſi quis in ignem inſpirauerit, aut mortuum quid aut fimum iniecerit, morte plectatur. Aquæ verò hoc modo ſacrificant; vt in ſcrobe ad lacum, vel flumen, vel fontem effoſſa victimam mactent; diligenter cauentes, ne quid vicinæ aquæ, ſanguine imbuatur, quaſi eo facto ſacrum polluturi eſſent. Pòſt carnibus ſuper Myrto vel Lauro impoſitis, Magi tenuibus virgis ignem ſubiiciunt, ac cum incantamentis quibuſdam oleum lacte & melle mixtum libant, ac in ſolum ſpargunt, nequaquam verò vel in ignem, vel in aquam. Incantamenta autem ad longum tempus producunt, interim tenuium virgarum è Tamarice acceptarum faſciculũ manibus continentes. Porrò in Cappadocia, in qua & Magorum, qui Pyrethoi vocantur, permagna natio, & Perſicorum Deorum templa

quàm-

quàmplurima, non cultro, sed claua quadam, tanquam malleo, verberantes, victimas mactant. Sunt autem Pyrethæa septa quædam non aspernandæ magnitudinis; in quorum medio ara cum multo cinere, in qua Magi ignem nunquam extinguendum asseruant, & quotidie ante ignem ad horam ferè cantant, virgarum fasciculum tenentes; Tyaris quæ veluti pilei è pistis lanis coagmentatisque constant, ita ornati, vt vtrinque ad labra vsque & maxillas descendant. Eadem autem in Anaitidis & Amani delubris sunt instituta; quorum etiam septa sunt, in quibus Amani statua solennem suam pompam habet. Hæc nos vidimus, inquit Strabo. Vellem sanè vel clariùs eum scripsisse, vel nos codicem habere correctiùs exaratum. Ex his tamen illud præcipuè nobis ad veritatis inuentionem expendendum; quòd eadem dicat fieri in cultu Anaitidis, quæ in Pyrethæis, quibus templa Magorum igni æterno sacrificantium significantur. Vel eadem igitur est Anaitis cum natura ignis, vel ei ita cognata, vt eisdem sacris, eisdemque ritibus coli velit. Cùm autem Strabo Pyrethæa igni, & similiter Anaitidi dedicata dicat, adducam è Procopio locum, qui lucem fortasis aliquam inferet. Is libro belli Persici secũdo, Raphaele Volaterrano interprete, sic scribit: Cosroes in Assyriis in opidũ Ardbigaran versus Boreã ibat. hinc Romęorũ agrũ per Persarmenios inuadere constituit. Hic magnũ Pyręum est, quod Persæ Deorum maximè venerantur, vbi ignẽ perpetuum custodiunt Magi, ac alia diligenter sacrificantes, tum vaticinio in rebus maximis vtuntur. Hic est ignis quem Vestam olim Romani vocabant. Quæ ergo Strabo Pyrethęa dixit, hic Pyręa vocat, & ignem in illis asseruatum, Romanorũ esse Vestã tradit: è quibus mihi nõ immeritò videor suspicari, Anaitidem eandẽ cum Vesta esse, tametsi ceteri aliter prodiderint. quorũ Berosus & Athenocles Venerẽ, ceteri Dianam esse crediderũt. Berosus Persici sacrorũ ritus fortasis cõscius, ac deinde cum illo Veneris Vranię, Arabũ, Ægyptiorũ, Græcorũ, Scytharumq; tum cultum, tum genus cõferens, in eam sententiam videtur veniisse, vt Anaitidem & Vraniam Veneré eandem pũtaret. Varro hanc Cæligenam vocauit; Plato pudicam, castumq; amorem producere scribit, quo egestas nostra Poro Deorum maximo deuincitur. Herodotus apud Syros Ascalone antiquissimum Veneris Vraniæ templũ fuisse, ac inde Cypriis & Cythereis cultũ venisse tradit. Pausanias in Achaicis Veneris cælestis meminit, in cuius ædem viris intrare nefas fuerit. Idem in Atticis Venerẽ Vraniã primum omniũ ab Assyris ait cultam fuisse. Eiusdé in Corinthiacis fanum cõmonstrauit, & in Atticis: hæc Amasæo interprete scripsit. De ea verò vrbis regiuncula, quã hortos

vocant,

vocant, & Veneris in ea templo, signoque quod templo adsistit, figura vt Hermæ quadrata, nihil fide dignũ est ab Athenienſibus traditũ. Epigramma autem indicat cæleſtem Venerem esse earum, quę Parcæ appellantur, natu maximam. Si ergo Athenienſibus huius Veneris antiquiſſima ſtatua quadrata fuerit, coniectare licet, hanc de ea opinionem fuiſſe, in ea omnium rerum esse ſtabilimentum; & hac de cauſa antiquiſsimam Parcarũ, quam eandem Veſtam esse alio nomine facilè intelliget, qui Veſtę & ἑστίας etymon expendet. Deinde Veneri Senarius, teſte Martiano, ſacer eſt; quem eundem Heſtię esse, alibi docebo: & hac fortè cauſa Vraniæ Veneri cubus datus eſt, qui ſex faciebus ſenarium oſtendit, eaque de re quadrata ei ſtatua ab antiquiſsimis collocata eſt. Atque hac ratione Beroſus poſsit excuſari. At qui Dianam esse dixerunt Anaitidem, ij non alia ratione videntur ducti, quàm quòd vtrique numini caſtitatem gratam viderent: aut forſan cùm Perſæ Solem Mythræ nomine magna religione colerent, putarunt Anaitidem Lunam ſiue Dianam esse, quòd ea Dea ſecundo honore coleretur. Proximè haud dubiè ad Veſtam Anaitis accedit, quoniam vtrique æternus ignis cuſtodiebatur: quod latiùs declararem, niſi alio loco eſſet mihi prolixiùs de Veſta agendum. Nunc Anaitis quæ ſit, de ſermone Cimbrico docebo, poſtquam nihil certi de priſcis auctoribus elicere quiſquam poſsit, & hinc maximè conſtaturum ſit, Sacæa à Sacis tradita Perſis fuiſſe. Significat igitur *Anait* de littera ad litterã, æternũ calorẽ. *Ana* enim ſiue integrè *Anna*, noſtro ſermone perpetuũ tempus notat, vti pòſt in voce Athana; & iterum in Cimmeriis Latinis latiùs erit explicandum. Admirabile enim, vt ceteræ diuinę voces, habet cùm myſterium, tum artificium: quod ij quilinguæ noſtræ periti non ſunt nunquam peruidebunt. *Ait* verò calorem notat. Diuina igitur æterni caloris poteſtas, Anaitis vocatur, & perpetuo igne germano ſibi elemẽto honoratur. Aſpirationem autem in medio perire, familiarius eſt, de vetuſta nobis vocum componendarum conſuetudine, quàm vt ſit monendum, & alioquin eandem Græcus ſermo erat excluſurus. Quum ergo Deum rogabant, vt calorem naturalem, vitalem, & animalem calore ſuo cæleſti & æterno ſeruaret, foueret, aleret ac augeret; poteſtatem eam inuocabant: quam quia huic calori æterno præſidere credebant, Anaitidem nominarunt, de vi & poteſtate data nomenclatura. Gaudebat ergo hæc Dea omnibus iis quibus calor conſeruatur & augetur; eaque de cauſa nõ ſolùm perpetuum ſibi ignem cuſtodiri volebat, ſed quotannis etiam feſta ſibi celebrari; in quibus liquore illo ſibi diuino rem ſacram fieri voluit, quo nihil eſt in rerum natura

tura quod omnem corporis humani calorem magis roboret & augeat. Huius ergo festi Cimbri auctores Sacis fuere; Sacæ Persis: & apud Cimbros quidem ab ipso Noacho est acceptum, qui vini in corpus efficacia inuenta, diuinam æterni caloris potestatem, à qua vires suas vitis habet, annua sollennis festi memoria statuit honorandam; non illis quidem potationibus ad ebrietatem admissis, sed intra hilaritatis limites constrictis. Neque enim Anaitis nimia vini ingurgitatione colitur, sed irritatur: eò quòd illa sola amet, ac in nobis quęrat, quæ calorem augent; minimè verò illa, quibus is opprimitur & expugnatur, in quibus immodica illa & insana potatio obtinet principatum, non frigus modò corpori, sed paralysim, caron, apoplexiam, & si quid his grauius est & exitiosius, inducens. Hęc enim quamuis maxima possint videri malorum, non tamen summa sunt habenda, si cum illa paraphrenesi, & mania, & pestilenti furore qui ex temulentia oritur, conferantur. Nam Anaitis non solùm perpetuo calori præsidet, sed eis omnibus, quorum gratia hîc hominibus à Deo confertur. Ad quid verò confertur, nisi vt ad honestas actiones, ad quas nati sumus, & quibus hominis felicitas continetur, simus promptiores, alacrioresque? Vinum enim ad hoc bibendum, vt tarditas omnis & frigus ex corpore & animo spiritibus nouis, & ad agendum quæ officij nostri sunt incitantibus & vrgentibus, expellatur. Sic igitur Anaitidis nomen interpretandum, vt non perpetuum modò calorem, sed perpetuam etiam ad progrediendū incitationem, complecti sentiatur. Ait enim non solum calorem signat, sed vox etiam est propria illorum qui equos ad currendum excitant, & hac ratione ipso hoc eodem vocabulo monemur, vt festa Bacchica celebremus; quò deinde auctis & renouatis spiritibus, hilariores ad ea simus, ad quæ ab opifice optimo maximo sumus creati, qui hilarē & feruidum, non tepidū aut frigidū eorum quæ debentur, amat datorem. Quocirca cùm videret nos in primis parentibus frigidum serpentis venenū imbibisse, quo animi ad bene agendū feruor extinctus ferè videretur, singulari suo in nos amore Noacho siue Baccho Cimmeriorū liquorem hunc diuinū, atque vnà modum bibendi clarissimo exemplo in ipso, qui primus eo ex virium ignorantia sepultus iacuit, ostendit. Quamobrem Bacchus de tanto munere gratias acturus, constituit apud suos, vt quotannis festus dies vitiginei huius liquoris inuētioni celebraretur: quem deinde alij quidē ab inuentore Bacchanalia, alij aliis nominibus; Cimmerij verò ab efficacia & legitimo vsu, & causa eius efficiente & finali nominarūt, dum se dicebant Anaitidi sacrificare. Hoc enim nomine indicatur, caloré perpetuum

& cæleſtem viti naturam hãc & facultatem dediſſe,& idcirco dediſſe, quo nos eius liquore noxium frigus pelleremus, ac inde redderemur ad honeſtas vitę actiones & cultum diuinum feruentiores,atque poſtremò hoc ipſo caloris vehiculo ad æternum calorem aſpiraremus. Hic enim verus vſus eſt vini, & ad hoc ipſum Bacchanalia, non ad ebrietatem & impudentem laſciuiam, inſtituta : quæ cùm à Sacis Cimmeriorum colonis Perſæ accepiſſent, Sacæa nuncuparunt. Verùm prô dolor, vt omnia in peius ruunt, ita nuſquam luculentior eſt Draconis fraus,quàm in iis quę optimis & ſaniſſimis de cauſis ad honorem diuinum & pietatis incrementum à maioribus noſtris ſunt legibus & ſacris ritibus ſancita.De hoc itaque malorum fonte largiſſimo inter cetera, & illa potationum in Sacæis inſania dimanauit, non ad Sacas modò & Perſas, ſed ad omnes etiam Cimmeriorum poſteros, in quorum numero noſtrates hactenus vt ſint, diligenter annituntur,& ſic potant, quaſi vinum ad exitium hominum,non ad lætitiam & alacritatem, à Baccho eſſet inuentum : quod tamen vtinam perinde atque de Sacæis accepimus,ſemel duntaxat in anno fieri videremus. Sed ne nos quoque inter ſcribendum profuſa verborum ebrietate peccemus,ad Anaitidem reuertamur, & ab ea ad eiuſdem aræ dæmones pergamus. Cùm igitur cultus Anaitici & Sacæorum eum finem eſſe dixerim, vt ad officium quiſque ſuum alacrior feruentiorque reddatur, diſtribuenda eſt officiorum latitudo; quod vt multis modis fieri poſſe quiuis intelligit, ita prima & præcipua partitio ea eſt,quæ docet ſic res hominum eſſe comparatas, vt in omni eorum communitate, quæ quidem ſit duratura,alios oporteat eſſe qui imperent, alios qui imperantibus obſequantur. Æquum autem eſt eos imperare, quibus à Deo datum eſt, vt meliùs quàm ceteri rebus ad ſocietatem neceſſariis proſpicere poſsint: eos verò obedire,qui hac parte ſunt inferiores. Hoc cùm Ariſtotelis ſagacitas perſpexerit, & Politicorum fecerit principium, abſurdum ſit cogitare, non idem quoque à Cimmeriis, qui vſi ſunt præceptoribus multo quàm Plato fuerit præſtantioribus, intellectum fuiſſe. Cùm igitur Bacchanalia celebrarent, atque omnes ad agendum quiſque quod partium ſuarum eſſet, tum feſto, tum diuino liquore, monerentur & incitarentur; putauerunt ad communitatis conſeruationem,tranquillitatemque, in primis neceſſarium eſſe, vt quiſque in officio ſuo non ſolùm maneret, ſed hoc etiam ſibi diuinitus obtigiſſe exiſtimaret. Bene illud quidem in Republica ſua monuit Plato, vnumquemque ſuum opus duntaxat tractare debere; ſed multò meliùs Cimmerij ſuos inducebant, vt libenter hi quidem imperantibus obtemperarent;

rarent; illi verò imperandi moleſtias, quæ longè hominum opinione, ſi quis bene eas examinet, grauiores ſunt, ferrent, dum vtrique parti peculiarem Genium ſiue Dæmonem dederunt; quorum de præſentia aliud quàm munus ſuum poſtularet, facere vererentur. Horum alterum, & priorem quidem, Amanum vocarunt: qua in voce, vt in compoſitis crebrò fieri, nimium ferè crebrò monui; vnum Mi eſt ablatum. Eſt igitur Amanus, idem quod nobis Αμμαν, vox omnibus vernis noſtris notiſsima; qua is ſignificatur, qui ius habet imperandi; vti primo huius hiſtoriæ libro, latè declaraui. Genius igitur, qui imperandi ſiue iubendi poteſtatem hominibus dabat, hoc nomine vocabatur, quem idcirco cum Anaitide coli primi parentes voluêre, tum vt omnes intelligerent omne imperium & poteſtatem diuinitus conferri, & omnes leges & Principum iuſſa diuina eſſe, atque ideò ſacroſancta habenda; tum, vt ij qui imperabant, talia imperarent, qualia Deo grata ſcirent, dum ſemper ſibi Genium rerum ſuarum inſpectorem præſentem eſſe crederent. O vtinam Reges & Principes, & omnes inferiores magiſtratus, hoc ſemper mente ſua reuoluerent, nihil ab ipſis fieri, cuius non habeant præſentem inſpectorem, & Deum, & Genium Dei miniſtrum, quorum ab hoc ſcelerum ſuorum & iniquæ gubernationis ſunt accuſandi, ab illo irreuocabili iudicio, cuius executioni nulla intercedet vel reformatio, vel appellatio, vel aduocatorum triconum fraudulenta eluſio, ad gemitus & ignes ęternos condemnãdi. Cogitent, cogitẽt, dum tempus eſt, Amanum præſentem omnia intueri, & in adamantinis & perennibus tabulis omnia facta, omnia dicta, omnem denique iuſtitiæ adminiſtrandæ rationem varietatemque annotare. Alter dæmon, qui cum Anaitide colebatur, Anandatus dicebatur; quo ſignificatur is, qui manus operi admouet. Αν enim ad ſignificat, & proprium eſt etiam eorum, qui ad progreſſum hortantur: quod clarius eſt, quàm vt exẽplis ſit declarandum. Αανδ manum ſignat: Αατ idem eſt quod tenet, vel tene; vti in Atuatici nomine memini docere. Ablata igitur de more aſpiratione, & tenui in mediam, vel propter aſpirationis naturam, vel ſuauiorem ſonum, vt Ααnδen pro Ααnten dicimus, mutata, fit Ανανδατ, quo is Genius ſignificatur, qui nos hortatur, vt manus ſuo quiſque operi admoueat, quod is, penes quẽ iubẽdi poteſtas eſt, iniũxit. Quis nõ admiretur inſignẽ hanc veterũ prudentiã & pietatẽ, qui filios ſuos & omnes poſteros ſacris his ritibus docuerunt, Deo tam res eorum curæ eſſe, qui iuſsis aliorum parent, quàm illorum, quibus vel regnandi, vel magiſtratus gerendi dedit poteſtatem. Quiſquis ergo nõ promptè & celeriter, id quod præceptũ eſſet,

exequebatur; is ſibi Anandatum iratum habere, atque illi pœnas ſe daturũ arbitrabatur. Vix me teneo, quin exclamem, dum hanc priſcam maiorum ſapientiam ac religionem, cum noſtrorum temporum ſocordia,& ignauia,& impietate confero;quibus vix inuenias quenquam, qui bona fide vel heri, vel parentum, vel magiſtratus iuſſis obtemperet,aut ad id vlla ſe putet religione obligari. Quicquid cęlare poſſunt,id quoque licere ſibi impia mancipia arbitrantur,& nulla reuerentia numinis, ſed ſola pœna ab hominibus inferenda mouentur,atque in eo tanto ſunt audentiores, quòd videant illam quæ ad huius morbi popularis remedium fuit inſtituta,peccatorum apud Sacerdotes confeſſionem, à quibuſdam licentiæ patronis rideri & explodi. Ita me Anandatus amet, vt video huc impietatis homines progreſſos, vt nemo propè ſit qui citra fraudem in officio ſuo verſetur; & niſi Deus potenti ſua manu ſuccurrat, vereor ne tota plebs & bona pars nobilitatis recta ruat, vel in Diagoræ opinionem, vel in illam,quam Epicurus & Lucretius prædicarunt, diuinam humanarum rerum incuriam. Nunc ergo, quia & Anaitidis, & Amani, & Anandati cùm nomina, tum poteſtates breuiter indicaui; non erit amplius dubitandum, qua de cauſa Sacæa vel agantur, vel nominentur: tum & illud erit manifeſtũ, quid Anaitidi cũ his duobus Geniis ſit cõmunitatis; illa perpetuò hortante, & calore ſuo ciente ad agendum; his ea, quæ agenda ſunt, diſtribuentibus pro eo atque vident vnicuique conuenire. Verùm Perſæ quidam,ſi Agathiæ credimus,in Manichæi ſectam prolapſi, cùm horum Dæmonum nomina, vti minimè vernacula, non intelligerent, putauerunt Anandatum bonum Deum eſſe, & Amanum malorum auctorem; non admodum tamen abſurdè errantes à veritate,eò quòd à principibus grauiſsima nõ rarò mala per orbem graſſentur; iuxta illud Horatianũ, quod vtinam veriſſimum eſſe non ſentiremus: Quicquid delirant Reges,plectuntur Achiui. Sed ex Anandato Agathias fecit Hornuſdatim, & ex Amano Arimanem, vocabula vel ab ipſis Perſis,vel à ſcriptore corruptis: quo fit, vt maiorem in modum Strabonis diligentia ſit laudanda, qui ea ad nos integra tranſmiſit. Videmus itaque nunc apertè, quæ fuerit Anaitis, cui auream ſtatuam meritò collocauerant; eò quòd ignium vis ſic auro ſit amica,vt hoc ſolùm adeò non corrumpat, vt etiam purius perfectiusque reddat. Nec mirandum,ab aliis Venerem,ab aliis Dianam dici, quando ab hominibus alterius linguæ vt Sacæa, ita Deæ nomen ad Perſas venit. Si Veſtam ſiue ἑστίαν vertiſſent, propiùs vocabuli vim dediſſet intelligendam. Pythagorici hanc Διὸς πύργον, id eſt, Iouis turrem nominarunt; quod quid ſibi velit, de illo Delphici Apollinis

Apollinis oraculo, quo Deus in igne habitare dicitur, licet existimare. Sed de his alibi. Acceperunt ergo Persæ Sacæa à Sacis, & sicut Sacæa, ita & Magiam, & poculis certandi consuetudinem; in qua qui non excelleret, eum vix dignum vel imperio vel magistratu arbitrabantur; adeò vt Cyrus apud Lacedæmonios persuadere volens se regno quàm fratrem esse digniorem; inter alia addiderit, se melioribus lateribus, & firmiore cerebro esse ad calices exhauriendos. Ælianus in Aspasię vita morem hunc ita annotauit, vt diceret, Persas post cœnam non aliter contra potum, quàm contra hostem pugnare. Pergamus iam ad Sacarum colonos, inter quos primi illi mihi occurrũt, quos Strabo docet in optima Armeniæ parte Sacasenam regionem & occupasse, & de nomine suo dixisse, quam Ptolemæus ad montes Moschicos è regione Cappadociæ collocauit; apud quem Sacapena corruptè, pro Sacasena, legitur. Sacassoney enim nobis ij populi vocarentur, qui filios se dicerent Sacarum; vnde regio Sacasena nominaretur. Est verò & alia colonia à Sacis emissa, vltra mõtes Tapuros, ad latitudinem quinquaginta sex paulò plus minus graduum, quam Ptolemęus nomine Sasonum signauit, priore sui parte, perinde atque illud posteriore erat corrupta. Sacssones enim syncoptôs, vel integrè Sacassones dicendi fuissent, id est, Sacarum filij: quo more homines vocandi Cimbri nostri, qui patrios quidem mores non exuerunt, hactenus vtũtur. Sic me vocant Jan Gerartssoy, id est, Ioannem Gerardi filium, gentis nomine pòst adiecto. Ex his igitur Sacssonibus, siue duplici littera, vti nunc fit, scribendo Saxsonibus, Saxsones nostri Europæi descenderunt, quos Saxones nunc vocamus; quamuis Germani excidendi syllabas studiosi, Saxey pro Saxsoney ferè dicant, quo modo regio Saxsena diceretur, vt illa apud Strabonem Sacassena. Hæc igitur vera est & germana Saxsonum origo & nomenclatura, qui Cimmerios parentes suos in Germaniam secuti, grauissima tandem bella contra Francos Cimmeriorum etiam posteros gesserunt; quibus quamuis post triginta demum annos superati domitique essent, plus tamẽ lucri quàm ipsi victores, sibi acquisiuerũt, eò quòd pio Caroli magni impulsu, religionem susceperint Christianam. Hos Ptolemæus ad Cimbricam Cherronesum locat, & hac vicinitate facit, vt nescio quo modo primi coloni proximè sint Cimbros in sedibus mutandis semper consecuti, quasi filij suos parentes. Quæ enim Franci, quos Cimbros germanos esse pòst docebo, loca relinquebant; ea mox Saxsones inuaserunt: atque ita factum est, vt totum ferè litus ad ipsam Frisiam vsque à Cimbrica Chersoneso, insulasque Saxonicas Albis ostiis adiacentes, de nomine suo dictas occuparint.

cuparint. Hinc Eutropius eos in pyratica exercenda coniunxit, ad hunc modum ſcribens: Poſt hæc tempora etiam Carauſius, qui viliſsimè natus in ſerenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus, cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis Barbaris ſæpè captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa, cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admitti Barbaros, vt tranſeuntes cum pręda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret, à Maximiano iuſſus occidi, purpuram ſumpſit, & Britannias occupauit. Idem ex Oroſio intelligetur, qui ſic habet: Valentinianus Saxonum gentem in Oceani litoribus, & paludibus inuiis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem, in ipſis Francorum finibus oppreſſit. Ex his igitur Saxſonibus illi fuerunt, qui Britanniam de ſuo nomine Angliam vocarunt: cuius appellationis rationem hîc non ab Angelis Græca voce, ſed de ſermone Cimbrico explicabo; vt & Angli tum nominis, tum gentis ſuæ originem agnoſcant. Oſtendi modò idoneis teſtibus, Saxſones ad mare habitaſſe, & illud rapiendo prædandoque longè lateque infeſtaſſe, id ſibi contra Romanorum, quos Germani hoſtes habebant, prouincias belli iure licere arbitratos. Cùm igitur hoc laudi ſibi ducerent, cuperentque eo nomine apud vicinos ſuos Romano nomini infenſos bene audire; omnes illi Saxſones, qui litora ad Friſiam vſque tenebant, Anglos ſe nominarunt, à voce vernacula Angeſen ſiue Angſey, qua hami piſcatorij ſignificantur: quaſi dicerent ſe hamos eſſe, omnia quę in mari inuenirent, attrahentes. Egregius ſanè hypocoriſmus, dum honeſto vocabulo hamos ſe potiùs quàm harpagones appellarunt; quibus tamen magis in attrahendo conuerrendoque, quàm hamis vtebantur. Nec credat quiſquam, illis turpe viſum olim fuiſſe, aliena deprædari, quod nos priùs in Germani nomine latiùs tradidimus, cuius origo ſic ſe ad Anglici nominis originem habet, vti genus ad ſpeciem: quia illo, generatim quæuis acquirendi; hoc certa duntaxat per hamos in mari acquirendi ratio notetur. Non igitur Anglos ſui magis nominis, quàm Germanos ſui pudere debet; quod addo, ne quis malignus ſpiritus hæc ita interpretetur, quaſi in gentis eius opprobrium ſcripta eſſent: quod tam longè à veritate abeſt, vt nihil minùs vnquam cogitarim, quàm ei populo facere cõtumeliam, apud quem ſuauiter non exiguo tempore vixi, amicis vſus & patronis & integris & beneficis, adeò vt ipſorum beneuolentiæ plus me fatear debere, quàm ea quę vulgo in ſummis beneficijs habentur.

Poſſem

Posſem enim iuramento affirmare, me homines illic duos aut tres tales in me comperiſſe, vt meritò inter illos poſſent numerari, quos Lucianus in Toxari ſuo recenſet, digniq́ue eſſent quos Angelos, inter quos nunc, vtpote Diui, verſantur, nominarem. Angli igitur de potentia nauali, & prædis è Romanis prouinciis agendis, ſecundæ poſt Francos claritatis anno à Chriſti natali quadringenteſimo quadrageſimo nono, Orientalis Martiano, Occidentalis imperij principatum Valentiniano tenente, contra Pictos & Scotos duas validas nationes, in auxilium à Vitigerio Britonum Rege Romanis viribus, quas Aëtius contra Hunnos & eorum ſocios euocauerat, deſtituto, vocati inſulam intrarunt; & commiſſo cum hoſtibus prælio ſuperiores, perſpecta cùm regionis fertilitate & aëris clementia, tum gentis de longis & diuturnis deliciis, quibus ſub Romanis in ocio fuerant, fracti, ac eneruati ignauia, alios è maritima Saxſonia aduocarunt: quorum acceſsione aucti, eas vires acceperunt, vt facilè poſſent, dum vellent, Britonibus bellū mouere. Beda tripartitò eos diſtribuens, alios Iutas, qui è Iutia; alios Saxſones, alios Anglos facit, eo, vt videtur, deceptus, quòd ignoraret totū illud litus à Iutia, quæ Cimbrica eſt Cherſoneſus, à Saxſonibus habitatum fuiſſe, & communi nomine à maritima pyraticaq́; graſſatione Anglos nominatos. Non infitior equidem alios ex ea parte, quę Iutia vocatur, alios ex aliis litoribus appuliſſe; ſed hoc contendo, omnes Anglos & Saxſones generatim fuiſſe; & Bedam Barbaræ alicui narrationi fidem habuiſſe, è qua didicerit primorum Anglici exercitus ducum, auum Vectim, proauum Vectam nominari, vocibus de Vecti inſula confictis, quaſi ea ab Anglis nomen accepiſſet, quod multis ante ipſorum aduentum ætatibus poſſederat. Hi ergo numero paulatim creſcente, redditi fortiores, de re frumentaria iniquiùs, vt dicebant, ſubminiſtrata, mota controuerſia contra eos, quorum ſtipendiis militabant, & inita cum Scotis Pictiſq́ue iam longiùs propulſis pace, animum adiiciunt ad totam inſulam in ditioné ſuam redigendam. Longè igitur latéq; omnia prædis, incendijs, cędibus vaſtantes, totam ſibi Britanniā ſubiiciunt, iis qui iugū ferre Saxſonicū nollēt, vel in Galliam elapſis, in qua Britanniam apud Venetos cōdidere, vel ad aſperos eius Cherſoneſi mōtes fugientibus, quę Iberniæ oppoſita, & tota mari & duobus latiſsimis fluminibus, & montium difficultate clauſa, ſuum hactenus peculiaré ſeruat ſermonem, atq; ea de cauſa ab Anglis Walia vocatur, cùm omnes, qui lingua noſtra non vtuntur, Walos nominemus. Horum enim, qui hanc aſperrimam inſulę partem habitant, ſermonem, eorum eſſe crediderim, quos Iulius Cęſar

autoch-

autochthones esse acceperat, ac regionis interiora habitare, cũ maritima ora à Belgis eò transgressis, ferè tota tum teneretur; quorũ sicut originem, ita linguam quoque Belgicam fuisse, nihil est dubitandũ: quam pòst sub Romanorum imperio, quod ad quadringentos annos durauit, vti reliqui prouinciales, paucis omnino exceptis, Latino sermone corruperunt. Latinitatem deinde Angli ferè exuerunt, dũ sua eos lingua loqui cogebant; quam cùm addiscere perfectè nequirent, quidam misti generis sermo emersit; quem rursus Normanni, Gallo-romana lingua vtentes, non parum immutarunt. Hinc fit, vt vna periodus Latina, Anglica, & Gallica vocabula simul iungat, pleraque tamen ad peregrinam formam detorta: quod mihi eò fuit monendum, vt aliquando liceat vetusta Cimbrorũ vocabula, quæ apud nos in desuetudinem abierunt, ex Anglico sermone interpretari, atque si vsus exigat, postliminio in patriam reuocare. Longissimè aberrarunt, qui Anglos ex Angria deducunt, cùm liquidò constet, maritimam gentem fuisse, Francis vicinam; Angriuarios verò tota Cauchorum maiorum regione à mari fuisse seclusam: tantum abest, vt hi in Oceano prædas agerent raperentque, velut harpagones. Scio Sueuos Angilos apud Ptolemæum recensèri, sed & illos tam longè ab Oceano remotos, vt in media Westphalia hodie nuncupata, ad fontem Amisi habitarint. Quòd si hos post Adriani Imperatoris ætatem ad litora descendisse quisquam contendat, is omnium statim suffragiis reiicietur, vno ore dicentium, Anglos Britanniæ incolas, Saxones, non Sueuos esse. At qua de causa Sueui hi Angili dicti sint, cùm nihil priuatim de moribus ipsorum scriptum inuenerim, coniectare minimè possum; quanquam absurdum non est, Sueuis iis, qui Sicambris & Vbiis proximi erant, Angelos ab hamis etiam nominatos fuisse; propterea quòd Cæsar sic eorum vitæ rationẽ describat, vt finitimorum omnia raperent, ea causa non malè hami dicendi, iuxta illud, quod ex Ouidio in prouerbium abiit, *Semper tibi pendeat hamus*. Vt verò apertiùs cernatur, quàm Sueui hi Vbiorum finitimi, res omnium quas possent, soleant adhamare, Cæsarem de hac gente loquentem, paululum audiamus, qui nos vna opera docebit, Sueuos olim eam, quæ nunc Saxsonia & Westphalia vocatur, regionem tenuisse. Is statim in libri quarti exordio, ad hunc modum Sueuos depingit: Ea, inquit, quæ secuta est hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Crasso cos. Vsipetes Germani, & item Tenchteri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longè à mari, quò Rhenus influit. Causa transeundi fuit, quòd ab Sueuis complures annos exagitati, bello premebantur,

bantur, & agricultura prohibebantur: Sueuorum gens est longè maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Ij centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi remanserint, se atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno pòst in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque vsus belli intermittitur: sed priuati ac separati agri apud eos nihil est. Neque longiùs anno remanere vno in loco incolendi causa licet: neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore viuunt; multūq; sunt in venationibus: quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ; quòd à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omniū contra voluntatem faciant; & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, vt locis frigidissimis, neque vestitus præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, & lauentur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus, magis eò, vt quæ bello ceperint, quibus vendāt, habeant, quàm quò vllam rem ad se importari desiderent. Quin etiam iumentis, quibus maximè Galli delectantur, quæque impenso parant precio; Germani importatis non vtuntur, sed quæ sunt apud eos nata parua atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, summi vt sint laboris, efficiunt. Equestribus prœliis sæpè ex equis desiliunt, ac pedibus prœliantur, equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt; ad quos se celeriter, cùm vsus poscit, recipiunt. Neque eorum moribus turpius quidquā aut inertius habetur, quàm ephippijs vti. Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum, quamuis pauci, adire audent. Vinum ad se omninoimportari non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atq; effeminariarbitrantur. Publicè maximam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros. hac re significari, magnum numerum ciuitatum suam vim sustinere non potuisse. Itaque vna ex parte à Sueuis circiter millia passuum sexcenta agri vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt Vbij: quorum fuit ciuitas ampla atq; florens, vt est captus Germanorum, & paulo qui sunt eiusdem generis etiam ceteris humaniores; propterea quòd Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipsi propter propinquitatē Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos cùm Sueui, multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem grauitatemque ciuitatis, finibus expellere nō potuissent; tamen vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores, infirmioresque redegerunt. In eadem causa fuerūt Vsipetes &

Tenchteri, quos ſuprà diximus, qui cùm plures annos Sueuorũ vim ſuſtinuerint, ad extremum tamẽ agris expulſi, & multis locis Germanię trienniũ vagati, ad Rhenum peruenerunt, quas regiones Menapij incolebant, & vtramq; ripam fluminis agros, ædificia vicoſq; habebãt. Non piguit totũ hunc Cęſaris locũ excerpere, quò & mores Sueuorum antiqui, cũ his qui hoc tẽpore ſunt cõparentur; & eluceſcat, nec Cæſaris, nec Ptolemæi ętate Saxſones vllos in ijs finibus habitaſſe, è quibus Albertus Crãtſius Anglos ſuos eduxit; vbi hactenus cùm Angriæ extet memoria, putat pro Lambda, caninã litteram irrepſiſſe. Nobis dubiũ nõ eſt Angriæ ducatũ ab Angriuariis nomen retinuiſſe, quos Tacitus proximos Cheruſcis collocauit, atque in fidem populi Romani, Stertinio bellũ iuſſu Germanici intentantis veniſſe docet, ac ab ijs inde Romanos ab interioribus Germanis emptos, grato beneuoloq; animo liberos dimiſiſſe. Idẽ libro decimotertio Anſibarios eoſdẽ videtur nominaſſe, ſiue de ſitu loci, ſiue de nominis alluſione, ſiue etiã de iis quę narrat, cõiectura ducatur. Ait enim hos à Chaucis expulſos, quibus Angriuarij proximè ſuperiores & à Ptolemæo, & ab hoc ipſo ponũtur. A nullis igitur veriſimilius expulſos, quàm à vicinis limites proferre conatis, vt tũ auida erat alieni Germanorũ natio. Deinde Baiocalus qui Anſibariis aderat inter primos cõmemorat ſe rebellione Cheruſca, iuſſu Arminij vinctũ fuiſſe, ac deinde ſub Tiberio & Germanico ducibus ſtipendia meruiſſe; quod arguit, poſteà q̃ Stertinius Angriuarios in fidẽ populi Romani accepiſſet, eum ab illis ducibus, qui tũ in Germania rebus præerant, fuiſſe inauctoratũ. Rurſus libro de moribus Germanorum ſic ſcripſit. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebãt, nũc Chamanos & Angriuarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac penitùs exciſis vicinarũ cõſenſu nationum, ſeu ſuperbię odio, ſeu prædę dulcedine, ſeu fauore quodam erga nos Deorũ. Nã ne ſpectaculo quidẽ prœlij inuidere ſuper ſexaginta millia, non armis teliſq; Romanis, ſed quod magnificentiùs eſt, oblectationi oculiſq; cecidерunt. Mox idem Angriuariis his Friſios maiores & minores ſubiungit, Oceano ad dextrũ latus Rheni propiores. Veriſimile igitur, Angriuarios offenſos, quòd à Bructeris in bello à Baiocalo ſuſcipiendo aduerſus Romanos deſerti fuiſſent, vti de Anſibariis Tacitus narrat, terras eorum ſociis Chamanorũ armis inuaſiſſe, quæ prioribus Angriuariorũ ſedibus Occidentem verſus proximę adiacebãt. Hanc ſententiã Marcellinus cõfirmat, qui de Iuliano Cæſare loqũs; In limitẽ, inquit, Germanię ſecũdę eſt aggreſſus, omniq; apparatu, quem flagitabat inſtans negocium cõmunitus, Toxandro opido propinquabat: Rheno deinde tranſmiſſo, regionem ſubitò peruaſit Franco-

Francorum, quos Anſuarios vocāt, incertorum hominum licentiùs etiam perſcrutantiū extima Galliarū. Licet ergo ex horū collatione cōiicere, Anſibarios eoſdē eſſe cū Angriuariis, & Tacitū hac nominū diuerſitate deluſum, ſcripſiſſe Angriuariorū iuuentutē penitus extinctā fuiſſe. Mira eſt in Germanorū nominibus apud auctores varietas, ita vt quos alij Tencteros, alij Tingeros, alij Tēchteros nominēt, quos Tacitus Bructeros, Ptolemæus vocet Buſactoros; quod idē fortaſſis in Angriuariis & Anſibariis & Anſuarijs euenit. Verùm, quia dum adhuc res eorum ſecundæ eſſent, Angriuarij, & pòſt à Chaucis patrio ſolo expulſi Anſibarij ſiue Anſiuarii nominātur; mihi in mētem ſubit ſtudiosè hanc, vel à vicinis irridentibus, vel ab ipſiſmet factam eſſe commutationē. Priùs enim Angrip War, id eſt, arripe merces, ſiue quicquid habet vtilitatem. Angrip enim idem eſt quod arripe vel arripio. War verò, dum ſubſtantiuum eſt, omne id ſignat quod nummos nobis, ſi vendatur, parare poteſt. Latini igitur ſono duplicis noſtri W carentes, Angriuarios dixere, littera etiam vna ad Euphoniam eiecta. Quamdiu igitur aliena agere raperéque poterant, ac ex iis pecuniam facere, Angriuarij ſunt nominati. At pòſt, dum è ſuis ipſorum finibus expulſi, omnibus ijs quæ ad crumenam faciunt, carerent; dici cœpere Anſibarij, vel Anſiuarij, duplice W vel in Beta, vel in V ſimplex cōmutato: qua voce ſignificatur, Aſpice merces, & ea quibus pecunia & vitæ neceſſaria comparari poſſunt. Quemadmodum igitur anteà nomine ſuo ad rapiendum, ita pòſt ad aliena æquis oculis aſpicienda, non rapienda, monebantur. Caſtiganda igitur, meo quidem iudicio, Taciti hiſtoria, ea parte qua de Anſibariorum internecione, ex falſo alicuius relatu, ſcribit. Magna ſanè & digna fortibus viris, quales eos fuiſſe Boiocali oratio declarat, indignatio contra Romanos ſuſcepta, qui quos in fidē acceperant, & quorū armis aduerſus Arminium vſi, quoſque tam fidos in ſe experti eſſent, vt multos Romanos pecunia ſua redemptos, liberauerint, prorſus prodiderunt; & non ſolùm à Chaucis expelli patriis ſedibus permiſerūt, ocioſe extremum fidiſsimorum Romano nomini ſociorum exitium intuentes, ſed miſeros extorres & ſupplices, etiam per ipſum cælum & eius numina obſecrantes, quo in vacua cultoribus terra, quam communi gentium iure ſuam modò fecerant, occupando, quietè liceret ſub Romana ditione conſidêre; obſtinata pertinacia & impio faſtu reiecerunt, armis etiam, niſi vltro ceſsiſſent, expulſuri ex iis locis, quæ nunquam Romanorum fuiſſent. Verùm Deus calamitatis tandem miſertus, Angriuariis contra Bructeros, qui finitimis contra hāc barbaram Romanorum tyrannidem

& infamem fidei amicis bene meritis ſeruandæ proditionem, ſuppetias ferre recuſauerant, inſignem & memorabilem illam dedit victoriam, cuius ex Tacito modò feci mentionem, qua ad Rhenum vſque omnia latè in ſuam redegerunt poteſtatem; quo loco ad Iuliani vſque principatum conſidentes, Romanorum prouinciam crebris excurſionibus vexabant, paulatim proxima quæque carpentes. Horũ igitur reliquiæ, quæ ad Weſtphaliam remanſerunt, Angris nomen dediſſe videntur, è quibus Anglos ortos eſſe, Crantſius exiſtimauit. Dum verò Anſiuarios Marcellinus Francos facit, oſtendit Anſiuarios antiquitus, è Cimbris originem duxiſſe, qui colonis ſuis varia cognomina, veluti quaſdam rerum agendarum teſſeras, indere conſueuerunt; vti, dum de Francis agam, latiùs oſtendam. Angli igitur qui Britanniam habitant, à Saxſonibus maritimis vetuſtas Cimbrorum ſedes, quod ſuo loco docebo, & viuendi rationem ingreſſis, & genus & generis antiquiſsimam nobilitatem ducunt. Sed quia de Sueuis egi, ac in iis Angelos, quos Angilos Ptolemæus vocat, vt Vſipetes in Vſipios, & alia nomina in alia mutat, inueni; non erit à propoſito noſtro alienum, ſi breuiter vetuſtas ipſorum ſedes indicauero; propterea quòd ex iis eluceſcet, quàm imperitè Saxſoniæ ſcriptor ea Saxſonibus attribuat, quæ Tacitus & alij de Chattis ſcripſerunt; & quàm totũ hiſtoriæ ſuæ exordium, turpi locorum ignorantia fœdet. Cæſar altera parte Vbiis eos vicinos fecit, & Tenchteros, & Vſipetes, dum ab eis pulſos dicit, finitimos quoque fuiſſe, ſatis indicauit. Ex aduerſa parte ad ſexcenta millia ſolitudinem vaſtitatemque ponit: quam nos illorum fidei committimus, à quibus Cæſar eam didicit. Ptolemæus Sueuo fluuio, quẽ Oderã, qui duos alios magnos recipit, eſſe nihil dubito, eos finiens, ab Angelis ſumpto exordio, facit, vt exiſtimẽ totum illum terrarum tractum, quem hodie Weſtphali, Thuringi & Saxſones colunt, vnà cum vicinis locis, Sueuorum olim fuiſſe. Horum caput Semnones in ipſo Saxoniæ meditullio ad Albim habitabãt, quibus proximi citra flumẽ Langobardi erãt, nunc Brandenburgij, & citeriùs vetuſtæ Angriuariorum ſedes, quibus eiecti à Chaucis fuerunt, quaſque nunc maiore ex parte Brunwicenſes tenent. Antiqua verò Saxonia à ducis Mechelburgenſis ditione exorſa, per Lubecanorum & Holſatorum agros ad Dietmarſiam pertinebat, paludibus illam quidem, quarum Oroſius meminit, ferè inuiam; ſed proximis tamen annis, à Rege Danorum, quamuis fruſtrà id Principes priores ſæpè tentaſſent, tandem ſubiugatam. Hinc igitur paulatim progreſſi, vicina litora occupauerunt, Cauchorum vtroque nomine, & maiorum & minorum in Angriuariorum loca tranſlato, &

Angri-

Angriuariis genere Cimbris ad Rhenum vſque omnia Bructerorum occupantibus, vti modò partim ex Tacito, partim ex Ammiano Marcellino collegi. Sueui verò, tum Sennones, quos ſic vocandos, non Semnones, de coniectura mea libro hunc ſecuturo docebo: tum Angeli, omnes ſuperiores Germaniæ partes petiuerunt; in quibus hactenus commorantur tot diuerſis populis diſtincti, vt illi etiam, qui Alpes intra Tridentum & Vicentiam tenent, ſe etiam vernaculo ſuo ſermone Suoben vel Soabey, id eſt, Sueuos appellent; pro V conſonante Beta, pro V vocali, quæ in prima ſyllaba eſt, quiddam medium inter O & A ſonantes. Vox Sueuus triſyllaba eſt, ſi Lucano credamus, ſic canenti:

Fundat ab extremo flauos Aquilone Süeuos.

De quo verſu, & illud liquet, eos ad eam vſque regionem habitaſſe, quæ in Germania ad Aquilonem maximè vergit. Iam & aliud hinc emergit, quod quamuis pòſt fuiſſet dicendum; hic tamen addemus: Sueuos æquè atque Sacas, Cimmeriorũ colonos in Aſia fuiſſe, & à Ptolemæo partim Suobenos, partim Suebos, partim Sannitas vocatos, & de nomine eorum montes etiam Suebos dictos, qui Saxſonibus in Aſia adhuc habitantibus proximi adiacebant, quorum lingua durior, & ſibilis pluribus aſperior, quàm Saxſonica, & tum fuit, & hactenus manſit. Sed lubet hîc Albertum Crantſium audire, de vero & antiquo Saxſonum ſermone iudicium ſuum ferentem: qui quamuis in Vandalorum antiquitate plurimùm fallatur; de lingua tamen quæ ſcripſit, mihi probantur. Meditullium autem, inquit, huius, quam deſcripſimus, prouinciæ; totum ex Wandalico ſolo redactum eſt in linguam & mores Saxonum, terra videlicet Brunſwicenſis, Lunenburgenſis, Magdeburgenſis, Halberſtadenſis. Ad eandem verò nationem pertinet omnis Marchia Brandenburgenſis ex eodem Wandalico ſolo capta, ac verſa in linguam Saxonum & mores: quæ vtique lingua, ſi ad lucem veritatis res inſpiciatur, ſola ſeruat ſinceritatem ſuæ vocalitatis, vt verba omnia puro ſono denunciet, non inuerſa ſtridoribus, non contorta diphthongis, quomodo Francorum (Germanos, non Gallos dico) Sueuorum, Bauarorum, Auſtralium, in quorum ſtridoribus Hunnos, Auares, & reliquos Barbaros, qui illis diu incubuere prouinciis, audire mihi videor, cùm frendent potiùs quàm eloquantur, eadem quidẽ, quæ & nos, verba, ſed tartareo ſono contorta, ſtridoribus immixta, & multis diphthõgis diſſonantia proloquuntur. Et iam, ſi Diis placet, etiam noſtri ſtudent ſtridores ſuperiorum imitari Germanorum, quomodo & illi, vt ferunt, iam linguæ ſuæ pertæſi, Italicam frequentant, & Flamingi

Gallicam. ita paſsim Germanorum lingua in anguſtum deducitur. Hæc & plura vir ille conqueritur,& meritò quidem,quod ad linguæ corruptelam attinet; ſed in eo fallitur, quòd opinatur ſuperiorum linguam Germanorum, aſperitatem ſuam & ſtridorem ab Hunnis & Auaris,qui regionibus illis, vt dicit, diu incubuerunt, contraxerit, quaſi viciniæ quadam contagione; cùm certò ſciamus ſuperiores ſemper hanc loquendi conſuetudinem duriorem habuiſſe, adeò vt Ariouiſtus conſuetudine longa Gallicam linguam, quæ eadem fuit olim cum Cimbrorum & Saxonum lingua, dicatur didiciſſe; quod tunc certius conſtabit,cùm Gallos etiam Cimbrorum colonos fuiſſe, ſum oſtenſurus.Præterea Vandalos eoſdem cum Wendis ſiue Windis faciens,toto cælo aberrat; cùm Vandali ſiue Vandeli Germani fuerint, & eadem lingua,qua Saxones, vſi; qui melioribus inhiantes, è Germania in Hiſpaniam, Italiam & Aphricam commigrarunt: de quorum nomine optima hactenus Hiſpaniæ pars Andaloſia pro Vãdaloſia vocatur;ſicut Gotalania,à Gotis & Alanis. Cùm igitur hi,& vicini Alani vnà cum Gotis & ceteris plurimis Germaniæ populis ſedes ſuas reliquiſſent, Wendi natione, & lingua Slaui in vacua venerunt, & eam linguam reliquerũt, qua hactenus Wendi ſiue Windi, & omnes reliqui eiuſdem Slauonici generis vtuntur. Sueui igitur ſemper ſuperiorum ſibilis vſi ſunt, vt ex ipſo nomine facilè deprehendas. Nam cùm Cimbri To dicunt,illi So vel Su pronunciant; & vbi nos Tant,illi Sant vel Sent. Hinc Su hebbey vel So aben, pronunciando A vt Hebræorum Camets, quaſi O haberet immixtum, idem eſt quod, ad habendum,Latinus diceret. Suobey igitur vel Sueben, ablata in componendo aſpiratione, & altero Beta exempto, idem ferè eſt quod alio nomine dicitur Germanus & Crygmanus. Qui igitur ſicſe nominarunt,profitebantur ſe ſtudia ſua illuc conferre,vt haberent.Germani igitur & Suebi,ſiue potiùs Suabeni, A vt O pronunciato,& Angeli vtrique & Sueui, & Saxſones, idem ſuis nominibus præ ſe ferebant, quod hoc tempore Crygmanni ab acquirendo nominati; qua voce generatim omnes milites vocari, primo libro tradidi. Mirum eſt quàm gentes perpetuo,quaſi flumine quodam,ex Aſia in Europam inundarint, vicinia etiam quam illic habuerant, hîc quoque ſeruata. Sicut enim primi fuerunt Sacæ-Cimbrorum coloni, ita proximi ſemper iis hæſerunt Cimbris præeuntibus Sacarum filiis conſecutis. Erant autem in ipſis Cimbris,qui à filio Cimbri maiore deſcendentes,nomen ſibi de primogenio iure,vt antè docui,retinuerũt, Thoutſſen ſe vocãtes,id eſt, ſeniores. Integrè diceretur Thoutſſeſoney,ſed cõciſum fit Thoutſſen.

ſey. Hos Latini Græciq́ue Teutones, lenioris ſoni cauſa nuncupantes, collocant inter Sueuum fluuium, & Saxones, è quibus Teutouarij & Angriuarij orti, vicina loca occupauerunt; è quibus dum vel ſponte meliorum regionum quærendarũ cauſa, vel vicinorũ coactu, vt Angriuarij exceſſiſſent, proximis loca vacua reliquerunt. Saxones igitur diu in litoribus à Lubecano agro ad Friſiam vſque commorati, Sueuis & aliis ſurſum commigrãtibus, regionem proximè ſuperiorem, à Windis viderunt occupari; contra quos bello diu varieq́ue geſto, ad eam venerunt regionem, quam nunc eos, pulſis Wendis, gente Slauonica, quæ latiſsimè nunc in Europa dominatur, tenere videmus; de quorum rebus geſtis, poſt antiquitates has abſolutas, in Marchionum noſtrorum hiſtoria neceſſariò erit dicendum, niſi qua calamitas curſum impediat, aut properantia fata præuertant. Iam de aliis Sacarum in Aſia primùm, & in Europa, deinde colonis agendum, qui dum viderent eos, qui antè fuerant emiſſi, more illo primo & ſacro, quem Halicarnaſſæus annotauit, Sacarum ſe filios nominaſſe; aliud nomen acceperunt, quo ſignificaretur ſe, quamuis filij non vocarentur, legitimos tamen eſſe & germanos Sacas. Hi vltra Saxſones in Aſia Orientem verſus habitabant, Suebis & Suobenis ad Arctos magis remotis finitimi, montibus Suebis ſeparati, quos Ptolemæus Tectoſaces nominauit, & Stephanus Tectoſaces & Tectoſagas citra diſcrimen dici poſſe ſcripſit. Rectum nomen Tectoſax eſſe vel Tectoſages, vernaculo ſermone Techteſagen, id eſt, legitimi Sagæ. Echt enim legitimum, cui Te vel De articulus noſter præpoſitus, facit Te echt, & ſyncoptôs, vt communiter loquimur, Techt. Tectoſagæ igitur generoſo ſe nomine vocarunt, dum legitimos ſe Sagas dixerunt, & ſanè quales ſe dicebant, tales opere ſe demonſtrabant. Quis enim nõ miretur tantam in eis celeritatem, qua longiſſima terrarum ſpacia ex ipſo Aquilonis cardine, ad intimum vſque maris Liguſtici ſinum, per Germaniam & Galliam penetraſſe, & illic tandem conſediſſe, vbi regionem olei, & vini, & ceterorum vel ad neceſſitatem vel ad voluptatem neceſſariorum feraciſſimam inueniſſent? Multa enim opida in fertiliſsima Prouinciæ Narbonenſis parte, condiderunt, ac ſeſe propter admirabilẽ expeditionis ſuſceptæ celeritatẽ Volcanes nominarunt. Volcan enim dũ dicimus, hortamur, vt citò quis pergat, eodẽ modo quo Latinus diceret, Citò progredere, ſiue feſtina: ſed de hac voce alibi, dum de Volcani numine & poteſtate diſſeremus. Pòſt tamen, quo nominibus diſtinguerentur, alij Volcarum, alij Tectoſagum appellationem retinuerunt;

& hinc

& hinc Ptolemæus Tectoſaces occidentaliores, Volcas orientaliores, fecit. Plinius coniunctè eos vocat Volcas Tectoſages, multis eorum opidis enumeratis, neglecta ea, quam Ptolemæus adhibuit, diſtinctione, quamq́ue Pomponius videtur obſeruaſſe; Volcas ad Rhodani exitum: & mox ibidem ſtagna Volcarum ponens, cùm Toloſam longè illinc remotã, Tectoſagũ eſſe dicat. Strabo generatim omnes Volcas videtur nominare, & eos propriè Tectoſages, qui Toloſę ſunt vicini. Sic enim habet: τῶν τε ȣ̓όλκων ⓘ τεκτοσάγες καλȣ́μενοι, id eſt, Volcarum illi, qui Tectoſages vocantur. Nata eſt hæc dubitatio ex eo, quòd nominum rationes ignorarent; quorum alterũ prius fuit legitimum Sacam ſignans; alterum de celeritate ita inditum, vt ſemper, dum audiretur, moneret eſſe feſtinandum, ceu quoddam perpetuum celeuma & incitamentum, ad celeriter ea aggredienda agendaq́ue, quæ oporteret. Volcan Techtesax enim nihil aliud eſt, quàm ſi diceretur, Feſtina, & opere demonſtra, te legitimum eſſe Sagam. Quæ verò adhortatio maior eſſe poterat, quæve plus habere incitamenti, ad virtutis & pietatis officia, quàm ea, quæ moneret, vt ſe legitimos Sacas præſtarent; cùm modò docuerimus, hac voce, omnia, quæ ad felicitatem faciunt, contineri. Et certè non fruſtra ſic vocati videntur, quando legimus, hos homines, non ſolùm ab extremis Scythiæ terminis, in prouinciam Narbonenſem penetraſſe; ſed ex hac etiam in Aſiam minorem peruaſiſſe, & in ea Galatiam cõdidiſſe. Iter, quod è Scythia tenuerunt, nemo deſcripſit; at hoc, quo in Aſiam minorem traiecerunt, à Tito Liuio eleganter eſt depictum; quem operæpreciũ eſt audire, quò vetuſta gentis virtus innoteſcat. Galli, inquit, magna hominum vis, ſeu inopia agri, ſeu prædæ ſpe, nullam gentem, per quam ituri eſſent, parem armis rati, Brenno duce, in Dardanos peruenerunt. Ibi ſeditio orta, & ad viginti millia hominum cum Lomnorio ac Lutario regulis, ſeceſſione facta à Brenno, in Thraciam iter auerterunt: vbi cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendiũ imponendo, Byzantium cùm perueniſſent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis eius vrbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes ex propinquo, quanta vbertas terræ eius eſſet, cepit, & Lyſimachia fraude capta, Cherſoneſoq́ue omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontum deſcenderunt. Ibi verò exiguo diuiſam freto cernentibus Aſiam, multò magis animi ad tranſeundum accenſi, nunciosq́ue ad Antipatrum Præfectum eius oræ, de tranſitu mittebant: quæ res, cùm lentiùs ſpe ipſorum traheretur, alia rurſus noua inter regulos orta ſeditio eſt. Lomnorius retrò, vnde venerat, cum maiore

parte

parte hominum repetit Byzantium. Lutarius Macedonibus per ſpeciem legationis ab Antipatro ad ſpeculandum miſſis, duas tectas naues & tres lembos adimit. His alios atque alios dies noctesque tranſuehendo, intra paucos dies omnes copias traiecit. Haud ita multo pòſt, Lomnorius adiuuante Nicomede Bithyniæ Rege, à Byzantio tranſmiſit. Coëunt deinde in vnum rurſus Galli, & auxilium Nicomedi dant aduerſus Zybœam partem tenentem Bithyniæ, gerenti bellum; atque eorum maximè opera deuictus Zybœa eſt, Bithyniaq; omnis in ditionem Nicomedis conceſſit. Profecti ex Bithynia in Aſiam proceſſerunt. Non plus ex viginti millibus hominum, quàm decem, armata erant, tamen tantum terrorem omnibus, quę cis Taurum incolunt, gentibus iniecerunt, vt quas adiſſent, quaſque non adiſſent, pariter vltimæ propinquis imperio parérent. Poſtremò cùm tres eſſent gentes, Toliſtobogi, Trocmi, Tectoſagi, in tres partes, quacunque populorum ſuorum vectigalis Aſia eſſet, diuiſerunt. Trocmis Helleſponti ora data. Toliſtobogi Æolida, atque Ioniam; Tectoſagi mediterranea Aſiæ ſortiti ſunt, & ſtipendium tota cis Taurum Aſia exigebant; ſedem autem ipſi ſibi circa Halyn flumen ceperunt, tantuſque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna ſobole aucta, vt Syriæ quoque ad poſtremum Reges, ſtipendium dare non abnuerent. Iuſtinus è Trogo Pompeio negligentiùs videtur rem narrare, aiens, Brenno apud Delphos occiſo, partim in Aſiam, partim in Thraciam extorres veniſſe, vnde per eadē veſtigia patriam repetiuiſſe, parte tamen ad Danubij & Sai confluentem relicta, qui Scordiſios ſe nominarint: Tectoſagos verò Toloſam reuerſos, ac peſtilente lue correptos, Aruſpicum reſponſum accepiſſe, non antè ſanitatem recuperandam, quàm aurum & argentum ſacrilegio Delphico queſitum, in lacum Toloſanum conieciſſent: quod auri pondo centum decem millia, argenti decies centena millia habebat. Hoc Cepio Romanus Conſul cùm ſacrilegè abſtuliſſet, ſibi ſuiſque copiis exitium dedit, & Cimbros Tectoſagorum, vt modò docui, parentes, contra Romanos accendit. Addit hic aliam Tectoſagorum manum Illyricum petiuiſſe, ac Iſtria direpta, in Pannonia conſediſſe; nulla tamen temporū adhibita notatione. Pauſanias in Phocicis alia ducum nomina, quàm Titus Liuius ponit, & Gallorum numerum infinito facit maiorem: quem nos in explicanda Trimarciſia expoſuimus, vt hic minimè ſit repetendus. Facit autem tres expeditiones: primam Cambaule duce; alteram Brenno, & Acichorio, & Cerethio, & Bolgio: quorum Bolgius Ptolemæum cognomento Fulmineum, ob audaciam dictum, qui tum Macedonum

ſceptra tenebat, vnà cum exercitu ad internecionem cecidit. Tertiam Brenno & Acichorio ducibus, in qua illa contigêre miracula, quæ Delphici fabulantur: quibus equidem, licet ea Pauſanias ſcribat, eo minùs aſſentior, quòd hic omnes ad vnum in Græcia deletos dicat; Trogus verò, & commune prouerbium doceat, aurum Delphicum Toloſam à Tectoſagis apportatum; quod poſtea Cæpio, magno ſuo malo auferens, adagij rationem, ſuo etiam exemplo auxerit & fecerit illuſtriorem. Deinde quamuis omnes Olympiade centeſima viceſima quinta periiſſe, Pauſanias ſcribat; addit tamen, in ſequenti anno Gallos in Aſiam tranſmiſiſſe. Vt vt tamen iſta contigerint, certum eſt, & Delphicum templum direptum à Tectoſagis fuiſſe, ac Aſię optimam partem occupatam; in qua quamuis fœda clade multis pòſt ætatibus à Manlio cęſi fuerint, non tamen ſic fuêre fracti, vt non fuerint clari, præſertim eo nomine, quòd D. Paulus epiſtolam ad eos ſcripſerit. Hic igitur minimè ſilentio prætereundum, qua lingua vſos eos Hieronymus dicat, quò eius auctoritate fides mea adſtruatur. Is igitur Commẽtariorum in epiſtolam ad Galatas, libri ſecundi proœmium ad Paulam & Euſtochium his verbis exorditur: Quod in primo Commentariorum ad Galatas libro, cùm de gentium proprietatibus diſputarem, intactum reliqueram, nunc in ſecundo reddendum videtur, qui ſint Galatæ, vel quò vnde tranſiuerint. Vtrum indigenas eos fuderit, an aduenas, quam nunc incolunt, terra ſuſceperit; & vtrum linguam connubio perdiderint, an & nouam didicerint, & ſuam non amiſerint. Marcus Varro cunctarum antiquitatum diligentiſſimus perſcrutator, & ceteri, qui eum imitati ſunt, multa ſuper hac gente & digna memoria tradiderunt. Sed quia nobis propoſitum eſt, incircumciſos homines non inducere in templum Dei, & vt ſimpliciter fatear, multi iam anni ſunt, quòd hæc legere deſiuimus: Lactantij noſtri quæ in tertio ad Probum volumine de hac gente opinatus ſit, verba ponemus. Galli, inquit, antiquitus à candore corporis Galatæ nuncupabantur, & Sibylla ſic eos appellat. Quod ſignificare voluit Poëta, cùm ait: *Tum lactea colla Auro innectuntur*: cùm poſſet dicere, candida. Hinc vtique Galatia prouincia, in quam Galli aliquando venientes, eum Græcis ſe miſcuerunt. Vnde primùm ea regio Gallogræcia, pòſt Galatia nominata eſt. Hæc Hieronymus & Lactantius: quibus mox ſubiiciuntur quæ & plena ſunt antiquariæ cognitionis, & non parum faciunt tum ad præſentes Galatarum Europæorum mores, cum vetuſtis comparandos, tum etiam ad id confirmandum, quod è proprijs nominibus ad gentium origines inueniendas frequenter

quenter argumenta ducam. Maſsiliam, Hieronymus inquit, Phocæi condiderunt, quos ait Varro trilingues eſſe, quòd & Græcè loquantur, & Latinè & Gallicè. Quod ſi hoc Varronis teſtimonium verum eſt, quid illis fiet, qui Gallicum ſermonem eundem cum Greco antiquitus fuiſſe ſomniarunt, & inde Græcas vocibus ſuis origines quærunt; in quorum numero, neſcio quare, doctiſsimi etiam homines haberi ſe patiantur, cùm Iulius Cæſar litteras Græcas ad Ciceronem dederit, ne à Gallis, ſi fuiſſent interceptæ, legi poſſent. Sed audiamus quis ſermo Galatarum fuerit. Vnum eſt, inquit Hieronymus, quod inferimus, & promiſſum in exordio reddimus, Galatas excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem pæne habere quam Treueros: nec referre ſi aliqua exinde corruperint, cùm & Afri Phœnicum linguam ex parte mutauerint, & ipſa Latinitas & regionibus quotidie mutetur & tempore. Hac grauiſsimi viri teſtificatione, opinio mea, quam de Tectoſagis Sacarum colonis trado, maiorem in modum adiuuatur, eò quòd eadem ſit Treuirorum lingua, quæ Saxſonum; quamuis vtraque gens ſibilos ſuperioris Germaniæ degenere & turpi in priſcos natales contumelia, ſtudioſe æmuletur: quod Saxſonicæ hiſtoriæ ſcriptori plurimum etiam docui diſplicere. Nunc igitur Tectoſagos Galatas communi vocabulo, vel Gallogræcos in Aſia dictos fuiſſe didicimus, & eodem ſermone, quo Gallos, vſos: ſed quia Hieronymi ætate maxima pars Galliæ priſcum ſermonẽ Romana lingua inuecta perdidiſſet, exemplo vſus eſt Treuerorum, qui vetuſtum adhuc Gallorum ſermonem tenerent. Hinc mox eluceſcit Gallicum & Saxſonicum eundem fuiſſe, eò quòd Treuerorum lingua eadem ſit cum Saxſonica. Tectoſages ergo in Aſia Sacarum coloni, ac deinde per Germaniam in Galliæ intima progreſsi, lingua à ceteris Gallis nihil differebãt: quo fit, vt ceteri quoq; Sacæ, & ipſi Cimbri parẽtes, eundem ſermonẽ habuiſſe ſint iudicandi. Hanc ſententiã cõfirmat vocabulorum recta interpretatio, de qua Hieronymus eodem loco: Montes quoque, inquit, Hiſpaniarũ, Calpe, Idrus, Pyrene: itẽ inſulæ Aphrodiſiades & Gymneſiæ, quę vocãtur Baleares; nonne Græci ſermonis indicia demonſtrant? Videmus vt de linguę reliquijs ad origines gentiũ demonſtrandas argumẽta Hieronymus ducat: quę via & ratio mihi omniũ certiſsima cùm viſa eſſet, hãc aperuit, quã expono, populorũ cognationẽ. Aurũ Toloſanum, Tectoſages fuiſſe qui Delphos expilarunt, ſatis cõmonſtrat: quos primũ in Scythia inueniens, ac huc progreſſos cognoſcens, ac inde Aſiam minorẽ occupaſſe ſciẽs, quid ni credã linguã quoq; Cimbricam ſecũ intuliſſe, cuius à parentibus

tibus accepiſſent poſſeſsionem & vſum : atque ita ad reliquos Cimbrorum colonos deſcendens, dicam omnibus eum ſermonem fuiſſe, quo Treuiri vtuntur,Germanorum inferiorum olim clariſsimi,infra Coloniam Agrippinam ad Rhenum vſque commorati, quem hactenus etiam ad ipſam vſque Nouogardiam, per totum tractum maritimum ab ipſis Flandriæ finibus integrum conſeruant,niſi quantum Wendica ſiue Slauonica natio barbarie ſua corrupit, & temporum & regionum varietas commutauit.Antiquiſsima ergo & nobiliſsima eſt Germaniæ inferioris lingua, & ea, quam primam eſſe contendo, ab ipſo Noacho & Iano ad Cimbrum & Aſcanium, & eorum poſteros deriuata. Examinet,cui placebit, Trimarciſiæ nomẽ apud Pauſaniam inter pauca non corruptum, quod ille vernaculum Gallorum dixit; & eorum Gallorum qui Tectoſaces erãt, & genus à Sacis æquè atque Saxſones duxerant. Illud cùm antea expoſuerim,& linguę noſtræ proprium oſtenderim, hîc non remandam, ſed addam eorum nominum interpretationẽ quę Titus Liuius in hac expeditione commemorat, dum alios Toliſtobogos, alios Trocmos, alios Tectoſagos ait nuncupari.Stephanus,Toliſtobios ait gentem eſſe Gallorum Occidentalium, qui è Celtogalatia in Bithyniam tranſmigrarunt. Eratoſthenes verò in primo Galaticorum libro, Toliſtobogios eos vocat;quod nomen quia Liuius retinuit,germanum videtur. Mihi ſanè generatim omnes Tectoſaces fuiſſe videntur, & exercitum, qui non magnus erat, ſi Liuio credimus, tribus duntaxat nominibus diſtinxiſſe, quorum præcipuum gentis eſſet: duo verò alia, continerent ſynthemata quædam,ſiue ea ſignarent,quæ cuique ſunt loco teſſerarum & admonitionũ. De Tectoſacibus igitur, qui ſummi eſſent honoris,nihil dicendum amplius,ſed de Toliſtobogiis & Trocmis. Toliſtobogij igitur dicuntur, vt monerentur, aſtutias Græcorum non magni faciendas, eò quòd factum ipſum omnem aſtutiam ſupprimat, & redigat in poteſtatem. Facerent igitur & manu graſſarentur, nihil foret momenti in callidis & vafris Græcorum ingeniis. Hac enim vna parte eos ſuperiores iudicarent,factis verò longè ſuperandos. Sot idem eſt quod facit,ſiſt, aſtutiam & fraudem. Sot iterum facit; Bogen verò ſignificat inclinare, proprium eorum qui ſe ſubmittunt, & aliis genua flectunt, & caput demittunt. Eſt igitur Toliſtobogen, idem quod pluribus diceretur,ſtrennuè facere,ac factis ſe egregium præſtare, facit vt omnis aſtutia, & dolus, & conſilia quæque vaferrima genu flectant,atque caput ſubmittãt. Galli enim Græcorum magis ingenia & calliditatem, quàm facta, metuebant: qua de re hoc ſiue ſymbolum, ſiue ſynthema, ſiue quo alio nomine

voces,

voces, pro nomine ſumpſerunt; quo docerentur eos qui faciẽdo fortiterque agendo valerent, longè eſſe iis, qui fraudibus & inſidiis niterentur, præſtantiores. Alij Trocmi nominati ſunt; quò monerentur, Volcas à celeritate dictos, non debere, more aliorum, exercitum trahere, ſed potiùs rapere quàm ducere. Troc enim idẽ eſt quod duxit, factum à Trecken, quod eſt trahere; quod ad iter militare ea de cauſa eſt vſurpatum, quòd exercitus pauca milliaria vno die conficere poſſint. Alludentes igitur ad vim vocis, & ad militum cum impedimentis tardum progreſſum, dicebant huiuſmodi moram vitandam. Mit enim vocali longa, idem eſt quod vita. Quoties igitur Trocmit quis audit, toties recordatur vitandam eſſe hanc in trahendis copiis tarditatem: nec eam ſolùm vitandam, ſed honorandã etiam in quouis rerum genere breuitatem: quæ ſententia, ſi conuerſo ordine litteras legas, ſignificatur. Tim enim vocali longa, honoro notat, à Taem quod decorum ſignificat, ſicut à Raem Rim fit, deriuatum: quod vt apud nos non eſt in vſu, ita eius adiectiuum ſiue coniugatum frequentiſsimum: vt dum dicimus Timich may, Timich Wif, id eſt, honorandus vir, honoranda mulier. Græci è prima lingua hanc vocem retinuerunt, τιμῶ pro honoro, & τιμὴν pro honore dicentes Tim cort igitur, nihil aliud eſt, quàm Honora breuitatem: quod quia vniuerſim dicatur, ad omnia refertur, ad tempus, ad negocia, ad orationem & cetera; quibus vel longitudo vel breuitas tribui poteſt. Cort enim breue ſignificat, cui contrarium Troc, idem eſt quod longum fecit, ſiue produxit: ſiue etiam longum; eò quòd nobis eadem vocabula, aliquando vt nomina, aliquando vt verba, vſurpentur; quod de Cort ſimiliter dicendum. Vide quæſo an vlla ſit lingua, vel Hebræa, vel Græca, vel Latina, quæ tam paucis litteris, tot ſententias colligat, atque eas ſic conuinciat, vt recta in legendis elementis euntes, ſententiam in primis ad vitam vtilem colligant, & redeuntes à fine ad principium, cõtrariæ ſignificationis voces ſic inueniant colligatas, vt id dicatur quod neceſſaria collectione ex priore ſententia efficeretur. Qui enim longum ductum & tractum negociorum vitandum dicit, is neceſſe eſt, vt fateatur, honorandã decorandamque eſſe negociorum breuitatem. O vtinam Platonem, vel quemquam Platoni non diſsimilem lectorem Deus mihi daret, cui nihil dubito, quin hæc litterarum compoſitio & nominum fabrica, non ingenioſa modò, ſed diuina etiam videretur, faceretque, vt faciliùs fidem Moſi adhiberet, qui dicit primum hominem ad res ſignificandas ea nomina poſuiſſe, vt iis natura earum explicaretur: quæ nõ video, quæ alia potuerint eſſe, quàm ea, quæ in noſtra lingua in-

uenimus; quanquam ante me nemo mortalium, artificium hoc tam obuium, tam plenum philoſophię, tam ſententiarum fertile, vel animaduertit, vel ſcriptis prodidit. Sed hoc obiter, vt intelligatur, quàm illi nec craſſi nec barbari fuerint, quos Græci & Romani tales iudicarunt; & quàm illi inſaniant, qui diuiniſſima hac lingua contempta, alias admirantur; & quàm peccent contra maiorum ſapientiam, qui eam peregrinis ſibilis, & aſperis ſonis adulterant & contaminant: quæ omnia in noſtra Hermathena clariùs demonſtrabo. Toliſtobogi igitur & Trocmi, Tectoſaces communiter omnes erant; ſed hoc modo militaribus ſententiarum ſignis diſtinguebantur: de qua vetuſta conſuetudine, ea quæ nunc vocant emblemata, neſcio an bene, & ſententiæ illæ, quas vulgus *Dimiſes* nominat, oriuntur: quas Chrias, quia ad quotidianum vſum accommodantur, non malè vocamus. Si ducum quoque nomina integra haberemus, daremus & illorum interpretationem: ſed videtur neſcio quid monſtri ſimile in tam frequenti vocum non intellectarũ ex vna lingua in aliam tranſfuſione, vel vnam integram manſiſſe. Ne igitur fruſtra laboremus, varia perſequendo, quæ quiſque pro ſuæ linguæ ſono corrupit, Titi Liuij nomina modò recitata explicabimus. Brennus à *Brennen* prima ſtatim facie dictum videtur, quod eſt vrere, nomen ei conueniẽs qui flammis omnia depopuletur. Mihi tamen quia *Brandey* & *Brannney* vulgò dicimus; & *Brenney* ad ſuperiorem dialectum videatur ſpectare; malumus ſyncoptôs eũ Brennum dici, qui equitatu regiones incurſat, à *Berenney*, quod noſtra lingua eſt, equis percurrere: à quo Brennus, linguæ idiotiſmo ſeruato, longè ad propoſitum militiæ officium & ſcopum conuenientius, quàm ab exurendo, diceretur. Quæ ratio quadrat ad equitatũ illum Trimarciſiæ, quem Pauſanias, & nos ex illo libro ſecundo deſcripſimus. Gallos autẽ equorũ ſtudioſos in primis fuiſſe, ac ingẽti eos precio parare ſolere, de Cęſare modò ſatis cõſtaret; tametſi Pauſaniã nõ aduocaſſem. Nec ſufficit, vndecũque linguę nominis rationẽ educere: neceſſe eſt, vt ratio vocis ab inſtitutis gentis & hominũ, vel votis, vel ſcopis, nõ ſit aliena: quã vbi inuenire nõ poſſum, malim tacere, quàm quicquã quod ad Dionyſium non faciat, proferre. Brennus igitur Gallorũ regulus ab equitandi ſtudio incurſandiq; Trimarciſia regiones, nõ ab exurendo, in quo vtriuſque partis damnum, non vtilitas conſiſtit, nominetur. Lomnorius item concisè vocari videtur, de more linguæ integrè dicendus Lompmanorius, quo is ſignificaretur eſſe, qui genere naturaque talis eſſet, vt viros concutere & conquaſſare ruditer, effrenique manu poſſet. *Lomp* enim idem eſt quod quaſſando &

concu-

concutiẽdo quenquam rudiùs tractare. Mar, vir; Or, genus. Qui igitur genus ab iis ducit, quibus mos sit viros hac ratione tractare, is Lomnorius iure bono dicetur. Lutarius verò, nisi primam vocalem haberet, posset simpliciter à Luter deriuari, quo sincerum, purum, putumque significatur: nunc à Luter & hart, vel art factum videtur, cùm vtrumque dici possit integrè, Luterart vel Luterhart vocandus; quorum illo, sinceræ naturæ homo; hoc, vir puri candidique cordis notatur. Quod si mihi negocium morosuli facessent, clamando caninã litteram priorẽ non videri concisione eximendã: dicã me Lutariũ & Lotarium eundẽ facere, ac indifferenter nobis Luter & Loutar, quo nos prorsus modo pronũciamus, dici: atq; ita Loutarium, purum, sincerum, candidumq; hominẽ vocari: quod equidẽ prioribus rationibus verius existimo, quanquã ab Art multa vocabula formari nõ ignoro. Et hac via Loutarius, non Lotarius Francorũ Orientalium rex; vnde Lotaringia dicitur, nominandus esset. Quis nunc amplius dubitet, hæc nostratia esse vocabula, quæ Liuius commemorauit; cùm omnium ratio nostris hominibus notissima cõstet? Atque hæc quidem de Tectosacum Galatarumque & linguæ & generis communione: quæ facit, vt dubitandum non sit, ad Tolosam vsque & Rhodani ostia, Cimbricam hanc linguam vsurpatam; ac inde per Illyricum, & Pannoniam, & Thraciam, ad ipsum vsque in Asia Taurum eualuisse, ac ad D. Hieronymi vsque tempora, tanto post Christum natum interuallo durasse. Pergerem ad alios Cimmeriorum colonos Sacis vicinos, nisi vnum me insignis tum fortitudinis, tum castitatis exemplum, quod Liuius, quantumuis Gallis iniquus, posuit, demoraretur. Tectosaces more Cimbrico vxores filiosque in militiam vnà ducebant: quo in Asia quoque in bello contra Manlium totam Asiam & Europam contra paucos ducentem obseruato, vxor Reguli cuiusdam à Romanis capta est; cuius custodiæ centurio & libidinis & auaritiæ militaris præfectus, cùm vinci mulieris castitatem desperaret, vim ei facit; ac ad leniendam indignitatem iniuriæ, reditum libertatémque pollicetur: sed ne eam quidem vt amans gratuitam, sed certum auri pondus pactus; ad quod adferendum vt è captiuis aliquem dimitteret, iubet; ac ne quis conscius esset, solus ad aurum accipiendum nocte cum muliere vadit, quę lingua sua duobus suis necessariis aurum ferentibus imperauit, vt prensantem occiderent. Iugulati caput ipsamet veste inuolutum ferens, ante mariti, qui domum ex prœlio confugerat, pedes priùs proiecit, quàm eum amplecteretur; hanc vltionem violatæ pudicitiæ confessa, ac deinde huius matronalis facinoris decus,

sancti-

ſanctitate & grauitate vitæ, ad vltimum vſque ætatis terminum cõ-ſeruauit: quod mihi dignum viſum eſt commemoratu; ſimul, vt eadẽ Cimbricarum & Galaticarum mulierum natura cerneretur; ſimul, vt eiuſdem generis vxores magis pudeat, ſi ſe non ſolis maritis hoc tempore ſubſternant, quo non de gentis modò vetuſtis decoribus, ſed de Chriſtianæ etiam religionis præceptis, ſummam habere pudoris rationem, nõ citra minas ignis æterni, monentur. Huius reguli nomen Origiagontis, Liuio fuit; quod in Orgiagontis ſyncoptôs eſt mutatum. ⊙rig, generoſum ſignat, ab ⊙r, quo genus notatur; & Jagghont, canem venaticum: quo fit, vt ⊙rgiagont ſit generoſus canis venaticus, nomen Regi non inconueniens: vti alibi de canis natura, & nomine eius Phrygio, docebo; & alioqui Plato ſatis in Rep. ſua declarauit, Regi, Philoſophoque canis naturam atq; mores maximè conuenire, quòd & fidiſsimi ſint cuſtodes, & ignorantiã peſsimè oderint. Sed corrumpuntur paulatim omnia, non mores tantùm, ſed linguæ etiam ſinceritas, leuitate humana nouarum rerum peregrinarumque ſemper auida, nec vnquam ad multas ætates patrio ritu & maiorum inſtituto placente. Quo magis miror, ad ſexcentos ſexaginta paulo plus minus annos, Gallos, quos Romani leuitatis lubenter accuſant, in meditullio Aſię linguam ſuam integram ſeruaſſe, quam poſt Hieronymum etiam ad Saracenorum & Turcorum vſque irruptiones eandem manſiſſe ſuſpicor, quando nec Græcorum, nec Romanorum armis, per tot annos ab ea potuerint depelli. Hieronymus à D. Paulo ſingulariter in iis notari docet, quòd nimium procliues eſſent ad nouas doctrinas atque ſectas, dum inſenſati ab eo vocantur: quod ad ingenium ipſorum referens, inſenſatos, ſtultos & vecordes interpretatur. Ego verò, vt hoc ab eis conuitium nonnihil auertam, arbitror eò inſenſatos dici, non quòd natura ſtolidi eſſent, ſed quòd viderentur faſcino aliquo ſenſibus, quibus præditi eſſe ſolent, priuati. Neque enim hæc interrogatio, O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit? in eos conuenit, quos naturæ vitio tales eſſe ſciret; ſed in eos qui ſingulis in rebus optimè perſpicere veritatem ſolerẽt. Neque eunucho aut ſpadoni, aut decrepito etiam quiſquam ſanæ mentis dicet, cuius faſcino, vel cuius Magia ſit frigidus; ſed illi, qui ætate florente, & nullo morbo afflicta, hanc præter ſolitum contraxit imbecillitatem. D. Paulus igitur, dum faſcinationis meminit, non ſic de Tectoſagis videtur exiſtimaſſe; vt eos putaret minùs à communi ſenſu valere, quàm ceteros mortales; ſed contrà, homines eſſe ſolertes & ingenioſos, atque ea de cauſa mirandum, cuius faſcino ſenſus hic eſſet ablatus. Ἀναίσθητος enim Græcis is propriè

priè eſt, qui non ſentit: ita vt tota ſententia ſit, Quis eſt ô Galatæ, qui ſolitum vobis ingenium faſcino vel incantamento abſtulit, cùm id perſpicax veritatis habere ſoleatis, & me veritatis prædicatorem, quamuis humilem, & nullo exteriore ſapientiæ indicio aut pompa ſpectabilem; ſed contrà, corpuſculi mei imbecillitate & afflicta valetudine talem, vt meritò deſpicatui haberi poſſem, & indignus tanta legatione; non tamen ſpreuiſtis neq; reſpuiſtis, ſed tanquã angelũ etiam excepiſtis, & vos beatos iudicaſtis, de meo aduentu; adeò vt vel oculos veſtros eruere, ac mihi dare parati videremini. Quis ergo, filioli mei, ſenſus veſtros, quis ingenium ligauit? quis amorem iſtum in me ſoluit & rupit? cuius faſcinatione ſenſibus iſtis, quibus vos tam promptè, tam inſigniter veritatem & agnouiſtis, & agnitam eſtis amplexi, quamuis difficile eſſet creditu; tam humilem, tam abiectum, tam nullius hominem, tantum Dei donum vel habere à Deo, vel eius iuſſu aliis communicare? Quid hîc alii videant, equidem neſcio; mihi certè placet hæc verborum D. Pauli intelligentia verbis iis expreſſa, quibus nihil clarius eſſe poteſt ad ſignificandam Apoſtoli admirationem, quæ frigida & inepta videretur, ſi Galatas, natiuo gentis ſtupore, tardos ad intelligendum exiſtimaſſet. Quàm verò non fuerint ſtupidi, aut ſenſus communis expertes, breues illæ ſententiarum Chriæ, quas nominibus ſuis intexuerunt, luculento indicio demonſtrant. Nec matronæ illius, cuius Liuius meminit, factum, minus habuit prudentiæ ſolertięque, quàm caſtitatis. Atque hæc quidem de Galatis Tectoſagis Sacarum legitimis colonis, qui à celeritate, Volcarum & Trocmorũ nomina ſumpſerea, c ab altera ipſorum Chria, Toliſtobogorum. Reſtat & alia nobilis Sagarum colonia, in Armeniam, præter Sacaſſenam, deducta: quam Ptolemæus Sacalbinam vocat, ea qua Tectoſaces & Tectoſages ratione dicuntur. Sita eſt in longitudine, ſiue à fortunatis Inſulis, ad ſeptuaginta nouem gradus adiectis ſcrupulis viginti: in latitudine verò, ſiue ab æquinoctiorum circulo, quadraginta tribus gradibus cum quadraginta ſexageſimis partis vnius; quo calculo locanda in montibus Caſpiis ad Araxis flexum, quibus flumen impeditum, in Septentrionem retorquetur. Imminebat igitur Araxi, & campis fertiliſsimis Soducenæ & Totenæ ſitu tali, vt comparatione eorum meritò Sagalbina vocaretur. Annius Viterbienſis Sagalbinam Pontificiam imperialem interpretatur; in Saga non multum à vero diſcedens; at in Albina toto cælo aberrans. Verùm, vt mirus artifex eſt in mendaciis inſigni aliquo colore ornandis, ita & hic inuenit ſua pigmenta, partim ex Ouidio, partim è Silio Italico, partim ex Diodoro petita.

Ex hoc quidem poſtremo docet, Scythas primos ad Araxem conſediſſe, falsò prorſus, vt ex iis, quæ antè dicta ſunt, manifeſtum eſt. Si primos Scytharum colonos, cum benedictione ritu ſacro emiſſos, hîc collocaſſet, minùs à veritate abfuiſſet, cùm Sagalbina à Sacis ſit condita, & nomen ſuum ſortita. Deinde virgam Ianalem Ouidij, quam albam fuiſſe dicit, eandem vult eſſe cum faſcibus, quorum vſum à Vetulonia, Hetruriæ vrbe quondam primaria, acceptũ eſſe, Silius cantat; de qua cùm dixiſſet:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis, addidit:
Biſſenos prima illa dedit præcedere faſces,
Et iunxit totidem tacito terrore ſecures.

His conferantur Ouidij, è Faſtorum libro ſexto, verſus, quos de Iani dono, quo Cranæ virginitatem ereptam compenſauit, ſcripſit:

Ius pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto,
Hoc precium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus, virgam qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.
Sunt auidæ volucres, non quæ Phineia menſis
Guttura fraudabant, ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Canicies pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.

Hæc Ouidius, & plura de Strigibus, & virga qua fugantur, quam albam eſſe dicit, & pòſt ex alba ſpina ſumi, adiecit.

Virgaque Ianalis de Spina ſumitur alba,
Qua lumen thalamis, parua feneſtra dabat.
Poſt illud nec aues cunas violaſſe feruntur;
Et rediit puero, qui fuit antè, colos.

Vſus igitur Albæ virgæ, ex alba ſpina defractæ, aduerſus Strigum incantamenta & noxas, erat longè omnino diuerſus ab vſu virgarum, quibus faſces Conſulum conſtabãt. Plinius Spinam albam arborem, cuius nomen cum Spina alba herba eduli, quam nos hodie Carduum vocamus, ac hieme eodem, quo ille prodit, modo edimus, confundit; nuptiarum facibus auſpicatiſſimam eſſe tradit, cauſa conſuetudinis & opinionis è Maſſurio allata, quoniam inde fecerint paſtores, qui rapuerunt Sabinas. Ad eundem vſum Corylum & Carpinum commendat. Noſtris hactenus colurna virga, ad magicas incantationes adhibetur, adeò, vt hinc clarè conſtet, virgam Cranæ datam,

datam, ad Magiæ ſecreta pertinere; minimè verò ad Conſularem aut Imperatoriam dignitatem deſignandam. Faſces autem, quorum inuentio Vetuloniæ Sillius adſcribit, præter vſum & ſignificationem, materia etiam differunt, à Spinea virga, & colurna decorticata, vt alba fiat: quoniam neque cortice, vt albæ ſint, exuuntur, neque ex Spina, aut Corylo capiuntur, ſed ex Betula, cuius virgæ ob lentorem & tenuitatem ad flagellandum ſunt aptiſſimæ, & color accommodatiſsimus, ne ſanguis ſe prodat. Betulam autem ad hoc expetitam, Plinius quoque teſtatur, terribilem eam eſſe dicens magiſtratuum virgis. Quiuis ergo videt, quàm egregiè conueniant faſces cum virga Ianali, veneficiorum & Strigum amuleto. Falſum itaque, Albam, vel imperium, vel imperij inſigne eſſe; quod noſter Annius cùm ſomniaſſet, aliis etiam perſuadere ſe poſſe, ſperauit. Quòd autem de Sagalbina & Diodoro collegit, homines illic Scytharum primos habitaſſe, minùs abſurdum, falſum tamen, vti ſatis oſtenſum. Nos enim nec Diodoro, nec cuiquam citra hiſtoricas demonſtrationes res eiuſmodi credemus, præſertim ſi de fabulis, vel de malè conſutis, falſoq; citatis auctoritatibus proficiſcantur, quod in hac propoſita quæſtione videmus accidiſſe. Non eſt igitur Albina imperatoria, nec quicquam vox ea cum faſcibus Conſularibus, è Betula factis, habet commune: quod, niſi perfidè Ouidium & Sillium Viterbienſis fabulator aduocaſſet, nunquam reprehenſione dignũ æſtimaſſem; cùm ſemel ſat ſit, totã baſim illius fabuloſæ enneadis, quam loco nouem Muſarum induxit, euertiſſe. Oſtendi modò, qui Sagæ ſint, & qua ratione ita nominati, & quos deduxerint aliò colonos, atque in ea re, manifeſtiſsima Cimbricæ ſiue Toutſſonicæ linguæ inueni veſtigia, quæ hîc rurſus non obſcura apparent, iis ſaltem, qui linguæ noſtræ non ſunt imperiti; cùm Αſβεη ſiue Αſυεη Oreades montiũ Deæ vocẽtur. Sagæ igitur in præcipiti ad Araxẽ mõte locati, Sagalbini vocabantur, quaſi Sagæ dicerentur, in monte cõmorantes.

Eſt hoc loco diligenter cauendum, ne ex Αλπ & Αλβ idem faciamus, quamuis ex altero in alterum procliuis ſit lapſus. Αλπ enim conciſum eſt ex Αλοπ, id eſt, omnino ſupernũ, nomẽ montibus omnibus commune; cui, ſi ειδ addas, quo glacies ſignificatur, vt ſit Αλπειδ, idem erit, ac ſi dicas, Mons glacialis. Hinc Alpibus nomen à Gallis, Cimbris, Venetis, aliisque eiuſdem linguæ gentibus communiter vſurpatum: quod, quamuis ad Latinos tranſierit, non eſt tamen apud eos natum; nec ratio vlla, quare montes ita dicantur, apud eos conſtat. Αλβ verò Album Latinis peperit, quod in coloratorum diſcrimine id ſignificat, quod omni colore caret, quaſi

diceretur integrè Alab, id est, sine omni, supple, colore. Sed de hoc alibi. Gentium tamen earum consuetudo, quæ differentes has voces esse ignorauit, pro Alp, Alb posuit, litterarum in sono similitudine decepta. Quamobrem ad accuratam horum vocabulorum distinctionem, necesse est de locorum natura, & sit, facere coniecturam. Sagalbina itaque meliùs correctiusque Sagalpina diceretur, eò quòd ad radices Alpium, ad Caspium mare sit constituta: quemadmodum Bergomum à Berg, quod est mons, & Wom, quod est habitatio, nominatur, quasi Bergwom vocaretur, vnde Bergonium Latini fecêre. Albion verò an ab Alb, id est, albo, an ab Alp, id est, monte, dicatur, incertum; cùm & montibus & albo cretaceæ glebæ colore procul inspicientibus, sit insignis. Alba tamen multis in variis regionibus opidorum nomen compositum esse videtur, ab Alp & Bay, quod est, à monte & via, quasi montana via nominaretur, littera tenui in media delitescente, vel lenioris soni causâ exempta. Hinc Alba Latinorum à montibus, non ab alba porca, nomen duxit; vt alibi monstrabo. Quotquot vsquam Albani nominis opida inueni, ea ad montes sita esse deprehendi. Sunt Albani in Latio, sunt in Castellana Hispaniæ regione, sunt ad lacum Fucinum, sunt in Caucasiis montibus, sunt non procul à Tubinga apud Sueuos, sunt & alibi, sed nusquam sunt, vbi non sint montes. Ridiculum igitur, Albam Latinorum ab alba porca nominatam fuisse; nisi simili de causa Albanos quoque in Scythia, & ceteris regionibus, credamus vocari. Alban ergo via montana diceretur, nomine ex Alpban concisò; non ex Alb, quod album significat. Esse porrò has duas voces Cimbricæ formaturæ, & ex primi fabri incude profectas, de earum conuersione licet iudicare; cùm à dextris contrario ordine lecta, contraria prioribus significatis designent, artificio Cimmeriorum sic proprio, vt aliis id linguis hactenus non communicarint. Alb enim album significans, Bla contrarium habet, quod Angli Blac vocant, quo nigrum notatur. Ex Bla & Wit, quod albũ quoque significat, sed alia ratione, fit Blawit, & per recisam dictionis caudam, Blauu, quo cæruleus, non saturatus, & cæsius color significatur. Alp contrarium habet Pla, vel addita Tau littera, claudendis dictionibus apud nos frequenti, Plat id signat, quod nec montes nec colles habet, nec quicquam omnino in altum tollit. Hinc Plan & Plein, pro planicie: à quo fonte planum & planicies ad Latinos; ad Græcos τὸ πλάτος deriuatur. Hæc vera ratio Sagalbinorum nominis, nõ ea, quam pseudopalæographus adduxit. Extat verò & alia Sacarum in Asia minore memoria, in Sacorsa vrbe,

inter

inter Sangarium & Didymos montes ſita, à Sacarum equitatu, ſi rationem nominis ſequamur, nuncupata; à Galatis ſiue Tectoſacibus contra Bithyniam, vt videtur, condita: de cuius nomine perſpicuum fit, Tectoſacibus originem à Sacis eſſe. Idem etiam in Paphlagoniæ parte ſuperiore Sacoram ædificarunt, nomine dato, quo Sacarum ſoboles notatur, cùm Or ſobolē ſignificet, ſicut Hors equum. Re itaque cum Saxſonibus Sacori conueniebant, quamuis voce diſtinguerentur. Ad horum diſcrimen Sacarauli ſe nominarunt ij, qui Bactrianam Græcis abſtulerunt. Cùm enim Sacarum coloni aliis alij nominibus ſe à primis ſuis parentibus differre vellent, ij qui multo pòſt Bactrianam occuparunt, non filios ſe Sacarum, aut ſobolem dixerunt, ſed Sacarauli, id eſt, populum Sacarum ſeniorem, ſiue vetuſtam Sacarum gentem; eò quòd è primis Sacarum ſedibus progreſsi, Bactrianam à Græcorum ſeruitute liberatam, vti Strabo teſtatur, occupaſſent. Poſſent & alia Sacarum in Aſia monumenta inueniri: ſed quia obſcuriora ſunt, & hæc, quæ adduxi, antiquiſsimam gentis nobilitatem ſatis illuſtrant: non putaui mihi diutiùs Saxſonum antiquitatibus immorandum. Eram igitur illuſtriſsimo hoc Sacarum triumpho antiquariam eorum hiſtoriam concluſurus, niſi Annius me ad Sangum reuocaſſet, quem ad Sagæ nominis rationem expoſuit, non malè me hercule; tametſi linguæ Cimbricæ eſſet imperitus, & de ea ne per ſomnium quidem cogitaſſet. Quem enim, inquit, Aramæi & Hetruſci Sagam dicunt, eundem Sabini vocant Sangni, & Romani Sanctum, id eſt, ſacerdotem expiatorem & purum. Optimè ſanè Sagam ad Aramæos, id eſt, Scythas retulit, nec malè ſacerdotem & expiatorem eſt interpretatus, eò quòd is benedicat & conſecret, ita vt Sagunning, ſiue magna conciſione Sang nobis dici poſſet, atque hinc Latinè Sangus vel Sanctus, quo is ſignificabitur, qui nobis primam cauſam fauore ſuo conciliare ſtudet. Sagunning, vel cōmunius Sagunninc is eſt, qui benedictionē dare conſueuit, formula illa qua Houeling, Carling, Merouing, & id genus alia dicuntur. Hinc liquet, vnde Sangus & Sanctus ad Latinos venerint, vocabula à nemine hactenus bene intellecta. Sed quia tota hæc tractatio ad Herculis myſteria ſpectat, & multis auctorum controuerſiis eſt implicata, quorum alij aliter de Sabinorum Sango ſuſpicantur, erit reiicienda ad Herculem noſtrum, qui Deorum duodecimus cùm ſit, duodecimo à nobis loco in Theologia noſtra recenſebitur; vbi quis Sangus, quis Sabus, quis Sanctus, quis Sabinus, & quæ herba Sabina, aliter quàm hactenus quiſquam ratione & auctoritate, ſi is, qui verè & primò Sanctus eſt, tantiſper vi-

ram mihi prorogabit, oſtendam: quæ ſi huc omnia fuiſſent allata, antiquos Saxſonum vicinos & cognatos ab hoc libro excluſiſſent, quod mihi æquum non videbatur. Nam ea quæ hactenus de Sacis, eorumque colonis dixi, quamuis per ſe ſatis clara probataque ſint, plus tamen lucis & confirmationis accipient, ſi alios quoque Cimmeriorum colonos adiecero, qui ex Aſiana Scythia in Europam valde olim perinde atque ipſi commigrarunt. Neque enim parum ponderis habet ad fidem faciendam antiquiſſima gentium vicinia, quam in migrationibus, licet non ſemper, ſæpe tamen videmus conſeruatam. Cimbri, Saxones, Suebi, Goti, Alani, & alij plures, ſic ex Aſia venerũt, vt omnes in Germania & Sarmatia cõſederint: quos ineptiſſimi quidam fabulatores, quamuis primas in hiſtoria velint tenere, ex Gotia, & Suetia, & vicinis locis eduxerunt; contra quos non aliam operam ſumam diſputandi, quàm eam quæ veritatem additis rationibus, & teſtium grauiorũ, quàm ipſi ſint, auctoritatibus, explicabit. Primos igitur poſt Sacas, Dacas ponemus, propter vocum quandam & rerum alluſionem, quæ hinc originem duxit. Homines ferè paulatim ad parentum probitatem ſeueritatemque imitandam fiunt negligentiores, naturæ prauitate continuò contra diſciplinam & bonos mores bellum gerente, ac ſenſim lolio in bonam irrepente ſementem. Sagæ cum conſecratione emiſſi, inde nomen principio retinuerunt; quod quia commune ipſis cum ſacerdotibus erat, in Sacan commutarunt; quo, cauſæ cognitionem habens, ſignificatur. Et quemadmodum ſapientiæ ſtudia, & philoſophi nomen non nunc modò ſunt deſpicatui, & apud vulgus ridicula; ſed olim etiam florentibus Athenis contemptui in publicis & Panegyricis totius Græciæ theatris fuerunt; ita apud priores etiam acciderat mortales, vt eos qui Sa-ken à cognitione cauſæ nominabantur, veluti frigidi quidem & ocioſi diſputatores æſtimarentur. Qui igitur ſecundam coloniam è Cimmeriorum finibus erant ducturi, nomẽ Sat-ken, ſiue ablato Tau compoſitionis noſtrę more, Sa-ken ſe nominarũt: quo ſignificarent, ſe non cauſarum vti Sacas, ſed rerum gerendarum factorumque notitiã habere. Sicut enim Sa-ken ſignificat Noſce cauſam: ita Sa-ken ſignificat Noſce factũ. Vetuſta igitur illa Sacarum ſapientia, & vitæ probitas, & cauſarum omnium examinatio, veluti quædã rugoſa & delira anus, iam tum in contemptũ venire cœpit. Maluerũt igitur à cognitione facti, quàm à cognitione cauſæ nomẽ ſibi adſciſcere, quòd in omni negocio quid factum ſit, quàm qua cauſa factum ſit, maiorem rationem habendam putarent. Communi igitur more Saken interpretabãtur, vel cauſarum cognitione ad ſummã cauſam non relata; vel ſi ad illam etiam reſpicerent, deriſa hac cauſarum ex-

aminatione veluti inutili,& nihil ad res gerendas aut domi, aut foris profutura. Qui enim philoſophiæ operam dant, quique omnia ſua ſtudia eò conferunt,vt ad primę cauſæ notitiam, quoad eius fieri poteſt aſpirét,ij plerumque à vulgo hominum deridentur, adeò vt medici ſolis experimentis nitentes, pluris fiant,quàm ij, qui longo ſtudio,via,& ratione recta, medicinam per cauſas didicerunt, & ei longam per cauſarum in ſingulis examinationé experientiã addiderunt; cùm tamen citra accuratam cauſarum in ſingulis cognitionem,nulla queant vel eſſe,vel verè dici experimenta. Eadem eſt in reliquis omnibus vitę officiis apud vulgus peruerſitas iudicandi;quoniam euentis,nõ cauſis,metiantur omnia. Dacę igitur, ſiue Daci,quodam quaſi in Sacas conuitio,aut certè deriſione,nomen ſibi ſumpſerũt: quod tamen alij nonnulli mutarunt Cappa de medio ſublato, quòd non magni faciendum videretur, facere nouiſſe, ſed ipſa facinora laudarentur. *Satn* igitur,vnde Latini Daas faciunt,facinora ſunt, nomine de communi conſuetudine, per Delta ablatũ, mutilato; cùm integrum ſit *Saden*. Id vicini conſpicati,eiuſdem linguæ homines ridere, ac dicere non illo modo mutandum nomen fuiſſe, ſed hoc,quo ex Dais fierent Daui, quæ vox à Cimbrica formatur *Sauan*, quæ ſignificat, Apage hinc: quaſi dicerét eos tantùm à facinoribus,à quibus appellari volebant, abhorrere, vt ab honeſto vicinorum conſortio viderentur expellendi: quanquam ſciam Digamma à Græcis interponi duabus vocalibus ſolere,citra hanc etiam cauſam, vt Priſcianus annotauit. Et ne mirum hoc aut abſurdum cuipiam putetur,addam ſimile exemplum hactenus omnibus notũ. Franci Gotos poſt longa & multa cum ipſis bella geſta, ac inde odium & contemptum exortum,pro *Sueten*, vti nominari volebant,*Suiten* vocarunt: quę vox idem ferè ſignat quod *Sauan*. *Suit⌣* enim, compoſitũ ex *Sa* & *uit⌣* per diphthongum noſtratem, quibus ſignificatur, Ito extra; is propriè dicitur,qui dignus non eſt, vt ad honeſtam ſocietatem admittatur,& dignus,ſi in ea ſit,vt extrudatur. Vtrumque ſanè mordax fuit conuicium,ſed poſterius priore elegantius,quia Epſilon tantùm in Iota mutetur; in illo noua littera addatur, quaſi illa non Delta exemptum, è conciſo vocabulo videretur. Iidem igitur Daci,Daæ & Daui; licet diuerſa ratione ſic nominentur. Prima eorum habitatio fuit ad deſerta Margianæ, vnde videntur pòſt commigraſſe ad flumen Daicem,qui ab ipſis fortè nomen ſortitus eſt. Curtius eos in Bactris commemorat, quæ ad Iaxartem vſque extendit; vbi Menedemum, ab Alexandro, contra Spitamenem Bactrianæ defectionis auctorem miſſum, occidiſſe narrantur, vnà peditum duobus millibus,

& equi-

& equitibus trecentis trucidatis. Horum equi tum binos armatos ferebant, quorum inuicem ſinguli repentè deſiliebant, equeſtris pugnæ ordinẽ turbantes eadem ſua, qua equorum, pernicitate. Horum ſedem Maracandæ & Maſſagetarum finibus vicinam, Curtius facit, à Ptolemæo hîc nihil diſcrepante ſententia: è qua haud ſecus atque ceteri Cimmeriorum coloni, in Europam paulatim profecti, eam pòſt tenuere regionem, quæ nunc Septem caſtra, & Tranſiluania nominatur, vnà cum vicina Mudauia, & parte Walachiæ. Sed ſentio mihi hoc loco de Strabonis auctoritate reclamaturos quoſdam, falsò me aſſerere, Dacos Europæos, & Daas Aſianos, eiuſdem gentis & originis eſſe, qui de Tranſiſtrana regione loquens, ad hæc, ſi Latinè vertatur, ſenſa ſcripſit. Eſt & alia regionis ab antiquo manens partitio. Hos enim Dacos, illos Getas appellant: Getas quidem eos, qui ad Pontum vergunt, & Orientem: Dacos verò, qui contrà ad Germaniam & Iſtri fontes; quos equidem opinor antiquitus Dauos vocatos eſſe: è qua re natum, vt Getæ & Daui apud Atticos ſeruorum nomina extiterint, in omniũ ore fluitantia. quod ſanè credibilius eſt, quàm à Scythis, quos Daas vocant, accepiſſe appellationẽ, eò quòd iſti longè abſint, vltra Hircaniam etiam remoti: nec par ſit credere, illinc ad ipſam vſque Atticam mancipia deportari ſolere. Nam ſeruos, vel gentium è quibus afferebantur nominibus, vocabant, vt Lydum & Syrum: vel iis, quæ apud illas plurimùm eſſent in vſu; vt è Phrygia allatum, Manem aut Midam; è Paphlagonia Tibium nominabant. Hæc Strabo, qui in eo fallitur, quòd neſciat, omnes Europæę Scythiæ populos, ex Aſia primùm veniſſe; vti nos de Arcę requieſcentis loco deduximus: & illo nos iuuat, quòd Getas, qui Goti ſunt, vti mox docebamus, Dacis proximos locet, quos nos in Aſia vicinos inter ſe fuiſſe ſcimus; tum de Curtio, qui Maſſagetas & Daas coniunxit; tũ de Ptolemæo & aliis idem aſſerentibus edocti. Maſſagetarum enim ſobolem Getas eſſe, iam mox oſtendam: qui, vti in Aſia, ita in Europa Dais fuere vicini. Præterea quare ſerui Daui potiùs, quàm Daæ aut Daci dicerentur, ex eo licet coniectare, quod antè dixi, *Sauan* conuicium eſſe potiùs, quàm nomen, quo is ſignificatur, qui dignus eſt, vt expellatur. Non mirum igitur, ſi quos vendebant, eos Dauos vocarent, quamuis Daæ fuiſſent dicendi; cùm eo ipſo facto eos à ſe eliminarent, quaſi *Sauay*, id eſt, hinc apage, dicentes. Sin id non placet, rurſus contra Strabonem dicam, faciliùs ex Dais fieri Dauos, quàm è Dacis; cùm nulla ſit cauſa qua Cappa in Ypſilon tranſeat, & ſit cauſa quare è Daa fiat Daua, ob lenitatem nimirum; ne hiatus duorum Alpha moleſtus eſſet auditu, ſi

crebrò

crebrò, vt fit, in nominibus seruorum repeteretur. Mihi prior placet ratio, tametsi posterior hominibus linguæ nostræ ignaris, potior fortasis sit habenda. Verùm illud Virgilij mirum est, quòd in clypeo pingendo Araxem cum Dais enumeret, cùm nec in Asia quidem Daæ Araxi fuerint vicini. Sed quia nihil ociosum est in hoc Poëta, diligentiùs considerandum, quare Daas indomitos dicat, cùm & à Cyro & ab Alexandro domiti sint, & multis seculis sub Persarum regibus vixerint. Insigne profectò hîc artificium duobus verbis conclusit, dum Daas indomitos dixit. Erant enim Virgilij tempore in Asia indomiti; eò quòd Persarum regnum, quod Arsacidæ, origine Daæ, tenebant, adeò à Romanis domari non potuerit, vt Crassum cum toto exercitu, non ita multò priùs absorpserit. Arsaces enim Daa erat, ex iis quos Parnos Nomades dicunt, ad Ochum, qui in Oxum influit, habitantes; quamuis Strabo dubitet, Daa ne fuerit an Bactrianus, aliis hoc, alijs illud sequẽtibus: qua tamen in re id notandũ, quod modò monui, Curtio Bactrianam ditionem ad Iaxartem vsque extendi; ita vt generatim minores regiones complecti nomine suo videatur: quod etsi non esset, potest tamen Daarum Parnorum regio, quæ ad Ochum erat, Bactriano nomine comprehendi, quoniam Ochus per Bactra fluat, non per Daarum primam regionem, quæ Margianæ deserto ad mare Caspium terminabatur. Qui igitur apud Græcos tradiderunt, quæ Strabo scribit, aliter sunt intelligendi, quàm ab eo intelliguntur, cuius hæc sunt verba:

Φασὶ δὲ τοὺς πάρνους δάας μελανάσας εἶναι ἐκ τῶν ὑπὲρ τῆς μαιώτιδος δάων, οὓς ξανδίους ἢ παρίους καλοῦσιν. *id est,*

Aiunt verò, Parnos Daas colonos esse Daarum, eorum, qui supra Mæotidem sunt, quos Xandious aut Parious vocant, aut saltem ex eorum regione ad hęc loca venisse. Hoc cùm apud Græcos didicerit; æquum est, vt eos, qui hoc dicunt, putemus sic audiendos; quasi dicerent omnes Scythas Asianos, supra siue vltra Mæotidẽ habitare, atque in eorũ numero illos etiam esse, qui Daæ vocãtur: qua quidem ratione sermo eorũ acceptus, idem dicit, quod nos asserimus, atque id eo ab ipsis traditum, ne quis audiens Arsacen Daam fuisse, opinaretur eum de illorum Daarum sedibus, qui citra Mæotidem Græcis habitant, in Parthiam venisse. Quicunque verò illi fuerunt, quorum assertionem hîc Strabo in mediũ produxit, hoc saltem confessi sunt, & citra Mæotidem, & vltra Mæotidem Daas olim fuisse. Quocirca Daas illos citra Mæotidem Dacos dicemus, & à Dais Asiaticis genus duxisse, qui vltra Mæotidem longè gentium habitabant, atque

ita eiusdem gentis esse Daas & Dacos: quod nisi ita esset, frustra additum fuisset, Parnos à Dais, qui vltra Mæotidem, non ab illis, qui vltra Danubium duntaxat commorantur, originem habere. Quare autem Daas Xanthios appellet, is intelliget, qui nostrum vocabulum, Xant⌣, pro arena poni sciet. Nam Margianæ extrema ad Caspium mare, quæ Daæ habitabant, vasta arenarum solitudo excipiebat, qualis totam Margianam ferè claudebat, sed maximè qua parte Daarum fines erant, vt meritò inde Xanthij dicerẽtur, sicut & Tassandros siue Taxandros ab arenarum copia nominari priùs ostendi. Hos etiam Parios vocari cùm videam, causa quærenda: at non diu quærenda, cùm ex Curtio modò docuerim, eum Dais morem in militia fuisse, vt vnus equus duos portaret, qui vicissim ex equo desilirent, atque equestrem hostium aciem perturbarent. Bini igitur in singulis equis ad pugnam ferebantur, atque inde Parei sunt nominati. Par enim lingua Cimbrica, si vocalis longa sit, atque vt nomen vsurpetur, idem significat, quod Par Latinorum: sin vt verbum in orationem veniat, idem est, quod per paria dispono. Cùm igitur aciem sic instruerent, & exercitum quoque sic ducerent, vt per paria omnes milites distribuerentur; cœperunt ab hac consuetudine Parij nominari, cui voci Parnorum etiam appellatio respondet, cùm Parnot⌣, vnde Parnos factum est Græcis, idem sit quod necessitatem parem reddo, vel ea, quæ necessaria sunt in periculis, paria facio. Mot enim necessitatem & periculum notat: quod qui duobus par facit, is Parnot⌣ lingua nostra dicetur. Habemus nunc Dacorum, Daarum, Dauorum, Xanthiorum, Pariorum, Parnorum veras rationes: quibus eluceſcit, eosdẽ hos principio fuisse, ac Daas cõmuniter citra cognomentũ appellatos: quod si adiiceretur Daas, Parnos, siue Parios dici, atque ita significari rationẽ modumque peculiarẽ, quo in militia à ceteris differrent. Arsaces ergo oriundus erat è Dais Parnis, non aliis illis quidem quàm Dais, sed Dais honesto militaris disciplinæ cognomine decoratis; vt antè quoque de Tectosacis Volcis dixi. At qui vocabula non intellexerunt, putarunt alios esse Daas, alios Daas Parnos; in quo quidem id fieri potuit, vt illi, qui ad Ochũ habitarent, hac equitandi consuetudine, ceteris, qui versus Caspium mare agebant, vel excellentiores essent, vel apud vicinas gentes notiores, & hac de causa, militari cognomento ab aliis distinguerentur. Arsaces itaque illustriùs Daa Parnus, quàm simpliciter Daa dicebatur; & Daæ Parni, à Dais, qui Græcis terrestri itinere vltra Mæotim habitabant, sic erant orti, vti Germani Crygmanni, è Germanis; siue vti milites è populo. At è quibus Dais? ex illis, qui vltra Mæo-

tim

tim habitant, non citra; ad discrimen Daarum, qui ad Carpatios montes commorantur, quique Daci vulgò dicuntur. Qui ergo vltra Mæotim, immo etiam vltra mare Caspium erant, Daæ Parij, & Xanthij etiam vocabãtur, altero cognomine à militia, altero de regionis natura sumpto. Hæc nos fusiùs; quò Strabo adiuuetur, qui non solum in his, sed in illo etiam hæsitauit, quòd à quibusdam videret Arsacem Bactrianum dici, quasi hac ratione alterius gentis, linguęue diceretur. Indicaui modò Bactrianam apud auctores aliquando tam latè vsurpari, vt Margianam & Sogdianam cõplectatur, atque ita à Curtio dici, Bactrianos à Scythis Tanai siue Iaxarte diuidi; quo item modo non malè quis dixerit Arsacem Bactrianum fuisse. Poëta nosster Bactrorum nomine ferè sic vsus est:

Nec pulcer Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra neque Indi.

Et iterum.

Hinc ope Barbarica, varijsque Antonius armis
Victor ab Auroræ populis, & litore rubro
Ægyptum viresque Orientis & vltima secum
Bactra vehit, sequiturque, nefas, Ægyptia coniux.

Arsaces itaque, quamuis propriè Daa Parnus esset, Bactrianus tamen dici quoque potuit: quod si fuisset ab aliis animaduersum, omnis scrupulus de eius origine fuisset exemptus. Est autem Ἄρσας is, qui causas demoratur, id est, qui causationem nõ admittit; nomen Dais maximè conueniens, qui non de causarum examine & cognitione, sed de factis sese nominarunt. In bello enim, res strennuè faciendo, non causando geritur; quod Agamemnon Pisandrũ & Hippolochum; & Æneas Magum docuit, orationem supplicem, ferro per iugulum adacto, abrumpens. Eodem illud spectat:

Tum caput orantis nequiquam & multa parantis
Dicere, deturbat terræ.

Hoc igitur est verè Arsacis nomen mereri, causationes hostium factis & ferro terminare: quod dum cuipiam dabatur, admonebat non citra amaram Sacarum irrisionem sic res gerendas, vt causarum explicatus facta occupent, ac stare cessareque cogant. Ἄρ enim impedimentum notat, & omne id quod cessare facit, vt antè monstraui in voce Ares. Non est igitur Dacorum tantùm nomen aduersus Sacas confictum, sed multoetiam magis ipsa Arsacis nomenclatura;

vt vel hoc ipſo coniici poſſit, Daam fuiſſe. Quia ergo Arſacidæ, origine Daæ, à Romanis domari nullo modo poſſent; meritò dictũ eſt, *Indomitiq́ue Daæ*. & quo intelligeretur non ſolos illos Daas, qui ad Iſtrum ſunt, indomitos eſſe, contra quos Auguſtus ante mortem bellum parabat; ſed alios etiam, è quibus Carpathij Daæ ortum habent; ſignificanter adiecit, *Et pontem indignatus Araxes*: ad quem vſque fluuium, & vltra etiam, Arſacidarum regnum pertinebat. Quis verò pons fuerit, quem indignè tulerit, mox dicemus, de Cyri tranſitu locuturi: quem adeò indignè tulit, vt reditum negaret. Quod Seruius de Auguſti ponte ſuper hoc flumine facto adducit, minimè placet, cùm eius apud Suetonium nulla extet mentio; & illa Cyri temeraria tranſeundi audacia, multo ſit illuſtrior. An verò pontem, an Pontum meliùs legas, Grammatici diſputent: mihi certè, quod modò dixi, arridet, propter egregiam clariſsimi Regis memoriam, quæ clypeo in primis conueniebat, quamuis anachroniſmus in eiuſmodi deſcriptionibus ſit admittendus, qui multo maior eſſet, ſi de Auguſti ponte, quem Seruius ſomniat, locutus fuiſſet. Arſacidæ igitur indomitos ſeſe eſſe, nõ in Craſſo duntaxat cum toto exercitu cæſo, ſed in Antonio etiam non citra maximas clades vix elapſo, oſtenderunt: quò reſpiciens doctiſſimus Poëta, Indomitos Daas dixit; non illos modò in Europa, ſed multo etiam magis eos, quorum imperium Araxes irrigabat. Vna igitur & eadem opera, vnoq́ue verſiculo, Dacorum, qui Romanos tum temporis ad Iſtrum vexabant, & Arſacidarum originem potentiamq́ue, & Cyri pontem, eiúſque interitum indicauit, multo plus artis in receſſu condens, quàm Grammaticorum pueris prima facie oſtendat. Dacos autem Europæos hîc ſignificari quis neget, qui modò illius temporis hiſtoriam norit, quo non Dahas illos Aſiaticos excurſiones cõtra Romanos, ſed Dacos feciſſe legimus, dicente Suetonio, Dacorum incurſiones ab Auguſto coërcitas fuiſſe, cæſis tribus ipſorum ducibus. Horatius meminit Gotiſonis Daci: *Occidit Daci Cotiſonis agmen*; de hac Auguſti victoria citra dubitationẽ intelligendus: quo loco nos Gotiſonis legeremus, ſi linguæ potior ratio, quàm ſcripturæ, eſſet. Crebrò G in C tranſit, non ob ſonũ tantùm vtrinque cognatum, ſed figurarum etiam apud Latinos ſimilitudinem. Goteſon autẽ, idem eſt quod Dei filius; quod nomen Comiti cuidã Antwerpienſi quõdam fuit, qui ne ſuperbire nomine ſuo videretur, pro Goteſone Goteloné ſe vocauit, id eſt, Dei mercedẽ; vel vt verbum ſit Lon in compoſitione, Deus mercedem ſõluat, quorum vtrumque æquè poteſt ſignificari. Sed quia pro eodem, & quidem vſitatiùs & linguæ noſtræ congruentiùs Gotſſon dicitur, factũ

eſt

est, vt apud historiæ scriptores Goceson corruptè, pro Gotscoy, inueniatur: quo loco de Frederico fratre Gotslonis ducis Lotharingiæ intra Antwerpiæ mœnia à Balduino Flandriæ comite obsesso, tractatur. Gotizonis autem mentio fit in donatione quadam Imperatoris Henrici, qua Wauerwalt silua, qua Machlinia tum continebatur, Baldrico Episcopo Leodiensi, & Baldrico Comiti Louaniensi libera fit à seruitute venatica, onere profectò grauissimo, vti illi, qui siluis, huic seruituti obnoxiis, agros vicinos habent, magno damno suo experiuntur. Facta autem est hæc, huius siluæ in Gotizonis Marchionis ditione sitæ, donatio, ante quingentos sexaginta & plus eo annos. Placuit hoc annotare, quò de propriis hominum nominibus inter se conuenientibus, linguæ quoque conuenientia, aut potiùs vnitas intelligeretur: quæ facit, vt quæ de colonia Dacorum à me dicuntur, ea fidem suam faciliùs tueantur. Verùm vt clarius etiam constet, Virgilium de Dacis siue Dais Europæis intelligendum, dum eos indomitos dicit, addam & alterum Horatij locum eius rei testificationi:

Pæne occupatam seditionibus
Deleuit vrbem Dacus & Æthiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Hîc Dacos ab arte sagittaria laudans, Scythicam eam gentem indicauit; quæ sic hac in re olim excelluit, vt inde nomen sit adepta, vti pòst aperietur: atque hinc rursus verisimilius fit, Dacos Daas esse ab Asia in Europam traductos. Liuius in Antiochi exercitu, mille ducentos equites Daas fuisse dicit, atque eos quidem sagittarios: vnde perspicuum fit, hoc armorum genere maximè excelluisse, atque rectè Dacis quoque hanc maiorum laudem ab Horatio adscribi. Herodotus in Clio sua, Daas Nomades facit, haud dubiè eos qui olim è Margiana ad Daicem flumẽ cõmigrauerant: sed in Xerxis exercitu recensendo, non Daas, sed Dadicas nominauit, quod nomen concinnius est, quàm Daarum, eò quòd Dadich eum significet, qui gerit; cùm Daen significet res gestas: altero nomine concretè, altero abstractè eandem eis deferente laudem. Quod autem Dadicæ iidem sint qui Daæ, de recẽsitu eorũ liquet; quoniam post Chorasmios, & Sogdios, & Gandarios enumerẽtur, & eandem armaturam habuisse dicantur quã Bactrij: è quo & illud elucescit quod dixi, Daicem nomen à Dais accolis traxisse. Daich enim & Dadich idẽ nobis signat, vti Vader & Vaer, Moder & Moer. Et tãetsi nõ aliud fuisset argumentũ, quàm hoc ipsum adiect. nomẽ Dadich, tamẽ vel ex eo solo hominibus ser-

monis noſtri peritis liquêre potuiſſet, Daas à rebus gerendis nominari. Domitianus item infeliciter contra Dacos per Oppium Sabinum, ac deinde per Cornelium Fuſcum, bellum geſsit, licet ſtolidè de illis triumphum egerit. Tantum autem metum iniecerant, vt annua tributa iis Romani ſoluerent: quod Traianus indignè ferens, bellum contra eos mouit, omnium eorum, quæ Romani geſſere, maximum, cùm totæ vires orbis contra ſolos Dacos contraherentur, atque id eo duce, cui virtute & animi magnitudine parē vix inuenias inter Imperatores, adeò vt Daci quando in fatis eſſet vinci, nunquam clariùs aut illuſtriùs vinci potuerint, aut dedecore minore gentis fortiſsimæ. Priore bello Decebalus Rex imperata facere coactus eſt; at iterū rebellione mota ſuperatus, & regia, & omni ditione exutus, ne in hoſtis poteſtatem veniret, mortem ſibi ipſe conſciuit: cuius regionem Traianus colonis eò deductis, ac opidis de nouo aut ſtructis, aut munitis, in prouinciam redegit. Maximè memorabile in illo ſecundo bello opus, pons fuit ſuper Danubio ingentibus impenſis extructus. Viginti ſtabant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedes præter fundamenta: latitudo ſexaginta: interuallum earum centum ſeptuaginta pedes cōtinebat; è quibus ſumptum & magnificentiam licet æſtimare. ſed vt hic magno animo hunc pontem, quo facilis Romanis ad Barbaros tranſitus eſſet, fecit; ita Adrianus fornices, relictis pilis, eſt demolitus, ne Barbaris ad Romanos perpetuus tranſitus daretur. At hæc, præterquam quòd à Dione expoſita ſunt, clariorem etiam habent in columna Traiani memoriam; cui non hæc modò, ſed ceterę etiam eius res geſtæ ſpirali progreſſu ſunt inſculptæ: quæ ſupra quadrata baſi erecta tota conſtat è ſingulis marmoribus in orbem integris, ac interius in cochlidē excauatis; quam non ſemel adſcendi, admirabundus tum generoſi illius animi, tum ingentis moliminis & admirabilis ex integris marmoribus ſubſtructionis. Dacorum lingua eadem erat quę Getarum: & Getarum quidem eadem quæ Thracum: & Dacis item & Getis amici Germani, quorum ope maximè nitebantur; vti Strabo libro ſeptimo prodit. Idem libro vndecimo Daarum meminit, dicens eos Nomadas olim vocatos, ſuo verò tempore Daas nominari, ac habitare ad læuam iis qui in Caſpium mare nauigant, ac eos Parnos cognomento dici: quo ſanè modo legendum, vt ex iis, quæ priùs ex eodem auctore citaui, manifeſtum; non Aparnos, aut Sparnos, vt vitioſè ſcriptum in codice meo reperio: atque hac quidem parte mare Caſpium freti potiùs formam, quàm pelagi habere; ac deinde poſt deſerta, quibus Daarum regio terminatur, ad

Hyrca-

Hyrcaniam in pelagus abire ad montes vſque Medorum & Armenorum, qui lunari ſua forma qua finiuntur, lunatum quoque maris ſinum includunt: cui quidem ſententiæ Antonij Ionckinſoni Angli deſcriptio, non malè concordat, qui eadem forma mare illud depinxit, ob oculos ponere hac ætate volens, qua via Indicæ merces compendioſiùs in Moſcouiam, & hinc in ceteras regiones, quàm in Hiſpaniam, deuehi poſſint: & dicũtur quidem naues in illo mari ab Anglis nunc parari, quò diligentiùs & propiùs omnia cognoſcãtur. quæ res ſi bene cedat, fieri aliquando poſſet, vt Germani primam ſuam patriam reuiſerent, ac Nyſæos colles primæ vindemiæ cõſcios, poſt tot ſeculorum decurſum, iterum ſalutarent. Hyrcania enim ad Nyſæam vſque extenditur, vt Strabo ſcribit, quamuis alij eam ſeorſum ponant: ſed quia Hyrcaniam Oxo & Ocho irrigari addit, quorum Ochus per Nyſæam fluat, apertè conuincitur, Strabonem hoc loco cuiuſpiam ſcriptis deceptum, qui Hyrcaniæ nomine Daarum & Margianorum omnium regionem comprehenderit: quod in Bactrianæ quoque appellatione à quibuſdam fieri, modò oſtendi. Non parum certè laudanda Anglorum hæc diligentia, qua non certior tantùm locorum notitia, ſed ingens etiam nauigationis vtilitas poſſet acquiri: cùm Ariſtobulus etiam & Patrocles, & Eratoſthenes tradiderint, plurimas merces per Oxum in Hyrcanum mare deuehi, ac inde per Cirum ſubuehi, atque tandem in Euxinum deferri conſueuiſſe. quod ſi ita eſt, quanto faciliùs per Rha, ſiue Volgam latiſſimum flumen, in Moſcouiam, & inde in mare Germanicum merces Indicæ deportari poſſent; cùm inter mare Caſpium & Germanicum omnia plana ſint, & è Volga facilè in Duinam, vel Neruam, vel aliud flumen, onera traheis per hibernas niues celerrimè & minimo ſumptu deferri poſſent, à quorum oſtiis quotidie naues Antwerpiam appellunt! Hac via, aromata non ſolùm celeriùs & multo minoris ad nos venirent; ſed infinito etiam viuidiora & efficaciora, ſi ipſis illis credimus, qui de humida cæli conſtitutione omnia ad putredinem æſtiuis noſtris menſibus in India trahente ſcripſerunt; in quorum numero Luſitanus ille eſt, qui hac ætate medicinam illic facit, & de aromatis librum ſcripſit. Atque hæc quidem de Daarum prima habitatione. Quòd autem dixi, verſus Daicè pòſt migraſſe, præter ea quæ ex Herodoto adduxi, illud etiam nonnihil confirmat, quòd Arrianus, libro tertio de Beſsi fuga agens, Daas ad Iaxartem collocauit; Iaxartem Tanaim nominans de illorum conſuetudine, qui Alexandrum ad Tanaim vſque exercitum duxiſſe fabulantur: quod tamen ſic corrigit, vt duos hoc nomine

fluuios

fluuios faciat: alterum Iaxartem, quem Alexandri adulatores Tanaim vocarint; alterum, qui reuera Tanais eſt, Europam ab Aſia diſtinguens. Hac igitur via per vaſtiſsimã illã planiciem Nomadicam, quã hodie Tartari & Moſcouitæ tenent, eos credo paulatim in Europam veniſſe, vti ceteros Cimmeriorum colonos, ac tandem eam regionem occupaſſe, quam Romanorum tempore tenebant: quæ quamuis magnas paſſa ſit mutationes, hactenus tamen parte non parua ſui, linguam eandem habet, quam Saxones, quam alij antiquitatis huius ignari, à Saxonibus inuectam crediderunt: & vt ego non negem à Carolo Magno Saxones aliquos eò deductos fuiſſe, nõ tamen credam, linguam hanc tum demum fuiſſe inuectam. Nec mirum Dacis Dacicæ linguæ adhuc manere vſum, cùm in Walachia Romanæ linguæ adhuc extent veſtigia, ab eo tempore quo Traianus in Daciam colonias duxit. Dedit hæc regio nobis cùm alias, tum hoc tempore grauiſsimi belli occaſionem, dum de ditione eius inter Chriſtianos principes controuerſiæ, armis, non rationibus, decidũtur: quibus Turcarum Imperator ſeſe immiſcens, Segeſtanam arcem omnium firmiſsimam, in poteſtatem redegit, ac vel in Italiam, vel in Germaniam, viam muniuit, non illam quidem ſibi, ſed ſucceſſori, niſi Deus auerrat; eò quòd in hac victoria ſenex poſt omnes reges Europæ & Aſiæ ætate ſuperatos, extremum diem morbo clauſerit, hoc ipſo illuſtrior, quòd ad extremum vſque ſpiritum & arma tractarit, & ſummum Imperatoriæ dignitatis munus explerit. Iornandes in Geticis Daciam ſua ætate à Gepidis poſsideri dicit, addens, hanc regionem è regione Mœſię (ſic enim Myſiam vocat) trans Danubium ſitam, montium corona ſic cingi, vt duos tantùm habeat acceſſus; vnum per Bontas, alterum per Tabas; vocariq́ue, pro Dacia, à nouis incolis, Gepidiam, ab Oriente quidem Roxalanis; ab Occaſu Tamazitis; à Septentrione, Sarmatis & Baſtarnis; à Meridie, Danubio terminatam. Videmus hîc quò paulatim proceſſerint Gepidæ gens Gotica, & Roxalani: quo fit, vt plurimùm fallantur, qui de locis ipſis gentium veras appellationes colligunt. Dacia igitur à Dacis, ſiue Dais, nomen habens, dominos aliquoties, quemadmodũ ferè omnes Sarmatiæ regiones, permutauit: at hoc ſingulare habet, quòd in tanta vicinarum gentium permutatione, tertia adhuc ſui parte veterem linguam conſeruarit; quam eandem cum Saxonica eſſe, ipſemet ab anagnoſte illius nationis vernaculo iuuene, ſanè Græcæ Latinæq́; linguæ bene erudito, cuius opera in Hiſpania aliquantiſper vſus ſum, didici; qui falsò eiuſdẽ linguæ cauſam putabat, quòd crederet Carolum Magnũ gentem Saxonicam eò traduxiſſe, neſcius

qua

qua lingua olim Daci vſi fuiſſent. Scio equidem, valde olim, antè multò quàm Romani Daciam tenerent, in Pannonia ſuperiore vrbem fuiſſe, cui à Sacis nomen eſſet: verùm ignoro, à Sacis ne, an à Dais Sacarum mores aut militiam ſecutis, fuerit vltra Danubium meridiem verſus conſtituta. Ptolemæus eam Sacarbantiam vocat; quo in nomine Sacart, id eſt, Sacarum mores, aut indolem, naturamque habens. Sant autem quid ſit, in Brabantiæ nomine ſatis oſtendi. Fieri poteſt, vt à Tectoſacis fuerit conſtructa, iis, inquam, qui fortaſsis vnà in Aſiam non tranſierunt; vel ab aliis Gallis qui ſe Sacarum æmulos nomine ſuo iactarent. Porrò illud minimè negligendum, Dacis cum Saxſonibus non originem tantùm & linguam, ſed religionem etiam communem fuiſſe. Vtraque enim gens ſummo honore Mercurium coluit, quem Hermay vocabant, quo communis omnium monitor notatur, vti latiùs in Deorum expoſitione docebo. Tacitus generatim ab omnibus Germanis Mercurium maximè coli tradit; ſtatuas tamen humani oris ſpecie Diis nõ fieri, ſed Deorũ nominibus ſecretum illud, quod ſola reuerentia vident, nuncupari. Lucos igitur & nemora, vt idem refert, conſecrant, & vt ego comperio, integras etiam vrbes Deorum nominibus appellant. Hinc igitur in Dacia Hermanſtat, id eſt Hermopolis, à Mercurio nomen duxit, præcipua totius regionis vrbs: cui in Saxonia Hermanſat accedere videtur: de quo temporum illorum barbaries nihil certi nobis reliquit, aliis Hermanſuet, aliis Hermanſat, ſcribentibus. Albertus Crantſius hanc inſcriptionem inuentam tradit:

Dux ego gentis Saxſonum, victoriam certam polliceor venerantibus.

Addit deinde hanc effigiem, vt toto corpore armatam dicat, dextra vexillum militare tenentẽ, cui roſa intexta, ſiniſtra Libram. Pectus ei inerme, præ ſe Vrſum tuliſſe. In clypeo Leonem fuiſſe. Effigiem totam ſtetiſſe in campo floribus luxuriante. Horum interpretationem bene frigidam adiecit. Nos totam hanc delineationem ſymbolicam eſſe dicimus, & nulli Deo peculiariter propriam ſuámue. Alludit nomen quidem ad Hermay, ſed quæ adiicitur cauda, ſignificationis rationem penitus immutat. Haſ & Saſ pro eodem voces ſunt Cimbricæ, ſali ſignificando impoſitæ, ab Haſ, id eſt, conſeruo; à quo fit ſal, quaſi So Haſ, id eſt, ad conſeruandum. Haſ autem olim in vſu fuiſſe, de opidis ad Salinas poſitis, & inde nomen adeptis, licet æſtimare. Eſt Haſ inter Swatzum & Oenipontem ingenti ſalis monti ad radices hærens, vbi ſartaginibus ad viginti & ampliùs pedum diametrũ patẽtibus ſalis petra ſalſæ aquæ permixta, tum ad dulcedinem coquitur, tum ad augmentum. Eſt & Haſ in

Saxsonia eandem nominis rationem habens. Hoc verò tempore Salt & Sout magis est in vsu, sicut pro Halt, Haut; pro alt, aut ferè pronunciamus. Permitterem Græcis & Latinis harum vocum natales, si etymō domi suæ, vel melius, vèl par inuenire possent: quod cùm nequeant, fateantur primogeniam originem nostratibus deberi, qui Salem à conseruando dici intelligunt. Hinc igitur mox elucescit, cuius rei tesseram & symbolum in sacris ritibus gerat. Christiani pueris quos baptizaturi sunt, salem in os indunt, sapientiæ salem ab ipsis accipi iubentes; quo significant conseruationē hominis, atque eius salem in sapientia consistere. Precantur igitur hoc suo symbolo, vt Deus sapientiam eis largiatur, cuius supremus apex est, vt Deum sapiant atque cognoscant, cuius solius intuitu homo conseruatur. Hinc Mosi Deus præcepit in hanc formam: Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. In Numeris item Aaron alloquens, pactum salis ei, & filiis eius sempiternum esse dicit. Christus verus sal, & vera patris sapiētia, Apostolos suos dixit esse salem terræ; eò quòd per eos sapientiam suam mundo largiturus esset, per quam omnes seruarentur ad vitam sempiternam. Bene autem salem pacti ęterni vocauit, eò quòd illo significaretur sapientia & verbum patris incarnandum, quo homines seruandi essent, quod Deus Adæ promisit, dum fore dixit, vt semen mulieris cōculcaret caput Draconis. Pactum igitur illud & fœdus quod Deus cum homine serpentis fraude decepto sanxit, sale notabatur: eò quòd illo solo, perinde atque sale quodam diuinitatis, hominē ab omni corruptione, cui per peccatum obnoxius erat, saluum redditurus esset. Per sapientiā igitur crucis suæ ab interitu nos liberaturus, voluit in omni sacrificio salis hanc tesseram adhiberi; vt intelligeretur non è nobis, sed aliunde; ab eo nimirū, cui sacra faciebant, conseruationem corporis & animi pendere; atque ab illo solo sapientiam nobis eam infundendam, qua salutem consequi possimus, eamq́; esse salem fœderis sempiterni. Admiranda mysteria sub exigua recula & vbiq; obuia, & nunquā non necessaria, contineri videmus: quę significantissimè lingua nostra tribus litteris expressit, dum salem à conseruando, per excellentię figuram, nominauit. Non immeritò igitur baptizādis exhibetur, quò huius fœderis, huiusque sapientiæ, per quam solam, effugere possumus corruptionē, omnes adstantes recordentur, & ipsi tandem, cùm adulti fuerint, cogitent, se cum illo vnitos esse, cuius solius ope salutem obtinere possint. Hinc illud est, quòd pactū conuentionemq́; cum aliquo inituri, salem degustare solent: eo innuentes, se, quæcunque dixerint pepigerintque, seruaturos esse, non aliter atque si sale essent condîta.

Ex eodem fonte manat,quòd Saſt,ſiue Saut,ſiue Soſt, vti plerumq; ad ambiguitatẽ vitandam dicimus, pro ſtipẽdio ponatur;quo milites obligãtur, vt memores ſint,ſe illud accipere, quò firmam incorruptãq; fidẽ ſeruare teneantur, quaſi incorruptibili fœdere ducibus ſuis deuincti. Antiquitus tamẽ nõ tã ſtipẽdiũ ſpectabatur, quàm fœdus ſale conſignatũ:quod tã ſanctũ habebatur, vt ij,qui ſic inter ſe cõueniſſent,omnia,quę ad vitę ſiue cõmoditates,ſiue pericula pertinerẽt,cõmunia exiſtimarẽt.Sed quia raritas permagna eorũ eſſet,qui cõfœderationẽ eiuſmodi cũ principibus inire vellẽt, cœpit ſtipendiũ ſalis locũ implere,ita vt nomẽ quidẽ ſit conſeruatũ, ſed immutata ratio paciſcẽdi.Qua de re facile eſt videre,quàm verè Cęſar de Soldurijs ſcripſerit;quod neſcio,an à quoquã hactenus ſit intellectũ.Atque,inquit, in ea re omniũ noſtrorũ intentis animis alia ex parte opidi Adcantuannus,qui ſummã imperij tenebat,cũ ſexcẽtis deuotis,quos illi Soldurios appellãt:quorũ hæc eſt cõditio,vt omnibus in vita cõmodis vnà cũ his fruãtur,quorũ ſe amicitię dediderint,ſi quid iis per vim accidat, aut eundẽ caſum vnà ferant,aut ſibi mortẽ cõſciſcant. Neq; adhuc hominũ memoria repertus eſt quiſquã,qui eo interfecto,cuius ſe amicitię deuouiſſet,mori recuſarit. Hãc fœderũ amicitiæq; ineũdi ritum pleriq; omnes parũ animadŭertentes, mirãtur,quî factũ ſit,vt Cæſar ita deuotos,Soldurios dixerit Gallis vocari;cũ Soldurij illi ſint hoc tẽpore,qui ſalario conducuntur:quod vox ipſa cõpoſitionis ſuæ ratione apertè declarat. Accepit igitur ſtipendiũ militũ ab hac antiqua cõſuetudine honeſtiſsimũ nomen; quo cõmonentur,haud ſecus ſe Duci obedire debere,ac ſi ſalis fœdere deuoti fuiſſent. Crediderim itaq;à priſcis Cimmeriis,apud Romanos etiã nomẽ ſalarij ab hac origine fluxiſſe; ac tandẽ corruptis hominũ moribus, & amicitia & ſincera fide exulantibus,cœpiſſe prouerbio iactari; nemini fidendũ,niſi cum quo modiũ ſalis abſumpſeris : quaſi diceretur, nulla pacta,nulla fœdera ſatis firma eſſe, quamuis ſale ſint ſancita. neque enim parum ſalis ſufficere,ſed integrum modiũ cum eo priùs edendũ, cui fidem ſis adhibiturus. Quod prouerbiũ, quia Græcis etiã vſurpatum eſt,antiquum eſſe reor,& ab illa, quã dixi, priſca cõſuetudine deductum,ad quam dũ refertur, non paulo plus ſalis mihi videtur continere, quàm dum ſimpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo ſalis ſignificatio, cùm apud omnes, tũ maximè apud Cimmeriorũ colonos,ſacroſancta ſemper habita eſt,adeò vt hactenus, dũ quippiã ratũ eſſe volumus,aut in ſocietatem quãpiam cooptari,ſalem edamus, quaſi eo omnia ſalua fiant atq; confirmẽtur.Quãobrẽ ſalẽ in mẽſa caſu euerti ac diſsipari,inauſpicatũ habetur,eò q; portendere vi-

deatur eorum qui adsunt, amicitiam & fidem nõ diu constaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus obseruatam fuisse. Quia enim Sal à conseruando dicitur, nec potest homo citra hanc cum aliis coniunctionem vitam tueri, voluernnt prisci amicitiæ fœderumque salem symbolum habere. Hermanssal igitur ad verbum, publicum communemque virorum salem nobis significans, quid aliud sibi vult, quàm in fida societate hominum inter ipsos omnem & communitatis & singulorum consistere salutem? Et quia ad hanc firmam ciuium vnionem magna opus est prudẽtia, fit vt sal alterum rursus significatum habeat apprimè ad ciuitatem gubernandam cõseruandamque necessarium. Qua enim re magis opus est ad publicam salutem, quàm sapientia, cuius officium est omnia disponere & ordinare, quam sale quoque notari ostendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine suo se publicam virorũ conseruationẽ cõtinere profitebatur. Quia ergo tota armata erat, ostendebat nullam pacẽ, nullã tranquillitatem tantam esse, quin semper arma sint in promptu habẽda, & eam ciuitatẽ felicem censeri, quæ nunquam curam armorum deponat, sed semper ad defensionem sit parata, siue pax sit, siue bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicaretur; quod Vrsum præferens, notabat, eo nos animo esse debere, vt non solùm sæui contra hostes, sed astuti etiam essemus; quòd Vrsi contra Tauros pugnaturi supini iaceant, ac eorum, dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atq; ita validam belluam prosternant. Deinde, vt Vrsi sunt sæuissimi contra hostes, ita catulos suos mirum in modum amant; & quod imperfectum in eis est, dum in lucẽ veniunt, lambendo & fouendo corrigunt: quod item ciuibus cum omnibus, tum maximè optimatibus imitandum, vt sæuitiam contra hostes, amorem erga suos, & omnem iuuandi diligentiam exhibeant. Multa sunt quæ in hac fera symbolicôs considerari possunt, sed nihil æquè atque hæc duo, amor erga catulos, & sæuitia contra hostes, quam ingenio & solertia iuuant. Nõ est tamen illud etiam negligendum, quòd pectori potiùs quàm capiti Vrsum additũ videamus, quo moneremur, virorum fortium esse, pectore, nõ ore, sæuire. In Vrso enim horrida illa & continua, dum irascuntur, vociferatio, quam sæuitiam propriè nominandam quidã arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; sed contrà os comprimere, & pectore imperterrito in hostem ferri, sic tamen, ne vrsinę astutię immemores simus. Clypeus Leonem habebat, signum maximi & regij animi: quod apertius est quàm vt multis sit explicãdum. Hasta cum vexillo, quod multis fasciis siue tæniis constat, ostẽdit

dit ciues omnes vnanimes & colligatos inter se esse debere, & hosti ostentare, hastam se habere ad pugnandum, & vittas hastæ alligatas: quibus significent, se homines esse ad sanctam amicitiam & firma fœdera ineunda, si iniuriis supersedeatur; & siquid damni acceptum, id resarciatur. Sed de vexillo militari Cimbrorum signo, in Brabantiæ nomine plura memini dixisse. Quod autē dixi de amicitia ineunda, id clarius Rosa, quæ in vexillo erat signata, indicabat: quæ quia Veneri sacra est, ad amorem inuitat. Neque enim cum vlla gente sic bella gerenda, vt nullus aditus ad pacem detur: immo contrà, virorum fortium est, omnes, quoad eius fieri potest, ad æquabilem amicamque societatem vocare; nec alia de causa bella geruntur, quàm vt amoris & pacis vincula inter homines redintegrētur. De Rosa in Antwerpianis insignibus, locus erit amplius disputandi: hîc satis esto, Venereum hunc florem pacem amoremque notare, quibus totius hominum vniuersitatis venustas continetur. Sinistra lancem tenebat, clarissimum iustitiæ indicium, qua opus est nō solùm ad pœnas malorum, & bonorum præmia in ciuitate dispensanda, sed ad omnem etiam rerum permutationem, tum inter ciues, tum inter hos & exteros omnes. Ad hanc conseruandam, arma totius corporis, & hasta quam dextra tenet, magno animo sunt conferenda: quoniam citra illam nulla Respublica pacem tranquillitatemque possit tueri. Bene itaque militaris labor dextra parte, vnde motionis est principium, significatur: sinistra verò, in qua quietis sedes, ad quam motio tendit, iustitię tesseram præfert; propterea quòd omnes conatus, omne studium, omnes bellorum motus ad iustitiam & æquitatem, tanquam ad finem suum, tēdere oporteat. Porrò tota hæc imago in campo omni florum genere ridente posita cernebatur: quo nō aliud denotatur, quàm eam ciuitatem eamque regionem florere, in qua diligenter omnia, symbolis his indicata, obseruantur. Non indigna sanè effigies Sagarum sobole: quam equidem vellem non à Saxonibus tantùm, sed ab omnibus Christianis accuratè considerari, quò intelligerent omnem bellicum apparatum ad iustitiam, nō ad tyrannidem, referendum: & tum demum, cùm iustitia & æquitas inter principes & subditos seruabitur, Rempublicam Christianam florere posse. *Hermansal* igitur dicitur ab *Her* quod commune & publicum significare, alibi quoque docui: & *May* voce nota; & *Sal*, quo id significatur, quod conseruat. Hinc Antwerpiæ *Sal* quæuis domus vocatur, in qua merces plurimorum seruantur. Hinc *Sal* & *Saf* pro Sale, quòd eo carnes & alia hominis alimenta conseruentur. *Hermansal* ergo, est communis virorū conseruator,

vel communis hominũ ſal: quia hac Hieroglyphica figura, ea mo-
nebãtur, quæ ad publicam ciuium ſalutem erant neceſſaria; quæ de
ritu priſco loco Hermæ poſita, tandem in veſanam ſuperſtitionem
eſt conuerſa; vti in aliis etiam quibuſdam Hieroglyphicis videmus
eueniſſe, quæ ad commonendum duntaxat confictæ, ab imperitis
hominibus, vel auidis lucri impoſtoribus, ad falſam & impiam reli-
gionem ſunt detortæ. Neque igitur Mars eſt, neque Mercurius, ſed
idolum vel ex errore, vel ex impoſtura natum, dum maiorum hiero-
glyphica monita, aut non intelliguntur, aut fraude ſacrilegorum lu-
crionum, vt digno nomine Pſeudierophantas appellem, in fœdam
& anilem ſuperſtitionem trahuntur. Crantſius Gallos accuſat, quòd
Germanicæ linguæ imperitia dictionem hanc ita perturbarint, vt à
ſe non intelligatur. Addit tamen eſſe, qui ſtatuam publicam inter-
pretentur; atque hinc coniicit Herman ſuel dicendum: quo clarè
demonſtrat, ſe linguę ſuæ nihilo Gallis, quos accuſat, eſſe peritiorem.
Ignorat enim Her, publicũ communeque ſignificare, ac hinc exer-
citũ Her dici; & publicam viam Her-bay; & ducem communitatis
Hertog; & communem in domo ad ignem locum Hert; & He-
raſt, & Hermay, & Heer, & Herculem, & Heram ab eodem deri-
uari, vtalibi docetur. Putauit itaque Hermæ & aliorum Deorum
nomina Saxſones à Romanis tempore Druſi didiciſſe, quaſi antè ſine
Diis & eorum nominibus fuiſſent. Nos contrà demonſtramus, Ro-
manos à Cimmeriis Saxſonum parentibus nomina Deorum habere,
neque domi ſuæ vllam ſanam interpretationem inuenire; cùm de
noſtra lingua proprietates ſingulorum in ipſis nominibus audian-
tur. Ridiculus etiam eſt Munſterus, qui opida, quibus à ſalinis Hal
nomen eſt, credit à Græcis id emendicaſſe: ſcilicet Saxſones, Sueui &
Oeni in Alpibus accolæ, Græcos conſuluerunt, quî opida eſſent à ſa-
linis nominanda. Interrogentur potiùs Græci, qua ratione ἅλα pro
ſale dicant, & quicquam adducant quod tam ſolidum tinniat, quàm
etymologia, quæ conſeruandi vim noſtratibus expreſsit. In linguæ
Cimbricæ ſiue primæ artificio in poſtulatis ſiue ętematis mihi ſumo,
quando eadem vox in diuerſis linguis reperitur, eam illius eſſe pro-
priam & germanam, in qua ratio rei ſignificatæ naturam optimè ex-
plicãs inuenitur. Hal igitur noſtras eſt, nec ſal magis Romanorum,
quàm Hal Græcorum, cùm apud nos, non apud Romanos, natura
ſalis & eius vſus hac voce clarè exprimatur. Agnoſcant igitur Saxo-
nes nunc tandem ſalem ſuum, quo maiores communem omnium
ſalutem putarũt cõtineri: non aliter atque Chriſtiani, inſpecta Chri-
ſtophori imagine, conſeruationem ſibi per eam diem pollicentur:

nec

nec id falso; si quæ significantur, ea diligenter & animo reuoluant, & opere præstent. Siue verò publicum hominum conseruatorem, siue publicum hominum salem, cùm vtrunque possis, interpreteris; nihil refert; nisi quòd symboli naturam magis sapiat, si posterius sequaris, atque ab eo ad prius collectione pergas. Quòd verò pullum equinũ atrum pro insignibus, Saxsonum duces antiquitus ferrent, id non vnam videtur habere rationem. Virgilius canens:

Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Et alibi:

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

satis indicauit cuius rei signum equus esse posit: quod tamen clariùs libro primo Æneidos exponit, dum caput equi, vt signum, interpretatur:

Lucus in vrbe fuit, media lætissimus vmbra,
Quò primum iactati vndis & turbine Pœni
Effodêre loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & victu facilem per secula gentem.

Verùm quò locus hic facilius intelligatur, non erit abs re, Seruij commentationem adscribere, cuius hęc sunt verba: Historia hoc habet, quam more suo Virgilius per transitum tangit. Dido, cùm transiret per quandam insulam, Iunonis illic accepit oraculum, & sacerdotem eius secum abstulit, cùm ei parum crederet promittenti Carthaginis sedes: quò cùm veniisset, sacerdos elegit locum faciendæ vrbis: quo effosso, inuentum est caput bouis: quod cùm displicuisset, quia bos semper subiugatus est, alio loco effosso caput equi inuentum placuit, quia hoc animal, licet subiugetur, bellicosum tamen est, & vincit, & plerumque iugum subiens concordat. Hæc ille. Idem Virgilius latiùs explicat, dum primùm Æneæ socij Italiam viderent:

Jamque rubescebat stellis aurora fugatis,
Cùm procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto socij clamore salutant.

Deinde cùm proras terræ applicuissent, omen rerum futurarum sic Æneas exponit.

Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campos latè, candore niuali.
Et pater Anchises: Bellum ô terra hospita, portas,
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.

Sed

Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre,
Spes est pacis, ait.——

Quis apertius clariusque equi symbolum describere queat? Sed quò coloris etiam ratio habeatur, ex eodem Poëta, alia ex Georgicis audienda.

Continuò pecoris generosi pullus in aruis
Altiùs ingreditur; & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponti,
Nec vanos horret strepitus. illi ardua ceruix,
Argutumque caput: breuis aluus, obesaque terga.
Luxuriatque toris animosum pectus. honesti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis
Et giluo.——

Bene igitur albos equos signum pacis post bella futuræ, Anchises dixit: eò quòd ille color eorum sit equorum, qui animis non sunt tam generosi quàm ceteri, atque ita bellū quidē portendant, sed tale, vt Itali in eo sint à Troianis subiugādi. Saxones igitur nigrum sibi pullum sumpserunt, quàm longissimè ab albo remotum, vt docerent, se animosissimos & bellatores fortissimos esse, & difficillimè frena & iugum admittere. Videmus enim nigros equos, si nulla alba nota insigniantur, ferè indomitos manere. Spadices & glauci, quia nigredinem, albedini sic habent admistam, vt nigredo superet, à Virgilio laudantur illi quidem ad vsum, quia facilius domari queāt: sed ad generosum animum & freni impatientem significandū, commodior tessera fuit, pullum nigrum in clypeo gestare. A nigro glaucus non multum differt. Nam mare aliâs cæruleum, aliâs glaucum, aliâs nigrum vocatur. Theocritus:

Τὰν γλαυκὰν ὃ θάλασσαν ἔα πολὺ χέρσον ὀρέχθειν. *id est,*
Interea glauci feriant sine litora fluctus. Horatius:
Æquoris nigri fremitum & trementes
Verbere ripas. Homerus:
Τοίδ' ἔπι δινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
Ταύρους παμμέλανας ἐνοσιχθονι κυανοχαίτῃ. *id est,*
——*Sacrificant tauros in litore nigros*
Quassanti terram Neptuno Cyanochætæ.

Cyanochętæ autem Didymus interpretatur, μελανοχρῶτι: addens propter nigrum maris colorem, qui de profunditate existit, tauros nigros

nigros Neptuno immolari. Vicinus igitur glaucus est cyaneo, & cyaneus nigro, cùm iratum mare glaucum, cyaneum & nigrum vocari videamus. Níger igitur longissimè ab albo absit, proximo gradu cyaneus, tertio glaucus. Pausanias in Atticis ob eam causam Palladi glaucos oculos tribui ait, vt Neptuno, à quo genita est è Tritonide palude, similes habeat: & Cicero cæsios Mineruæ, Neptuno cæruleos tribuit, vt hinc colligatur, proximos hos colores esse, atque ad nigrũ accedere, alterũ tamẽ altero propiore interuallo abesse. Æthiopes Calaber libro secundo Paralipomenôn Cyaneos vocat.

Μέμνων κυανέοισι μεθ' αἰθιόπεσσιν ἀνάσσων. *id est,*

Memnon Æthiopum regnator cæruleorum.

Eodem modo in carmine Sibyllino apud Politianum in Miscelaneorum capite quinquagesimo octauo, ni fallor, αἶγας κυανέας, id est, capras cęruleas, pro nigris poni videmus. Pindarus Palladem κυαναῖγιν παρθένον vocat, id est virginem ægida cęruleam habentem, ad oculos, vt videtur, alludẽs. Virgilius igitur glauco colore videtur proximos etiam comprehendisse, nec equos cæruleos & nigros excluisse, quos scimus omnium esse bellicosissimos, atque idcirco hunc colorem Neptuno placuisse, qui cũ equa Erichthonij rem habiturus, se equo cærulei coloris similem fecit. Quo quid aliud Poëta voluit, quàm hunc colorem ita Neptuno, equorum domino & datori, arridere, vt si se ipse in equũ admissarium mutare vellet ad generosam sobolem excitandam, eum potissimum sibi assumeret. Hac igitur ratione nigrum equum Saxonibus insignium loco acceptum credo: quem, postquam à Carolo domiti essent, ac iugo Christiano subiecti, in album commutarunt: quo ostenderent, se superbiam peruicacem, & effrenem licentiam, qua perpetuò recalcitrabant, nec rectorem ferebant, moderari velle; sic tamen, vt generosum animum & eius symbolum retinerent, sed mutato colore, temperatiores ac faciliores ad regendum se fore pollicerentur. Atque hæc quidem sit de Maronis scriptis interpretatio insignium; ad quam, quæ de colore addidi, ad loquendi apud Poëtas morem referantur, qui vicinos colores frequenter confundũt. Sed vt certiùs, quod de discrimine dixi, constet; consulẽdus Aristoteles libro De generatione, si rectè memini, quinto: vbi oculos nigros eorum esse dicit, quibus in iis multus & profundus est humor; cæsios, quibus parum humoris: perinde atque in mari, quantũ eius perspicitur, cæsium; quantũ minus perspicitur, aquinum; quantum præ alto gurgite, quasi in obscuro delitescit, nigrum. Principium igitur nigredinis ex albo cæsium succedit, inde

aquilum; ſequitur nigrum. Niſi memoria me fallat, Michael Angelus D. Pauli conuerſionem ad Chriſtianiſmum in Vaticano ſic depinxit, vt equum eius glaucum ſiue cæſium fecerit, ad Virgilium, ni fallor, alludens. Saxſonum igitur pullus, quo generoſum in prœliis animum ſignificaret, glaucus, vel aquilus, vel niger fuit pingendus: quo non ſolùm homines ad bellum idoneos & procliues, ſed difficiles etiam ſubiugatu notaret. Pauſanias Adraſti equum, Ariona nomine, diuinitus à Neptuno genitum, ex Thebaide verſum citans, teſtis eſſe poteſt glaucum fuiſſe. Quamuis porrò hæc bellicæ laudis, & generoſi animi notatio ſatis videatur latitudinem vnius ſymboli explere; minimè tamẽ ſolitaria eſt, ſed multis aliis ſignificatis ſtipata, quæ non minùs quàm ipſa Sacarum generi conueniunt. Quid enim aptius inuenias ad celeritatem pedum ſignificandam, quàm hoc animal, cui Græci ἀπὸ τῶ ἵππων τοῖς ποσὶ, id eſt, à pedum volatu nomen dederunt, ſi Euſtathio credimus in illud Homeri ſcribenti. τῶδ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην, id eſt, equi autem non inuiti volabant. Hinc ἀελλόποδες καὶ ποδήνεμοι, id eſt, pedes procellæ & ventorum habentes dici poſſent, vti ἀελλάδες à Sophocle in Oedip. Tyran. nominantur. Sed vt omnibus numeris celeritas cum equo Saxſonum concordet, quem aquilum eſſe dixi, adſcribemus Homeri verſus, quo & color hic & celeritas omnium ſumma eſt expreſſa:

Δάρδανος αὖ τέκετ' υἱὸν ἐριχθόνιον βασιλῆα,
Ος δὴ ἀφνειότατος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων,
Τοὺς τρισχίλιαι ἵπποι ἔλον κατὰ βουκολέοντο,
Θήλειαι πώλοισιν ἀγαλλόμεναι ἀπαλῆσι,
Τάων καὶ Βορέης ἠράσατο βοσκομένάων,
Ἵππῳ δ' εἰσάμενος παρελέξατο κυανοχαίτῃ·
Αἱ δ' ὑποκυσάμεναι ἔτεκον δυοκαίδεκα πώλους,
Αἵ δ' ὅτε μὲν σκιρτῶεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἀκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον οὐδὲ καλέκλων·
Αλλ' ὅτε δὴ σκιρτῶεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Ἀκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον. *id est,*

Hinc & Erichthonion regem ſibi Dardanus edit,
Quo non mortalis fuit vnquam ditior alter.
Paſcebantur equæ cui ter mille humida prata,
Gaudentes teneris pullis, quas arbiter axis
Arctoi Boreas adamans & corpus equinum
Cæruleum ſimilans inijt, quo ſemine fœtæ

Biſſe-

Biſſenos pullos diti peperere patrono:
Quæ per agros celeres ſaltus ſiquando tuliſſent,
Per ſummos culmi curſu pendente volabant
Fructus, nec pedibus confringebantur ariſtæ:
Quod ſi ſaltarent per dorſa immania ponti,
Radebat ſummos cani ſalis vngula fluctus. Imitatur hunc locum Ouidius de Hippomane & Atalanta currentibus agens:

Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus vterque
Emicat, & ſummam celeri pede radit arenam.
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetis canæ ſtantis percurrere ariſtas.

Seneca de ſumma celeritate, quæque nullius alterius tardioris collatione celeritas ſit, ſed per ſe ſumma, hæc carmina de, neſcio quo, Poëta citat, quæ videntur de Atalanta ſcripta fuiſſe:

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec curſu teneras læſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Hos verſus, quiſquis ille fuit, ex Homero ſibi mutuatus eſt de Erichthonij equabus, quæ modò recitaui, canente. Summa ergo hominis celeritas meritò illius iumenti figura notatur, cuius ope homo celerrimè fertur. Quemadmodum autem Græcis placet, equum à volatu pedum ſua lingua dici; ita inter alia nomina, quibus Cimbri equum ſignant, maximè illud commune eſt equo hominem portanti, quod à celeritate ducitur. Ἔος enim exiguo ſoni quadrati in rotũdum deflexu, à Ἔας, quod eſt celere, deriuatur; à quo etiam Εὖς fit, ventorum vehementi & procelloſo impetu ſpirantium proprium. Summæ itaque in hominum actionibus celeritatis indicium equus præ ſe fert, & is maximè, cui color is eſt qui ſolet eſſe generoſiſsimis. Ad immenſum excreſceret oratio, ſi omnia, quæ huc ſpectant, adducerẽ; cùm alioqui ſatisfeciſſe videar, ſi ex clariſsimo Poëtarũ illud ſententiæ meæ teſtimonium habeam, quo ſummã celeritatẽ Seneca dixit notari, illos verſus adducens, qui de eodẽ Homeri fonte profluxerũt. Sed quid, dicet aliquis, cur nõ ceruum potiùs ad celeritatẽ ſignandã pinxerit? Celerrimus ſanè eſt ceruus, nec minùs celer lepus; ſed vterque ad fugiendum, non ad pugnandum, celeritate ſua vtitur. Sacæ ſeſe Achilli ſimiles non fugaci alicui homini monſtrarunt, cùm equũ pingerent, celeritatẽ ſimul & generoſum in bellis animũ eadem nota ſignificãtes. Nullo epitheto Homerus Achillẽ lubẽtiùs ornat, quàm

eo quo celeritas pedum explicatur, non illa quidem ceruina, ſed tali, quali generoſus equus ad bella natus excellit. Tectoſaces Sacarum item, vt oſtendi, legitima ſoboles, pulcrum ſibi putarunt, ſi Volcas ſe nominarent: & aliis eiuſdem etiam generis honorificus titulus videbatur, ſi Trocmi vocarentur; vtroque nomine celeritatem indicante. Eſt igitur veriſimile, Saxſonibus generoſum pullum ad eãdem denotandam, pro inſignibus tum fuiſſe, cùm veteris adhuc diſciplinæ hieroglyphicæ veſtigia manerent: quam pòſt Heraldi, naturæ rerum & priſcæ artis ſymbolicæ non ſatis periti, non ſolùm immutarunt & corruperũt, ſed etiam ad, neſcio quas, notas frigidas tranſtulerunt Manent tamẽ adhuc in coloribus, & quibuſdam aliis ſignis, artis quædam reliquiæ: de quibus alibi fortaſſe quædam erunt dicenda, dum vetuſtiſſima Antwerpianorum inſignia pleniſſima myſteriorum, quibus tota politica ſcientia continetur, enucleabo. Sunt alia in equo ſignificata; quæ, ſi prolixiùs ſigillatim explicem, plus fortaſſe tædij quàm voluptatis ſint allatura: quade re omittenda exiſtimaui. Inſignia, quibus nunc Saxſones vtuntur, quia multo poſteriùs ſunt de recentiore Heraltorum ritu aſſumpta, hoc loco nihil dicendum; cùm hic antiquitates duntaxat ex profundis & abditis priſcæ diſciplinæ fontibus hauriamus: quas ſi gratas fuiſſe ſenſero, & Deus vitam & ociũ ſuppeditet, licebit & illa poſteriora in hiſtoria quam cogito, quamque in aduerſarijs habeo, illuſtrare; quæ ſic cum Marchionum noſtrorum rebus geſtis ſunt connexa, vt nec Pipinorum, nec Martelli, nec Caroli eximia belli decora deſcribi poſsint, vt illa non ſimul exponantur. Extant & alia Saxſonum vetuſta quędam in quorundam libris monumenta: inter quæ commemoratur Iouis ſtatua, è cuius ore altera parte fulmina, altera tonitrua conſurgunt; hinc Apolline, Mercurio, Neptuno, Marte, Vulcano, Plutone; inde Iunone, Cerere, Venere, Minerua, Diana, Veſta aſtantibus. Hunc autem Iouem Hammonem ſuſpicati, nomen ab eo Hamburgo datum credunt: quòd in ea vrbe hæc effigies ad Caroli vſque ætatem, à quo ſit euerſa, manſiſſet. Hammonis equidem nullum apud Cimmeriorũ colonos cultũ fuiſſe, ſatis ſcio; atque idcirco neque vrbi inde nomẽ datũ: quæ qua de cauſa *Hamburg* ſit dicta, non facile ſit in tanta ſcriptorũ inopia explicare. Saxo ab Hama quodã pugile, quem Starcaterus illic deuicerit, vocatam dicit, ſed eam fabulam pluſquam anilem mihi non perſuaſit. *Haw*, vt alias partes aliquando molis alicuius cibariæ ſignat; vt dum dicimus *Boter-haw*, quo pars panis inducto butyro ſignificatur: ita pernis ſalitis & fumo ſiccatis

catis, ob excellentiam maximè frequentissimeque nomen hoc est attributum. Quamuis igitur omnes cibariæ molis partes significet; de porcina tamen carne maximè est in vsu. At nulla gens est, quam equidem noui, apud quam carnis porcinæ infumatæ plus absumatur, quàm in illa inferiore Saxsoniæ parte, in qua Hamburgum princeps & antiquissimum opidum fuisse ex Caroli historia satis est apertum, qui totius Septemtrionalis & Transalbianæ Germaniæ metropolitanam hîc sedem collocauit. Suspicor igitur hîc olim celeberrimum salsamentorũ & carnis porcinæ fumo duratæ emporium fuisse: atque hinc omnes Saxsones maritimos & insulares, & vicinos etiam populos litorales, nauibus suis, quibus mare infestum plerumque habebant, comeatum, & cibaria ad diuturnas nauigationes necessaria petiuisse: quæ quòd carne porcina infumata, quam huc vndique venalem finitimi portabant, maximè constarent, locum huius mercatus *Hamburg* nominarunt, id est, opidum pernarum siue petasonum, & ceterarum porci partium sale fumoque ad longos vsus conseruatarum. Qui regionis illius naturam, & viuendi consuetudinem, & situm Hamburgi norit; atque ea ad antiquas Saxsonum & Francorum, qui vicini erant, piraticas & alias nauigationes contulerit; non dubito, quin statim huic meæ coniecturæ sit assensurus. Sit igitur Hamburgum à mercatus hoc genere nomen sortitum; nec vel idolum Hammonis agnoscat; vel deliram & veternosam fabulosi historiographi fabulam de Hama deuicto admittat. Verùm quod Crantsium mouit, quò minùs crederet horũ Deorum, de quibus dixi, notitiam Saxsonibus fuisse, id planè friuolum est; tametsi prima fronte fortassis arrideat. Sed caret, inquit, apud me fide fabula huius subuersionis (loquitur de subuersione idoli, à Carolo facta.) Nec enim crediderim tantũ fuisse eruditionis ea tempestate in ea gente, vt præcipua Romanorum numina haberent comperta in regione Transalbina. Errat Crantsius, & quotquot hactenus idem arbitrantur, dum putat horũ cùm nominũ, tum Deorum originem à Latinis aut Græcis petendam; cùm dilucidè & perspicuè in iis, quæ de antiqua religione in commentariis habeo, demonstrem, omnia hæc vocabula Cimbrorum vernacula esse, & iis clarè cuiusque numinis naturam & proprietatem describi; quam frustra Latinus in iis de sermonis sui fontibus inuestigaret. Iupiter enim cõpositum è Cimbro & Latino, qua parte nostrum est, perpetuum rerum vigorem notat. Iuno perpetuam ei adhærentem necessitatem. Apollo vim omnia è tenebris ducentem. Mercurius, cogitandi con-

ſideran diq́ue excellentiſsimam poteſtatem. Neptunus, numen omnia vndique irrigans, ac humore perluens. Mars violentum fractorem. Vulcanus, vim tum ſe, tum omnia celerrimè promouentem. Pluto, plenitudinem tantam, vt effundatur & efferueſcat. Ceres, illam poteſtatem, qua ſemina terræ committuntur, & rurſus inde exurgunt. Venus, deam omnia innouantem. Minerua, propriam homini maximeq́ue ſuam hereditatem. Diana, ſempiternum rerum humidarum fermentum. Veſta, firmum & ſtabile rerum omnium fundamentum, hominibus linguæ noſtræ doctis deſignat: quæ omnia ſuo loco copioſiùs, non citra inſignem totius philoſophiæ, & priſcæ Poëſeos hactenus ſepultæ illuſtrationem: quas duas germanas ſorores ego primus poſt omnium ſcriptorum memoriam, vt è tenebris Cimmeriis in lucem eduxi; ita, ſi Deus & homines, qui ocium dare poſſunt, aſpirent, omnibus, qui legere modò mea volēt, detractis laruis, et deterſo ſitu, et ſummotis ineptis fabulis, inſpiciendas me polliceor daturum, & effecturum, vt è prima lingua, prima philoſophia priſcum ſuum decus oſtendat. & Orpheus ille verus rerum audiendarum moderator, concinnator, & patronus id, me interprete, præſtet, quod nomine ſuo fruſtra non intelligentibus pollicetur.

FINIS LIBRI SEXTI.

GOTODANICA.

LIBER SEPTIMVS

GOTODANICA.

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

Vandalicos, Gotos, Gepidas, Abaros, & Alanos
Septimus enumerat, fatalia nomina Romæ,
Quamuis Zamolxin colerent sanctum, & Gebeleizin,
Et pappare docet pueros, atque Atta vocare.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

AD SENATVM POPVLVM'Q. GEDANENSEM,

IOANNIS GOROPII BECANI PRÆFATIO.

BENE ACCIDIT EX VOTO MEO, *magnifici Consules, Ciuesque Gedanenses, quòd in priscis Antverpianorũ maioribus inuestigandis vetustos patriæ vestræ conditores non potuerim præterire, vt non simul rerum Cimbricarum seriem fœda lacuna mutilarem. Quid enim optabilius mihi esse potuit, quàm bene de clarissima ista Rep. vestra mereri, è cuius sinu hæc nostra vrbs beatissimam vberrimamque cùm ceterarũ mercium optimarum copiam quotidie accipit, tum ea etiam non rarò petit, citra quæ vitam nequimus tueri; adeò, vt siquando irata Ceres spem agricolarum nostrorum fefellerit, istic ingẽtia largissimaq; horrea inueniamus, quæ tam largo cornu fruges effundunt, vt non hominibus modò nostris satis sint, sed eos etiam non rarò recreent, & alant, qui longissimo terrarum tractu Hispaniæ, & Lusitaniæ litora colunt. Gaudendum ergo optimo iure mihi fuit, quòd & nomen vrbis vestræ, & tota vicina ora me commonefecerit, non posse integrè antiquitatum nostrarum Historiam absolui, nisi maiores etiam vestros vetustissimos commemorarem: quibus si lucis nonnihil intulerim, confido non animis modò vestris generosissimis, & Antverpianis nominis gentisque Gedanicæ amantissimis merem gratam facturum; sed toti etiam Hispaniæ, quam eò æquius est luminibus vestris nec obstruere, nec inuidere, quòd tota regia, omnes principum aulæ, omnia denique ipsorum templa lumine vestro illustrentur, cera omni à vestratibus ad nos importata, vt hinc in Cantabriam, Galeciam, Lusitaniam, Bæticam, & reliquas omnes Regis ditiones transferatur. Atque hæc quidem publico iure vobis debentur: priuatim verò & ego cogor fateri, me quoque ciuitati isti vestræ esse obstrictum, nisi parui ipsa amicitia æstimetur, quam tanti sapientissimi quique fecerunt, vt qui eam è vita tolleret, eum Solem ipsum mortalibus auferre iudicarẽt. Amicis autẽ vsus sum ciuibus vestris cùm aliis et honestissimis viris, tum Timmermannis mira quadam morum suauitate placidissimis, ac egregiis Musarũ cultoribus. Iam postremo hoc tẽpore fausiis auspiciis amicitiam cũ viro præstanti Cleopa Meio iniui, in quo præter vitæ integritatem quanta sit iuris*

cognitio,

cognitio, quãta Græcarũ Latinarũque litterarũ ornamenta, quãta deniq; omniũ artium liberaliũ notitia, quorsum ego apud vos commemorẽ, quorũ accurato iudicio ad illud munus obeũdæ legationis pro Rep. vestra est delectus is, qui et ingenij solertiã, & variam eruditionẽ prudentia singulari coronarit? Horũ igitur, & aliorum amicitiæ cùm non parum me videam debere, in primis verò quàm plurimum Senatui spectatissimo grauissimoque publicè de re litteraria præclarè merito, gratulor hanc mihi occasionem oblatam esse, qua beneficij nonnihil ei Reipublicæ reponerem, quæ tales mihi amicos dedisset, è quorum consuetudine licuit peruidere, quid & de vniuersis ciuibus, & toto Senatorum ordine, omnibus ciuilibus ornamẽtis præstantissimo, esset existimandum, inquo excellunt hodie consulari auctoritate, prudentia & doctrina viri clarissimi, Johannes Brandes, Iohannes Preutius, Constantinus Ferberus, Georgius Clefeldus iuris publici moderator consultissimus. Quamuis autem in Veneticis & Hyperboreis antiquissimam istius oræ memoriam potissimum celebrarim; visum tamen est in hunc maximè librum ea præfari, quæ ad vrbis vestræ antiquitatem spectantia, partim hoc, partim nono libro continentur, propterea quòd hic & vetustißimos conditores, & eos quidem geminos, Getas nimirum, & Danos, exponat; à quorum commistione vt priscorum istius sinus accolarum primordia ducuntur; ita vrbi nomen olim inditum fuisse trado. Quid enim aliud est Gedanũ, quàm vrbs promiscua Getarum & Danorum, multis antè seculis ad Vistulæ ostium, & maximum sinum condita, quàm VVendorum vel nomẽ, vel irruptiones auditæ fuissent? Equidem Guetodanum, siue Goetodanum dicendum esse scio, si vera sit vernaculi sermonis pronunciatio seruanda, vti satis in ipso libro declaraui: sed Græci scriptores, quibus antiquißimam Getarũ mẽtionem acceptam ferimus, pro Gueta Geta dixerunt, eo quòd diphthongo ea, qua prior syllaba constat, carerent. Romani item quamuis diphthongum æ haberent, iis tamen temporibus, quibus Getarum arma primùm cæperunt experiri, sonum eius integrum non videntur tulisse, atque idcirco è Goetis Gotos fecisse. Dicitur verò pro varietate diuersarum linguarum, vel Guet vel Goet in eodem significatu, nequis hanc diphthongi diuersitatem cauilletur, quam quartæ & quintæ vocalium lubricæ permutationes inducunt. Minus tamen Romani à germana vocis pronunciatione in Gotis, quàm Græci in Getis recesserunt, vt aurium sensus cuiuis indicabit, eaque de re Gotodanica more Latino titulum feci; partim quòd inter eas gentes, quarum origines hoc loco examinaui, præcipui Goti & Dani essent; partim quò veram vrbis vestræ nomenclaturam indicarem eandem esse cum ea, qua librum illustrationi eius sub Regis nostri auspiciis destinatum nuncupaui. Certè si à rebus ipsis, quas tracto, et præcipua argumenti parte nominandus fuit, non aliter potuit nominari: & quia aliter nominari non potuit, ipsa statim prima fronte postulare videbatur, ne ad alios, quàm ad Gotodanos, post

regem, mitteretur. Quamobrem eum hospitali vestra benignitate sic excipietis, vt nullum fœtum magis vobis vernaculum inueniri posse credatis: cùm & geminos maiores vestros complectatur, et se ciuitatis vestræ iure perfrui debere ipso suo nomine testetur. Quantum verò nobilitatis generi vestro sit importaturus, non abs re fuerit, si breuiter indicauero, vt aduentus eius eò alacrioribus vlnis excipiatur, quo plus ornamenti adferre cognoscetur. Principio igitur à Massagetis antiquis Cimmeriorum colonis Getas in Europam deduco, in qua omnia illa eorum fuisse doceo, quæ ab Istro & Vistula longè lateque hinc Sarmaticum mare versus, illinc ad Mœotim vastis camporum, & siluarum, & paludum dimensionibus porriguntur. His proximos olim fuisse Alanos & eiusdem generis, & nominis Danos; & ex horum ad Venedicum sinum permistione, Gotodanos exstitisse. Dani autem hi proximi in paludosis, et stagnorum plenis locis commorabantur, quæ nunc Borussiæ duci parent, ea de caussa Venedani, et syncoptôs Venedi nominati, propterea quòd Weney stagna, antiquissima, et sincerissima Cimbrorum lingua vocẽtur. E Guetis igitur, et Danis Guedani exstiterunt, quos vt dialectus illius loci asperior olim erat, Guethanos dixerunt, aspirata littera pro media collocata; è quibus Guthones, siue Gothones apud scriptores elegantiores illos quidem; sed Cimbrici sermonis ignaros euaserunt. quo nomine totius illius sinus, & vicinarum partium accolæ vocabantur, à quibus nomen ad vrbem ipsam totius regionis olim caput transiuit. Posterius verò Danorum res his in locis Gotorum nomen videntur obscurasse, adeò vt Gotodanum Danorum duntaxat appellationem seruarit, quam hactenus retinemus. Danswicum enim nihil aliud est, quàm Danorum sinus, nomen toti illi quidem sinui ad Occidentale Vistulæ ostium priùs commune, deinde ad solam vrbem significandam accommodatũ, eo quòd Wic non solum sinum, siue incuruum maris recessum; sed idem etiam notet, quod Latini Vici nomine ab antiquis Cimmeriis retento designant: vt dum dicimus Brunswicum, Osterwicum, Westerwicum, & alia complura loca, quibus nulli sinus sunt vicini. Eadem tamen ratione tũ ad mare, & ad terram refertur, quum vtrobique ille locus significetur, ad quem è periculis quisquam secedere possit. Quemadmodum enim in mari ad sinus incuruos à procellis & fluctibus declinamus: ita in terrestri periculo vnicuique ad vicinos suos et cognatos est secedendum, quorum iusta quædam ad defendendum sua multitudo Vicus vocatur, à Wic, quo cedo, et secedo à periculo, Cimbris vocatur. Hic enim finis est multarum domorum coniungendarum, quò communibus viribus insultus vel hostium, vel ferarum repellantur, quos singulæ domus sustinere non possent. Quibus igitur locis periculorum magnitudo sic creuit, vt vnus vicus ad defensionem non satis potens esset, in iis è multis vicis conflatæ sunt ciuitates; qua de re in vrbibus vici diuersi extitere. A Vico fit vicinus, eo quòd qui proximus habitat, ad eundem vicum videatur pertinere.

nere. Atque hæc quidem est vera Vici interpretatio, quam tam Latini frustra domi suæ quæsiuissent, quàm nemo hactenus Germanorum, quantum quidem scriptis proditur, intellexit; in qua duplex VV, quo Romani carent, necessario fuit in simplex mutandum. Danſvvicum itaque Danorum siue vicum, siue sinum exprimit, à quo veræ originis ignari Dantiscum Barbarè detorserunt. Quod si antiquum Græcorum nomen placet, Gedanum quasi Getodanum dicendum erit, nobis interim Latinis alludere malentibus ea, quam dixi, ratione. Atque hæc quidem antiquissima est istius loci et habitatio et nomenclatura, claris se vestigiis hactenus prodẽs. Post verò labentibus aliquot seculis, et gente gentem continuò protrudente, dum vel melioribus inhiant, vel ab hostibus propelluntur, Danorum, & Getarum, & Sueuorum, & Vandalorum, & aliorum Cimbrici & sanguinis, et sermonis populorum vires aliò sunt distractæ, atque id tantisper dum totum litus Venedicum, & Sueuicum, & Saxsonicum à priscis habitatoribus ferè desertum maneret. Qua oportunitate inuitati Sclaui, inter quos Vvendi, siue Vvindi, Cassubij, Abroditi, VVilsi, & infinita alia Barbarorum nomina numerantur, loca ea paulatim inuaserunt, vnde ciuitates eæ, quas occuparunt, Vvendicæ nominatæ, fœdi erroris plerisq; omnibus scriptoribus occasionem dederunt, arbitratis Vandalos et Vvendos eosdem esse, quorum tamen tanta est cognatio, quanta Turcarum & Germanorum. Quamuis verò falsissima sit hæc opinio, & maximũ habeat ἀνισορησίας argumentum; sic tamen omnium animos occupauit, vt nemo sit nec inter litteratos, nec inter mercatores, qui non firmissimè credat Vandalicas ciuitates eas nominandas esse, quas Vvendicas dixi vocari. Qui verò Vandali fuerint, & quotam Germaniæ partem constituerint, quibusque locis habitarint, non citra aliquot veterum auctorũ loca emaculata satis, ni fallor, perspicuè ostendi. Fuerunt alij ab eruditione & veteris memoriæ cognitione sibi magis placentes, qui Vvendos eosdem esse cum Venedis antiquorum & putarent, & scriberent, quo ignobili apud priscos Sclauorum genti nobile nomen assuerent: sed ij nec Gæographiæ, nec linguæ, nec vllam veram vel Latinorum vel Græcorum rationem secuti, hoc vnum sufficere volebant, quòd Vvendorum, & Venedorum nomenclatura similis videretur: in quo quantum aberrarint, de lectione nostrorum licebit æstimare. Non inuideo nec Polonis, nec iis, qui nunc Boemiam habitant, nomine suo Boiorum domiciliũ præferentem, nec aliis quibusuis, qui vel Vvendos se vel Sclauos, quo nomine totam totius generis claritatem comprehendunt, appellant: verùm vt ego Sclauicum splendorem Germanis minimè tribuẽdum censeo; ita è diuerso nolim vel Polonorum, vel Hungarorum, vel generatim Sclauorum historiographos vetusta sibi Germanorum nomina adscribere ac vsurpare; quod tamen primarios eorum nullo iure feciſſe cerno, ignorantia magis, vt pro candore meo opinari volo, quàm ambitione ductos. Vvendos & Vvindos eosdem esse scimus, & Vvindorum regionem

apud Illyricos nõ ignoramus: at Venedos ad alios lõgè referimus natales, quibus vernaculum sermonem Cimbricũ fuisse docemus. Iam, bone Deus, quàm supinus error est, credere Gotos primùm è Scandia prodijsse, nec illos tantum, sed aliam etiam infinitam propè populorum turbam: in quo nescio magísne admiranda sit opinionis absurditas, an tantus ille doctorũ hominũ à tot ætatibus secutus assensus, vt impudentis esse videatur præiudicatam tot auctorũ suffragiis sententiam velle oppugnare. Nos tamen nihili facientes multitudinem, vel verbis, vel pedibus in hanc partem euntium, illud solidis documentis adstruemus, Gotos eos, qui traiecto Istro Græciam, Italiam, Galliam, & Hispaniam infestarunt, è pæninsula illa maxima nunquã oriundos fuisse; sed ex Asia per Tanaim Europam ingressos, loca ea, quæ Cimmeriorum anteà fuissent, occupasse, atque id tam olim, vt tempore Darij illius magni non eius, quem Alexander imperio exuit, loca quædam Thraciæ Græcis citra Istrum sita tenuisse prodantur. Huic errori quamplurimæ fuerunt appendices, quibus omnibus à nobis recisis, & defractis, plurimæ gentes primas stirpis suæ propagines, quas hactenus frustra quæsiuerunt, iam tandem ope nostra clarè poterunt videre: quas si velim sigillatim enumerare, totus mihi liber sit retexendus. Verùm quia nono item libro me regionis istius vestræ nobilitatem celebrasse dico, tribus verbis indicabo, quid in eo sit exspectandum. Nihil est electro clarius celebriusque, quod istinc in alias regiones iam inde ab omni historiarũ memoria exportari scimus. At Poetarũ fabulæ Eridano ipsum adscripserunt, flumini longè terrarũ ab istis oris vestris in Adriaticum sinum euoluto. Nos itaque re diligentissimè discussa & percribrata, hoc tandem inuenimus, ipso Apolline iter præmonstrante, Eridani nomen non vni olim flumini tributum fuisse; verùm & Gallo, & Græco, & Sarmatico fuisse commune; quorum hoc apud vetustissimos ob electrum maximè fuerit celebratum. quod posteriores non intelligentes, quæ de Sarmatico Eridano dicta essent, imperitè ad Gallicum flumen detorsisse, atque ita in varios & absurdos incidisse errores, quorum aliquot est in Apollonio Rhodio videre. In his disquirendis dum cuncta, pro eo ac decet, in re tam intricata, diligenter examino; hoc sum consecutus, vt tota Phaethontis, & sororum fabula ad mysteria sua elegantissimè aptetur, ad quæ à nemine hactenus potuit applicari. Istis ergo litoribus vestris Eridanus ille irrumpit, cui electrum prisci tribuerunt; istinc Apollo ad Hyperboreos transiuit; istic electra lacrimatus est, ob Aesculapium fulmine percussum. Quis verò iste Eridanus? Non alius sanè quàm Vistula, qui vnde hoc posterius nomen acquisiuerit, quamuis certò asseuerare nolo; videor tamen mihi non obscurè videre. Cùm iam flumen hoc nobilitatum de succino apud omnes esset, propterea quòd ei, per quod ad Græcos, & alias nationes sursum vehebatur, ipsa non solùm vectura, sed piscatio etiam, quæ proxima eius ostiis erat, poetico more adscriberetur, nomen apud Germanos

ripam

ripam eius vtramque tunc habitantes, accepit à piscationis nobilitate: quam rationem Cimbrici sermonis periti facilè voci ipsi accommodabunt. Quantum itaque & historiæ & poeseos studiosi mihi de his meis inuentis sint obligati, ipsi viderint. equidem iustissimis iudicij vestri lancibus expendendum relinquo, quantum laboris, molestiarumque in priscis posterioribusque auctoribus examinandis & conferendis prius sit exhaustum, quàm veritatem è tantis tenebris in lucem proferre possemus. Extraxit Cerberum Hercules ab inferis: sed huic tria duntaxat capita fuerũt superanda; mihi sexcenta prius contundenda fuisse, quiuis qui nostra leget, videbit, quàm clari veritatis radij cernerentur. Sed valeat laboris commemoratio, citra quem nihil pulcri mortalibus datum: hoc saltem vnum à vobis æstimari velim, quanti generosissimis quibusque animis semper fuerit vetustissima patriæ suæ monumenta nouisse, quantique eos fecerint, qui ea in lucem primi vocassent. Si Cicero glorietur se primùm Syracusiis Archimedis sepulcrum fontibus obsitum commonstrasse hominis, non multis antè ætatibus mortui; quid ni & mihi liceat nonnihil gloriolæ laboribus industriæque meæ arrogare? quibus & antiquissimos istius regionis indigenas, ab immensa tot sæculorum obliuione liberaui; & primus post bis mille annos Eridanum vobis, & Apollinis ad Hyperboreos iter ostendi, eo nomine non de ista vestra vrbe solùm bene meritus; sed de tota etiam vniuersitate eorum, qui Poetarũ lectione delectantur. Quamobrem si extemporaneam hanc, & tumultuariam meam operam, rebus vestris illustrandis, in turbulentissimis Reip. nostræ fluctibus, impensam, gratam vobis sensero fuisse; spero me hæc omnia maiore cura & aucturum & exornaturum. Tametsi igitur non aliud hoc libro meo effecissem, quàm quòd hanc falsam persuasionem validis rationibus expugnarim; satis tamen caussæ vobis datum existimarem, quo mihi non parum de hoc labore meo deberi iudicaretis. Atqui non hunc modò errorem, sed infinitos alios ex omni Germanorum Historia tum noua, tum prisca sustuli: quibus mirum est, quàm turpiter & Græci, & Latini veteres, & scriptores cuiusuis nationis recentiores, se prius, deinde alios deceperint. Sed vt hæc omnia legendis nostris clarissimè cernerentur; ita committendum mihi non putaui, quin statim aperirem, qua de re VVendicæ ciuitates vocatæ sint, quæ multis antè seculis à Germanis conditæ nuncupatæque fuissent. Nam, vt dixi, primi fuêre istorum locorum incolæ Germani; qui cùm ad beatiora, vt credebant, contenderent, vires opidorum totiusque regionis ita eneruarunt, vt Barbarorum impetum sustinere non possent. Quocirca VVindi latè rerum ad Sarmaticum mare & interiora potiti, partim veteres vrbes occuparunt, partim nouas condiderunt, inter quas facile est discrimen inuenire: cùm hæ puris Sclauicis nominibus vocarentur; illarum pleræque prisca nomina retinerent, tametsi nonnihil aliquando corrupta. Sic è Dansvvico

Dantis-

Dantiſcum enatum claris adhuc indiciis teſtificatur, non à VVendis ſe primordia, ſed à Germanis vetuſtioribus, habere. Quis non de Hamburgi nomine intelligit, Germanos eius auctores fuiſſe, cuius veram originem ego primus è natura locorum, & præcipuo mercatus genere, cuius gratia eò ventitabatur, eduxi, fabuloſo Hama iniuſta eponymiæ poſſeſſione deiecto. Iam & Lubeca licet hactenus neminem nacta ſit, qui clariſſimæ vrbis nomenclaturam explicarit, tam apertam tamen habet Germanicam originem, vt ego & ſitum eius, & fluminis præterlabentis naturam de ſolo nomine coniectarim: cuius rei idoneos teſtes, ſi opus ſit, aduocare poſſem, et inter alios Petrum Eifelerum ſodalitatis domuſque veſtræ apud Anglos, dum illic eſſem, Senatorem, ſiue vt vernaculo ſermone loquar, Aldermanum, à quo prater ceteros ecquid veri in coniectura mea eſſet, memini interrogaſſe. Aio itaque à tarditate fluuij ſui nomẽ accepiſſe: eo quòd Lu tardũ & ſegne ſignificet; Beec verò omne genus amnium minorum. Quod enim de Arare Cæſar dixit, tam tardum eum fluere, vt vtram in partem eat, difficile ſit videre; idem de hoc quoque fluuio veriſſimè dici poteſt, vti ego de nomine diuinaueram: qua de cauſa Traga, id eſt tardè procedens, nominatur, et vicus ad oſtium eius Tragemont, id eſt oſtium Tragæ. Taceant igitur poſthac ij, qui neſcio quem Lubam paſtorem ſomniarũt, in eo nihilo minus inepti et frigidi, quàm qui Hamam Hamburgo nomen indidiſſe ſcribunt. Siue igitur hoc nomen Lubeca ante VVendorum irruptionem habuerit, ſiue eam poſt eos finibus illis eiectos acceperit, quod nunc non inquiro; hoc ſaltem conſtat, vocem Germanicam eſſe, atque idcirco ad VVendos minimè referendam. Germani itaque prius totum litus illud tenuerunt, poſt quos Vvendi alterius et gentis, et linguæ Vvendicum nomen inuexere, quos Saxones deinde diuturnis multorum annorum bellis vel exciderunt, & profligarunt, vel ſubiugatos glebæ addixerunt. Quamobrem regionis veſtræ nobilitas prima non à Vvendis eſt petenda, nec à Vandalis, tametſi et iis antiquis Germanis; ſed à Gotis, & Danis, & deinde vindicæ, quibus à Vvendorum Barbarie regio liberata eſt, Saxonibus debentur, quorũ hactenus linguam tenetis, cùm priſca lingua ante Vvendos ad Britanorum ſermonem proximè aceeſſerit, vti hoc libro demonſtraui. Præter hæc et alia complura lucem rebus veſtris alta vetuſtate obſoletis inferentia, addidi et illud, quàm antiqua ſit iſtis in locis Auſtrorum, ſiue Oſtrorum memoria, inſigni Taciti loco correcto, è quo Oſterlingi intelligent, quàm vetuſtam nomenclaturam hactenus conſeruent. Illuſtris iſta vrbis veſtræ claritas ex omnibus iis, quibus beatam Rempetimur, elucens, commonere vos debet, ne illa decora, quæ nobiliſſima quæque ciuitas è priſco maiorum ſplendore ſtudiosè conquirit, à vobis, à quibus minimè oportuit, neglecta videantur.

IOAN. GOROPII BECANI

GOTODANICA.

LIBER VII.

DVOS ITAQVE NVNC POPVLOS, præter Suebos, è primis Cimmeriorum ſedibus in Europam tranſiiſſe tradidi, penes quos in hunc vſque diem Cimbrica lingua manſit; tametſi hac ætate ſedulò operam à pleriſque dari videam, quo ſuperioris linguæ ſibilos & aſperitatē quam proximè veluti quidam ſimij, aut potiùs graculi aſſequantur: quod dum faciunt, vtriſque & Cimbris & Allemanis ridiculos ſe præbent; & ſæpe neque ab his, neque ab illis ſatis intelliguntur. Inter hos primos videmus eam contentionem virtutis officiorumque fuiſſe, vt alteri nomen à conſecratione notitiaque cauſarum ſumptum, placeret; alter non à benedictione, nec à notitia cauſarum, ſed à cognitione factorum, & rebus egregiè gerendis nuncupari vellet. Pòſt verò labentibus annis, & vnà labentibus hominum moribus, cùm rurſus colonia deduceretur, nomē ea ſibi vindicauit ab alio longè fine, quàm is eſſet, à quo vel Sacæ vel Daci vocabantur. Nam videntes non alia cauſa domo ſe & è patria commigrare, quàm quòd bonorum ea minùs quàm omnibus ſatis eſſet, ſuppeditaret: poſteros ſuos diligenter monendos nomine ſuo putauere, ſemper omni ope ad id incumbendum, quò bona accumularent; ne rurſus aliqua domeſticę copiæ penuria, aliò ſe tranſferre cogerentur. Ad hoc verò ſignificandum, non aliud commodius fuit nomen quàm Maſſagetarum, ſi ad ſcripturam germanam & pronunciationem primogeniæ originis vernaculam reuocetur. Maſſanguetey enim ad ſingulas litteras expreſſum, idem notat quod Latinus diceret, Accumula citò bona ſiue diuitias. Guet enim ſiue goet, eodem modo quo Latini bonum, vſurpamus, tum pro verè bono, tum pro bono opinato, cuius complexu diuitiæ cōtinentur, quamuis neque bonæ, neque malæ ſint ſuapte natura, ſed tales dicendæ, quales eas quiſque ſibi præſtat ſiue bonas, ſiue malas. Mas enim vocabulum eſt noſtras, vnum ex illorum numero, quæ conuerſa id ſignificant, quod ad id, quod recto ordine notabatur, abſoluendum, eſt ne-

ceſſarium. Cùm enim Mas A breui finis ſit & ſcopus eorum qui bona congregare nituntur, tametſi nec vltimus ſit, nec eſſe debeat : atque vbi ea conſecuti homines fuerint, quietem ſibi pollicentur, veluti fine ſuo potiti: prudenter admodum nominis fabricator ſic ſcripſit, vt à ſiniſtris lectum; cumulum bonorum notaret; à dextris verò, iter ad bonorum accumulationem ; eò quòd in dextris motionis ſit principium, in ſiniſtris quietis. Nam Mas eſt cumulus: San verò idem eſt quod vnum alteri iunctum. Habemus igitur tribus litteris non parum ſententiarum comprehenſum , quibus ad externa bona acquirenda plurimum adiuuamur. Nam & illud monemur, opus eſſe quædam coaceruare , quibus proſpectum nobis ſit contra venturam neceſſitatem; & alterum, quînam eò ſimus peruenturi, vt hunc bonorum cumulum habeamus ; ſi nimirum paulatim vni alterum iungamus, quod Heſiodus quoque his verſiculis præmonſtrat:

Εἰ γὰρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦθ' ἕρδοις τάχα κεν μέγα κ τὸ γένοιτο.

Quos ſic ad verbum faciam Latinos:

Si paruo paruum ſuperaddas, atque frequenter
Id facias, mox hoc de paruo naſcitur ingens.

Si quis enim roget, quînam id ſit conſecuturus, quod nomine Mas ſignificatur: conuenientiſſimè reſpondebo à dextris redeundo ad ſiniſtra, San, id eſt, vni alterum iunge. Video, & admiror, & præ voluptate quam capit animus exulto, conſiderando primum admirabilis huius ſermonis fabricatorem nuſquam dormitaſſe: cui non ſatis hîc fuit copiam & aceruum tribus litteris ſignificaſſe , niſi & præceptum intexuiſſet, qua via & ratione ad hanc copiam perueniendũ eſſet; atque ita naturę congruenter, vt ſcopus à ſiniſtris, motio & progreſſus ad ſcopum à dextris inueniretur . Eſt igitur hoc vocabulum vnum de Ichnæis : quæ qualia ſint, in Themide Ichnæa, libro hunc ſecuturo , ad originem vocanda , pòſt in linguæ Cimbricæ artificio rurſus explicabo. Mas enim nobis, non maſſam Latinorum, quamuis & ea vox à noſtrati deſcendat, ſed ſummam rerum multarum in vnum coaceruatarum ſignat: vnde Galli Romaniſantes, *Amaſſer*; & Itali *Amaſſare* tenuerunt; eo tempore acceptum, quo Scytharum ius & linguam audire armis cogebantur. Vox verò San, citò ſignificat, compoſita ex So & an : quaſi diceretur ad ad , vel ad progreſſum. Maſſangoeten igitur, idem quod, Accumula citò bona, ſignificans, in Maſſagetas tranſiit : quia non ſolùm San, ſed Sa etiam frequenter

quenter dicimus, ſicut pro An, a: vt dum dicimus gat a, id eſt, perge; & Sa Sa, id eſt, citò citò, vox ad celeritatem hortantium. Verùm cùm Græci nullam diphthongum habeant, quæ ſecundæ apud nos, & quartæ ſiue quintæ vocalium ſonum exprimat, Epſilon quæ ſecunda erat vocalis, pro ambabus mixtis ſuppoſuerunt, pro Maſſaguetis, ſiue Maſſagoetis, Maſſagetas dicentes. Profeſſi igitur ſunt Maſſagetæ ipſo ſuo nomine, ſic omnia ſe vitæ inſtituta comparare, vt ad diuitias coaceruandas referrentur; quibus imbutos neceſſe eſt parum penſi habere, per fas ne an per nefas opes acquirant, & ſuſque deque ferre quid alij ferant, modò ipſi fine ſuo potiantur. Quocirca mirandum non eſt, Maſſagetas apud veteres inhumanitatis & ſummæ in hoſpites crudelitatis accuſari, cùm eorum hominum animi, qui totos ſe opibus quęrendis manciparunt, omnem iuſtitiam & æquitatem non negligant modò, ſed contemnant etiam, vtpote rebus ſuis damnoſam, & votis, & profeſſioni aduerſariam. Dionyſius itaque ſitum eorum deſcribens, ſic habet:

Τοὺς δὲ μετ' ἀντολίην δὲ πέρην κελάδοντος Ἀράξου
Μασσαγέται ναίουσι θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν
Ἀνέρες, οἷς μητ' αὐτὸς ἐγὼ μηθ' ὅστις ἑταῖρος,
Ἐμπελάσοι· μάλα γάρτε κακοξεινώτεροι ἄλλων.

Quos Goropius ſic vertit barbarè, vt cum Plauto loquar.

Poſt hos Eoum verſus trans murmur Araxæ
Maſſagetæ degunt, celeres torquere ſagittas
Prompti, quos nec ego, nec amicus quiſquis, adito:
Hoſpitibus quoniam non gens truculentior vlla.

Horum igitur vitia fecerunt, vt Scythis communi nomine non pauca adſcriberentur, quæ propria eſſent Maſſagetarum, Herodoto etiam id teſtante: in quibus & illa, communes habere vxores, parentes immolare, inhoſpitales eſſe, atque id genus alia, fortaſſe ex eiſdem inſtitutis profecta. Prima verò Maſſagetarum regio in Margiana fuit, paulò ſupra Daas, quo loco Maſſagetæ quidam minores à Ptolemæo ponuntur: vnde coloniam deinde ad Aſcatancam emiſerunt, non procul à Sacis & Comaris, quo loco ab eodem Geographo ſedibus multo quàm in Margiana laxioribus donantur. Verùm poſterius aucti paulatim ſecundũ Iaxartem proceſſerunt, donec omnem Sarmatiam ad Araxem vſque occuparent, quo loco non à Dionyſio tantùm, ſed ab Herodoto etiam, & omnibus iis, qui de bello Ciri contra Maſſagetas geſto ſcripſerunt, collocantur: quo quidem

Meſſagetarum prima ſedes.

modo Ptolemęus, qui vetuſtiores duntaxat ſedes ex antiquiſsimis tabulis annotauit, excuſandus. Strabo Maſſagetas etiã vltra mare Caſpium habitare legerat, ſed nihil certi de iis colligere quiuit, hac ſedium, ni fallor, diuerſitate nõ bene animaduerſa; atque idcirco neſcius, quî ea, quæ de Cyri expeditione cõtra ipſos ſcribuntur, cum regione ipſorũ conuenirẽt. Nobis quibus gentium certa principia ſunt cõſtituta, nõ difficile eſt commigrationũ veſtigia notare, ac quo loco prius, quo loco poſterius habitarint, inuenire. Tẽpore ergo Cyri vltra Araxem Perſarũ collatione habitarũt, finibus longè lateque prolatis, ab Aſcatanca paulatim eò progreſsi, vbi antiquiſsima, quæ quidem apud ſcriptores extet, memoria eorum eſt ab eo tempore, quo Cyrum cum toto exercitu ad internecionem ceciderunt: quam rem ſic Trogus prodidit, vt ſub communi Scytharum nomine eam deſcripſerit, Maſſagetarum particulatim nulla facta mentione. Herodotus diligentiùs tum mare Caſpium, tum Maſſagetarum regionem delineauit: & Caſpium quidem mare nulli alteri mari continuum, in longitudine quindecim dierum, in latitudine qua maxima ea eſt, octo dierum nauigationem, quæ remigio fiat, ipſum habere aſſerens: ab Occidente montibus Caucaſiis finiuit; altera parte quæ ad Auroram vergit planitie immenſæ magnitudinis, cuius maximam partem Maſſagetæ tenerent. His Cyrum bellum intuliſſe, nõ alia cauſa, quàm quòd de geneſi ſua crederet ſe natum ad id eſſe, vt omnibus iugũ imponeret; atq; id eo magis perſuaſum ſibi haberet, quia nullã vnquã gentẽ inuaſiſſet, quã non ſuperaſſet. At quò occaſio aliqua bello prætexeretur, Tomyrim reginam eorum iam viduam, verbotenus ſimulataq; legatione coniugem ſibi petiuit: quod perfidũ figmentũ mulier intelligens, acceſſum Cyro interdixit. Dolo itaq; & regia fraude non procedente, infeſto cum exercitu ad Araxẽ vſq; progreditur, atq; eũ pontibus quos nauibus inſtrauit, iungit, turreſq; deſuper exſtruit: ad quem hoc labore occupatũ Regina caduceatorẽ miſit, qui diceret, vt ab incepto deſiſteret, & apud ſuos regnaret, ac ſe ſineret eorũ, quos teneret, finiũ dominã principemq; manere. Verùm ſi id nollet, deſineret pontem munire, ſe enim paratã eſſe collatis ſignis decertare tridui itinere vel citra vel vltra Araxem, ac vtrũ horũ mallet, integrum ſe ei facere, vt eligeret. Cyrus itaq; re cũ Crœſo & ceteris deliberata, optione ſic vſus eſt, vt rebus ſuis magis cõducere arbitraretur, ſi prœlium in Maſſagetarum regione committeretur. Traiecto igitur flumine, vnius diei iter progreſſus, ac ibi imbelli parte & infirmiore copiarum relicta, & caſtris omni genere Perſici apparatus & generoſo vino inſtructis, mox retro ad Araxem robur exercitus ducit.

Regina

Regina metationis castrorũ,& hostium aduentus certior facta, Spargapisem filium suum cum tertia copiarũ parte cõtra mittit, hostium vt vires tentaret. Is igitur cæsis,qui relicti erant,castra occupauit, ac epulis cõspectis,mox cum omnibus suis discumbit, ac vino se ingurgitat.Cyrus iam vino somnoque sepultos inuadit,ac alios cędit,alios viuos capit,inter hos ipsum etiam Spargapisem.Quo rescito,Tomyris hæc ei mandat: Cyre ne spiritus de victoria tollas, quam fraude, non prœlio, es consecutus. Non mirum est filium meum veneno illius liquoris intoxicatum obdormiisse, quo vos etiam Persæ, qui ei tamen estis assueti,nõ solùm sopimini,sed etiam improbissima quæque verba antea effutitis, & planè redigimini ad amentiam & insaniam. Si igitur impune iniuriam nobis illatam ferre velis, filium reddito: quod nisi feceris, per Solem iuro fore, vt ego te, licet insatiabilis sis, cruore exsatiem. Hæc Cyrus nihili fecit, ac interim filius ad se rediens, ac in vinculis se teneri videns, rogauit hostem vt solueretur: quo impetrato mortem sibi ferro consciuit. Regina voti impos copiis in vnum contractis, Cyrum inuadit,vbi vtrinque acerrimè, si vnquam alias sæculorum,pugnatum ferunt; neutra parte cedente,donec tandem Persæ,ad vnũ omnes cæsi sunt,ne nuncio quidem tantæ cladis relicto. Cyri caput inter cadauera quæsitum ac inuentum,in vtrem sanguine plenum Tomyris immersit,his verbis insultans: Tu filium meum,me viua,dolo perdidisti; at ego, quod tibi pollicita sum, citra fraudem effectum reddam, sanguine te saturando. Hæc de Cyri exitu Herodotus sententiatenus tradit, aiens inter varia se illud maximè secutũ, quod veri esset simillimũ. Xenophonti sub Cyri persona, non historiam,sed regiarum virtutum speculum molito,cõmunem omnium opinionem oppono: cui qui citra rationem vel auctoritatem grauiorem refragatur, cõtra eum, vtpote contumacem, non est disputandum.Ctesias Cnidius pulcrum sibi existimans, si ab Herodoto & communi Græcorum opinione dissentiret, quasi verioraipse apud Regem Persarum didicisset, luculẽtis indiciis mendacia sua prodit, cùm dicit Cyrũ in prœlio contra Derbicas cecidisse, telo ab Indo quopiã coxæ fugientis immisso. accidisse autẽ id hac occasione, quòd Amoræus Rex Derbicum elephãtos clam cõtra Cyri equos collocasset, quibus eos territos fugisse, ac Cyrũ vulneratũ in castra relatũ,Regẽ tamen Derbicũ cum duobus filiis,& magna copiarũ parte cæsum fuisse auxilio Sacarũ,qui viginti millibus equitum Persis succurrerũt. O mirum & egregiũ fabulatorem! dũ quærit vbi Cyrus occubuerit,nouũ prœliũ somniat,& id apud Derbicas, si Deo placet:quos nescio equidem vbi terrarum ipse per somniũ collocarit.

Pomponius Mela ad Caſpij maris fretum Derbicas ponit, quorum fines Plinius ab Oxo ſecari dicit. Ptolemæus vtroq; poſterior, & accuratior Margianam ad Oxum à Derbiccis habitari dicit, ac ſub iis Maſſagetas, deinde Parnos & Daas, qui deſerta contingunt. Ex hac igitur grauium auctorum concordia liquidò apparet, quo loco Derbices, ſiue Derbiccæ, vt Ptolemæus ſcribit, ſint collocandi: acdeinde & illud manifeſtò deprehenditur, qua de re Cteſiæ in mentem venerit Derbicum. Audiuerat nimirum, Maſſagetas Derbicibus proximos, atque eos quidem Derbicibus ignobiliores, vti quorum minor ciuitas videretur; ignorans interim alios quoque inueniri Maſſagetas, multitudine gentis his longè ſuperiores, vti à nobis eſt oſtenſum. Quòd ſi quis dicat alios quoque Derbicas fortaſſis fuiſſe, mihi id auctoritate demonſtret, alioquin nihil acturus. Nimis igitur tritum exiſtimans dicere, à Maſſagetis Cyrum cæſum eſſe, Derbicibus hanc laudem adſcripſit; & quo mirabilior fieret fabula, cauſam fugæ ad elephantes Indicos reiecit, quaſi Derbices ad Indiam, nõ in Margiana, habitarent; addens etiam ab Indo Cyrum vulneratũ eſſe, atq; quò omnia conuenirent, auxilium ſubitò è Sacarum regione euocauit. Videntur igitur Derbices non in Margiana ab eo, ſed ad Indiam ſomniari, dum Indos & eorum Elephantos contra Cyrum educit, ac iis victoriam acceptam fert: & è diuerſo dum Sacas Indis vicinos Cyro auxiliares facit, quorum nihil veriſimilitudinem tueri poteſt, ſi veris Derbicum ſedibus hiſtoria applicetur. Derbices ſcilicet exigua Margianæ, nec illius magnæ pars poſt potentiſsimum Bactrianorum regnum deuictum, bellum Cyro inferet? Quid quod vix ad Bactrianos penetrare Cyrus potuiſſet, niſi per hanc Derbicum regionem? & quamuis penetrare alia via potuiſſet, hos videlicet hoſtes à tergo reliquiſſet. Aliis Cteſias ſua figmenta vendat, atque ea ſic condat & ornet, ne ſtatim prima facie qualia ſint, talia videantur. Herodotum mendacem & fabularum ſcriptorẽ appellat, & interim hoc agere videtur, vt in mentiendi certamine primas ferre nõ malo iure cenſeatur. Debent tamen ei plurimum Saxſones, eò quòd Sacas ipſorum parentes, non hac ſolùm victoria, qua Derbices Indi ſunt ſubiugati, ornarit; ſed illo etiam nomine, quod Cyro præcipui fuerint contra Crœſum adiutores. Originem autẽ huius fœderis & amicitiæ prorſus admirabilem, & ferè monſtroſam facit. Nam poſt Bactrianum bellum abſolutum, Cyrum aduerſus Sacas educit, quorum Rex Amorges, Regina Sparethra vocaretur. Amorgem inferiorem ait fuiſſe, ac in prœlio captum. Tum Sparethram ingentem exercitũ collegiſſe; virorum quidem trecenta millia; mulierum verò ducenta

centa millia, quibus Cyrum victum fuisse, ac Parmysam Amyntios vxoris Cyri fratrem cum tribus liberis viuum in potestatē Sparethrę venisse, ac horum commutatione Amorgem eius maritum fuisse liberatum, ac inde firmissimam Regum amicitiam contractam, quam Cyrus etiam testamēto sanxerit. Quid verò, Herodote, audésne hiscere contra hunc tantum feminarum exercitum, quo Ctesias instructus contra mendacia tua pro veritate pugnat? Ego sanè vel vni feminæ in fabulandi certamine cessero, tu quid facere velis, vide; cui cum ducentis millibus lingulacarum, vt cum Plauto ludam, loquacitate certandum; nisi Ctesiæ vltrò in hac palæstra herbam porrexeris. Diodorus Siculus modestiùs quidem de Sacarum vxoribus; celebrat tamen & ille ipsorum reginam Tarinam bellicossimam; addens feminas Sacis esse robustissimas, easque virorum militaribus decoribus illustrium esse cupidissimas, quo vel solo Cimbrici generis indolem apertè præse ferunt, vt de Amazonum & Cimmeriorum societate paulò pòst docebo. Quæ porrò ab Herodoto de Massagetarum moribus adduntur, vt incerta prætermitto, hoc vno contentus, cùm victu, tum vestitu, & plerisque aliis, à ceteris Scythis non differre: nec mirum id, cùm ab omnibus aliis inter Scythas recensеantur. Hæc igitur de Massagetarum & Cyri conflictu satis: nisi fortasse quis velit veram nominum Tomyridis & Spargapisis interpretationem, quò his etiam Cimbrica soboles coarguatur. Dixi crebrius, difficile id esse in omnibus præstare, ne dicam vnum ex iis, quæ fieri nullo modo possunt; quoniam vocabula peregrinis linguis accommodata, mirum in modum sint corrupta & mutilata, in quibus & hæc esse credo; & ex iis eam litteram exemptam, quam figura duplicis V. scribimus, & duplex Digamma Æolicū vocare possumus, qua Græci pariter & Latini carent. Σπαργαπσισιετ igitur, vnde Spargapises, diphthongo Iota Epsilo mutata in Eta Græcorum, ad verbum sic Latinis diceretur, Parce ociosæ & inutili rerum nihil ad te & scopum tuum pertinentium inspectioni, sed ea quæ procul sunt, intuere. Quàm hæc admonitio Regibus & omnibus Principibus conueniat, is non ignorabit qui sciet illud Homeri ab vniuerso sapientum choro communibus suffragiis laudari: quo censuit virum eum cuius consiliis & curæ maxima negocia & populorum salus commissa est, totam noctem dormire minimè debere. Nam si id verum est, vt est verissimum, & omni magistratui occinendum; quanto magis oportet vitare ociosa & inutilia spectacula, quibus bonæ horæ Reipublicæ saluti debitæ perdūtur. Quid si prisci illi Scythæ nunc redirent, & viderent totos dies vnà cum noctibus tesserarum, aut chartarum ludi-

crarum,

crarum, aut Amadisi aut Orlandi inspectione deperire, an non putamus exclamaturos, Pareite, parcite ocioſæ & inutili contemplationi, quò longiùs & latiùs, quæ neceſſaria ſunt, videre poſsitis. Poteſt autem Σpargap, vt nomen compoſitum accipi, qua via & ratione Σpargapσiſiet, idem eſt quod Latinus diceret: Is qui ocioſæ rerum inutilium ſpectationi parcit, longè lateque videt. Immane eſt quantum vtilitatis hæc ſententia complectatur: quæ ſi per ſingula officia explicetur, omnia vitæ ſalutique noſtræ ſuperuacanea amputabit; & ad id vnũ, quod cuiq; agendũ eſt, recta diriget, procul oſtendens & impedimenta, & impedimentorum declinationem, qua ſola via ad felicitatem poteſt perueniri. Chria igitur hæc vbique locum ſuum habet; ac ſi bene cõſiderata fuiſſet, nunquam Spargapiſes noxio Perſicorũ apparatuum ſpectaculo aſſediſſet; verùm ei parcens longè lateque circumſpexiſſet, an quicquam inſidiarum à Cyro tenderetur. Videtur ergo nomen non adhortationem tantùm & ſententiam, ſed malum etiam huic omen continuiſſe; quaſi minimè id quod nomine ſignificabatur, obſeruaturus eſſet; cùm tamen tempus aliquando foret, quo nemini magis quàm ipſi admonitio hæc diligentiſſimè eſſet examinanda & ſequeda. Tomyris eandem duplicis σ exemptionem admiſit, integrum nomen habitura, ſi Τομυρσυγε dicatur: qua voce exprimitur ſiue vir, ſiue femina freni excellentem peritiam habẽs, cùm Τομ frenum, & excellens, σις peritum ſapientemque ſignet. Dignum certè nomen Regia maieſtate, cuius officium eſt ſcire, quo quiſque hominum freno ad officium ſit ducendus; nec id ſcire tantum, ſed in ea petitia tantum ceteris hominibus præſtare, quantum is qui regit, iis qui reguntur, excellentior doctiorque eſſe debet. Eſt autem hæc frenandi ſcientia, iuſtitia, qua Reges, veluti freno, populum ducere ac gubernare debent, iuxta illud Virgilij.

O Regina, nouam cui condere Iupiter vrbem,
Iuſtitiaque dedit populum frenare ſuperbum.

Quocirca Principem oportet hac virtute maximè excellere, ne ſi pro iuſtitia vim & iram ad gubernandum adhibeat, pro Rege Tyrannus & fiat, & dicatur; quo nihil magis execrandum, nihil Deo magis exoſum, Sol is qui omnia videt vnquam aſpexit. Optimè verò frenorum peritiæ, populorum gubernatio comparatur: eò quòd ſicut equis diuerſis, diuerſa & plurimum inter ſe diſcrepantia frena ſunt adhibenda: ita alia quoque aliis gentibus vel in officio continendis, vel ad illud reuocandis ſunt neceſſaria, pro regionum & ingeniorum diuerſitate varianda: quam ſi Reges non obſeruent, nec ſibi nec Reipublicæ bene cõſulere poſſunt. Nomen igitur cõuenientiſſimum

tiſsimum illi eſſet, cui diuerſæ nationes, moribus, ingeniiſque plurimùm differentes, ſunt ſubiectæ. Et hęc quidem de Spargapiſe, & Tomyride. Tres igitur diuerſas Maſſagetarum ſedes inuenimus: quarũ primæ & minimæ in Margiana: ſecundæ ad Aſcatancam: tertiæ & maximæ in Sarmatia Aſiatica à Ptolemæo vocata: cuius fines ad Araxem & Volgam ſiue Rha pertinerent. Strabo tradit Attaſios & Choraſmuſinos, ad quos Spitamenes ex Bactrianis & Sogdianis cõfugerit, de gente eſſe Maſſagetarum & Sacarum: è quo coniicere licet, eiuſdem linguæ, eiuſdemque originis Sacas & Maſſagetas habitos fuiſſe, vt Teutonos & Cimbros, è quibus Atuatici coaluerunt. Arrianus Choraſmenos rectiùs quàm Strabo Choraſmuſinos, & quàm Plinius Choraſmios nominauit; horum regem Pharæmanem nomine, cum mille quingẽtis equitibus ad Alexandrum veniſſe, narrans, ac dixiſſe loca ſe tenere Colchis & Amazonibus vicina. Nomen certè Cimbricam originem apertè præ ſe fert: quod quiuis noſtratium intelliget, qui quod modò ſæpius de duplici w monui, huic applicabit. Nam pro Waraeman Pharaeman Græci ſcripſerunt, cùm propiùs vim litteræ Cimbricæ elementis ſuis exprimere non poſſent. Fit autem Waraemay à War, quod eſt verum, Raet, quod eſt conſilium, & May virum ſignificante: in quorum compoſitione duplex littera canina concurrens, in ſimplicem mutatur, & Tau eximitur, de conſuetudine crebrò modò citata. Waraemay igitur ſiue Pharaemanes, vir eſt veri conſilij, ſicut Pharemondus verum os, ab eodem War, & mond, quo os ſignificatur, compoſitum: quo nomine Rex Francorum Marcomeri filius vocabatur. Nulla reuera appellatio magis eum decet, cuius verbis & conſiliis magna hominum multitudo debet obtemperare. Cui enim faciliùs credemus, quàm ei, quem vera nobis loqui, & vera conſilia dare perſuaſum habemus? At contrà quem fallacem, & aliud verbis profitentem, aliud mente cælantem arbitramur, eum tantum abeſt vt ſequamur, vt etiam fugiendum aſpernandumque cenſeamus. Regem ergo maximam decet curam habere, quò apud ſuos viri veracis exiſtimationem omnibus dictis factisque tueatur; vt quæcunque imperat, populus & vera eſſe conſilia, & rebus ſuis ſalutaria opinetur. Et ſi quibus aliis hæc veritatis laus eſt neceſſaria, tum nulli magis, quàm ei qui exercitum ducit hominum liberorum: atque idcirco non mirum eſt, Francorum Regi hoc nomen à patre inditum fuiſſe, qui liberos ſe eſſe ipſo ſuo nomine profitentur. Deinde cùm Deus veritas ſit, & perpetuus humani generis hoſtis mendaciorum pater; quanto quis propiore inter homines gradu Deum contingere velit, tanto vt ſe veraciorem præbeat, neceſſe eſt: contrà, quo

quis eſt mendacior, eò ad cacodæmonis naturam propiùs accedit. « Iam cùm Reges imaginem quandam diuinæ poteſtatis in terris ge- « rant, non poſſunt hanc dignationem tueri, niſi veraciſſimos ſe per- « petuò præſtent, tantum abeſt vt à patre mendaciorum quicquam ſibi « ad populum regendum debeant mutuari: niſi & ipſi non Dij, ſed « diaboli velint haberi. Viuant ergo Pharaemanes, quorum conſilia & « lubēter audiamus, & ſi quid iubeant, omni celeritate exequamur, & « tales ſimus quales ſe eſſe ſubditi Pharaemanis nomine ſuo declarabāt. « Vocabantur enim Choraſmani, qua voce ij ſignificantur qui dicto ſe « celeriter audientes præbēt. Cheſſor enim ſiue Sheſſor ſignificat au- « dientiā & obedientiam, è quo ſyncoptôs Chor ſiue Shor: Eas idē eſt quod citò & celeriter. Man, vir eſt. Choraſmani igitur altera ca- nina littera exempta, viri ſunt celeres ad audiendū obediendumque. Mirabilis hæc Regis eſt, & ſubditorū harmonia: quam Deus Opti- mus Maximus, vtinā Chriſtianis tādem concederet, vt omnes princi- pes nihil ipſa veritate aut potius aut prius ducerent; & populus vera & recta monētibus citra morā obtemperaret. Quod votum vt con- « ſequamur, neceſſe eſt principes preire; nō aliter atq; vera loqui præce- « dit veri auditum & aſſenſionē. Sed vera iudicare & in vulgus efferre « nemo poteſt, qui vera non norit. Primū igitur & ante omnia Princi- « pibus veritas earū rerum, quæ ad cōmunitatis ſtatū & ſalutē ſpectāt, « diligentiſsimè eſt addiſcenda; nō illa quidē ab aulicis aſſentatoribus, « apud quos omnia ſunt fucata & panurga; ſed ab illis, quorū ſimplici- « tas aulica labe quāminimè eſt contaminata. Sed hæc me altiùs duce- « rent, & ad illa raperēt, de quibus præſtat ſilere, quàm fruſtra querelas « exaggerare. Satis eſt paucis dixiſſe, ſi Principes ſe præſtent Pharaema- « nes & Pharemondos, fore, vt habeant ſubditos Choraſmanes: quod « non fiet, niſi ex iis fontibus veritatem petant, è quibus hauriri poteſt; « & ex iis nō obiter, veluti canis è Nilo, ſed diligēter, ſtudioſe, multūq; « bibant: quod tum fore ſpero, cùm in Platonica ciuitate viuemus, in « qua Reges tandem addiſcent veritatē, quam eos in hoc vitæ genere, « & hac gubernandi conſuetudine, nunquā ſinceram purámq; audire « Galenus contendit: quàm verè nec dū iudico, vereor tamē, ne multo « veriùs, quàm rebus mortalium hoc calamitoſiſſimo tempore condu- « cat. Quærāt Græci, quærant Romani, quærant Hebræi, an eiuſmodi domi ſuæ inueniant vocabula, quibus ea inter ſe ſit cōnexio, vt alte- ro Regis, altero ſubditorū officiū omne explicetur. Perſpicuum igitur vel ex his ſolis, Maſſagetas & Choraſmanos eiuſdē nobiſcum linguæ fuiſſe, & regionem eam Alexandri tempore habitaſſe, è qua non lon- gum iter ad Colchos eſſet, atque imperium à Iaxarte, quem Poly-

cletus

cletus & alij non pauci, falsissimè Tanaim esse crediderunt, ad Rha vsque & vlteriùs etiam protulisse, tota Asiana Sarmatia in ditionem à linguæ nostræ hominibus redacta. Quàm verò à Rha, qui & Volga, & Edil vocatur, ad Colchos non longum iter sit, equiti præsertim expedito, id licet ex iis æstimare, quæ de bellis inter Zauolhenses & Præcopenses gestis produntur; quorum hi Tauricam Chersonesum & vicina tenent, illi ad Volgæ ostia pertingunt. Ab Asoph enim ad Tanaim sita, ad Astrachan siue Citrachan emporiũ ad Volgam nobile, iter est septem duntaxat dierum, si fides Sigismundo de rebus Moscouiæ habenda. Ab Astrachan igitur ad Colchos non queas iter septem dierum computare, quum inde per Circassos non paulò breuior via, quàm ab Astrachan ad Asoph ducat. Princeps ille Moscouitarum maximus, totam planitiem à mari Liuonico ad Caspium vsque extensam nunc tenet, ante annos circiter duodecim, Astrachan & regno Casan Tartaris erepto. Hac igitur Angli merces Indicas, primùm aduersis Indiæ fluminibus, deinde camelis ad Iaxartem vel Oxum, mox secundo amnium cursu inde per Hircanum pelagus; pòst, aduerso Rha, in Moscouiam aduehere moliuntur. Patrocles, & Aristobulus, & Eratosthenes per Caspium mare, ac inde per Cyrum in Euxinum merces portari scripserunt, quas ex India Ochus deuexerit; per Ochum imperitè Oxum intelligentes, cùm Ochus ex Nysæis secundum Daarum Parnorum regionem in Oxum descendat. Nihil igitur noui aut absurdi Angli tentant; sed rem, si succedat, Christianis omnibus vniuersim, quàm ipsis particulatim, vtiliorem: qua non merces tantùm inuehi, sed fides etiam Christiana latè per orbem posit seminari. Nisi Christianorum Principum mentes Deus excæcasset, & totam Germaniam intestinis odiis distraxisset, ita peccatis eorum commerentibus; quàm facile fuisset atque procliue hac ad ipsa vsque Indiæ confinia Imperij limites proferre, nullo omnino Turcarum obstaculo! Quum enim semel ad Volgam peruentum fuisset, omnia ad comeatum necessaria, omniáq; vel maximorum exercituum impedimenta, deferri per ipsum potuissent, nec vllæ Tartarorum tantæ copiæ coire possent, quæ viginti millibus equitum, ita vti nunc fit, tribus aut quatuor bombardis armatorum, additis peditibus item bombardariis, & toto corpore ferro tectis, resistere possent. Cùm enim magna sit apud illas gentes ferri inopia, nec bombardarum hactenus dexter vsus, neque item nauiũ instruẽdarum ratio, atque interim eorũ quibus ad eas fabricandas apparandásque opus est, solo ferro excepto, satis magna sit copia; quid vetaret, quò minus illac in Bactrianã, Sogdianãq;

& vicinas gentes penetraretur; atque beatiſſimæ illæ rurſus regiones occuparentur, quæ antiquiſsimo nobis iure debentur. Nec malum omen eſt ab Anglis id nunc potiſsimum tentari, qui à Sacis Indiæ vicinis, & ſupra Iaxarti fontes olim commoratis originem, vti oſtendi, ducunt; eò quòd illis, vt pote antiquiſsimis Cimmeriorum colonis, ſedes illæ vindicandæ videantur. Quod ſi quiſquam Godefredus aut Martellus rurſus Germanis daretur, poſſet aliquid fortaſſe ſimile tentari: ſed Deus his noſtris temporibus fauoris ſui lumine non tam benignus affulget, quibus tamen ea armorum genera, & eam militum copiam dedit, vt ſi conſpiraretur, nullę totius orbis vires poſſent pares inueniri. Sed heu miſeros, de arce aliqua, aut alia re friuola Chriſtiani inter ſe certant, dum interim, ſi modò vnanimes eſſe vellent, totus orbis illis pateret. Non igitur vanum illud eſt, quod Pharaemanes apud Arrianũ Alexandro pollicetur, ſe itineris ducem fore, quo è Bactris & Sogdianis ad Pontum perueniret, cùm Maſſagetarum regio ad Araxem vſque pertineret, de quorum genere Choraſmani fuiſſe dicuntur. Cùm igitur Maſſagetæ longè lateque planitiem hanc ad Volgam tenerent, coloniam in Europam deſtinarunt; cui ne nulla eſſet nominis diſtinctio, illam dederunt appellationem, qua de gente quidem Maſſagetarum eſſe intelligerentur, honeſtiùs tamen vocarentur. Nam pro Maſſagoeten, Goetey eos nominarũt, prioribus ſyllabis ademptis. Goetey autem, quod nos per mediam litteram Goeden dicimus, illi nobis ſunt, quos Latini generoſos, ſiue bonis parentibus ortos vocant. E Goeten igitur Græci priorẽ diphthongi partem, Latini poſteriorem ademerunt, ita vt ab his Goti, ab illis Getæ nominentur. Eoſdem autem Getas & Gotos eſſe, Procopius Romanorum teſtimonio docebit, cuius hæc eſt interpretatio: Tunc & Patricij quidam Sibyllæ dicta in medium proferebant, aſſeuerantes ad Iulium vſque menſem ciuitatem in diſcrimine fore; & neceſſarium poſtea, vt Imperator tum quiſpiam Romanorũ exiſtat, cùm demum Roma nihil Geticum extimeſcet, Geticam quippe Gotorum hi nationem eſſe affirmant. Idem Iornandes aſſerit, qui turpiſsimi erroris dux fuit, dum ſcribit, è Scanzia, quam falſò inſulam putat, Gotos principium generis habere. Getæ igitur Goti fuerunt, quod Iornandes ex Oroſio cùm didiciſſet, libro ſuo de Gotis ſcripto Geticarum rerum titulum dedit, ad Dionis Græci Geticorum hiſtoriographi imitationem: qui ſi extaret, plura de Getis & clariora antiquitatis monumenta haberemus. Theophylactus Ægyptius in hiſtoria, quam à Mauritio ad Phocæ vſque mortem ſcripſit, maximo errore, & vanitate prorſus Ægyptia, Sclauenos olim Getas vocatos

fuiſſe

fuisse tradit, non alia, puto, causa deceptus, quàm quòd Sclaui vacuas Gotorum, qui aliò commigrarunt, sedes occupassent. Simili errandi occasione Theophanes Byzantius Turcos scribit Massagetas olim dictos fuisse, quos Persæ sua lingua Cermichiones appellent, quia nimirum ea loca tum tenerent, quæ olim fuerant Massagetarum. Atq; de his Massagetis, non de veris, exploratoris illius dicta intelligenda puto, quæ de Massagetarum in Persas irruptione Iustiniano eum retulisse Procopius scribit. Getæ igitur siue Goti à Massagetis, & gentis suæ, & nominis originem habuerunt, ex Asia per Tanaim in Europam progressi, in qua ea loca ad occiduum Euxini latus occuparunt, quæ Cimmerij priùs possederant, ditione ad Istrum vsque prolata. Hos Alexander euitandos dixit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar declinauit, si Orosio credendum: cui tamen hoc credendum non est, quod addidit Gotorum vxores Amazones fuisse, quas docebo Cimmeriorum, qui priùs ea loca tenebant, non Getarum fuisse. Mirum est quantum errorum inde existat, quòd de eisdem sedibus, eadem de diuersorum temporum habitatoribus colligantur atque scribantur. Quia Amazones ad Istrum & Pontum habitarunt, quò pòst Getæ immigrarũt, creditum ab eo & aliis nonnullis, Amazones Getarũ vxores fuisse. Nec Iornandes animaduertit se sibi contrarium esse, dũ Eurypilum Gotorum Regem, ex Dione facit filium sororis Priami, non Amazonis, eum ipsum cum Mysis, non cum Amazonibus ad Troiam venisse asserens. Deinde cõstat, tempore Troianorum Amazones in Asia ad Thermodontem nobiles fuisse, nõ verò ad Istrum, vbi Getæ commorabantur. Stultissimum porrò illud est, Getas in Scanzia primos natales habuisse, nec non illi, quod ex Iosepho annalium scriptore citat, prorsus repugnans; cuius auctoritate, Scythicam gentem esse docet. Quis omnino ex peninsula in continentem, & non contrà ex continente in peninsulam, & insulas, gentium propagines ductas fuisse arbitretur, qui modò norit, ab vna stirpe omnes mortales procreatos, & nullis prorsus locis autochthonas post primos parentes affingendos? Ptolemæus maximæ Scandiæ meminit, sed eo nomine Gotlandiam vocauit, cuius meridianam partem à Gutis habitari dixit, certo indicio Gutas Gotos esse, cùm Gotlandia, id est, Gotorum regio hactenus nominetur. Veteres igitur Græcos hac parte minimè est assecutus, cùm ad alterum orbem, qui ab ipsis propriè & verè Scandia, id est, pulcra; & Scandinauia, id est, Scandiæ portus vocatur, prima vocali sic pronunciata, vt quartam Latinorum sono suo comprehendat, minimè peruenerit; quamuis in tabulis, nescio cuius culpa, hac parte Daciæ nomen scriptum videamus.

Plinius ſinum hunc, Codanum vocat, atque in eo Scandinauiam inſulam ponit incompertæ magnitudinis, quam Hilleuionum gens quingentis pagis incolens, alterum orbem terrarum appellet. Meminit & Eningię, quam non minorem opinentur: quam vocem ſcribentium incuria, ex Finingia detortam eſſe ſuſpicamur, niſi fortè ex Dione eam ſit mutuatus, qui fortè, more Græco, Digamma reiecerit. Quicquid autem de mari hoc, & eius inſulis ſcribit, è Græcis accepit; & neſcio quàm bona fide tranſſcripſit: cùm apertè videam eum parum ſui memorem in transferendo fuiſſe, vtpote qui cùm ſemel Scandinauiam celebraſſet, nõ ita multo pòſt, duobus interpoſitis capitulis, hæc verba addat: Sunt qui & alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur. Ignorabat nimirum Scandinauiam & Scandiam eandem eſſe; & mox ſui oblitus, Nerigon omnium maximam ſtatuit, cùm antè maximam & clariſſimam Scandinauiam dixiſſet. Inſignis igitur fuit veterum Græcorum diligentia, quibus quicquid Plinius & Ptolemæus de his regionibus habent, acceptum ferre debent: & tantum abeſt, vt aliquid addiderint vel correxerint, vt etiam quæ bene dicta erant, corrupiſſe videantur. Timæus inſulam eam quæ ſuccinum dat, Bannomannam dixiſſe videtur: quod equidem propterea arbitror, quia in eam electrum fluctibus eiici dicat, quod fortaſſis illo tempore ab iis colligebatur, qui ad id exilij loco condemnati fuiſſent. Neque enim quicquam eſt ſeruilius aut abiectius iis, qui electrum fluctibus expiſcantur, quod nudis corporibus poſt procellas necdum omnino finitas colligunt labore improbo, & aliquando ſummo algore: pro quo non aliud accipiunt, quàm tantundem ſalis, quaſi mancipia exiguo ſale empta. Non malè igitur coniecto, olim à condemnatis ad hoc exilium, electrum colligi ſolere, atque hinc Inſulam illam ad Boruſſiæ latus oppoſitam, Bannomannam vocatam, quo nomine exulum virorum habitatio ſignificatur. Errauit tamen in eo, quòd vnius diei nauigatione à continente abeſſe dicat, credens fortaſſe eam fuiſſe, quam Ptolemæus falsò putauit propriè Scandiam vocari. Quòd verò inſulam nominarit, non malè quidem, ſi tum idem regionis ſitus fuit, qui hoc noſtro ſeculo ſpectatur. Peninſula enim futura erat, Iſthmo ad Regium montem inter duos lacus Kriſchaf & Curiſchaf, id eſt, elegantem portum, & portum Curetum vocatos, pedibus adeunda; niſi foſſa è Pregula flumine in Curetum portum deriuata, inſula euaſiſſet: quam foſſam & olim fuiſſe ſuſpicamur, atque hac de cauſa inſulam fuiſſe nominatam hanc Venedici ſinus regionem. Tractus autem ille qui ſuccinum euomit,

non

non pluribus ferè quàm ſeptem milliaribus Germanicis patet, litore interiùs in ſinum curuato, quem Sudauey, id eſt, Sudinorum portum didici vocari. Sudini autem hi peculiari quadam lingua vtuntur, à Germanis minimè intellecta, à vetuſtis Sudinis, quos Ptolemæus vltra Cronium flumen ponit, fortaſſe profecti; vel quòd è patria in exilium acti, ad ſuccini capturam ſe locarint; vel ad hanc ſeruitutem, & hoc exilium à Venedis redacti, vt electrum viliſſimo improbiſſimoq́ue laboris genere piſcarentur. Non malè igitur Bannomanna ea inſula eſt vocata, quòd ab exulibus habitaretur, quorũ lingua nihil haberet cum Danis, & Auſtris, reliquiſq́; Germanis cõmune. Solus autem hic Sudinorum ſinus, ſuccinum fluctibus in retia eiicit, fruſtra alibi hac via quærendũ. Gedanum à Viſtulæ altero oſtio maiore & propinquiore, ad milliare ferè diſtat, ad quod arx Semunde dicta, ab oſtio quod Munt vocamus, ad quam litus ſabuloſis colliculis ſcatet, ad quod ſuccinum effoditur, ad ipſum ferè mare, minimè tamen retibus è mari capitur, vti apud Sudinos, qui à Gedano ad viginti paulo plus minus miliaria abſunt. Non procul etiam ab vrbe lapillus inuenitur, de genere, vt videtur, Lyncuriorum, ſimilitudine nuclei Olearum plerumque bifidus, ſic coagmẽtatus, vt non difficulter in longum diducatur. Ex hac igitur effodiendi cõſuetudine clarum euadit, hallucinatos eos eſſe, qui arborum lacrimã Electrũ crediderunt, cùm reuera bituminis lapidei genus ſit, è terra perinde atque bitumen liquidum exſudans, & in lapidem deinde in ipſa arena coagulatum: cui accedit Lyncurium, etiam in colle ſuburbano inueniri, duricie magis & figura quàm natura diuerſum: quod cùm ex arbore nulla fluat, ſed in terra haud ſecus, atq; alij lapides, cõcreſcat, indicio eſt, eodem modo Succinũ fieri, quamuis liquidũ è terra matrice profluat, lentore ſuo ſecum quæ obuia ſunt raptis, in mari deinde vel arena coagulandum. Sed de his Agricola ſcriptor diligentiſsimus conſulẽdus, omnes veteres in foſsilium natura longiſsimè excedens. Hæc itaque ratio mihi videtur, ob quam Bannomãna hæc, ſiue inſula, ſiue peninſula vocaretur, quę ne hactenus quidẽ meliore conditione Sudinos ſuos alit, quàm ſi exules in lapidicinis vincti tenerẽtur. Adfertur hac ætate ex India ſuccini quoddã genus, ſed fragilius quàm vt ſculpturæ ſit aptũ; adeoq́ue gũmi quàm lapidi ſimilius. Eius ego fruſtum habui, quod vltra viginti quinque vncias pendebat, & extima parte lineamenta veſicæ præ ſe ferebat, in qua collectũ cõcretũq́ue fuiſſe videbatur. Nam Luſitani cuiuſdã relatu accepi in litore inter ſaxa liquidũ adhuc legi, ac deinde in eam, qua induitur, figurã congelari. Vocatur autem Amini odoris ſuauitate maiorem in modum

dum expetitum, prefertim ab iis, qui diſtillationibus tenuibus laborant. Hecatæus Oceanum Septentrionalem, à Paropaniſo amne, quod nomen eius gentis lingua congelatum ſignificat, Amalchium nominat; quod non alia de cauſa annoto, quàm vt de monte Paropaniſo, & de eius interpretatione cogitemus; diſcamuſque, à Paropaniſadis ad Septentrionem vſque, eandem linguam olim valuiſſe. Interrogatus igitur Cimber quiſquam à Græco, vbi mare Septentrionale Amalchium vocaretur, reſpõdit à Paropaniſo amne: quo nihil aliud indicauit, quàm Oceani illam partem, quæ longè ſuperiùs ad ipſam vſque glaciem pertingeret. Ab illo enim congelato amne, quo mare glaciale per iocum vocabat, Oceanum dici Amalchium, qua in voce aſpiratio ablata eſt, & Tau de more noſtro exemptum. Hatmaſch autem, vnde Hamalchium factũ, idem eſt ac ſi dicas, omnes ſine diſcrimine odio habens: quo illud notabat, qui Græco hoc nomen dixit, non Græcos tantùm & exteros ab eius nauigatione excludi, ſed omnes, quantumuis vel vicini, vel eius oræ periti eſſent. Videmus itaque vnde ad Hecatæum hæc nomina venerint, & non malè ab eo ſcriptum eſſe, Paropaniſum congelatum ſignificare; quamuis integram vocis compoſitionẽ à Cimbris non accepiſſet. Simili occaſione crediderim Bannomannæ nomen inuentum, dum quiſquam Cimber interrogatus, vnde ſuccinum veniret; diceret è Bannomanna, id eſt, à viris exilio ad eius capturam condemnatis. Philemon vſque ad promontoriũ Rubeas, à Cimbris Mortmaruſam, hoc eſt, mare mortuum vocari dicit, vltra deinde Cronium. Admiror profectò & exoſculor curioſam hanc Græcorum inquiſitionem, dum à Cimbris non nomina tantùm, ſed nominum etiam interpretationem ſciſcitantur. Quiſquis tamen ita expoſuit, vt mare illud mortuum diceret, proximè ille quidem acceſsit, ſed integram vim vocis nõ expreſsit. Cimbricè & integrè diceretur Mortmarsø, id eſt, mare occidens, extra maneto. Morten enim eſt vi occidere, vt antè dixi; Mar verò ſiue Mer, pro Stagno & mari, Cimbricum eſt. Vt ſiue Vs, extra notat; qua voce vtimur dum iubemus quempiam vel exire vel extra manere. Reuera ita eſt, Oceani illam partem, quæ Norwegiæ litora alluit, periculoſiſsimam & eſſe, & haberi, propter occultos ſcopulos & anguſta inter rupes freta, vt magnam quandam vorticoſiſsimamque Syrtim, & ingentes belluas, quarum maxima illic copia eſt, taceamus. Rectè igitur Mortmaruſum mare à Cimbris vocabatur, qui hãc eius naturam, vt olim, ita hoc etiam tempore, optimè nouerũt, cùm illuc non raras habeant nauigationes, ſed tam periculoſas, vt ſi procellis ad litorum viciniam compellantur, vix vnquam euadant: atq;

idcirco

idcirco hos ſcopulos Scerey, id eſt, forfices hoc tempore vocamus, quoniam naues veluti forfices conſcindant. Eſt igitur naucleris omni ope annitendum, vt extrà quàm longiſsimè curſum teneant, ne inter ſcopulos compulſos, nauibus in cautes illiſis atque confractis, ſæuientes vndæ abſorbeant. Meritò igitur Cimbri, maris hac infami natura commonſtrata, iis qui clauum tenebant, acclamabant, Mortmarsos: quaſi dicerent, Mare illud circa litora, latronum more, homines occidit: extrà curſum tenete. Mortmaruſum autem mare durat vſque ad Rubeas promontorium: quod equidem illud eſſe credo, quod ad ſupremam Norwegiæ partẽ, vicinũ eſt illi arci quæ Warthus, id eſt, domus cuſtodiæ hoc tẽpore vocatur, atque olim fortaſſe fuit dicta Roufwacht, ſiue Roabwacht, id eſt, excubię contra prædones: eò quòd Roaben ſiue Roufen, idem ſit quod prædari; & wacht vigilias excubiasq; ſignet. Hinc promontorium Rubeas, pro Roubwacht à Græcis, duplice hac litteræ figura, & eius ſono caretibus, nominatum credo, ac deinde in eadem lingua Warthus, id eſt, vt dixi, domũ cuſtodiæ dici cœpiſſe. Ab hoc igitur Roufwachto mare Croniũ ponit Philemon. Hecatæus verò idem illud mare, quia fluminis modo in Oceanum ab Oriente deſcendat, Paropaniſum amnẽ nominauit, qua parte Scythiam alluit, id eſt, ſupremos Scytharum margines, atque ab eo amne totũ mare Amalchium eſſe, id eſt, indifferenter omnes odiſſe, nõ peregrinos modò & locorũ ignaros, ſed ipſos etiã accolas & vicinos. Angli igitur Mormaruſum præternauigantes, Paropaniſum, quem amnem neſcio quis per iocũ Græcis nominauit, intrant; & mare Cronium ad ſiniſtram relinquũt, vel potiùs & veriùs, & extra iocum, per ipſum mare Cronium, quod hieme cõgelatur, in Moſcouiam nauigare quotannis cœpere, clariore, vt opinor, fama & expectatione, necnon ſumptu, quàm vtilitate; cùm multo compendioſiùs per ſinum Sarmaticum ad Neruam alij perueniant, licet à Poloniæ Rege Moſcouitarum hoſte, multa impedimenta afferantur, nolente arma, maximeque bombardas Moſcouiæ inferri. Scandiam autem alij Baltiam vocant, quam Xenophon Lampſacenus à litore Scytharum tridui nauigatione abeſſe, & ad immenſam magnitudinem extendi, ſcripſit. Pythias Baſiliam nominauit, ita vt ex collatione videar mihi non abſurdè dicturus, nominatã fuiſſe Waltiam, à maxima potentia; quaſi nulla inſulæ alterius vis, cũ hac poſsit comparari. Scandiam item nominatã ſcimus, à regionis pulcritudine; eò quòd Scon ſiue Scaon per diphthongum, pulcrum notet: quod quamuis per A Latinis ſcribatur, meliùs tamen per O magnũ efferretur. Cùm igitur pulcritudine & potentia ceteris peninſulis longè

præſtet, meritò Baſilia à Pythea vocatur. Scandinauia verò appellari videtur, quaſi Scondenhauen, id eſt, Scandiæ portus, vel, vt mox dicam, pulcri Dani portus. Huius cùm multæ partes ſint, paucæ tamen ſunt à Græcis ſigillatim enumeratæ; atque adeò mirum eſt, vel vnius partis apud eos extare mentionem. Norwegia certè non exiguã eius portionem occupat, quam Græci corruptè Nerigon vocant; claro indicio qua de cauſa vox ſit corrupta. Exempta enim ea littera, qua carent, ex Norwegen fit Noregey, atq; Nerigon. Nec mirandũ, Norigon, nõ Noregon, dici, cùm Wig pro Weg eius regionis Cimbri ferè dicant, interim tamẽ pro quarta Latinorũ, ſecunda vocali, tranſcribentium vitio, in prima ſyllaba recepta. Huius ſupremus limbus ab occiduo cardine ad Orientem reflexus, promõtorio Rubea, ſiue correctiùs Robewachto nobilis, ad quod nunc eſt Warthuſa arx, Domna Plinio vocatur, quaſi Cimbricè Domnat diceretur, id eſt, ſutura limbi, nomine inde dato, quòd ſuprema hæc Nerigi pars duas maximas Cherroneſos cõnectat; alteram, quæ Nerigon, Finmarciam, Suedaniam, Lappiam, & Bodniam occidentalem, & alias plures comprehendit: alteram, quæ Finingiam ſiue Finlandiam & Bodniam orientalem, & alias item plures partes complexa, à priore Bodnico ſinu, à continente, Finnico & Liuonico mari ſeparatur; ad quarum vtramq; Iſthmus inter Cronium mare ſiue Oceanum ſeptentionalem, & mare Liuonicum, ſiue Naruium, aditum terreſtrem è Sarmatia præbet. Pars igitur hæc extrema duas has maximas peninſulas colligans, & quaſi conſuens, atque ſimul continenti terræ Iſthmo intermedia cõnectens, Domnat à Cimbris eſt vocata, id eſt, ſutura circuitum adſtringens, initio eius à promontorio Warthuſæ incumbenti, vel fortaſſis etiam paulo inferiùs computato, vbi hactenus portus quidam ingẽs Domshaf, quod idem eſt ac ſi dicas, Domnæ portus, nominatur. Porrò cum ex Nerigo, in qua Bergi ſunt, in Thulen nauigari, atque à Thule vnius diei nauigatione mare concretum ſiue Cronium abeſſe ſcribant, ſatis docent, Iſlandiam Thulem eſſe. Attigi hunc locũ alibi, ſed hîc repetendus, aliis, quæ huc ſpectant, adiectis. Strabonis libro primo de interprete, Græcis breuitatis ergô miſſis, hæc ſunt verba: Deinceps verò orbis qui incolitur, latitudinem definiens (de Hipparcho loquitur) ait, quòd à Meroë quidem ab eius meridiano ad Alexandriam decem millia ſtadiorum ſint; hincque ad Helleſpontum circiter octo millia & centum; inde ad Boriſthenem quinque millia. Poſtea ad circulum per Thulen, quam Pytheas à Britannia dierum ſex nauigationem ad Arcton abeſſe dicit; propè verò eſſe mare glaciale; alia item decem millia & quingenta. Siquidem

dem ſuperaddiderimus ſupra Meroën alia itē tria millia & quingenta, vt etiam Ægyptiorū inſulam habeamus, & terram Cinnami feracē & Taprobanen, ſtadia erunt triginta octo millia. Reliquæ ſanè diſtātiæ concedantur illi; ſatis enim conceſſum eſt: circulū à Boriſthene ad Thulen compos mentis quis donaret? Cùm Pytheas mendaciſsimus homo Thulen perſcrutatur, & qui Britannicam Hiberniam vident, nihil de Thule dicunt, alias referentes circa Britanniam inſulas paruas. Vitauì hîc ſanè, dum interpretis verbis vtor, prolixitatem; ſed contrà, quàm volebam, res vertit. Nam exemplar Latinum mihi fuit, ad has diſtinctiones corrigendum, & cum Græco textu comparandum: quod dum facio, deprehendo mille ſtadia inter Boriſthenem & Thulen eſſe omiſſa; tranſſcribentiúmne, an interpretis culpa, ignoro. Deinde nec Græca quidem ſana eſſe, eò quòd ineptum ſit diſcrimen latitudinis inter Meroën & Alexàndriam, à Meridiano per Meroen computari, cùm inter Meridianos longitudo conſiſtat. Loco igitur, ἀπὸ μὲν Μερόης ἀπὸ ξδ διὰ αὐλῆς μεσημβρινοῦ μέχρι Ἀλεξανδρείας, legendum, ἀπὸ μὲν Μερόης ἀπὸ τοῦ διὰ αὐλῆς μεσῆς κύκλου μέχρι Ἀλεξανδρείαν· vel, ἀπὸ Μερόης ἐν τῷ διὰ αὐλῆς μεσημβρινῷ. Horum vtrum placeat, mea non refert: prior certè coniectura mihi magis arridet. Rurſus interpres turpiſsimè errauit, dū hæc transfert: Ὅτε γὰρ ἱστορῶν τὴν Θούλην Πυθέας ἀνὴρ ψευδέσταθ' εἶναι ἐξήτασαν. Cùm Pytheas mendaciſsimus homo Thulen perſcrutatur. Vertendū enim erat: Pytheas enim is, qui Thulen in hiſtoria prodidit, habita inquiſitione, cenſus eſt vir eſſe mēdaciſsimus. Verūm qui errata huius interpretis perſequi vellet, næ is maius volumen, quàm ſit totus Strabo, cōderet; adeò vt minoris operæ eſſet, totū hunc auctorem de nouo in Latinū ſermonē conuertere. Miſſa igitur hæc facientes, videamus quàm iuſta hæc fuerit cenſura, qua Pytheam Strabo mendaciſsimū virū eſſe pronunciat. Quia ſcilicet ij, qui Hiberniam Britannicam viderunt, nihil de Thule narrant; ob id Thule de medio tollenda. Meliora quæſo. Non viderunt ij, qui ætate tua nauigabant; at viderūt ij, à quib⁹ Pytheas didicit. Admirabilis eſt hoc loco Pytheas, quòd tam olim inſulæ, longiſsimo ad Septentrionē interuallo remotæ, tam veram nauigationis menſuram adſcripſerit. Satis enim feliciter ſuccedit curſus, ſi ſingulis horis, noctu atq; interdiu, per ſex integros dies, ſingula milliaria Germanica in pelago incōpertę profunditatis abſoluantur. Quis neſcit, plura poſſe? ſed quiuis optaret hanc ſibi contingere proſperitatē, vt ſingulis diebus viginti quinque milliaria Germanica pernauigaret. Hipparchus certiore vſus menſura,

à circulo per Boriſthenem ducto, ad circulum per Thulen, tot ſtadia collegit, quot trecentis quinquagiſta nouem milliaribus Germanicis continentur, non ita multo plus ſpacij, quàm reuera circuli diſpeſcunt; ea tamen cautione, vt ille circulus intelligatur, non qui mediam Thulen, ſed qui ſupremum eius angulum tranſit; extra quem adhuc inſula iacet, freto ſeiuncta illa quidem, ad Iſlandiam tamen pertinens. Ducitur autem hic circulus per ſeptuageſimum primum latitudinis gradum; ita, vt à circulo per Boriſthenem ſcripto, ad viginti tres gradus in Meridiano ſupputatos abſit; quorum ſingulis, ſi quindecim milliaria admetiaris, exiſtent trecenta quadraginta quinque. His ſi inſulam, quæ ad Septentrionem appoſita eſt, adiicias; ſpacium dimidiati gradus, ad ſeptem milliaria & dimidiatum reducendum accreſcet: atque hoc calculo minimum interuallum inter veritatem & Hipparchi aſſertionem euaſit. Eſſe autem æquum, vt ſic res intelligatur, ex eo liquet, quòd eorum, qui hæc ſcripſerunt, ea ſit ſententia, vt circulus per Thulen orbis habitabilis finis ſit ſupremus. Erat igitur tota inſula huic includenda, vnà cum omnibus ſuis appendicibus, quo conum orbis habitabilis altiſſimum hac ſua celſiſſima criſta exornaret. Sed admonendum, me hîc ſequi medium inter Olai Magni, & Gerardi Mercatoris deſcriptionem, ita perſuaſum; partim eorum relatu, qui inſulam adierunt, dicentium Solem in ea, non vno ſolo die, ſed aliquot continuis ſupra Horizontem manere; partim antiquorum obſeruatione, quos modò adduxi. His acceſſit Nicolai & Antonij Geni fratrum, patritiorum Venetorum auctoritas, qui anno milleſimo trecenteſimo octageſimo, immani tempeſtate per Oceanum hunc rapti, poſt aliquot dies ad Friſlandiam naufragium fecerunt; vbi ab inſulæ regulo capti, claſſiariis nautis adſcripti, cùm egregiam operam ad claſſem ab horrida tempeſtate ſeruandam, nauaſſent, conſecuti ſunt eam apud omnes laudem, vt nouæ claſsi præficerentur; qua totam hanc Septentrionalis maris plagam perluſtrarunt, & hydrographicis tabulis deſcripſerunt; quibus tantiſper ſtabimus, dum certiora ab aliquo audiemus; idque eò magis, quòd falconariorum aucupum, qui ex campeſtri Brabantia, frequenter eò proficiſcuntur, narrationibus conſentiant. Laudetur ergo Hipparchus, laudetur Pythias; & temeritatis deſpuendæ condemnetur Strabo, qui priſcorum teſtimonia tanto contemptu exploſit. Errarint alibi, vt fieri in tanta rerum obſcuritate neceſſe eſt: interim diſcamus non tam audacter aliorum dictis fidem derogare. Credidit Strabo, Hiberniam magis ad Arctũ vergere, quàm Britanniam, & propter frigus ægrè habitari; cùm conſtet

ſtet, ad occiduum latus Hiberniam Britannię adiacere, & vltima Britanniæ longè propiùs ad Septentrionem, quàm vltima Hiberniæ accedere, & aërem in Hibernia temperatiorem multo quàm in Scotia eſſe. Falſum item illud, quòd vltrà habitatio nulla eſſet; verùm & hoc & reliqua omnia, negligentiæ Romanorum, qui tum temporis rerum potiebantur, imputanda; qui vexandis regionibus potiùs & vaſtandis, quàm cognoſcendis & illuſtrandis incubuiſſe deprehenduntur; hac parte Græcis longè deteriores; & ſi verum dicere licet, barbariores. Pomponius tamen Mela exoſculandus, qui de Thule veriſsima prodidit, non de Romanis, ſed Græcis commentariis petita; cuius verba adſcribemus: Thule Belgarum litori appoſita, eſt Graiis & noſtris celebrata carminibus. In ea, quòd Sol longè occaſurus exurgit, breues vtique noctes ſunt, ſed per hiemem, ſicut alibi, obſcuræ; æſtate lucidæ, quòd per id tempus iam ſe altiùs euehens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per Solſtitium verò nullæ, quòd tum iam manifeſtior non fulgorem modò, ſed ſui quoque partem maximam oſtendat. Hæc Melæ verba, & vera ſunt, & ſitum Thules, & eius dierum & noctium varietatem, & crepuſculorum longitudinem, clarè ſatis explicant; ſi illud, lõgè occaſurus, ſic capiatur, vt intelligamus, Solem longo tempore circa Horizontem, velut occaſurum, verſari, & vix tandem occidere. Si ſic legeremus, Quòd Sol longè occaſurus breui exurgit; clarior eſſet ac apertior ſententia. Nec mirandum, ſi vocula deſideretur; cùm orationis huius á me adductæ, principium etiam mendoſum eſſe cernatur. Pro eo enim quod ſcriptum eſt, Thule Belgarũ litori appoſita, legendum, Thule Bergorum litori oppoſita. Vadianus cetera parum ad rem facientia philoſophatus, locum mendoſum reliquit; nec excuſari lectio poteſt, errore in ipſum Melam reiecto, cùm hîc perſpicuè demonſtret, ſe optimè nouiſſe Thules à Belgarum litore immenſum interuallum diei longitudine annotata. Ne verò quis putet, me de recentiorum obſeruatione mendum hoc tollere, atque idcirco putet, Bergos à Pomponio non fuiſſe notos, commentitiumque hoc eſſe quod dico; Plinium audiamus. Sunt, inquit, qui & alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur. Bergos, haud dubiè Plinius, vel è Pomponio, vel ex eius præceptoribus accepit; vt nihil dubitandum ſit, quin Bergorum litus, non Belgarum; & oppoſita, non appoſita, ſit legendum. Ex quo & illud liquet, diligentiorem Melam fuiſſe, qui noſſet Bergorum, qui populi Norwegiæ ſunt, litori oppoſitam Thulen; cùm Plinius Bergos à Norwegia

 ſeclu-

ſecludat. Bergorum nomen, Cimbricũ eſt; &, vt in Atuaticis oſtendi, Berg portum nobis ſignat: eò quòd in eo naues ſeruentur ab Oceani furore, perinde atque primi homines ab aquis ſeruati ſunt in montibus altiſsimis, qui propriè Bergen vocantur. Vox origine prior eſt Srab, compoſita ex Sar, quod eſt omnino, & ab quod eſt deorſum vel decliue, quod aliter af pronũciatur. Sarab igitur, & ſyncoptôs Srab, ſignificat omnino deorſum ſiue depreſſum, quo nomine quoduis genus foſſæ intelligitur, & inter alia ſepulcrum: quod ſi contrario ordine litteras legas, contrarium ſignificabitur. Barg enim montem dicimus, qui plane foſsis opponitur; cùm hic in altum eleuatus, illæ depreſſæ cernantur. Iam quoniam maiores Cimmeriorum in monte, ceu alij vectores & nautæ in portubus ſeruati ſunt, dum in Arca nauigarent; voluerunt montis nomen pro quouis genere conſeruationis in vſum venire, & maximè pro eo quo naues ſeruantur; quas dicimur Bergey, id eſt, accuratè ſeruare ſiue abſcondere, cùm in tuto extra periculum collocamus. Portubus igitur nomen Berg ſiue Barg lubenter indiderunt; quo nunquam non in mari recordaremur illius conſeruationis ab vndis, quę in montibus Cimmeriorum parentibus diuina miſericordia contigit; & inde in mentem veniret Deum rogare, vt ab vndarum periculis, & nauem & vectores ſeruare dignetur. Antiquiſsima autem hæc ciuitas, cuius priſci illi Gręci, & Pomponius meminerunt, hactenus ſedes eſt Epiſcopalis ſub Metropoli Nidroſiana, & totius Norwegiæ ſiue Nerigi, vt cũ Plinio balbutiam, in nominis claritate tenet principatum, mercatũq; habet vt celeberrimũ, ita noſtris hominibus, à piſcibus vento induratis, quos illinc apportant, notiſsimum. Ex horum litore in Iſlandiã nauigatur; quam Thulen veterum eſſe, de Põponij deſcriptione, & Pytheæ, & Hipparchi teſtimoniis eſt apertum. Profectò ſi quis omnes Græcorum hiſtorias percurrat, & ea quæ vetuſtiſsimi eorum de Italia ſcripſerunt, examinet, deprehendet eos clariùs veriusq; de maris Norwegici natura, de Bergis, de Thule, aliiſque quibuſdam ad Cimbricam antiquitatem pertinentibus ſcripſiſſe, quàm de Eridano, & mari Adriatico, & ipſa Roma: ita vt inde veriſimile fiat, plus ciuilitatis, plus hoſpitalis beneuolentiæ, humaniq; candoris, plus etiam rerum externarum cognitionis & commercii apud Cimbros illos hominum extimos, quàm apud Romanos, illis tẽporibus fuiſſe. Quî enim Gręci hęc quę dixi nouiſſe potuiſſent, niſi libẽter Cimbri & eos admiſiſſent, & regionũ ſuarũ notitiã cõmunicaſſent? niſi fortè velimus, Cimbros in Gręcia peregrinatos, Gręcis hęc tradidiſſe: cui obſtat, vti in Atuaticis docui, quòd in vltima Britãniæ parte Græcorũ extẽt monumẽta:

quæ

quæ à quibus, nisi à Græcis, posita dicere queamus? E regione igitur Bergorum Thule iacet, non quidem directè, & sub eodem circulo parallelo, sed nonnihil transuersim Septẽtrionem versus remota. Est tamen & alterum in Norwegia opidum, directè Thulæ siue Islandiæ oppositum, cui cùm Berg etiam nomen sit, potuisset videri cuipiam de illo Pomponium intelligendum, nisi prioris ciuitatis nobilitas, & clarissima apud omnes fama, hanc sibi memoriam vindicaret. Est & tertium eiusdem nominis opidum in ipsa Thule, qua parte Norwegię opponitur, certũ argumentũ, vnde, & à qua gente insula primùm habitata sit. A qua enim, nisi ab ea, cuius linguæ vestigia in ea antiquissima remanserunt? Quare autem Thule dicta sit, natura & positus insulæ videtur commonstrare. Thus enim, & hypocoristicôs Thusken, id nobis est, quod pileis supernè ornatus causa solet imponi; vnde Thusen est lasciuè viuere; eò quòd hoc signo ferè commonstrarent iuuenes sese adhuc, vt ita dicam, vitulari. Insula igitur hęc altis montibus, & perpetuò ardẽtibus insignis; supremo ferè orbis vertici imposita, veluti tholus quidã, aut veluti in cono quodam crista, Thule à Cimbris est vocata. Placuit autem hæc vox eo magis, quòd posit geminã habere interpretationẽ: alteram quam dixi insulæ situi & naturæ eius in conũ, tholúmve elatæ, egregiè conuenientem: alteram qua significatur, eos qui eò nauigant, ad fletũ ire, siue, quod Orę-cis in ore frequẽter est πρὸς τὸ οἰμώζειν. Huien enim nobis idẽ est quod plorare, & ploratus. Tot Huien, & per syncopen nobis vsitatam, Thuien, idem prorsus quod ad ploratum. Tantus autem ploratus ad eam Insulæ partẽ, in qua Heclæ montis crateres sunt, auditur, vt cõmuni omnium existimatione creditum sit, impiorũ animos illic cruciari, atque adeò ferè à vicinis intelligi, si quis magnus Tyrannus occubuerit, & ad eum locum venerit, quia nimirum tum nouus ploratus exaudiatur, & voces aliquando cacodæmonũ eum qui recèns accesserit nominãtiũ. Virgilius in sexto lugẽtes campos descripsit: qui si Thules etymõ, & Heclã, & glaciei ploratũ & vlulatũ nouisset, plorãtes etiam cãpos, siue vlulantes addidisset. Possem magnũ fabularum contextum de hac hominum opinione consutũ euoluere, nisi puerile id iudicarem: & in ore omnibus est, quendã nostrorũ optimatũ eò proficiscentẽ, in cymba quadã aduersis ventis, citra vela & remiges à dæmone subuecta, à nautis visum esse; & percontantibus portitorem quemnã veheret, responsum, eũ esse, de quo fabula narratur, nomine & officio, quo functus in Rep. Belgica fuerat, expressis: & postea nauclerũ cùm in Hollãdiã appulisset, resciuisse eũ ipsum, cuius nomẽ audiuerat, obiisse; ac interrogatum, qua corporis statura, qua facie, quo habitu,

habitu, mortuus hîc fuiſſet, ſic omnia delineaſſe, vt quẽ nunquã viuũ conſpexerat, probè perfecteque cognouiſſe videretur. Duabus igitur rationibus Thule nomen hoc accepit; & quòd veluti Tholus quidam orbi terrarum eſſet impoſita; & quòd eò nauigantes ad ploratum proficiſcerentur. Sed ne alios opinionis ſuæ audientia defraudem, qui diuerſam rationem nominis aſsignant, addenda ſunt quæ in Suidæ collecticiis ſcriptorum fragminibus, de neſcio quo auctore adducta, leguntur. Thulis, inquit, regnauit per totam Ægyptum, ad ipſum vſque Oceanum; & in eo inſularum vnam de nomine ſuo Thulen vocauit. Superbia verò, de rebus proſperè geſtis, elatus, adiuit Sarapidis oraculum; vbi ſacrificio facto, hæc interrogauit: Dicito nobis, Ignipotens beate, qui curſum æthereum inflectis, ea quæ non fallant: Quis antequam ego regnaui, tanta præſtare potuit; vel quis erit poſt me? Cui redditum eſt oraculum, ad hunc modum habens:

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς·
Ταῦτα δὲ σύμφυτα πάντα καὶ εἰς ἕν ἰόντα τέτυκται,
Οὗ κράτος αἰώνιον· ποσὶν ὤκεσι θνητὲ βαδίζε,
Τὸν βίον ἄθλον διανύων σὺ πολὺ κρείττων.

Verſus apud Suidam penitus ſunt perturbati, & mutili, quos ego ad hunc modum reſtituendos putaui, ſalua illorum ſententia, qui vel de exemplaribus vetuſtis, vel ex aliis auctoribus eos poterunt meliùs emendare. Mihi certè oraculi ſenſa, & mors deinde ſecuta perſuaſerunt, hanc, quam adfero, lectionẽ tantiſper tenendam, dum ſaniorem docebor. Hoc igitur reſponſum ita interpretabor:

In primis Deus, hinc Sermo, dein Spiritus almus,
Omnia ſunt connata ſimul tendentia in vnum,
Perpetuò Omnipotens: miſer hinc diſcedito velox:
Eſt melior quiſquis latuit, moriensque fefellit.

Egreſſus igitur è templo vaticinij, à ſuis ipſius hominibus in Afrorum regione iugulatus eſt. Verùm cùm nec Herodotus, nec Theodorus, nec quiſquam aliorum, me quidem conſcio, huius Thulis fecerit mentionem, opinor fabulam de ſitu inſulæ confictam: eò quòd ſupremus terrarum terminus haberetur, vltra quem nulla hominum ſedes citra Septentrionem inuenta vnquam fuiſſet: ad quod Virgilius Auguſto per inſignem adulationem, totius orbis imperium optans, alluſit, hanc inſulam orbis metam faciendo:

An Deus immenſi venias maris, & tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſeruiat vltima Thule?

Pli-

Plinius idem ſtatuens, Vltima, inquit, omnium quæ memorantur, Thule, in qua Solſtitio nullas eſſe noctes indicauimus, Cancri ſignum Sole tranſeunte, nullosque contra per brumam dies. Hoc tempore Iſlandia vocatur, quam re vera & indubitate Thulen eſſe, ſatis oſtendi; nomen hoc nouum à communi mutuatam, eò quòd nulla eſſet Iſſedonum, de quibus pòſt, inſula clarior. Significat autem vox hæc Ysſant, regionem glacialem, eò quòd octo ferè menſes glacie cingatur; quæ confracta & fluctibus in rupes, & ſeipſam illiſa, horribiles ploratus edit: quos eorum eſſe putant, qui frigore peccata ſua luunt, ex Heclæ ardoribus ſummis, in extremum frigus præcipitati; & hinc rurſus, ſi ita iudex velit, ignibus iniiciendi. Regio magna parte ſui montoſa culturam reſpuit: qua verò parte plana eſt, tam læto & vbere pabulo abundat, vt armenta ſint nonnunquam abercenda, ne aruina diſtenta crepent. Tritico & Secale & reliquo frumentorum genere caret; eius loco ingentem vim piſcium habens: quos vento induratos, in metas domorum inſtar attollunt, & ex iis tritis & molitis farinam faciunt, ac panes coquunt; tametſi qui ditiores ſunt, frumento vtantur aliunde illato; pecunia è piſcibus & ſulphure, cuius maxima copia ex Heclæ montis radicibus, acquiſita. Tres in ea montes ſunt altiſſimi, ſupernè perpetuis niuibus, inferiùs æternis ignibus inſignes: inter quos Hecla ad occidentale inſulæ latus nobiliſsimus, nonnunquam horrendo tonitru, & rabioſo fragore ignes, & ſaxa, & ardentes carbones eructat; & deinde crateres incognitos & cinere occultos, circum ſe relinquit: adeò vt ſi quis cognoſcendæ ignium naturæ curioſus, propiùs accedat; in periculo ſit, ne abſorbeatur. Exurit autem flama aquas, & ſtupam illæſam dimittit: quod & in aliis ignibus obſeruatum ſcimus. Cacodæmones naturalibus miraculis abuſi, miris technis miſeros mortales à veritate ſeducunt, & ſe conſpiciendos modò hac, modò illa forma præbent, nec non ſimulacra hominum mortuorum ita effingunt, vt iis quibus noti in vita fuerunt, ceu rediuiui colloquantur, & tandem maximo cum gemitu & ploratu diſpareant; dicentes, ſe ad Heclam reuocari. Dicitur autem mons hoc nomine, quòd acutis cautibus horreſcat, & homines crudeliſſimo pœnæ genere torqueat. Heckel enim eſt inſtrumentum ferreum, ſtylis ferreis acutiſsimis eadem altitudine extantibus, & per decuſſes poſitis, veluti erinaceus, plenum; quo linum planis latisque palmis priùs confractum purgatur, & in ſubtiliſsimas fibras diuellitur & pectinatur. Hinc prouerbio dicitur, Saet ghy op een heckel, ghy ſout wat anders wunſchen; id eſt, ſi ſuper ferreo lini pectine ſederes, aliud quiddam optares: in eos

dici

dici consuetum, qui multa & magna optant. Nam qui super illo pectine sederent, aliorum obliuiscerentur, atque hoc vnum orarent, vt ab eo tormenti genere liberarentur. Pro summa igitur & sæuissima pœna, vsurpatur: atque hinc mons gemina ratione Hecla dicitur; & quòd sedes sit tormentorum, & quòd acutis cautibus, veluti eiusmodi pecten horrescat. Regio cui imminet Westfort, ob Occidentis cardine vocatur, cui ex altera parte sub eodem circulo parallelo Ostfort, id est, tractus Orientalis, opponitur. Hæc ego diligentiùs addidi, quò constaret, qua lingua olim Thules incolæ vsi sint; quam eandem & in Norwegia, & vicinis omnibus fuisse, deprehendo: atque ita liquet, hos omnes Cimbricę nationis & Teutonicæ fuisse; & Thulen posteriùs quàm Bergos in Norwegia habitari cœpisse ab iis, qui ex Norwegia eò nauigarũt. Redeo itaque ad Scandiam siue Scandinauiam; cuius partem Plinius ab Hilleuionum gente quingentis pagis habitari prodidit: quorum nomen statim docet, montibus plurimis totam regionem plenam esse. Hilleuiones enim ex Hiissenwoney factum est, non aliter atque Hermiones ex Hertmitwoney. Cùm igitur Hiis mons sit, Hillewones, monticolæ Latinè vertentur, quales omnes ferè sunt qui Norwegiam tenent. Nusquam in tota Germania montes sunt his conferendi, cùm perenni niue candeant, & asperrimis rupibus ferè sint inuij; & idcirco Hillewones eorum accolæ meritò hac nota ab omnibus Germanis & Sarmatis Europæis distinguendi. Quæ à Plinio adduntur de Oonis, & Hippopodibus, & Fanesiis, fabulæ sunt, à Cimbris per iocum consutæ. Oonas enim eos appellarunt, qui ad ouorum scopulos habitabant; qui sic dicebantur, quòd veluti oua quædam circa maiorem quandam insulam iacerent, quam gallinam vocabant; quales & in Norwegia, & in lacu Meler commemorantur. Est hactenus Eierfort, quo ouorum tractus significatur, quam vocem Suecorum lingua in Eggiafort corrupit, vt est apud Olaum Magnum videre. Hippopodes duabus de causis dicuntur, & quòd magnos pedes habeant; & quòd celerrimè per niues pedibus suis ligneis labantur potiùs quàm currant: quos Scricfinos ab hoc genere currendi nominamus. Scric idem notante, quod latè diuaricatis passibus curro. Scricfini ergo Fini sunt, siue Finingi, qui hoc genere calceorum ligneo, per niues & glaciem lubrico lapsu feruntur. Sunt & alij, qui de pedibus Tympanopodes dici poterant. Strabo de Caucasiis ad Albaniam & Iberiam montibus, glacie ac niue æstate etiam plenis agens, similis calceamenti meminit:

Θέρος

Θέρους δὲ φησὶ προσβαίνουσιν ὑποδούμενοι κέντρωτα ὠμοβοΐνα, δίκλωτον τυμπάνων πλατέα, διὰ τὰς χιόνας καὶ διὰ τὴν κρυσάλλους· id est, Æstate calceati calceis aculeatis, è crudo corio bubulo factis, & ad tympani formam latis, per niues & per glaciem ascendunt. Idem ait, in Masio monte Armeno circulos supponi:

Ἐν ταύτα δὲ καὶ τρόχιοι ξύλινοι κέντρωτοι τῆς πέλμασιν ὑπολίθειν), id est, Hic verò & lignei orbiculi aculeati plantis subduntur. Interpres neutrum locum intellexisse mihi videtur, cùm neutrobi de aculeis, ne labantur, subditis meminerit. In Alpibus circulos ligneos item habent reticulo colligatos, quibus pedes niuem adscensuri imponunt, quod & ipsemet expertus sum: quibus tamen in glacie non vtuntur, nisi sit niue contecta. In ea enim nuda, senos aculeos ferreos, singulis soleis subdunt, superiùs firmo vinculo pedibus alligatos. Si ergo Hippopodes recensendi, Tympanopodes quoque, & Centropodes addantur: sed hi posteriores alibi etiam inueniuntur: at illi huic Septentrionis regioni sunt peculiares, quorum calcei apud Olaum depinguntur. Fanesiorum aures & nomen quid sibi velint, fateor me ignorare: Ufay, vexillum nobis est; è quo suspicor, illos olim vexillum in capite portasse, ornatus causa, quod in feminis Senensibus hodie videmus. Quòd autem aures dicantur habuisse, ad terram vsque propensas; nihil aliud videtur notare, quàm eos eiusmodi genus vestis habuisse, quòd caput amplexum ad pedes vsque descenderet; atque hinc Cimbros, eiusmodi lusum studiosos, respondisse Græcis, eiusmodi illic homines esse, quibus, præter aures, nullum sit vestimentum. Habebant enim pallia è pellibus Martinis & Sabelinis calidissima, quæ à summo capitis vertice, ad pedes vsque dependebant: quorum regionem & mores Lappones nunc possident, alterius omnino, quàm Cimbri sint, generis & linguæ. Reliquis, quæ à vetustissimis illis Græcis traduntur, relictis; ad Gotos redeamus, quorum nullam hactenus vetustam in Scandia mentionem inuenimus: cùm tamen ingenti indoctorum hominum contentione, & præiudicata quasi apud doctos etiam sententia, ex hoc altero orbe descendisse dicantur. Ad posteriora igitur tempora descendens, Ptolemæum consului; apud quem didici, meridianam partem Scandiæ, non huius quidem, sed alterius, à Gutis habitari; quos eosdem cum Gotis esse, quiuis, linguæ nostræ non imperitus, intelligit. Sueonas Tacitus in Oceano hoc præcipuos agnouit, quorum naues describit, Gutarum nulla facta mentione.

Idem tamen Gothinorum & Gothonum in Germania, tanquam diuerſorum meminit, Gothinos Gallicæ linguæ, qua vtantur indicio, Germanicæ originis eſſe negans: quod diligenter notandũ; eò quòd dicat, Gothinos terga Marcomannorum claudere, & Gallica lingua vti: quo intelligi datur, in regione habitaſſe Getarum, & Getica lingua vſos fuiſſe; quæ cùm diuerſa ſit à Sueuica, quam Romani ſolam Germanicam eſſe crediderunt; conſtat, eos ſermone noſtro vſos fuiſſe, ac illum Gallicum ob id vocatum, quòd tota Gallia eo tum temporis vteretur. Getarum igitur ſiue Gothinorum regio ad Cracouiam vſque extẽdebatur. Gotingus enim, è quo Gothinus fecit ſermo Romanus, eo modo dicitur quo Flamingus, eum ſignificans, qui Gotici generis ſit. Gothones qui trans Lygios Sueuos erant, dicit paulò addictiùs quàm ceteras Germanorum regnari, necdum tamen ſupra libertatem: è quo rurſus Getica diſciplina, & ciuilitas, Græcorum moribus proximè accedens, apparet; ita vt non nomine ſolo, ſed moribus etiam Goti fuiſſe deprehendantur. Extant hactenus in Germania Gotorum veſtigia in Gottinga & Gota, quarũ hęc longa obſidione nunc cincta, in vtram partẽ ſit caſura, nutat. Cùm igitur antiquæ Getarum ſedes antiquiſsimæ inter Daciam & Pontum Euxinum, & à Græcis vetuſtiſsimis & à Romanis longo pòſt ſeculorũ interuallo ſecutis ponantur; credere licet eos paulatim ſuperiora etiam petiuiſſe; & ſi quæ ſedes Germanis de more ſuo ſemper migrantibus vacaſſent, eas occupaſſe. Et verò Ponti illud latus prius Cimmerij tenuerunt, vti pòſt docebo; quibus in varias expeditiones, & regiones diſtractis, Getæ proximi vicini & eiuſdem linguæ homines in vacua loca venerunt. Getæ deinde plurimùm numero aucti, colonias etiam aliò miſerunt, pro eo ac oportunitas ſe aliqua, aut neceſsitas obtuliſſet; atque ita ad maris Baltici tandem litus veniſſe reor, quod Sueuorum gentes reliquiſſent. Inde poſt in inſulam, quam Gotlandiam vocamus, quamque Ptolemæus Scandiam, è continente primùm appuliſſe, & tandem in Sueonum etiam terram traieciſſe: qua de cauſa, quia plures eſſe poſsint, nihil refert, quando non vlteriùs veritatem quæro, quàm vel lectio ſcriptorum, vel nominum ratio, vel veri ſimilitudo aliqua inſignis me deducat. Alij migrant vel hominum numero nimis pro captu regionis aucto: alij inuitati, vti Angli in Britanniam: alij ab hoſte pulſi, vt Britanni in Galliam: alij ducti cupidine plura melioraque quàm domi habeant poſsidendi, vt Germani in Galliam: alij terris nouis ab aliquo principe donati, vt Romani milites veterani variis locis reperiuntur: alij iritati à finitimis; denique alij aliis de cauſis aliò commigrarunt. Quacunque igitur occaſione

Goti

Goti in Gotlandiam traiecerunt, illud interim tenendum, è continente eò veniſſe, non contrà ab inſula in continentem, ac inde in Cherroneſum illam magnam partem eorum cauſa aliqua tranſiiſſe. Gratulentur ergo ſibi Goti de parentibus ſuis, quorum arma totam Italiam & Hiſpaniam, & magnam partem Galliæ ſibi ſubiecerunt, atque hac laude, quæ maxima poteſt haberi, contenti; indoctos illos, & barbaros, & nugaces ſcriptores explodat, qui contra naturæ ductum, & contra vera & prima hiſtoriæ principia è Moſe petenda, homines exinſulis & peninſulis in continentem veniſſe, ridiculè fabulantur. Erat illis hominibus docendum, antiquiorem Getarum notitiam in Scandia, quàm ad Pontum fuiſſe, apud Græcorum vetuſtiſsimos: quod eos facere non poſſe, ſatis mihi videor oſtendiſſe, dum diſcuſsis omnibus, quæ extat de Scandia & Thule apud eos ſcripta, nulla Gotorum aut Getarum ſit in ea inuenta mentio, ante Adriani principatum; cùm tamen in Germania multo antè Gothonum & Gothinorum populi ſint reperti. Olaus Magnus vetuſta Gotorum ſaxa frequenter iactat, quaſi iis antiquæ Gotorum res geſtæ, litteris Goticis inſcriptæ continerentur: ſed ne vnum quidem vnquam, vel legere, vel intelligere potuit: quod ſanè mirum eſſet, ſi verus ſermo Goticus, & germana eius pictura, non ſolùm in ea regione maximè viguiſſet, ſed ſuos etiam inde natales, vbicunque gentium eſſet, computaret. Vellem equidem picturas aliquot ſaxorum me habere, quò viderem ecquid ſolidæ antiquitatis præ ſe ferrent. Nam qui veterem earum gentium linguam callet, quam priſcis temporibus illic habitaſſe claris indiciis demonſtraui, ei facile fuerit elementorum varietatem numerare, dum eam totam habeat comprehenſam, atque ex ea tandem aliquas voces inuenire, de quibus omnium litterarum vis & complexio doceretur. Frequenter eum rogaui, dum Bononiæ priùs, ac deinde Romæ familiaritas mihi, & multa cum ipſo eſſet conſuetudo, ecquam inſcriptionem haberet, cuius aliqua ſenſa elicere poſſet. Rogaui item, quam nauigationis regulam & obſeruationem ſecutus, terras illas ad Polum vſque deduxiſſet; & id genus alia non pauca, quæ falſa mihi, tametſi ab eo ſcriberentur, videbantur: ad quæ nihil vnquam ſani reſpondit, immò hoc nugando apud me effecit, vt hominem crederem Geographiæ prorſus ignarum, & eam quam habemus Septentrionalium regionum deſcriptionem, nõ ipſius, ſed Ioannis fratris cura, ſtudioque fuiſſe factam. Lingua porrò Gotorum & Sueonum, quos Suecos, alij Suetos, nos Suedanos nominamus, de noſtrati, neſcio per quam aliam eſt corrupta; ſuſpicione tamen non exigua manente, à Wendis, Wilſis, Sclauis, & aliis fortaſsis in illam

regionem, dum à Saxonibus, & aliis Germanis pellerentur, transgreſſis; qui à vera pronuntiatione, vti fieri in linguis peregrinis addiſcendis ſolet, recedentes; hanc, quam nunc habent, fecerunt: quæ tamen non tantum differt, vt non in ſingulis ferè vocabulis, pauciſſimis omnino exceptis, Cimbricam originem agnoſcas. Deinde, quãuis nullos omnino Sclauonici generis homines eò immigraſſe daretur, ſicut incertum eſt; Goti tamen minima Cherroneſi pars, quamque nemo veterum, ne Ptolemæus quidem, ſub hoc nomine agnouit; linguam Sueonum, qui è Sueuis videtur veniſſe, ſecuta potuit facilè ſuam Cimbricam cõtaminare. Quid quòd immenſa ſæculorum volumina, nullo alio accedente, plurimùm queant ſermonem immutare, licet radices vocũ eędem perdurent; è quibus primogenia earum natura perſpici poteſt, & cui genti debeatur æſtimari. Quòd verò Sueuorum ſobolem Sueones putem, id ex nomine accipio, & Sueuorum antiquo ſitu, & populorum abundantia, quibus facile fuit tranſmittere eò colonos, quanquam Germanicũ nomẽ, quod eſt Sweden, compoſitũ videtur ex Sueuo & Dano, ac ſuſpicionem non paruã mouere, ſicut dicimus Gotalanos, ita quoque Suedanos dictos fuiſſe: quoniam Sueui & Dani communi expeditione regionẽ occuparint. Quò verò hãc meam opinionẽ magis amem, facit Iornandes; qui hos non Sueones, non Suetos, ſed Suethans vocauit; in qua voce ſi pro aſpirata mediam litteram ponas, Suedans feceris: quod æquè numero pluriũ atque Swedanen dici poteſt; ac deinde exẽpto Delta, de cõſuetudine noſtra, Sweanen, vnde Sueones apud Tacitũ euaſerint. Teneamus ergo hanc Suedanorũ & originem, & nomenclaturam, & duarum gentium clariſsimarum duplicem nobilitatẽ, quæ vt magis eluceſcat, interſerẽdum hoc loco erit, quinam ſint Dani, & vnde eam habeant appellationem. Cimmeriorum pueri, cùm populorum innumera multitudine creſcerent, & longè lateque Scythiam paulatim occuparent, variis, vt oſtendi, ſe nominibus nuncuparunt: alij aliud in iis ponendis propoſitum ſecuti. Inter hos igitur fuerunt, qui quòd belli ſtudiis potiſsimùm oblectarẽtur, atque in iis nõ tam auaritia, quàm generoſo animo ducti, victoriam & laudem, potiùs quàm diuitias quærerent, nomen illud ſibi ab eo animali ſumpſerũt, quod inter omnia plurimas naturæ dotes ad hunc ſcopũ neceſſarias habere videretur. Gallum igitur gallinaceum, tum bellicæ laudis & generoſiſsimi animi, tũ indolis regalis & militis ſtrennui, & ad omnia momenta vigilis optimum exemplar, vt pro ſymbolo & ſymthemate quodam ſibi acceperunt; ita nomen quoque ab eo placuit mutuari. Vocarunt enim ſeſe Se Hanen, & cõpoſitè per conciſionẽ Sanen, aſpira-

aſpiratione in media littera, de more noſtro, deliteſcente. Dicitur autem Ḥan ab Ḥitan, per ſyncopen, quia ad opus cantu ſuo incitet. Ḥit enim hortãtis ad celeré progreſſum: vnde Ḥiſſen incitare; á calore deductũ, quoniam propriũ caloris ſit accelerare. Nomen igitur naturá animalis, & eius inter homines vſum, tribus litteris indicauit: quod de vi etiam litterarũ intelligi datur, cum aſpiratio notæ progreſsionis præpoſita, non aliud faciat, quàm vt ſpiritu quodá ad motionem incitet, aut vt progreſſum inſpiret: ita nuſquam dormitauit primus nominũ fabricator. Ḥanen igitur, de ſuo ſtatim nomine intelligunt diligentes ſe, & vigiles, & incitatos ad opus eſſe debere; ac huic monitioni mox accedunt ſymbola de natura animalis ſumpta, indicãtia vt eam imitentur. Galli enim diligẽtiſsimas vigilias, & nũquam ſomno contaminandas docentes rem caſtrenſi cuſtodiæ maximè neceſſariam: teſſeram dant conuenientiſsimã hominibus, cùm omnibus, tum maximè rei militaris ſtudioſis. Deinde vni totã ciuitatẽ, totumq́; exercitũ parere, monſtrant ad gentis ſalutẽ eſſe in primis neceſſariũ, dum de domeſtico ſuo inter gallinas regno, totis viribus ad mortem vſque depugnant: adeò, vt Homerus ab iis, quamuis & aliunde, diſcere potuerit,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *id eſt,*
Noxia res plures domini, Rex vnicus eſto. Nec de regno

tantùm pugnãt, ſed pro ſalute etiá ſuæ gentis contra Miluios & alios hoſtes; cui etiã vbicunque poſſunt, victũ quærunt, & ad inuentũ ſedulò gallinas vocãt; ceu dicerent, hoc verè regiũ eſſe, nõ ab hoſte tantùm populũ tueri, ſed victũ etiam & alimenta, & cetera neceſſaria ei ſubminiſtrare. Nec pudet etiá magnanimũ hoc & glorię cupidiſsimũ animal, ad humilia ſe officia demittere, ſi ad gentis modò ſuę ſalutem id ſentiat expedire; quo fit, vt pro gallinis, dũ opus eſt, pullos foueãt, & educẽt; docentes, nihil nõ fortẽ virũ decere, quo ciuitatis aliquod membrũ ſeruetur. Alectryonem Martis ſatellitem fuiſſe fingunt, eiq́ue tam familiarem, vt dum Veneris adulteriũ committeret, foribus eum cuſtodiendis adhibuerit; ſed quia obdormiiſſet, nec Solis aduẽtum tempore nunciaſſet, in auem ſui nominis fuiſſe mutatũ, quæ hactenus veteris negligentiæ memor, ſedulò Solis aduentum prænunciat, vt Lucianus in Gallo copioſiùs. Auſonius ad hoc alludẽs, cecinit:

——*Ter clara inſtantis Eoi*
Signa canit, ſerus deprenſo Marte ſatelles.

Hinc Romani Marti gallum nonnunquam appingebant, vigilantiæ milites admonentes. Magi cognatum Soli faciunt, ac inde fieri, vt eius curſus inflexiones ſentiat, & cantu mortalibus annunciet.

Ob

Ob diligentiam item nunciationis, & vigilem curam Mercurio datus eſt,& Latonæ parienti eum quoque adfuiſſe ferunt: eò quòd Solis ad hemiſphærium noſtrum regreſſu, calor naturalis augeatur, partum vi ſua promouens:quem quia nunciat gallus, Latonæ meritò gratus eſt. Iam quia pugnax & vigilantiſſimum animal eſt, Elæi, Pauſania teſte, Mineruæ cono gallum impoſuerunt. Apud Romanos tantum in auguriis momenti habere credebantur, vt eorum ſignificatio pro veraciſſima & ſacroſancta haberetur: quorum tripudia ſoliſtima propria Plinius dixit, adiectis his verbis: Hi magiſtratus noſtros quotidie regunt, domoſque ipſis ſuas claudunt aut reſerant. hi faſces Romanos impellunt aut retinẽt: iubent aues aut prohibẽt, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices. hi maximè terrarum imperio imperant, extis etiam fibriſque haud aliter quàm opimæ victimæ Diis grati. Hæc ille. Victores canunt, victi fugiunt, & triſti ſilentio deliteſcunt, quare victoriæ meritò habebant omen: è quo illud Socratis intelligitur, quo gallum Æſculapio immolari iam iam moriturus imperabat, ſignificans nimirum ſe de omnium corporis moleſtiarum victoria mox triumphaturum, & idcirco Æſculapio Apollinis filio, & hominum medico, illud animal dari velle, quòd ob curam & ſollicitudinem veris medicis, maximè tamen animorum, eſſet gratiſſimum. Non grauabor poſterioris quoque ætatis Philoſophorum de Gallinacei diuinitate, & vi Apollinari, opinionem exemplo vno indicare, quod Zonaras poſteritatis memoriæ, tertio Chronicorum ſuorum tomo, mandauit. Aiunt, inquit, ſi Latinè vertatur, ſub hoc Valente, Libanium Sophiſtam, & Iamblichũ Procli præceptorem Alectryomantiam feciſſe, id eſt, diuinationem per gallum gallinaceum: inquirentes, quis Valenti in regno ſucceſſurus eſſet. Ea verò, vt fertur, talis eſt: Litteræ viginti quatuor pulueri inſcribuntur, & harum vnicuique tritici vel ordei granum imponitur, deinde Gallis dimittitur, carminibus quibuſdam interim & incantamentis recitatis; & animaduertitur, è quibus elementis grana capiat; quæ coniuncta, id quod quærebatur, oſtendunt. Id igitur cùm & illi feciſſent, cernebant gallum granum primum ex Theta, alterum ex Epſilo, tertium ex Omicro, quartum ex Delta ſumpſiſſe; quo fiebat, vt ambigua hæc eſſet ſignificatio, cùm vel Theodorus, vel Theodoſius, vel Theodotus ſignificari videretur. Eius rei certior factus Valens, multos iis nominibus vocatos ob ſuſpicionem interemit, & ipſos diuinatores inquiſiuit. Quocirca Iamblichus crudelitatem eius metuens, veneno hauſto, vitam ſibi, vt quidam narrant, ademit. Hæc Zonaras de immani Valentis fœuitia, & ſtolidæ & ſuperſti-

perſtitioſæ vanitatis pœna; è quibus diſcimus ad Iamblichi vſque ætatem, inter ſapientiæ profeſſores, eam fuiſſe opinionem, maximam Apollinaris naturæ facultatem, in gallo gallinaceo vigere. Plena igitur Magicæ diſciplinæ Socratis ſapientiſsimi Philoſophi vltima illa iuſsio fuit, quam integrè pro dignitate & amplitudine ſignificatorum explicare, alterius loci & temporis eſſet. Nos ad militiam & pugnam pro patria reuertamur, quam Dani in Gallo maximè exoſculabantur, quamuis fortaſsis alterius illius pugnæ, quæ inter rationem eſt & perturbationes, non fuerint ignari. Plinius tradit Pergami gallorum ſpectaculum, veluti gladiatorum, quotannis edi: quod Ambiuaritis noſtris hactenus in vſu fuit, magna ambitione duabus factionibus inter ſe certantibus, atque id cùm in pagis, tum maximè in ipſa vrbe, cui à Ducis ſilua nomen eſt: in qua per octo integros dies in ipſa curia galli ad pugnam committuntur, ingenti partium ſtudio & ſollicita victoriæ expectatione, in qua tantùm exardeſcunt, vt ipſe viderim ex gallinaceorum certamine ad equeſtre duellum fuiſſe prouocatum; in quo alter vir in primis ſtrennuus & veteranus eques, lancea in fronte ictus occubuit, eodem ferè modo, quo Henricus Rex Franciæ, cui per oculi alterius cauitatem pars fractæ lanceæ in cerebri ſedem eſt adacta. Ælianus in variæ Hiſtoriæ libro, ſi rectè memini, ſecundo; Themiſtoclem contra Barbaros exercitum ducentem, prodit duos gallos fortè in itinere pugnantes vidiſſe, ac imperaſſe vt miles ſubſiſteret: acceptaq́ue de hac pugna occaſione, docuiſſe bonis & ſtrennuis ciuibus, pluris patriam, liberos, vxores, parentes, Deoſq́ue penates æſtimandos, quàm Gallis ſolam victoriæ opinionem. Cùm igitur victor rediiſſet, inſtituiſſe vt quotannis gallinaceorum pugna, Athenis publicè exhiberetur. Aiunt verò non Leonem modò ad Galli cantum, ſed Baſiliſcum etiam expaueſcere: quod an verum ſit, vt parui refert, ita certum eſt, nullum animal maiore animo, & elatiore, vel caput criſtatum, & caudam falcatam, erectamq́ue gerere, vel certamen inire, in quo frequenter antè moritur, quàm aduerſario cedat. Ingentes ergo animos & vigiles cuſtodias, necnon ſummum erga ſuos amorẽ, qui hoc ſe nomine nuncuparunt, pollicebãtur: & hactenus in vſu ipſis eſt, Gallos ſemper in militia habere; tũ vt virtutẽ eorũ imitentur, tũ vt pro horologiis, cãtus eorum habeatur. Horũ mox nomẽ alij imitati ſunt, à Danis fortaſſe Cimmeriorũ ſobole, genus ducentes: qui vt nõ nihil à parẽtibus diſtinguerẽtur, Alaney ſe nominarũt: quaſi dicerẽt ſe omnes Gallos eſſe. Al enim omnis; Hay, vt dixi, gallinaceũ notat: vnde Alani appellatio; quæ gens Ptolemęo ſuprema ferè ad Septẽtrionẽ ponitur;

à Suobenis non longè remota: & rursus in Sarmatia Europæa sub eiusdem nominis montibus. Ab his ad Orientem emigrarunt Alanorsi, qui sic dicti videntur, quòd spurij essent Alanorum, Αορσον filium meretricis significante: quod non de vocis origine tantũ colligo, sed Plinij etiam testificatione, qui cùm de Sauromatis egisset & Aorsis, Scythas Degeneres à seruis ortos subdit; ex quo suspicio mihi orta, ipsos Aorsos Scythas degeneres fuisse, & Plinium significationis ignarũ eos distinxisse. Αορσον cum articulo, hactenus Anglis & Flandris est in vsu frequentissimo, in eodem significatu. Ptolemæus Aorsos ad Norossos mõtes posuit, sic dictos, quòd iis, qui ad Daicem habitarent, ad plagã Orientis & Septẽtrionis mediam siti essent, quæ Mort-oſt nostris vocatur: quo nomine & populi fuère versus eãdem cæli partem habitantes, à Caspio mari inita supputatione. Alanorsi igitur meretricia Alanorum soboles, quod nomen non magis tũ turpe putabatur, quàm nunc Bastardi vocis eodem in significatu vsurpatæ; quam non dedignatus est vir ante cẽtum annos omnibus belli pacisque laudibus ornatissimus, Antonius ducis Burgundiæ filius, quem Magnum Bastardum vulgo nominabãt: nec longè ab ea sum opinione, vt Bastarnos Germanorũ quoque illegitimos filios fuisse credã. Getas pluribus vxoribus vsos fuisse, Menander prodidit: quod ego sic tamen accipiendum censeo, vt vnam quidem legitimã dicantur habuisse vxorem; sed pluribus feminis ad id conductis, vsos fuisse. Neque enim historiis consentaneum est, plures ipsorum vxores fuisse; cùm singulas singulorum fuisse, posteriora tempora docuerint, quibus Gotorũ mores notiores Græcis, Romanisque euaserũt, quàm si tale quid fuisset, id ignorari posset. Hoc igitur Menandro concedamus, Getas & vniuersim Thraces, non admodum fuisse in re vxoria continentes, cùm ancillis etiam vterentur. Verùm ne legitimis ea res fraudi esset, verisimile est seorsum iis à parentibus prospici solere, atque hinc factum, vt multitudinẽ eiusmodi sobolis in colonias simul emitterent. Atque hinc, præter ceteras causas, fieri etiam potuit, vt Tectosaces se legitimos nomine suo profiterentur; frustra id, vt videtur, facturi, nisi illegitimi aliqui fuissent. Scio me antè Sacorsos, ab Αορς, id est, equo, deriuasse: vereor tamen, ne similiter Sacorsi atque Alanorsi dicantur: ita vt Sacorsi filij Sacarum illegitimi nominentur, quemadmodum Tectosaces, legitimi Sacæ dicuntur. Sed hæc parum ad rem faciunt; & eorum nulla mẽtio fuisset, nisi Plinius Degeneres nobis Scythas proposuisset: qui vt de alia historia originem forsan habuerint, hoc tamen in mentem vocarunt, Alanorsos sic nos posse interpretari. Fuerunt & Rosalani, quasi dicerentur, equestres Alani,

à Ἀος

à Ros equum notante sic dicti, diuersi tamen longè à Russis; quamuis easdem aliquando sedes habuerint, cùm lingua inter se multum differant. Alani enim Gotici generis fuerunt, & eadem lingua vsi, Procopio apertè hoc attestante. At Russi longè alia lingua, quæque nihil cum Getica commune habet, loquuntur. Idem tradit, Alanos suo tempore ad Phasim habitasse, ea parte, qua è Caucaso oritur; quo loco suspicatus aliquando sum, Alanos pro Albanis poni, vel eosdem esse; quod & alij nonnulli arbitrari videntur; cùm eo loco ponantur, quo Albani olim habitarunt: verùm eosdem non esse, ex Ptolemæo, & aliis liquet; qui Alanos longè terrarum ab Albanis remouit. Eiusdem tamen originis & linguæ Alanos & Albanos fuisse, nihil ambigo; & Albanos quidem dictos ab Alb, quo montes significantur, & Han, quo gallinaceus dicitur; ita vt Albani sint montani galli, si Latinè vertas. Sumpserunt igitur & Albani nomen à gallo; & nomine suo regionis suæ naturam indicabant: quæ quàm sit Alpina, ab iis discere licet, qui hîc celsissimum Caucasum esse scripserunt. Albani igitur, cum Danis, Alanis, Alanorsis, Rosalanis, eiusdem generis fuerunt: & quemadmodum Sacæ Alpini, Sacalbini; ita Alani siue Dani montani, Albani sunt nominati: atque hinc fieri potest, vt pòst, omnes se Alanos dixerint: eò quòd omnes gallinacei nomẽ haberent; & id præsertim, cùm iam Dani è Sarmatia in Cherronesum Cimbricam, & Norwegiam, & insulas vicinas commigrassent; adeo vt tota ferè Sarmatia & Asiatica & Europæa posterioribus temporibus Alania cœperit dici. Alani cum Gotis Hispaniã ingressi, de nominibus duobus vnum compositione fecerunt, Gotalanos se nominãtes: quo nomine hactenus regnum est Gotalanicum. Danorum igitur illustris est & antiqua è Cimmeriis nobilitas; vt nihil miri sit, Cimbris è Cherroneso digressis, sobolem eorũ successisse, atque de suo nomine Danicum regnum cõdidisse; nec Cherronesum tantũ ditionis suæ fecisse, sed insulas etiam in freto sitas, & totã è regione Norwegiam, & ei oppositam Thulen; qua de re coniecturã facio, hæc omnia priùs Cimbrorũ etiã fuisse. Quemadmodũ autẽ Getæ siue Gutę partẽ Scãdię maximè Austrinã, Suedanis cõfinẽ, nũc tenẽt: ita vidẽtur & à Danis admissi in Cherronesi partẽ, quam hactenus Iutiam pro Gutiam, quemadmodũ Iuniũ pro Guniũ vocamus, siue eam amicitia, siue armis impetrarint. Magna fuit harũ gentium congenerũ, & eiusdẽ linguæ, permistio; dum paulatim sedes aliò atque aliò, vetusto Germanorum more, transferrent, ac frequentes etiam in longinqua expeditiones susciperẽt: in quibus non est absurdũ, duorũ aut trium populorum milites coiuisse, quò vires sociis armis maiores tutioresque

exiſterent, atque inde factum ſuſpicor, vt Sueui & Dani Suedaniam fecerint, ac Goti ſuam ſibi parté acceperint, ac pòſt Dani & Gutæ in Cherroneſum, Cimbrorum & Saxſonum ad vlteriora diſceſſu vacuam, penetrarint. Et hæc quidem mea eſt de Danorum, & Suedanorum, & Gutarum ſiue Gotorum ad hoc mare opinio: de qua, ſi meliorem & antiquitatibus magis congruentem audiuero, non ægrè cedam. Hactenus certè quæ Saxo Grammaticus, & eum ſecuti prodiderunt, pro vaniſsimis deliriis habeo; propterea quòd nihil prorſus cum Græcis ſcriptoribus, & migrationum Germanicarum perpetua quadam ſucceſsione apud idoneos auctores celebrata, conſentiant; ſed meras nugas, & vana ſomnia, & aniles fabulas, citra omnem & vtilitatem, & eruditionem inculcent. Eodem loco Iornandem habeo, ea quidem parte, qua de originibus ſcribit: cetera hiſtoricum agnoſco; quàm bonum non dico, talem ſaltem, qualem ea tempora tulerunt. Quamuis igitur ſatis me putem docuiſſe falſiſsimum eſſe, è Scandia Gotorum, & aliarum, quas dicunr, gentium natales antiquiſsimos petendos; addam tamen & Plinij teſtimonium, quò & ex illo perſpicuum fiat, Gotos priùs in Germania, quàm ad Scandiam tranſirent, habitaſſe. Germanorum, inquit, genera quinque: Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Quis hîc non videat Guttones dici, qui Gothones Tacito vocantur, & Guthones Ptolemæo, non procul à Sarmatico mari ab eo conſtituti? atque idcirco non difficile illis fuit auxilio Danorum & Sueuorum in vlteriora traiicere. Quòd autem dico Getas ſiue Guetas Danorum auxilio tranſiiſſe, coniicio ex Gedano vrbe ad oſtia Viſtulæ ſita, quæ mihi dici videtur compoſita dictione à Getis & Danis, eò quòd communi horum opera primùm condita fuerit. Germani tamen Danorum tantum in vrbe nominanda mẽtionem faciunt, dum Danſwic, id eſt Danorum vicum, ſiue refugium & ſeceſſum vocant: quod nomen originis ignari in Dantiſcum tranſtulerunt. Notandus hic error in Plinij exemplaribus, quæ Vindili pro Vandeli habẽt, culpa fortaſsis cuiuſpiam, qui ex Vindelicis occaſionem acceperit aliter legendi. Loqui enim eum de Vandelis, clarũ ex gentibus iis quas Vandelorum numero ait contineri; inter quas Burgundiones & Guttones enumerat; quos certum eſt de Ptolemæi tabula vltra Viſtulam habitaſſe. Nec tantùm de Ptolemæo colligitur, hanc eorum regionem olim fuiſſe, ſed ex ipſo etiam Plinio qui mox poſt hos Cimbros, & Teutonos, & Caucorum gentes infert, qui poſt Viſtulam, ſub nomine Ingeuonum, proximi ſequebantur, integrè dicendi Hingezeſwonen, id eſt, ſecundùm mare longo tractu ad

ipſum

ipſum vſque Rhenum commorantes. Wandeli igitur illi dicti ſunt, quos Romani vltimos Germanorum audiuerant; quod deinde aliò trangreſsi, tanquam proprium retinuerunt; propterea fortè, quòd ab ambulandi inſtituto necdum diſcedere ſtatuiſſent: in quo tam egregiè ſe geſſerunt, vt tota perambulata Gallia & Hiſpania, in Africam traiecerint. Procopius de bello Vandilico, ſiue potiùs Vandelico, ſcribens, Goticæ, inquit, gentes multæ quidem & aliæ priùs fuere quàm nunc; omnium autẽ maximę ac potiſsimę Goti, & Vandeli & Viſigoti, & Gepedes iamdudũ & Sarmatæ, & Melanchlæni appellati. Sunt & qui Geticas gentes has vocent, qui omnes nominibus quidem inter ſe differunt, cetero conueniunt. Nam & albi ſunt omnes corpore, flaui coma, proceri quoq; & aſpectu probo, legibus item eiſdẽ vtuntur; ſimiliter & Arrianæ omnes opinionis, voce vna Gotica appellata vtentes. Videmus itaque omnes hos communi nomine Gotos & Sarmatas vnius & linguæ, & generis fuiſſe, quod idem his verbis adiecit. Et vt mihi ſanè videtur, ex vna omnes gente procreati, nomina poſteà ab eorum ducibus varia ſortiti. Is autem populus loca ſupra Iſtrum iam pridẽ incoluere: deinde Gepedes loca circa Singidum & Sirmium tenuerunt. Intra verò & extra Iſtrũ meo vſque tẽpore nunc habitant. Ex his igitur Viſigoti hinc mouentes, primũ quidem in ſocietatẽ cum Arcadio venerũt; tẽpore verò procedente minimè in fide perſeuerantes, duce Alarico inſidias alteri Imperatori parauerunt. E Thracia enim mouẽtes, omnẽ Europã bello infeſtauere. Idẽ libro primo de bello Gotico, docet Odoacrum cõtra fidẽ Auguſtulo datã Romanorũ Tyrannũ à Gotis cõſtitutum, & eundẽ à Theodorico longa obſidione preſſum, pacta ſocietatẽque regni Italici cũ eo iniuiſſe, antiſtite Aquileiẽſi id procurãte: poſt verò Odoacrum ad conuiuiũ vocatũ, à Theodorico perfidè occiſum: ac ita factũ, vt is ſolus Gotorũ Italiæque Rex eſſet. Hæc ex Procopio, è quibus, & quæ gens fuerit, & vnde progreſſa, & quo ſermone vſa, ſatis eſt perſpicuum. Ammianus Marcellinus niſi hac parte mutilus eſſet, de Maſſagetis aliquid fortaſſe protuliſſet, quod aſſertionem meam de Getarum origine adiuuaret. Hic tamen Alanos dicit Scythiæ ſolitudines inhabitaſſe, ac paulatim vicinis nationibus bello victis nomen ſuum indidiſſe, quas eum piguit recenſere; addito tamen in curribus domos habere, nec vſquam certa domicilia figere, ſed liberè per vaſtas ſolitudines vagari, & quidem equites omnes; cùm vile habeatur, pedibus iter feciſſe, nec non & illo omnes eſſe ſtrennuos & prudentes bellatores: quibus declarat, Gallinacei inſigne optimè illis conueniſſe, tum propter belli ſtudium, & in eo vigilantiam, tũ ob calcaria, quibus equites vti conſueue-

sueuerũt. Pergens deinde Ammianus, cùm varios Alanos esse dixisset, illos solos, qui ad Tanaim tenderent, Geutingos nominauit; quos primos Hunni inuaserunt, ac tãdem multis cæsis, pacta cum reliquis inierunt aduersus Hermanricum, id est, diuitem virorum in exercitu versantium, Gotorum Regẽ, virum militari laude apud omnes confines insignem: qui cùm diutiùs tantæ multitudini resistere nequiret, potiorem sibi conditionem putauit, spontanea morte præsentia mala fugere, quàm hostes cernere victores. Huic sufficiunt Witmerum, quod nomen sonat, latè celebratum, qui Hunnis aliquot sibi pecunia iunctis, Alanis & reliquis Hunnis fortiter restitit, atque id tantisper, dum in acie cæderetur. Huic paruulus filius succedens, Witricus nomine, quo latè diues signatur, à tutoribus fortissimis viris deportatus est ad Danastum flumẽ inter Istrum & Boristhenem fluentem. Hinc Hunni & Alani progressi, Athanaricũ Theruingorũ iudicem ad ipsum vsq; Danubium fugere cõpulerunt, qui nomine suo præ se fert, diuitẽ se esse eorũ, qui eos odissent: qui nomen à Gallinaceo sumpserũt; quasi diceretur *Hathaney xyc*, hereditario nimirum in Alanos odio à parentibus accepto. Fama igitur latè per omnes Gotorum gentes sparsa, aduenisse hominum genus omnia velut procella prosternẽs, ad Valentem missi legati, terras nouas in Thracia impetrarũt; in quas, quicquid à Marcomannis & Quadis ad Pontũ vsq; gẽtium habitabat, commigrat, Romanis exitium euersionẽque Imperij portans. Hoc loco videas Ammianum clarè docere, à Quadis & Marcomannis, vsq; ad Pontum, omnia Gotorũ fuisse, ac inde ab Hunnis & Alanis pulsos, Danubiũ, cõsensu & ope Valentis, transiisse. Hac re nõ satis accuratè animaduersa, Beatus Rhenanus egregiè se decepit, qui credidit se docere posse, Gotos à Getis diuersos esse, de locorũ diuersitate: eò quòd in Theodosiana quadã orbis descriptione, si titulo de auctore credendũ, sic scriptum inuenerit: Germania omnisq; Gotia finiuntur ab Oriente flumine Huistia, ab Occidẽte flumine Rheno, à Septẽtrione Oceano, à Meridie flumine Danubio: Dacia & Alania finiuntur ab Oriẽte desertis Sarmatiæ, ab Occidẽte flumine Huistia, ab Septentrione Oceano, à Meridie flumine Istro. Conferantur igitur Ammianus & hęc posterior orbis descriptio, & deprehẽdetur verum esse, Gotos priùs & Guetingos siue Gotingos à Tanai ad Istrum vsq; secundũ Pontum habitasse, & inde ad Marcomannorũ vsq; & Quadorũ fines pertigisse; ac inde ab Hunnis & Alanis pulsos, Danubium traiecisse. Fallitur ergo maiorem in modum Rhenanus, cùm Ammianus clarissimus & apertissimus testis sit, totam eam regionem, quam Strabo, ceteriq; scriptores Getis & Dacis tribuerũt, Gotorũ patriam fuisse;

fuisse;ac post hos Alanorũ vagas sedes longè lateque in Asia pãtuisse. Iam quòd Germaniam & Gotiam Vistula (nam is Huistia est, & Isula,& Visula,& nescio quid non) terminatam videmus, id eo factum, quòd ante quoque Alanorum & Hunnorum incursiones, Gothini citra Vistulam habitarint. Sunt autem Gothini nobis Gotingen, id est,homines à Gotis genus ducentes; ea formula vulgari,qua Carolingos & Merouingos, Caroli & Meroui posteros & genus nominamus. Marcellinus alibi apud Tanaitas nimirum Guetingas etiam inuenit, id est, Gotorum sobolem, quos alibi Gothunos scriptos legimus; adeò vt suspicari quis posset, è Gotis & Hunnis eum populum commixtum fuisse. Mihi tamen Gotini legendi videntur, eo significatu, vt genus Goticum intelligatur. Apud Claudianum igitur Gotinos, non Gothunos lego:

Ausi Danubium quondam tranare Gotini,
Iæ lintres fregere nemus.——

Loquitur enim de Gotorum transitu, quem Ammianus Marcellinus copiosè depingit atque deplorat, magis lamentaturus, si quæ post Valentis interitum accidere, conspexisset. Eodem modo cecinit in Eutropium Claudianus:

——*Ostrogotis colitur mixtisque Gotinis*
Phryx ager: hos paruæ poterant impellere causæ.

Siue igitur Gutingos, siue Guetingos, vt Ammiani liber habet, legamus;eos ad formationis Teutonicæ rationem sic vocabimus, qui generis sunt Guetarum siue Gotorum,cùm Gutæ & Goti iidem sint, vel ipso Rhenano,qui Getas alios perperam facit,id testificato.E Gotingis igitur Latini Gotinos fecere,quo nomine Tacitus eos in Germania posuit,& alios Marcellinus ad Tanaim; vtrosque nomine suo genus præferẽtes.In tanta igitur locorũ distantia,quantã Goti genere suo implebant,non mirũ est,alios Austrogotos,alios Westrogotos nominatos;illos quidẽ ad Orientem, hos ad Occidentem habitãtes. Nec nomen illud Ostrogotorũ tum primũ inuentũ est,cùm Alaricus Italiã occupasset, aut post, cùm eius posteri Galliã & Hispaniã tenerẽt, Theodoricus verò Italiã sub nomine Regis Ostrogotorũ.Sed ad Austrogotorũ explicationem Taciti locus spectat;in quo Æstyes pro Austris legũtur:qui de moribus Germanorũ scribẽs,sic habet: Ergo iam dextro Sueuici maris litore Æstyorũ gẽtes alluũtur, quibus ritus habitusq;Sueuorũ,lingua Britãnicę propior:Matrẽ deũm venerãtur: insigne superstitionis formas aprorũ gestant: id pro armis omniũq; tutela securũ Deę cultorẽ etiã inter hostes prẽstat. Et quò intelligam⁹ quos hoc nomine appellet,addantur & ea quę mox sequntur. Sed &

mare

mare ſcrutantur, ac ſoli omnium, Succinũ, quod ipſi Gleſſum vocãt, inter vada atq; in ipſo litore legunt. Quis linguæ noſtræ gnarus, locorũq; peritus non videt hîc, quos Aeſtyos nũcuparit? eos haud dubiè qui Sueuorũ reſpectu erant Orientales, quos hactenus Auſters ſiue Oſters vocamus: cuius nominis vim ſi Tacitus intellexiſſet, nec Aeſtyos, ſed Auſtros dixiſſet; nec paulò pòſt Venedos tãquam diuerſos addidiſſet; cùm Venedi Auſtrorum principia teneãt. Plinius cùm ſimile nomen ad hanc oram Sarmatici Oceani audiuiſſet, credidit inſulam eſſe nomine Auſtrauiam; quod tamen nomẽ genuinam ſcripturam propè ſeruauit, ab Auſtris Auſtrauia deriuata, non aliter quàm hactenus Bauaria orientalis Auſtria vocatur. Auſtrauia verò dicta eſt, quaſi Auſterhauen, id eſt, portus orientalium; quos hæc ſiue peninſula, ſiue inſula duos habet inſignes, introrſus longo tractu reductos, Friſshaue & Curiſshaue nominatos, quibus ſinus Sudinorum accedit Sudauen vocatus. Mithridates eandem videtur Oſtericá nominaſſe, ſic enim Oſerictam in Plinio corrigo; in qua voce ſola eſt vitioſa litterarum tranſpoſitio; eò quòd Tau in vltima ſyllaba ad priorem ſit referendum; ita vt Orientale regnũ ſignificetur. Et ne Taciti locum de lingua noſtra temere me corrigere quiſquam ſuſpicetur, diſcat ex Iornande Aeſtros hic longè litora tenuiſſe, & facilem eſſe ex figura litteræ caninæ in Pythagoræ litteram lapſum: cui addat ex Plinio Auſtrauiam à Barbaris eandem inſulam dici, quam milites Gleſſariam nominarint, à Gleſſo, quod Succinum ſignificat: atque ita cognoſcat Auſtrauiam patriam eſſe eorum, apud quos ſolos Succinum inueniri Tacitus ſcripſit. Eandem præterea Actauiam dici, Plinius tradit, nulla addita ratione. Nos, qui Danos & Getas permixtim hîc habitaſſe collegimus, non veremur arbitrari Actauiam dici, quaſi Daniam, in qua Succinum inuenitur. Echt enim ſiue Aecht Succinum notat, vti omnibus notum; quamuis frequẽtiùs adiectione lapidis dicamus Aechtſteen, id eſt, Succini lapis. Quare verò Gleſſum etiam diceretur, coniicere magis quàm certò aſſerere poſſum. Fortè audiuerant milites, à quibus inſulam nominari Gleſſariam Plinius dixit, Succini cõmunius frequẽtiuſq; genus Gelechtſtoy vocari: quo ſignificatur nobis flauus, ſiue Falerni modo fuluus cum quodam leui fulgore Succini lapis. Lapis enim nobis ſteey, Almannis ſiue Sueuis & aliis item non paucis Stein, Anglis Ston nominatur. Ex Gelechtſton igitur conciſe Gleſſon factum eſt. Si enim Plinio credendum, Falerni fulgor Succinum apud Romanos maximè commendabat, contrà quàm hac ætate, qua candidum & pellucidum precioſiſſimum habetur. Vocatur autem Aecht

quaſi

quasi Achtget: quia Gagates sit summæ æstimationis, ipsa voce naturam Gagatæ indicante; cùm vtrumque bituminis lapidei genus sit, eundemque odorem spiret. Habemus itaque Taciti ex Plinio correctionem, & lucem vtrique illatam; & illud item, Venedos Austrorum populum esse, qui à stagnis & fretis & abundantia aquarum nomen accepit, vti pòst explicabo. Austri enim à positu respectu Germanorum ceterorum, Venedi à stagnis & paludibus, Guthones à gentis origine, quos ego mallem Guthanos dici, quamuis ex A in O, & contrà, facilis sit transitus. Sicut enim Suethani, ita & Guthani, vocandi; & sicut illi ex Sueuis & Danis, ita hi ex Gutis & Danis coaluerunt. Achthani verò dicti sunt, quasi Succini Danos vocassent: quod illo sit verisimilius, quoniam & Gedanum ex Getis & Danis acceperit nomenclaturam. Achthania igitur fuerit, quam Actaniam, & Glessariam, & Austrauiam Plinius nominauit. Austros autem pro Ostris, vocali priore longa natura, non tantùm positione, dictis scribi, non est mirum magis quàm pro Ola Aulam Latinis & pingi & dici. Hinc Austrasia dicta est Francorum ea ditio, quæ secundum Rhenum longissimè sita, Belgica Romanis vocabatur, eò quòd ceteris Orientalis esset, qui Westri, id est Occidentales nominabãtur, quamuis Westria cœperit dici Vestria, ob duplicis apud Latinos defectum, ac deinde affinitate figurarum in V & N, præsertim dum minusculis pingũtur characteribus, Neustriam, nescio qua causa altero V adiecto, vt diphthongus in priore syllaba audiretur. Sed posteriorum temporũ historiæ, vtpote à Barbaris scriptæ, corruptiores sunt, quàm vt ignotarum vocum ab iis recta scriptura sit exigenda. In Trebellio Pollione Claudij imperium describente, Austrogoti nominantur, & cum iis inter alios Celtæ & Heruli; vt facilè cernatur, Austrogotos Germanis fuisse vicinos; quamuis id tamen nomini potiùs quàm gentium diuersarum confusioni sit credendum; quam tantam reliquerunt scriptores, vt diuersissimas nationes vno nomine Gotorum complecterentur; vt eodem loco in Claudij epistola videmus, in qua trecenta & viginti millia Gotorum se deleuisse scribit, cùm Trebellius exercitum recensens, Celtas etiam & Herulos, & alios quosdam populos enumerasset, nomine Celtarum, de more Græcorum vetusto, Germanos intelligens, qui Gotis & Herulis vicini & ferè intermixti habitabãt. Nobis satis est domonstrasse, Austrogotos & Westrogotos multò ante Theodorici Goti principatum fuisse, & locis & nominibus distinctos, quamuis nec gente, nec lingua differrent. Prout igitur vel hi vel illi, aut Orientem aut Occidentem tenerent, ita iis nomina hæc dabantur tam diu mansura, quàm

eaſdem vtraque pars ſedes haberet. In tranſmigrationibus igitur nomen perpetuum non fuit, ſed pro locorum & cardinum cæli poſitu mutabatur, Auſtrogotis ſemper illis nominatis, qui reſpectu ceterorum Orientales eſſent. Veſogotis, qui Occidentales; qua quidem ratione omnes dubitationes tolluntur, quibus alij expedire ſe nequeuntes, tum tandem Viſigotorum & Auſtrogotorum nomina inuenta tradunt, cùm patria egrederentur. Semper hic mos Germanis fuit, & vniuerſim omnibus hominibus, vt Oriente & Occidente imperia maximè diſtinguerent; quod in Cainis primùm & Sethinis, deinde in Nembrodicis & Ianigenis, mox in Cimmeriis quoque obſeruauimus; vt alij Orientem, alij Occidentem verſus, ſedes promouerint; ne altera pars alteri eſſet impedimento. Non diſtinguunt hæc nomina genus, aut linguam, ſed cæli duntaxat plagas: atque ita mirum non eſt, eandem regionem diuerſa eodem tempore nomina habere; alia à gente, alia à reſpectu alterius gentis; alia de locorum aliqua proprietate. Gothini igitur, ſiue Gotingi, patriis ſedibus aut pulſi, aut alia cauſa egreſſi, à Quadis, quos ſuperare non poſſent, loca ſibi ad habitandum dari petentes, aſperrima ſub certis vectigalibus impetrarunt, atque in iis ferrifodinas exercentes, opidum Eburum condiderunt, à iuramento, quo Quadis erant obſtricti, nuncupatum. Ἔβυρ enim, vt antè in Atuaticis monui, vicinum ſignificat, iureiurando deuinctum. De ferri effoſsione, & de ſaltubus montiumque iugis Tacitus; de Eburo & ferri etiam fodina Ptolemæus; ita vt horum collatione eluceſcat, & locus ipſorum, & ciuitatis nomenclatura, eiusque vera ratio, quæ in Eburonibus ſic eadem fuit, vt & quæ de ferro, & de ſaltubus dicuntur, ea omnia quoque eadem videantur, admirabili quodam modo, & conditione habitandi, & natura loci in vtraque gente conſentiente. Guthanes longè inferiùs ſub Lugis ſiue Lygiis, vtramque Viſtulæ ripam habuiſſe videntur, ſi Taciti teſtimonium Ptolemæo addamus, cùm ille ſub Lygiis in Germania, hic ſub Phinnis in Sarmatia collocet; quos ex Gutis & Danis coiiſſe, de vicinia locorum, & nomine, modò conieci. Goti igitur non ſolùm ad Viſtulam habitabant, ſed vlteriora etiam in Germania, iis, quas dixi, vel aliis conditionibus, quas nemo ſcripſit, tenebant; omnes tamen origine Getæ, vt fruſtra contendat Rhenanus, Gotos Getas non fuiſſe, ſed in Getarum regionem irrupiſſe. Rhenano Lazius accedit, hac maximè ratione nixus, quòd Appianus lib. 2. de bel. ciuilib. ſcripſerit, Cæſarē Gotis bellū intuliſſe. Ex hoc enim effici putat, Gotos Germaniæ, nō Sarmatiæ adſcribēdos. Neſcio equidē vbi hoc Appianus ſcripſerit; & ſi ſcripſiſſet, mecū magis faceret, qui cōtendo Getas in Ger-

maniam, & insulas valde olim, vel hominũ multitudine, vel bellis ita cogentibus, transiisse. Scripsit hic quidẽ, Cęsarẽ iam Dictatura perpetua potitũ, sopitis bellis ciuilibus, & externis, in duas gentes bellum cogitasse; in Getas quidem duram & bellicosam nationem, quia vicini essent: in Parthos verò, vt Crassi mortem vlciscereturr; at antè cæsum in curia fuisse, quàm expeditionem suscepisset. Miror itaque Iornandem tam stolidè ineptire, vt iactet Cæsarem crebrò Gotis bellum intulisse, nec potuisse tamen iugum imponere. Scio Illyricum prouinciam eius vnà cum Gallia fuisse, & fortasis in ea Gotorum incursiones aliquando repulisse: sed iustum illis bellum vnquam intulisse, nemo idoneus & fide dignus auctor scripsit. Sed vt Iornandi fidem non habeo, qui Gotos Getas esse dicens, verisimiliora scripsit de his Cæsaris contra Gotos bellis; ita illud absurdius, Gotos dicere diuersam à Getis gentem esse; & tamen addere, Cæsarem contra eos bellum gessisse; cùm Appianus contra Getas, non contra Gotos eum dixerit expeditionem cogitasse; & cogitasse tantùm, non etiam aggressum esse. Sed nullus esset finis, si errores recentiorum sigillatim in gentium confusione persequerer, cùm breuius sit & vtilius, quæ à vetustis, & bonæ notæ auctoribus scripta sunt, examinare, atque in iis veritatẽ quærere, luce obscurioribus illata: quod hîc me credo nunc sic satis feciisse, Austris, Austrauia, Actania, Guthanis, Austrogotia, & Westrogotia, & Gotingis, & Eburo ad originem vocatis. Porrò quia id quod contendo, maximè in eo consistit, si docuero Gotos Græcorum Latinorumque veterum Getas fuisse; aduocandi sunt & politiores quidam doctioresque, quàm fuerit Iornandes; cui tamen mirum est, Rhenanum hac parte non credidisse, cùm absurdiora illi permiserit, dum ei assentitur, Gotos è Scandia oriundos esse. Lucanus, dum Getis Dacos vicinos cognatosque facit, satis ostendit ea vera esse, quæ Strabo prodidit, dicens Getas mari viciniores esse, atque superiora à Dacis, & Tyrigetis, & Bastarnis origine Germanis teneri:

Te ne Deûm sedes non vllo Marte coacti
Deseruêre viri? pro qua pugnabitur vrbe,
Dij melius quòd non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec iuncto Sarmata velox
Pannonio, Dacique, Getes admistus: habenti
Tam pauidum tibi Roma ducem fortuna pepercit,
Quod bellum ciuile fuit. ——

Cęsaris verba sunt, Romam à Pompeio desertam intraturi, quibus viciniam gentium, periculumque Romanis proximè imminens, satis

indicauit. Gotos autem eos fuisse & Dacos, ea quæ secuta sunt tempora; satis docuerunt. Nam post Cæsarem continua hîc fuerunt Romanis cum Dacis Getisque bella; donec tandem fractis imperij viribus, & ad varia bella distractis, Goti Danubio transmisso, tandem ea, quæ omnibus nota sunt, perpetrarunt. Sed quid opus multis Poëtarum testimoniis, cùm Claudiano diligentissimo doctissimoq; Poëtæ, & omnia gentis arcana perscrutato, non videam cur credere quisquam non debeat, cùm ipsis illis temporibus vixerit, quibus discere potuisset, se falli, dum Gotos Getas vocaret: atque verisimile non est, Getis hanc permissuros gloriam Gotos, nisi ipsi Getas se esse sciuissent. Errassent scilicet Romani, in gentium illarum distinctione, quibus subesse cogebantur: Si antè errassent, at tum saltem errorem corrigere potuissent, cùm quotidiana conuersatio interrogandæ veræ originis distinctionisque offerretur. Iulius Capitolinus Goti & Getæ nomine, sine discrimine notationis vtitur, Maximino patrem Gotum faciens; ac mox subdens, eum à Getis maximè amatũ, quasi eorum ciuis esset. Ælius Spartianus, in Caracallæ vita, hæc scripsit verba. Non abs re est etiam, diasyrticum quiddam in eum dictũ addere. Nam cùm Germanici, & Parthici, & Arabici, & Alemannici nomen adscriberet, (nam Alemannorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixisse, Adde, si placet, etiá Geticus: quòd Getam occiderat fratrem, & Goti Getæ dicerentur; quos ille, dum ad Orientem transit, tumultuariis prœliis deuicerat. Trebellius Pollio, Gotici nominis tantam latitudinem facit, vt Scythas partem Gotorum vocet, eam, ni fallor, intelligens, quæ tractum maritimum Ponti Euxini ad Boristhenem & Tanaim ferè vsque teneret, Gotorum nomine superioribus pòst adscripto, ceteris communi Scytharum appellatione comprehensis. Vltimos enim Sarmatarum & Germanorum Plinius Scythas dici tradidit, vaga ad eos appellatione, quorum alia nomina ignorantur. Alanis enim longè lateque interiorem Sarmatarum planiciem, in ditionem nomenque asserentibus, Goti coacti sunt, alij ad mare & Cherronesum Cimbricam, alij in montes Carpathios, & Daciam, & Germaniam finitimam confugere. Horum igitur ignotissimos Scythas vocabãt; quam rationem Arrianus secutus, dum Istrum è Celtis, quo nomine Germanos vocat, deduxisset, maximumque Europæ fluuiorum fecisset, accolas eius è Germanis quidem vltimos Quados & Marcomannos, dixit; post hos Iazygas Sauromatarum partem; inde Getas, eos qui in deorum immortalium numerũ homines referunt; mox inde Sauromatarum promiscuum vulgus; postremò Scythas ad ipsa vsque ostia

collocauit. Hic consentanea Straboni de Dacis & Gotis opinatus, quòd videlicet eadem gens esset, Dacos quidem communi Getarum nomine comprehendit, Scythas verò maritimos Getas nominauit. Sarmatarum autem vulgus, quod inter Getas & Scythas interiicit, Alani sunt, vagis sedibus ad Istrum vsque, & pòst aliquando vltra in Macedoniam excurrentes, vbi in campis Philippis Gordianum tumultuario prœlio, vti Capitolinus tradit, aliquando vicerunt. Nunc igitur intelligetur, quid Trebellius velit, cùm dixit: Scythæ autem, hoc est, pars Gotorum, Asiam vastabant. Tunc etiam templum Dianæ Ephesiæ dispoliatum & incensum est, cuius opes fama in populos satis notæ. Cùm enim antè dixisset, Gotos & Clodium Macedoniam vastasse, & Thessalonicā obsedisse; subdidit interea ab aliis Gotis, maritimis Scythis nominatis, Asiam vexatam expilatamque fuisse, ac varia deinde fortuna à variis ducibus, eos per mare agitatos, multis in prœliis naualibus superatos fuisse; ac inde Martianum cum iis crebrò conflixisse, atque ad eum vindictæ ardorem adegisse, vt omnem Scythiam contra Romanos excitarint. Hîc igitur, & apud Arrianum maritimi & Istro proximi peculiari nomine Scythæ vocati sunt; ceteri simpliciter Goti. Nec recens illa fuit consuetudo appellationis, sed priscis temporibus inducta, vt Strabo testis esse potest; qui totum illum terrarum tractum, qui ab Isthmo Cherronesi Cimbricę, & superioribus etiam vsque ad Istrum, paruam Scythiam vocari solere tradit. Hinc perspicitur Darium expeditionem illam decantatissimam contra Getas, qui iidem cum Gotis sunt, suscepisse; vbi illum fortitus est exitum, vt vix saluus multis suorum amissis euaserit: qua de re Herodotum licet videre, qui hanc Scythiā diligenter descripsit, & aliquanto meliùs quàm Ptolemæus, qui Scythas vltra Alanos mōtes, quos hic falso somniat, remouit; & Tauroscythas eos dixit, quos Tauros Herodotus nominans, à Scytharū gēte distinxit. In Budinis & Neuris nō discrepāt, nisi quòd Ptolemæus Nauaros pro Neuris, & Bodinos pro Budinis scripserit. Melanchlænos longissimè ad interiora à mari remotos, illic habitasse credo, vbi hodie Podoliæ cōfinia lætissimis pascuis abundant, atq; sic se nominasse, cùm priùs in Asia ad Volgam vagarentur, quòd pascua commodato duntaxat sumerent, fructu vnius vel alterius anni citra possessionem diuturnioré contenti; vt pòst rursus docebo. Herodotus ridiculū se præbet, dum hominibus intima Getarum habitantibus, à nigris vestibus nomen datum existimat: quasi illud à Græcis emendicassent. Quamuis enim vocabula Græca videantur; non tamen idcirco è Gręcia sunt petita, si alterius gentis propria sint & vernacula.

nacula. Geloni ad risum Græcorum alludunt, sed si Scythicè interpreteris, ij vocabuntur, qui sunt mercede conducti; quos Σελονδες integrè citra exemptionem ipsius Delta diceremus. Nam si Herodoto credimus, videtur è Græcis & exteris ad Scythas venisse, non alia, vt opinor, causa, quàm vt mercede agros colerent, ac interim Budinis, à quibus conducebantur, ocium suppeditaretur ad id agendum, quod nomine suo præ se ferebant. Budini enim quasi Βουτινγες dici videntur, eo modo quo ex Gotingis Gothinos fecêre Latini: qua voce significantur ij, qui prædis viuunt, ad quam rem Boristhene vti poterãt; per quem lembis delapsi, piraticam exercerent: quod ipsis facilius esset, quàm Achæis & Heniochis, qui Camaris, id est, lembis illis quos nunc Brigantinas vocamus, mare infestum habebant; atque dum fugiendũ esset, cymbam triginta circiter homines, quot ferè capiebat, super remis in siluas portabant, quò persequentibus aditus non esset: quod prędãdi genus, vndecimo libro Strabo descripsit. Idem septimo libro tradit, Scytharum eos qui mare contingunt, deteriores à cõmerciis factos, cœpisse primùm latrocinari. Quocirca non absurda coniectura est, Budinos inde nomen sibi dedisse, quòd Butis, id est, prædis ditarentur, atque hinc abundè suppeditaretur, quo Gelonis, id est, mercenariis rem rusticam & pecuariam curarent. Sed hæc obiter exempli causa, quò vbique paucis prisca linguæ nostræ vestigia commonstrem, doceamque ineptos esse, qui Græcas origines Geticis Scythicisve vocabulis comminiscuntur; & dum cetera desunt figmenta, ad Herculis filios confugiunt; inter quos & Gelonum, si Deo placet, inuenerunt; & nõ malo, me Hercle, iure: eò quòd is Deus mercede plurimis seruiuerit, atque hac de re meritò eum sibi patrem mercenarij fingant. Scythæ enim occasione de vocibus sumpta, multas fabellas, Græcis curiosè omnia sciscitantibus, obtruserunt, vt pòst in Scytharum nomine rursus erit monendum. Reuertamur igitur ad Getas; quos, quamuis Herodotus hoc nomine non descripserit, alij tamen satis clarè loca ipsorum vetusta indicarunt; & inter primos Strabo, inter Istrum & Tyram, qui nunc Nester vocatur, Getarum solitudinem ponit: supra hanc Tyrigetas, quos ego Getas ad Tyram habitãtes intelligo: superiùs his proximos Bastarnos origine Germanos; hinc ipsos Germanos collocat. Getarũ desertum Ammianus Marcellinus Arabiam vocat, eo loco quo Hunnorũ, Alanorumque in Gotingos impetum describit, ob eam, vt opinor, causam; quòd Arabiæ desertæ arenarum siticulosa planitie similis videatur, quo in arido campo Darius Hystaspis filius ferè cum toto exercitu siti periit; adeò vt redire sit coactus, si Straboni credendum

potiùs

potiùs quàm Herodoto, qui eum fabulosè, meo quidem iudicio, ad Scythiæ interiora deduxit, ad ipsos vsque Agathyrsos. Liquet igitur ad mare vsque & ad Istrum Getas olim habitasse, vtpote quorum hæc solitudo vocaretur. At superiùs ad fontes vsque Tyræ adscendit huius gentis appellatio & possessio, cùm Tyrigetæ Bastarnis sint proximi; hi verò Germanis. Fuerunt autem ita Germani Getis permisti, vt Peucen Bastarnæ occuparint, atque in ea Peucinorum sub nomine consederint. Quàm verò amici Germanorum, inde videas, quòd Strabo asserat ob id suo tempore non omnes Getas se Romanis subdidisse, quòd Germanorũ auxiliis siderent. Hinc itaq; coniicere liceat cognationem tum gentis, tum linguæ fuisse, quãuis Germanorũ esset à simplicitate sua sic digressa, vt diuersa videretur. Plinius Getas Romanis in vniuersum Dacos dici scribit, Strabone distinctionem, quam antea posuimus, admittente, vt superiorem Istri ripã habitantes, Daci; inferiorem, Getæ vocarẽtur. Quicquid igitur terrarum fuit à Tyræ exordio ad mare vsq;, Getia erat; ac inde ad Vistulæ exitum & Mœotidis initium protendebatur. Nec hac limitũ latitudine contenta, partem suæ gentis in Germaniam, partẽ in Thraciam transmisit: vbi tempore Darij iam tum habitabant Mysiæ inferioris portionem tenentes, tãta fortitudinis fama & fiducia, vt Dario restiterint, quãuis ingentibus copiis illius mox fuerint subiugati, vti ab Herodoto docemur. Strabo Getas Græcis quàm Dacos, notiores dicit; eò quòd frequẽtiùs ad vtráq; Istri ripã colonias mittant, & Thracibus & Mysis sint permisti; eundẽ tamen sermonẽ Dacis & Getis esse. Idẽ paulò antè dicit, Æliũ Catũ quinquaginta millia Getarũ sua memoria ex Transistrana regione in Thraciã traduxisse, vbi adhuc habitẽt sub nomine Mysorũ, addẽs Getis & Thracibus eundẽ esse sermonẽ. Getæ igitur, Thraces, & Daci eius linguæ fuerunt, qua hactenus tertiam Dacorum partem, vti dixi, quæ à Germanica & Bastarnica non aliter differt, quàm Saxsonica à Sueuica; vt nihil mirum sit, Bastarnas è Germanis oriundos, maximam Istri insulam Peucen tenuisse, cognatis id & amicis Getis facilè passis. At cum Saxsonico sermone idẽ est sermo Gotorũ, quos eisdẽ in locis habitasse, prœlia cõtra ipsos à Romanis gesta, demõstrãt; & Iornãdes, quicquid Getis à Strabone est adscriptũ, ad Gotos refert; vt nõ videã, qua iudicij peruersitate quisquã cõtẽdere velit, alios Gotos, alios Getas fuisse. Sed video nõ aliud huic errori causã dedisse, quàm quod Iornãdes leui stolidaq; cõiectura Gotos è Scãdia in has sedes deduxerit, qui tamẽ tã olim hac cõmigrationẽ accidisse scribit, vt nihil obstaculi adferat, quin Gotos Getas fuisse dicam⁹, perinde atq; ipsemet fatetur. Miror profectò quare nõ potius

Dioni

Dioni crediderit Rhenanus, vel quiſquis ita exiſtimauit, qui de rebus geſtis Gotorum ſcribens, libro ſuo Geticorum titulum fecit. Ioſepus item annalium ſcriptor, quem Iornandes originis & hiſtoriæ perturbator teſtem denunciat, apertè docteque ſcriptum reliquit, Gotos nõ ſolum natione, ſed appellatione etiam Scythas eſſe. Qui verò Scythæ ſint propriè appellati, Herodotus ſatis docet; quod nomen tamen inferioribus Getis magis fuit attributum, ſicut à nobis modò eſt explicatum. Verùm vt omnem peruicaciam euincamus, oſtendamus breuiter, quibus initiis Gotica clades Romanorum imperio illata debeatur. Cæſar bellum contra eos meditabatur, non alia, vt Appianus indicat, cauſa, quàm quòd finitimi, nimiumque propinqui imminere viderentur, & quòd ocium valetudini ſuæ noxium putaret: quam eius cogitationem Suetonius exponens, non Getas, ſed Dacos nominauit, eo ſuo dicto confirmans, Getas Dacos à Romanis nominari. Egregiam verò medicinam, & validam tot malorum quot è bellis oriuntur cauſam! Auguſtus Dacorum, quo nomine Getas Romani rurſus vocant, incurſiones coërcuit, tribus eorum ducibus cæſis, vt Suetonius narrat: quod Sex. Aurelius Victor ſic exponit, vt dicat Octauianum Getarum populos, Baſtarnaſque laceſsitos bellis ad cõcordiam compuliſſe: quo loco cernimus, Baſtarnas natione Germanos & Getas vnà contra Romanos militaſſe, nequis opinetur ſolius Transſiluaniæ vires Romanis reſtitiſſe. Tiberius Cæſar à Suetonio accuſatur, quòd Armeniam à Parthis occupari, Mœſiam à Dacis Sarmatiſque, Gallias à Germanis vaſtari neglexerit, magno Imperij dedecore, nec diſcrimine minore. Strabo de Getis vetuſtiora omittens, obiter narrat, quæ ad ſuam ætatem pertigerunt: in quibus eſt Bœrebiſtam Getam gentis præfectura potitum, ſuos frequentibus & aſsiduis bellorum cladibus afflictos, quiete, curaque diligente recreaſſe, atque exercitatione & aſsiduitate rerum gerendarum eò eũexiſſe, vt intra paucos annos plurimos finitimorum Getis ſubiugarit, atque adeò Romanis terrorem incuſſerit, & citra omnem metũ Iſtro traiecto Thraciam ad Macedoniam vſque & Illyricum fuerit depopulatus, & Gallos Thracibus & Illyricis immixtos expugnarit, Boioſque, qui ſub Critaſiro erant, vnà cum Tauriſcis prorſus deleuerit. Quò verò gentem faciliùs iuſsis ſuis accommodaret, adiutorem quendam Deceneum nomine habuit, hominem præſtigiatorem, qui diu per Ægyptum vagando, futura prædicendi neſcio quam artem addiderat, qua ſimulauit diuinitatem quandam ſibi ineſſe, atq; adeò mox Deus apud vulgus euaſit, quemadmodum antè in eadem gente Zamolxi ſucceſſerat. Quàm verò illi obtemperauerint, inde colligas,

quòd

quòd iubenti vites excindere, & citra vinũ viuere, obediuerint: Bœrebiſtas tamen, inſurgentibus quibuſdam contra ipſum, antè periit, quàm Romani exercitum contra eum mitterent, regno pòſt in multas partes diſtracto; & tum quidem cùm Auguſtus tempore Strabonis exercitum contra eos quinquaginta millium expediret, in quatuor partes diſtributo, quam totam hiſtoriam de Getis à Strabone ſcriptam, Romani Dacis attribuerunt, eò quòd proximi Daci eſſent, & firmiſsimis locis habitarent. Virgilius non aliunde Romanis ſuo tempore plus timoris, quàm à Dacis incubuiſſe, elegantiſsimis illis verſibus, quibus hominis felicitatem deſcribit, ſatis indicauit: quos quia digni ſunt, vt ſemper in memoriam vocentur, adſcribam:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis auari.
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agreſtes,
Panáque, Siluanumque ſenem, Nymphasque ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura Regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Aut coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro.

Maximus ergo metus à Dacis ſiue Getis incutiebatur, cum quibus Baſtarnæ & Sarmatæ conſpirantes, occaſionem dederunt, vt Iſtrum coniuratum vocaret. Credo itaque ab Ælio Cato, quem Sex. Ælium Catum fuiſſe credo, ſub Octauiano Conſulatu functum, quinquaginta illa millia Romano ſolo donaſſe, quòd ad incurſionum excuſationem prætenderent anguſtiam locorum. Quo igitur pacatiores redderet, prætextumque hunc Iſtri infeſtis copiis tranſeundi adimeret, Mœſiam dediſſe, atque hanc rationem eam concordiæ ineundæ fuiſſe, quam Victor indicauit. Tacitus libro quarto Lentulum de Getis triumphaſſe docet. Obiere, inquit, eo anno, viri nobiles Cn. Lentulus, & L. Domitius. Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getis gloriæ fuerat bene tolerata paupertas; dein magnæ opes innocenter partæ, & modeſtè habitæ. Sed in codice meo Getulis pro Getis legitur, non bene, mea quidem opinione; eò quòd lib. j. annalium, Cn. Lentulus in Pannonia ſumma gloria belli fuiſſe dicatur. Suetonius in Domitiano Dacorum rurſus meminit his verbis: Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſariò: ſponte in Cattos; neceſſariò vnam in Sarmatas, legione cum legato ſimul cæſa. In Dacos, duas; primam Oppio Sabino Conſulari oppreſſo; ſecundam Cornelio Fuſco præfecto cohortium Prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat. De Cattis, Daciſque poſt varia prœlia, duplicem triumphum

phum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit. Sed operæpreciũ eſt Dionem ſuper hac re cõſulere, qui Domitiani ſtolidas ineptias elegãter depinxit, quas hîc referre ſuperuacaneũ iudicaui, Taciti, illius temporis æqualis, eadẽ de re verba lubentiùs adſcripturus. Et ea, inquit, inſecuta ſunt Reip. tempora, quæ ſileri agricolam non ſinerent: tot exercitus in Myſia, Daciaque, & Germania, Pannoniaque, temeritate, aut per ignauiam Ducum amiſſi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti, nec iam de limite imperij, aut ripa, ſed de hibernis legionũ & poſſeſsione dubitatum. Ita cùm damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus inſigniretur, poſcebatur ore vulgi dux Agricola. Idẽ paulo antè: Inerat conſcientia (de Domitiano loquitur) deriſui fuiſſe nuper falſum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum ſpeciem formarentur. Satis ex his Taciti verbis intelligimus, ingentem cladem Romanos à Gotis illo tempore accepiſſe; cùm multos exercitus cæſos dicat, numero fortaſsis ob eam cauſam non adiecto, ne Romano nomini ignominiam perpetuam ſcriptis ſuis inuſsiſſe videretur, tametſi de hiſtoriographi ſilentio, & de fictitio Domitiani triumpho, & de cœna illa ſepulcrali, quam Dion deſcribit, maior apud bonos rerum æſtimatores damnorum ſuſpicio ſuboriatur. Poſt hunc Traianus optimus, & in primis ſtrennuus princeps, in Dacos expeditionem ſuſcepit, longè inſtructiſsimam, & totius imperij viribus nixam: de qua quamuis antè in Saxſonicis nonnihil commemorarim; cogor tamen hîc rurſus latiùs idem repetere; eò quòd Dacos ſub Getarum amplitudine ſcriptores ferè comprehenderint, & eam mihi attulerint neceſſitatem, vt in Geticis rebus non poſsim non videri præuaricatus, ſi res Dacorum geſtas iis non adſcripſerim. Audiamus igitur Merulam è Xiphilini in Dionem compendio, de hac re ita loquentem. Sed Traianus tantiſper, inquit, Romæ commoratus eſt, dum expeditionem in Dacos parauit. Quæ enim illi agerent & molirentur ſubinde reputans, indigna ferebat annua tributa iis dependi, vnde vires & opes magis augerentur, animique ad maiora erigerentur. Ergo Decebalus rex, cùm arma comparari in ſe audiret, extimuit: quippe qui nouerat antea Domitianũ, non Romanum populũ victum; nunc aduerſus Romanos & Traianũ Imperatorem decertandũ eſſe. Hæc ille: quibus Traiani virtutes & inſignes dotes addit. Hic igitur cum hoſte conflixit, & victoriam obtinuit tam cruentã, vt Romanis ad vulnera ſua obliganda faſciæ deeſſent, vtque ipſe Imperator veſtẽ ſuam in lacinias diſciſſam ſauciis largiretur. Vtens tamen victoria, & iuga mon-

montium ſuperans,ad regiam euaſit,& Decebalum ad eas anguſtias redegit, vt pacem quibuſcunque conditionibus oraret: quæ ſic conceſſa eſt,ſi arma omnia traderet,& caſtella euerteret, & quæ finitimis eripuiſſet,redderet,ac in conſpectum Traiani ſupplex veniret. His factis,& Traiano Romam reuerſo, Rex rurſus arma parat, & eos qui contra Romanos fœdus ſecum inire antè noluiſſent, inuadit; ac primum Iazygũ agri partem in ditionẽ ſuam cogit. Traianus igitur de nouo bellum rurſus adornans, & ponte illo admirabili per Iſtrum ſtructo, Daciam totam ſubiugat: quod Decebalus cùm impedire nõ potuiſſet, mortem ſibi ipſe conſciuit, ne in hoſtium poteſtatem veniret; magnus certè Rex, ſed Romanis viribus totum ferè orbem cõplexis admodum impar, tametſi animo inferior non eſſet. Hîc theſauros ſuos ſub vadis fluminis defodit, iis captiuis, quorum ad id opera vſus erat, occiſis; quorum vnus tamen clam elapſus Romanis rem indicauit. Manſit igitur Dacia prouincia,quæ Commodi principatu rurſus rebellione mota, per legatos eſt deuicta: & quia à Romanis præſidiis non parua ſui parte habitaretur, partim à Traiano, partim pòſt inductis,quæ poſtea bella mota ſunt,Gotis ſiue Getis ſine diſcrimine,vt docui,dictis,adſcribũtur:qui ſub Maximino,vt ciue ſuo, cùm quieuiſſent;contra Gordianum rebellarũt,& meritò; quòd illi Maximini mortem iuſtè imputarent, atque deinde quæcunque geſſerunt,Gotorum eſſe dicuntur, qui pòſt aſſiduò irruptiones in Aſiam & Europam fecerunt,inſigniter Romanorum iniurias vlciſcentes. Aurelianus cùm videret Daciam teneri diutius non poſſe,Romanorum præſidia in Mœſiam deduxit, cùm tamen Gotos magna clade viciſſet. Videmus igitur clariſsimè bella hæc ad Iſtrum à Romanis geſta,cõtra Gotos geſta fuiſſe: qui cùm iidem ſint cum Getis & cum Dacis; aliquando Getarum,aliquando Dacorum, aliquando Gotorũ nomine nuncupantur. Valuit quidẽ Getæ nomen à Græcis acceptum tantiſper dũ Romani certiùs intelligerent, Gotos vel Gutas vocandos eſſe, quod ignorare poſterioribus ſeculis non poterãt ob frequentiſsima cum illis prœlia. Si quiſquã adhuc dubitet Getas Græcorũ Gotos eſſe, ei permitto, vt obſtinato ſuo cerebro,quo velit modo vtatur,data interim nobis venia,quòd veritatẽ ſequamur. Cùm enim ferè continuũ hoc bellũ fuerit Romanis ſæpius vincẽtibus,ac poſtremò victis, quis eſt tam ſtupidus, vt alios Gotos, alios Getas, alios Dacos, contra tot auctorum ſententias citra omnẽ rationẽ ſomniet? Hi igitur Goti ſunt ſiue Gutæ,qui vltra Viſtulam Gotinos;in Scandiam Ptolemæi,quam Gotlandiam vocamus,Gutas;ad Venedicum ſinũ Guthones,ad Tanaim Guetingos,& alios aliò emiſerũt, à Maſ-

ſagetis primũ in Aſia procreati; ac deinde traiecto Tanai in Scythiam Europæam tranſgreſsi, quorum lingua eadem fuit quæ Saxſonum, Tectoſacum & Gallorum, & eorum qui è Belgio in Cantium olim tranſierunt: vt mirari non debeamus, Gotinos Gallicè locutos fuiſſe & Auſtros, ſiue Æſtyas corruptè cum Tacito dicere mauis, ad Britannorum ſermonem acceſſiſſe, cùm eam partem Dani & Gedani tenerent, quorum idem quidem cum Getis ſermo, ſed in quibuſdam vocabulis & modo enunciandi parua nonnunquam diuerſitas: vt cùm Stoy pro Steiy vel Steen dicũt, Hom pro Heim, Hot p Heet, Mo pro Mee, & alia quædam ad hunc vel ſimilem modũ variata. Hinc igitur Seſechtſtoy, vt dixi, pro Seſechtſteey, vnde Gleſſum Romani videntur feciſſe. Sed nulla lingua in alias regiones diuerſi ſermonis cõmigrans primam ſuam poteſt ſeruare puritatem: quo fit vt mirum non ſit, ſi Suedanorũ & Gotlandorum loquela, non parum à ſinceritate prima degenerarit; & tantum certè degenerauit, quanto Dacorum Teutonicè adhuc loquentium ſermo elegantior eſt & magis germanus. Lazius in libris commigrationum, carmina adducit, quæ dicit Poëtæ cuiuſdam Goti fuiſſe, qui Theodorici Regis hiſtoriam verſibus ſcripſit; in quibus vt omnia ſunt Cimbrica, ita paruo quodam diſcrimine ab iis diſsidentia, ſed multo minore quàm Sueuica ſiue Allemanica. Nõ male Wolfgangus Lazius de Gotis & Cimbris, & in vniuerſum de Germanis mereretur, ſi hoc poëma in lucem editum omnibus communicaret; quo quiſque diſcrimen linguæ Goticæ, Cimbricæ, Sueuicæque cerneret. Quòd igitur ad ſermonis latitudinem attinet, colligamus ſummatim Thraces, Dacos, Getas ac Mœſos eiuſdem linguæ Straboni eſſe: Procopio verò Goticam locutionem habere Vandelos, Veſigotos, Gepedas, qui olim Sarmatæ & Melanchlæni fuerint nominati. Nunc ergo liquet, qua lingua Orpheus Thrax vſus ſit, & qua cauſa Getæ illi qui Græcis citra Iſtrum in Mœſia habitabãt ab illo iam tum tempore, quo Darius eos inuaſit, Athanatizontes vocentur: quam vocem ſic Valla reddidit, vt eos dicat ſic vocatos qui immortales agunt, ſed non bene, ſiquid rectè in hac re ſentio; cùm dicere debuiſſet, Athanatizontes eſſe qui homines immortales faciunt. Faciunt autem immortales ad hunc modum, Herodoto narrante, vt ſe minimè mori arbitrentur; ſed eum, qui vita defungatur, ad Zamolxin ire credant; quem aliqui eorum eundem putant eſſe cum Gebeleizi. Errant verò qui opinantur hunc Zamolxim Pythagoræ in Samo ſeruum fuiſſe, atq; inde reuerſum Thracibus immortalitatem animorum inuexiſſe: quod ne ipſi quidem Herodoto perſuaſerunt, qui eum multo

Pytha-

Pythagora facit vetuſtiorem; & tandem concludens; ſiue quis, inquit, homo Zamolxis fuerit, ſiue quis Dæmon, Getarum regioni, vti Indigetes Dij ſolent, præſidens; is in præſentia valeat & gaudeat. Et ſanè quidem valeat & gaudeat, vt ſemper valet & gaudet, ſed & nobis vt valeamus, & ſemper gaudeamus diuina ſua vi largiatur, & nunc præſtet vt eam verè poſsimus explicare. Τſamen ſiue Ζamen, quod eodem modo pronunciandum, nobis idem eſt quod ſimul: Ηoſich more Britannico & Auſtrano, quem modò notaui pro Ηeiſich, idem eſt quod ſanctum: & Ηoſicht, idem quod ſanctum facio. Ειn ſenſum notat, & præterea ſuos ſiue familiam. Τſamenhoſicht ſiu igitur is meritò dicetur, qui ſenſus omnes, & totam ſuam familiam ſimul ſanctam facit. Deus igitur qui ſuos ſanctos facit, Zamolxis erit, conciſione vocabuli nobis vſitata. Τſam enim ſiue Ζam dicimus pro Ζamen: Ηoſicht ſiu aſpirationes, vt in compoſitionibus etiam apud Græcos fit, amittes, & Tau de more noſtro deponens, Οſicſiu, ſiue per duabus æquipollentem litteram Οſixiu reddit. Fit ergo Zamolixis, & ſyncoptôs Zamolxis. Chriſtus ergo Zamolxis proprie dicendus, quem Getæ à maioribus acceperant venturum, & totam ſuam familiam, id eſt, vniuerſum mortalium genus ſimul vnaque, nemine excepto, ſanctum redditurum; ac hunc eſſe qui nobis conciliaret immortalitatem omni bonorum copia affluentem. Eundem alij Sebeſeizin nominabant, quo is dicitur, qui ſanctum ſenſum dat, vel ſanctam familiam; quod eodẽ tendit, quò Zamolxis. Seb enim idem eſt, quod do, Ηeiſich idem quod Ηoſich alia Dialecto, & ea quidem noſtra. Verùm videor mihi videre aliud quiddam, eodem tamen referendum, hac voce ſignificari; atque id ex eo ſuſpicor quòd Græci duplex Ϝ, quo carent, frequẽter omittant. SebeϜeſeictſin igitur vocali vltima producta, idem eſt quod, Da vt perpetuò ſimus: quod Græce δὸς ἀθανάτως τὸ εἶναι diceretur. Nam in lingua noſtra τὸ εἶναι, Ηet ſiu, & compoſitè Τſin dicitur, cũ articulo: quod addo, vt conſtet quare Sigma quod eſt in Ειn, lõgo tẽpore pronunciando, quo eſſe ſignificatur, in Zeta tranſiuerit. Sebeeſeizin igitur, alteroq; Epſilo adẽpto Sebeſeizin idẽ eſt quod, Do perpetuò ipſum eſſe, ſiue etiã, Da ppetuò ipſum eſſe, quod meliùs dicitur & ſignificantius, quàm ſi diceretur, da perpetuũ eſſe; eò quòd illo indicetur, eſſe noſtrũ depẽdere à ppetua donatione, ſiue perpetuo diuinitatis inflexu, quo cauſa prima ſemper rebus eſſe ſuũ dat; quod aliter perpetuũ eſſe nõ poteſt. Non igitur ſolũ ſignificatur Deũ dare immortale eſſe, ſed hoc etiam eſſe, ipſum æternũ eſſe non poſſe; niſi Deus ſemper & perpetuò ipſum eſſe communicet, quo

ipso significatur Deum nunquam ab agendo cessare, & ab ipsius actu æterno, æternam rerum essentiam pendêre. Non igitur eodem modo idem est Zamolxis & Gebeleizis: sed Zamolxis Deus dicitur consideratione ea, qua sanctos omnes suos vnà facit; Gebeleizis verò, qua perpetuò dat nobis ipsum esse. Nunc ergo videmus, quem Deum Thraces coluerint, & quare finxerint Zamolxin tribus annis sub terra latuisse magno cum omnium planctu, ac deinde rediisse. Christus enim ad inferos descendit, & tertio die resurrexit; quòd more Prophetico per præteritum tempus de futuro dictum, occasionem præbuit de tribus annis fabulandi: eò quòd minus miraculi in tribus diebus, quàm in tribus annis esse videretur. Meritò igitur Getæ Athanatizontes dicti sunt, vtpote qui crederẽt se immortales fore, ac eum colerent, qui hác daret immortalitatẽ, & omnes simul suos sanctos redderet. Videmus itaque, quàm longè aberrarint qui Getas à Græcis Philosophiam, & sapientiæ studia petiuisse credunt: contrà rectissimè antiquissimis Poëtarum censentibus omnem veterem sapientiam fabulaꝝ tectam inuolucris à Thracibus emanasse; ac eius auctorem Orpheum fuisse, in eo tamen fallis; quòd crederent, hunc virum fuisse, qui vnà cum Argonautis nauigarit. Sed quia hæc consideratio plura secum traheret, quàm hîc oportunum esset dicere, ad suum locũ, in quo Orphicam disciplinam enucleabo, differatur. Nõ fuit tamen hoc loco hæc admonitio omittenda, quo continuatio migrationũ, & historiarum consensus, & linguę nostræ in Thracia antiquitas fidẽ iis facerent, quæ de Diis gentium in lucem sum eruturus. Strabo Zamolxim eiusmodi hominẽ fuisse putat, qualis apud Bœrebistam erat Deceneus, meliùs cũ Herodoto rem in dubio relicturus, Deus ne an homo aliquis sic vocaretur. Addit verò semper apud Regem Getarũ aliquem eiusmodi esse consiliariũ, qualis Bœrebistæ erat Deceneus; cuius id erat officij, vt sobriá frugalemq́; vitam citra carniũ esum agendo, Deum sibi propitiũ redderet, atque eum perpetuò rogaret, vt quæ ad Reip. & Regis salutem maximè pertinerent, vtilissimaq́; essent, sibi inspiraret. Hunc igitur, tanquam diuinũ vatem, & Rex & populus venerabatur, eiusq́ue consiliis, vti à Zamolxi profectis, lubens obtemperabat; adeò vt publicæ administrationis quasi clauum sacerdos hîc teneret. Non est igitur mirum, res Getarũ diu incolumes stetisse; nec validissimis potentissimorum Regum vnquam sic fuisse fractas, vt non mox in integrum restituerentur. Tiberius exercitum contra eos, Strabonis tempore, parabat; quo quid effecerit, non memini me legisse: hoc vnum ex Strabone disco, ante Bœrebistam è viuis excessisse, quàm contra Getas copias educeret.

Sueto-

Suetonius certè eum, vti dixi, insimulauit, quòd Mœsiam à Dacis vastari incurius permiserit; ita vt credam his iniuriis iritatum, copias tandem contra eos comparasse: quo loco rursus videmus, quæ Strabo de Getis scribit, ea à Romanis Dacis esse attributa. Meminit idem auctor Dromichætis Getarum quondam Regis, qui Lysimachum contra se belligerantem, viuum ceperit; cui cùm suam gentisque suę commonstrasset inopiam, & homines suos re sua contentos; ne talibus, inquit, bellum infer, sed amicis vtere. His dictis hospitaliter exceptum dimisit, amicitia sibi cum eo conciliata. O verè regium animum; ô Regem diuino præceptore dignum! Videmus hîc quanti sit, ejusmodi habere consiliarios, quales apud Getarum Reges perpetuò versabantur. Falluntur Græci, qui hos viros, quorum consilio Reges vtebantur, præstigiatores, aut veneficos, aut incantatores fuisse, arbitrantur; quasi verò malis artibus, & inanibus dæmoniorum illusionibus regnorum firmitas constare posset. Nec item ab Ægyptiis, aut Samio magistro didicerant, quæ ad Remp. pace & posteritate beandam necessaria iudicaret: sed à suis ipsorum maioribus, & domestica disciplina per manus accepta, sanam gubernandi formam acceperant; vt latiùs & clariùs pòst aperiemus, cùm de Strymone tractabo; quanquam vel sola nominum fabrica satis docet, quo fuerint ingenio, & qua rerum omnium cognitione præditi. Verùm quia ex Herodoto modò est ostensum, Getas in Mœsia etiam citra Istrum habitasse, ac inter eos, illos præcipuos fuisse, qui Athanatizontes vocabantur; addendum, alios quoque citra flumen in Mœsia inferiore habitasse, diuersis illos quidem nominibus, sed inter eos nobilissimos fuisse Triballos, Mœsiæ inferioris partem occidentalem tenentes. Iustinus narrat, Philippum contra Scythas quoque, quos Gotos esse monstraui, bellum gessisse; cuius causam non satis verisimilem mihi reddit, dum dicit, Regem Scytharum Philippi auxilium contra Istrianos hac conditione petiuisse, vt eum regni sui successorem adoptaret. Erat, inquit, eo tempore Rex Scythatum Matthæas, qui cùm bello Istrianorū premeretur, auxilium à Philippo per Apollonienses petit, in successione eum regni Scythiæ adoptaturus: cùm interim Istrianorum Rex decedens, & metu belli, & auxiliorum necessitate Scythas soluit. Itaque Matthæas remissis Macedonibus, renunciari Philippo iubet, neque auxilium eius se petisse, neque adoptionem mandasse. Nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent, neque heredem sibi incolumi filio deesse. His auditis, Philippus legatos ad Matthæam mittit, impensæ obsidionis portionem petentes, ne inopia bellum deserere cogatur,

quod

quod eum promptiùs facere debere, quòd missis à se in auxiliũ eius militibus, nec sumptum quidem viæ, non modò officij precia dederit. Matthæas inclementiam cæli, & terræ sterilitatem causatus, quæ non patrimoniis ditet Scythas, sed vix alimenta exhibeat, respondit, nullas sibi opes esse, quibus tantum Regem expleat, & turpius putaret paruo defungi, quàm totum abnuere. Scythas autem virtute animi, & duritia corporis, non opibus censeri. Quibus derisus Philippus, soluta obsidione Byzantij, Scythica bella aggreditur, præmissis legatis, quò securiores faceret, qui nuncient Matthææ dum Byzantium obsidet, vouisse statuam Herculi, ad quam in ostio Istri ponendam, se venire pacatum, accessum ad religionem Dei petens, amicus ipse Scythis venturus. Ille, si voto fungi velit, statuam sibi mitti iubet, non modò vt ponatur, verumetiam vt inuiolata maneat, pollicetur. Exercitum autem fines ingredi negat se passurum, ac si inuitis Scythis statuam ponat, eo digresso sublaturum, versurumque æs statuæ in aculeos sagittarũ. His vtrimque iritatis animis, prœlium committitur. Cùm virtute & animo præstarent Scythæ, astutia Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primùm fides inopiæ Scythicæ fuit, viginti millia equarum ad genus faciendum in Macedonia missa. Sed reuertenti à Scythia Triballi Philippo occurrunt. Negant se transitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc iurgium & mox prœlium: in quo ita in femore vulneratus est Philippus, vt per corpus eius equus interficeretur. Cùm omnes occisum putarent, præda amissa est. Ita Scythica velut deuota spolia penè luctuosa Macedonibus fuère. Ex hac Iustini narratione cùm nusquam fluminis transitum apponat, & Matthæas rogatus dicatur vt ad ostiũ eius statuam collocare liceret, colligo hos, de quibus agit, Scythas, Gotos fuisse Athanatizontes, quibus ab Occidente Triballi adiacerent. Quocirca videre licet, diuersos Reges, diuersasq; admodũ ditiones Getis tum temporis fuisse, & hac de causa res ipsorum minùs contra exteros firmitatis præsidiique habuisse, quibus tamen non obstantibus, potentissimum Philippi exercitum astutia & panurgia, non virtute victoria potitum, & mox perfidiæ suæ pœnas finitimis eiusdem linguæ nationisque hominibus dedisse. Sed mirum est, statim post Philippi obitum, Syrmum Triballorũ regem ad Peucen confugisse, quasi penes Triballos Istri ostia essent: quod non video quî teneri queat, nisi putemus Matthæę mortuo Syrmum filium successisse, atque eius etiam Triballos fuisse vel socios, vel clientes: aut Triballos contra Philippum victoria spoliisque potitos, in reliquos

quos cis Istrum Getas, clade illa penitus fractos, imperium arripuisse. Alexander enim Persicum bellum apparans, priùs voluit Triballos Macedoniæ propinquiores, quàm securitas ferret, domare, quàm remotam illam susciperet expeditionem. Cùm igitur Amphipoli decimo die ad Æmum venisset, ac eos qui angustias carragine tenebant, superasset; Syrmus de eius aduentu multo antè certior, vxores & pueros Triballorum, ad insulam Peucem nomine misit, quò & ipse cum suis cõfugit. Alexander Triballorum aliam manum iam castra metantem ex inopinato assecutus, in fugam egit, in qua ad tria millia perierunt. Hinc tertiis castris ad Danubium venit, vbi lõgis nauibus quas Byzantio adduci iusserat inuentis, & milite armato sagittarioque impletis, contra insulam nauigauit: vbi descendere tentanti facilè Triballi restiterunt; eò quòd & naues paucæ essent, & insulæ quamplurima prærupta; tum etiam quòd fluuius angustiis riparum pressus, incitato rapidoque suo cursu naues appellere retineréque ad insulam prohiberet. Hac igitur oppugnatione non succedente, cupido inuasit Istri traiiciendi, per quem tentoriorum pellibus consutis & palea repletis, & lembis ex vno trunco excauatis, quibus accolæ fluminis vtuntur, exercitus parte vna nocte clam transmissa, in eos qui in altera ripa constiterant, ex inopinato impetum fecit; qui stupescentes quonam modo citra naues, & citra pontem, tam subitò flumen maximum transiisset, in opidum minimè munitum confugerunt: quod, cùm Alexander sequeretur, deseruerunt ad vlteriora elapsi. Alexander igitur pueris, & iis quæ reliquerant Getæ, quantum eorum equi ferre poterant, arreptis, & opido euerso, saluos suos ad castra reduxit; quò tum legati cùm ab aliis, tum à Syrmo Triballorum Rege, & à Celtis ad Ionium sinum habitantibus, venerunt; quorum hos in conuiuio percontatus quid maximè timerent, dum putaret eos dicturos, ipsius arma, responsum accepit: Ne cælum in nos ruat. Atque hic finis fuit illius expeditionis: de qua si gloriari Macedones vellent, de minima re gloriarentur; cùm subita potiùs excursio, quàm serium bellum fuisse videatur. Nobis eò referre aut potiùs ex Arriano indicare libuit; quò cerneretur, quàm vocabulis gentium propriis Græci abutantur, dum aliquando Triballos ad ipsum vsque mare extendunt; & cum Peucinis & Getis commiscent; aliquando de singulis, ceu diuersis, loquũtur. Arrianus dum Istri accolas describit, Getas Athanatizontas pro Dacis posuit, cùm Herodotus eos longè inferius ea parte collocarit, qua mare Scythia contingit. Sed licebit dicere, & fortè omnino sic sentiendum, omnes Getas Athanatizõtes reuera fuisse; quia omnibus ea esset opinio,

animos immortales esse: sed à Græcis proximos, vtpote notissimos, sic maximè vocatos. Nam quæ de Zamolxi referuntur, non ad Scythas tantùm pertinent, qui citra Istrum Græcis commorabantur, sed vniuersim ad omnes; & inter alios ad Dacos etiam, quibus ea, quæ Strabo de Bœrebisto & Deceneo refert, tribuenda. Hinc igitur coniecturam quis faciat, quàm rarum apud Græcos fuerit, hominem inueniri, qui certò sibi persuaderet, post mortem vitam aliquam exspectandam, cùm singulari hac fidei nota Getas ab aliis mortalibus distinguerent, quasi alios nullos nouissent qui generatim eiusdem essent sententiæ. Non solus Epicurus hac impietate fuit pollutus, sed tota, vt videtur, Græcia; quando id pro re singulari annotarunt, gentem inueniri, quæ firma fide teneat animorum immortalitatem. Nec soli rursum Græci huius criminis rei sunt, sed Romani etiam; atque id quidem tanto magis, quanto Philosophos contrariæ opinionis habuerunt pauciores. Neque lubet mihi hoc loco multos rogare, cùm vniuersim ferè omnes omnia morte terminent, nihil vlteriùs præter aniles fabulas & puerorum terriculamenta superesse credentes. Nec verò Getæ soli, sed omnes eiusdem linguæ homines sic crediderunt, à parentibus & parentum maioribus accepta vetustissima disciplina, quam vnà cum primi sermonis rudimentis pueri imbibebant. Hinc Lucanus eiusdem se insaniæ & impietatis accusans, qua ceteri tum Græci, tum Romani erant excæcati, omnibus Septentrionalibus populis æternitatis opinionem adscribit.

——*Populi quos despicit Arctos*
Felices errore suo: quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona, viris animique capaces,
Mortis, & ignari reditumæ parcere vitæ. Nec mirum id ei videbitur, qui hanc generis Cimmerij propagationẽ & catenam considerabit ab ipso Noacho, & sermonem & sermonis mysteria omnia per manus accepisse. Sed de Scytharum veteri domesticaque disciplina sæpiùs erit dicendum, & qualis ea fuerit, cùm antè non rarò exemplis ostendi, tum pòst rursus non semel erit indicandum. Hic propter Getas Athanatizontas omitti hæc paucula non debuerunt, quamuis propriè ad Theologiam Orphicam & eius explicationem spectent. Græci quia Getæ Scytharum proximi ipsis essent, eorum regionẽ peculiari quodam modo Scythiæ nomine signarunt; si tamen ambiguum esset, de qua eius parte ageretur, minoris adiectione. Nos libro hunc secuturo, dum nomẽ hoc ad veram suam rationem vocabimus, quædã dicere cogemur, quæ ad hanc Getarũ eruditionẽ erunt referen-

referenda: quæ ne odiosè sint bis audienda, eò differemus. Sed video fortè ab aliquibus, qui omnia curiosè nimiumq́ue molestè sibi exigunt, interrogatum iri, cur non ostenderim cetera quoque propria hominum locorumq́ue nomina, quorum feci mentionẽ, ad linguam nostram pertinere: quibus principio sic responsum esto, rem postulari absurdissimam, & barbaro crassoq́ue homine dignam. Quis enim nescit, quàm multa passim nomina gentibus dentur, quorum nulla causa apud scriptores inuenitur. Neq; enim omnes voces vel à fine, vel à natura; sed multa etiã à casu & euentis imponũtur; quæ, si historiæ desint, quî, rogo, sciri aut in lucem erui possunt? Deinde tanta est vocũ exterarũ, dum ad Gręcos & Latinos canones cogũtur, corruptela, tanta quoque transscribentium negligentia, vt mirandum sit, si vel aliquas reperiamus, in quibus clara sint natalium vestigia. Matthæas Rex ab aliquibus Etæas dicẽdus videtur: sic Bœrebistas ab aliquibus Byrebistas, à Iornande, si emẽdata est lectio, Boroista vocatur. Deceneus ab interprete Strabonis semel Ceneus, semel Decæneus nominatur, adeò in hac voce & negligens fuit & sui oblitus; tametsi illius errata plura sint, quàm vt sint persequẽda. Nomenclaturę porrò quas ineptissima Iornãdis habet genealogia, indignę sunt omni cognitione, quia de cuiuspiam mythologi & nugiuẽdi somniis & deliriis est deprõpta: quod vt clarè quiuis perspiciat, Ostrogota facit, quã vocẽ propriã viri esse vult, atque eius quidem Regis, à quo Ostrogotis nomẽ suum venerit, cùm tamẽ idẽ Ablauium adducat, qui clarè indicauit eos Gotos qui ad limbũ Ponti habitarent à parte Oriẽtali, Ostrogotos dictos esse; & alios, qui Occidentem versus cõmorarentur, Vesegotos. Sed stirpẽ ab origine enumerantẽ, quam penitus ignorauit, necesse fuit eiusmodi nominibus lacunas farcire. Video sanè lõgè veriùs & meliùs vetustos Græcos in exteris his nominibus versatos, q̃ recentiores; qua culpa, necdũ scio, nisi verũ fortè sit, quod Iornandes ad excusationẽ adfert, Gotos Hũnorũ plurimis nominibus vsos esse: quod rursus quare fecerint, nõ addit: si fecerũt, verisimile est eò factũ, quò Hunnis iam potentioribus hoc modo blandirẽtur. Relicta itaq; exotica hac vocabulorũ colluuie, quæ vel per adulationẽ è peregrina lingua, vel etiam ex linguarũ commistione sunt enata, antiquiora illa, quoad eius fieri potest, nostratia esse doceamus. Boirebist ex Boerebist factũ, vti Vesegoti ex Wesegotis. V autẽ consonãs per Beta Gręcorũ scribitur, adeo vt posteriores figuram ipsius similem pinxerint, u pro β ponẽtes, vt in libris antiquis & quibusdã etiã excusis videmus. Est autẽ Boerebist vocali postrema ꝓducta nõ solũ positione, sed etiã natura, is dicẽdus, qui rusticos & agricolas docet; & iis quę

facienda sint cõmonstrat. Boren enim, siue Boeren, siue Bauren, agrestes vocantur, sic à terra colenda nominati. Wist vocali producta, vt duplicis Iota sonum habeat, idem est quod docet siue monstrat. Non mali certè ominis nomen, quo vel doctor agrestium & præmonstrator vocandus, vel is qui vt talis euadat, optamus. Boirebistæ bene cessit appellatio, qui non solùm ad regnum peruenit, sed talem etiam se præstitit, qualem ipsum nomen profitebatur. Vtinam id facerent omnes Reges & Principes, vt meritò Boirebistæ dici mererentur. Dekeneos autem dictus est quasi caput cognitionis esset, vti reuera fuisse narratur: in qua voce, De articulus est, kennen idem quod nouisse, Hot, caput. Dekenneot igitur & terminatione Græca Dekenneos, is dicendus, qui caput est cognitionis. Mirum est sanè sic nomina & Regi, & Regis præceptori cõuenire, vt meliùs suum vtrique officium exprimi vix posset. Sicut enim Regis est populum docere legibus & bonis institutis: ita eius qui à secretissimis consiliis est, & à rebus diuinis, officium est, non ad populũ, quæ sciat adferre, & ei, quasi Rex esset, viam ad felicitatem præmonstrare; sed Regi ea suggerere, quæ Reip. saluberrima esse cognoscat. Ab hoc enim, tanquam à capite quodá diuino, & oraculorum cõscio, Rex notitiam hauriebat eorum, quibus populum optimè gubernaret: atque ita Dekenneos non citra vaticinium sic fuit nuncupatus, quippe qui talis futurus esset, qualis vocabatur; nisi fortasse non proprium vnius, sed omnium commune hoc vocabulum fuerit, qui hoc summo munere apud Regem fungerentur: quod vt credam, articulus prepositus suadet, ratò propriis præponi consuetus. Certè in Decebalo prima syllaba articulus non est, nisi me opinio mea fallat. Saken vox est Cimbrica, quemadmodum Sagun, & quemadmodum è Sagun fit Segun, ita è Saken fit Seken, non aliter atque è San Sen, qua posteriore voce nunc omnes vtuntur. Dekebalus igitur ad verbum sonat, vallum & firmitatem Dacorum; cùm Was vallum nobis dicatur, quod per Beta, ea quam in Bœrebista dixi ratione, scriptum Latini habent. Was autẽ à nostris ad Latinos, & non contrà, veniisse etymologia conuincit: quæ si melior sit Latinis, quàm nostratibus, liberũ per me esto, vt sibi vocis primitias sumãt; sin apud nos aperta, apud illos nulla: ne nos de nominis possessione deturbẽt, sed satis sit q eos admiserimus ad communionẽ. Dicitur ergo Was, à Wi & Has; quorũ Wi, latè patens significat: Has, vt antè docui, idem est quod conseruo. Illud igitur munimentũ quod latè extensum multos cõseruat, Was dicitur. Hinc saltus & siluæ in quibus se homines & feræ conseruant aduersus incursiones, Wast etiam nominatur. Prætereà

quæuis

quæuis vis maior, qua nõ ſolùm ſeruare ſe quis poteſt, ſed latiùs etiã imperare, Walt vocatur: quòd hominem vndique latè conſeruet ac cuſtodiat. Diſcant igitur nunc Latini rationem nominis in Vallo, quod à Wal ſic fecerunt, vti modò in Veſegotis & Boirebiſto indicaui. Dekebalus igitur eſt Dacorum Vallum, quòd eo homines perinde ac vallo tuti eſſent, omine ille quidem optimo ſic vocatus, ſed euentis minimè reſpondentibus fauſtæ nomenclaturæ; eò quòd cauſa fuerit, vt Dacia in prouinciam redigeretur. Quòd ſi maluiſſet ocio & Romanorũ amicitia vti, & alienis abſtinere; potuiſſet id verè eſſe quod dicebatur, & ſuos longa in pace ſic arcibus & opibus vallare, vt perpetuam contra hoſtes ſeruaturi fuiſſent firmitatem. Hæc igitur ſit Decebali interpretatio, quæ nos docet, Regum potentiam, non ad perniciem aut damna ſubditorum, ſed ad eorum cuſtodiam perinde atque vallum & foſſas pertinere, ſi ſequenda illorum ſententia, qui hoc nomẽ de votis ſuis & fauſtis precationibus indidere. Pudeat igitur illos principes ſui ipſorũ, qui ocio, luxui, & libidini, velut Sardanapali quidam, aut id genus alij, quorum numerus, prô dolor, infinitus, dediti integras prouincias negligunt; & culpa cùm eorum qui in iuſtitia ob ſuum lucrum præuaricantur, tum maximè ſua, qui id otioſe audiũt, penitus ſinunt aut interire, aut grauiſsimis malis diuexari: qualem legimus Gallienum fuiſſe, qui, cùm nunciatum eſſet, Ægyptum deſciuiſſe; dixiſſe fertur: Quid, ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus? Cùm autem vaſtatam Aſiam & elementorum concurſionibus, & Scytharum incurſionibus comperiſſet; Quid, inquit, ſine aphronitis eſſe nõ poſſumus? Perdita Gallia arriſiſſe ac dixiſſe perhibetur: Nõ ſine trabeatis ſagis tuta reſp. eſt? Sic denique de omnibus partibus mundi, cùm eas amitteret, quaſi detrimentis vilium mancipiorum videretur affici, iocabatur; vt Trebellius Pollio his ipſis ferè verbis narrauit. Eiuſmodi principes Decebali nomine indigni eſſent, multo magis quàm ipſe Decebalus; quamuis vtroque vitio, & nimia rerum adminiſtrandarum ſecuritate, negligentiaque, & nimia auaritia, vel contra exteros, vel contra domeſticos ac ſubditos, iuxtà regna collabantur. Neuter igitur aut Gallienus, aut Decebalus Vallum fuit ciuitatis, ac omnium ſubditorum: ſed alter nimio quærendi ſtudio, alter nimium ſupina ſocordia, imperij ſui euerſionem aduocauit. Fecimus & alterius Regis Getarum mentionem, quem Dromichætin Strabo nominauit: qua voce ſignificatur is, qui odio habet ſomniatores. Dromich enim ſomniculoſum vel ſomniatorem notat; Haet verò ſiue Hat vocali longa idem eſt quod odi. Dromichætis igitur eum deſignat, qui in negociis celeritatem

& ſolertiam amat, odit verò ſomnolentiam & tardas conſiliorum expeditiones, qua virtute omnibus ducibus in primis opus eſt, ſiquid magni ſunt cum laude geſturi. Porrò Mathæas, ſi Cimbricè ſiue Geticè exponas, integrã complectitur ſententiam citra compoſitionẽ dicendam, Mat Haet Haſt; id eſt modus odit nimiam feſtinationem: vbi duo Tau propter aſperũ & abſonum concurſum ſunt adempta. Verùm nomen Syrmi, propter alluſionem ad nomen Græcũ corruptũ videtur: atque id fieri potuit duobus modis: altero vt à σύρμος; altero vt à σκίρμος; & illo quidem modo Sturmot eum ſignificaret, qui caput eſſet oppugnationis arcium aut opidorum; hoc verò, qui caput eſſet defenſionis. Quòd ſi tamen obſtinatè Syrmos retinendum quis putet, ab euentu aliquo nomen deducendum, quòd videlicet ægro animo fuerit, cùm infans naſceretur; vel quia Syrmos ægrè ad regnum paternum peruenerit. Videtur enim Syrmos Mathææ filius fuiſſe, ac Triballis etiam imperaſſe, regnum tamen retinuiſſe cum acerba moleſtia, quam Sur moet vocamus. Verùm quæ ab euentis aut caſu imponuntur, ſtolidum ſit perſequi, niſi qua hiſtoria iter præmonſtret, vt hîc aliquo modo de clade Mathææ, & Syrmi ſucceſsione in Triballorum & Getarum regno coniectare quis poſſet. Triballi item noſtratem præferunt nomenclaturam; ſic dicti, ni fallor, quòd ſe fidum rerum ſuarum vallum eſſe profiterentur. Ageſilaus ille clariſsimus Lacedæmoniorum Imperator interrogatus, quare Sparta mœnibus careret, oſtenſis armatis ciuibus, hi, inquit, ſunt muri Lacedæmoniorum. Alij hoc ipſum interroganti reſpondit, non lapidibus & lignis, ſed inhabitantium virtute vrbes munitas eſſe oportere. Rectè itaque Triballi nomen ſibi ſumpſerunt, quo perpetuò monerentur, non muris & vallis, ſed ſuis ipſorum viribus & fortitudini fidendum eſſe: atque ita vbicunque locorum conſtitiſſent, vallum ſe fidum habere. Tru enim fidum ſignificat, eorum dialecto, qui Tross leniùs pronunciant, vti Anglis eſt in vſu. Per Ypſilon igitur Græcis ſcribendum fuiſſet: quod & feciſſent, ſi nominis rationem perſpectam habuiſſent. Sin Iota quis retinere velit, illi pro fido vallo, triplex erit accipiendum: quod nec ego improbandum puto, cùm quæ triplicia ſunt, ea fidiſsima firmiſsimaque cenſeantur. Hac via Triballi nomine ſuo profeſsi fuiſſent, ſe ſingulos triplicis valli loco in acie ſtare; eò quòd Trissallen, tria valla ad verbum ſignet. Extitit Ptolemæi adhuc tempore Nuiodunum opidum, non procul ab Odeſſo Iſtro finitimum; quod nomine ſuo clariſsimè demonſtrat, Getis & Gallis eundem ſermonem fuiſſe, cùm eiuſdem omnino nominis in Belgica

opidum

opidum hactenus extet, ac Lugdunum & Sedunum, & eiusdem terminationis alia, facilè ostendant eandem originem. Nec longè à Triballis sursum ascendendum, quò & Gallica vrbium nomina inueniantur, quoniam non longè superiùs Scordisci habitarint, quorum Strabo duo opida commemorat, Heortam & Capedunum: quorum illud ab alta cuspide, siue terræ angulo nomen habet, hoc à monte cæso. Sed infrugiferum sit & tædiosum his immorari; nec tam multa à me dicerentur, nisi scirem omnia illa quæ de prima lingua, & Thracia, & Getica dico, paradoxa ferè omnibus videri; cùm tamen ex ea Thraciam Orphei disciplinam sim explicaturus. Strabo Mesembriam Megarensium facit coloniam, & tamen addit Bria vocem Thraciam esse, qua ciuitas significetur: quo fit, vt fides eius suspecta hoc loco sit, nisi velit Megarenses non primos vrbis conditores fuisse, sed pòst colonos in Thraciam ciuitatem induxisse: alioquin enim suum potiùs quàm externum ac Barbarum nomen vrbi indidissent. Ait porrò Menam prima fundamenta iecisse, ac inde Menebriam, id est, Menopolim vocatam, & pòst corruptè Mesembriam. Permitto quidem Straboni Briam ciuitatem dici Thracio sermone, sed non fit verisimile ex Menebria Mesembriam euasisse. Magis eum laudassem, si dixisset, Mysos, quos Latini Mœsos vocant, & rectiùs, ni fallor, ex Asia huc appulsos opidum condidisse, ac de suo nomine Mœsembriam vocasse. Bria factum est ex Vriat siue Vriet, quo nobis non quæuis ciuitas, sed illa significatur quæ non est mœnibus inclusa. Dicitur autem Vriet, quòd libera sit à foro vrbis maioris muris cinctæ. Eiusmodi enim pagi forum vtrumque liberum habent, & iudiciarium & venalitium. Verùm Etat vrbs est integrè constituta, legibus suis vtens, & muris ab hostium incursu tuta. Burg autem arcem notat, cuius finis est in defensione constitutus. Tria enim hæc vocabula opidorum habemus, præter quæ & aliud est Dorp, quo vicus notatur, quasi diceretur Dor hop, id est, rara hominum turba; siue rara, & non spissis aut continentibus domiciliis habitans multitudo. Verum itaque est, vt Strabo dixit, Briat ciuitatem notare, non quamuis illam tamen, sed quæ mœnibus non esset inclusa: tametsi negare nolim hanc vocem olim fortasse Thracibus pro quauis libera ciuitate fuisse vsurpatam, cùm Vriat aliud non sit, quàm multitudo libera. Est priscis Hispanis hæc item vox vsitata in eodem significatu, nisi quòd Briga pro Bria dixisse videantur. Nostrates aliquando sic pronunciant, vt Gamma audiisse videamur. Est enim vox concisa vel à Vriegher,

vel à

vel à Dritzet, in quibus postremam syllabam per A plerique enunciant, inter quos Flandros habemus : quod eò addo, vt molestissimis etiam vitilitigatoribus in singulis obgãniendi occasio tollatur. Videmus itaque quis fuerit Thracum & Getarum sermo,qui ciuitatem eadem,qua nos,voce nuncuparunt : quod Stephanus quoque annotauit ; qui vt in hoc cum Strabone consentit, ita in eo discordat,quòd Melsum non Menam primum faciat conditorẽ,dicens, Melsembriam , deinde euphoniæ gratia Mesembriam vocatam : de qua cõtrouersia, opinio mea de Mœsorum ciuitate verisimilior euadit. Est & Odessos in eodem litore Septentrioni propinquior, quæ altum promontorium in Pontum, perinde atque Ancona in Adriaticum sinum protendit : qua de causa Apollodorus magnum montem Odessum est interpretatus. Nostris Hodesses ad verbum Caput maris designat, ita vt huic promontorio & opido non malè nomen hoc videatur attributum : quod volui indicare ; ne quis Apollodorum hoc loco erroris accusaret, aut à Stephano dissensisse arbitraretur,quod tamen ipse Stephanus videtur credidisse. Fuit sanè nobis non obiter transeundum,eundem Thracum & Gotorum sermonem fuisse,quò pòst dicendis maior fides haberetur:quibus ostendam,nõ pauca per Græciam linguæ nostræ extare monumenta: quod mirum non est,si quę Strabo scribit,vera sunt,Thraces olim Atticam tenuisse;& Phryges, quorum eadem cum Thracibus lingua fuit, priùs Peloponessum , quàm Græcos habitasse. Video tamen homines esse, egregiè sibi de antiquitatum cognitione placentes, qui his veritatis riuis, quibus ad fontem ducimur, non bene animaduersis, non minùs indoctè quàm arroganter præiudicarunt, longè aliam Goticam linguam fuisse, quàm nos de vetustis scriptoribus docere molimur. Poterat horum sententia ad illa reiici, quæ de linguæ nostræ artificio peculiari opusculo trademus : sed ne tantisper suspensus lector hæreat, breuiter , quæ huc facere videntur , hoc loco indicabuntur. Sunt qui eum sermonem, quo in Suetia & Gotlandia hactenus vtũtur,germanam veterum Gotorum locutionem esse, arbitrentur: quibus minimè accedendum;quando ea,quibus nituntur,principia falsa esse,de idoneis auctoribus,& solida ratione demonstraui. Neque enim vel in Insula,vel in Peninsula priùs Goti, quàm ad Tanaim & in Sarmatia Europæa habitarunt:immo,ne hæc quidem loca priùs in Europa occuparũt, quàm multò antè in Asia in maximam gentẽ excreuissent. A Dacis igitur, quos Græci communi nomine Getas vocant, vera Gotorum loquela fuerat iis addiscẽda, qui in hac quęstione quicquam veri perquisitigare voluerunt. Degenerant paulatim

linguæ

linguæ hominum vitio; idque maximè iis accidit, qui rerum externarum maiore, quàm domesticarum studio & admiratione ducuntur. Præter igitur ceteras labes, quas mare accolis adferre solet, est & illa, quæ linguam peregrinis vocibus, & phrasibus contaminat: qui morbus, si accolis, à Strabone, & iis, quos est secutus, adscribitur; quanto magis illis erit popularis, qui maria nauibus tentant, & ad diuersas nationes mercatus gratia distrahuntur. Insulani igitur & Peninsulani maximè huic malo obnoxij videntur, eò quòd nauigationibus plurimum ferè cogantur vti, & ad ea importanda, quorum domi inopia laborant, & alia euehenda, quibus abundant. Sic Suedani aliunde salem petũt; & aliò plumbum, & alias quoque quamplurimas merces amandant. Atque hæc sit vna linguæ corrumpenpæ causa: præter quam, alia quoque accedit Suedanis ex eo deriuata, quòd cum Sclauonis, & Moschis, & aliarum quoque linguarum hominibus, in quibus Lappones vicini sunt, plurimum habeant commerciorum. Præterea & Windi à Saxsonibus & aliis Germanis expulsi, in illas oras videntur non paucos suorum exportasse, qui vnà secum linguæ corruptelam, vti fieri solet, intulerunt. A mediterraneis igitur, & illis qui à commerciis exterarum nationum quàm longissimè absunt, sermonis cuique genti vernaculi sinceritas petenda. Quocirca puriùs Westrogotos & Dacos, quàm Getas maritimos locutos olim fuisse existimo, atque idcirco hactenus in Dacia sermonis illam sinceritatem extare, quam tertia Transsiluanorum pars necdum vel reliquit, vel crebris bellorum tumultibus amisit. Dum de vocum Cimbricarum artificiosa fabrica tractabo, ostendam tanto vnamquamque linguam esse puriorem, quanto propiùs ad primæ linguæ radices accedit: quo fit, vt inferior longè Gotorũ ad Suedaniam sit sermo, quàm Dacorum; atque eodem argumento, nõ prior, sed multo posterior generatione: sed de hoc illic latiùs. Vera autem hæc mea esse, Lazius lubenter de suo Gotico libro concedet, quem vtinam integrum haberem: sed quamuis id nunc frustra optem, tantum tamẽ mihi, ex iis, quæ omnibus communicauit, sumam; quantum ad id quod volo satis sit docendum: in quo ne odiosus sim, tres aut quatuor versiculos duntaxat examinabo, inter quos hic sit vnus: *Er was yar aiy chuonar man*. In quo omnia Saxsonicæ linguæ respondent, perinde atque in ceteris, quos Lazius adscripsit. Iterum:

Sie wolden preyz erbornen in des storms not,
Sie westen nicht der mare das in so nahend der tod.

Mox inde:

Sie trugen swerd die scarpfen die Sil chonan man.

Sar zu Voz iren handen die siechten schild gar prayt
Irn schilde die waren neusse vnd prayt,
Vnd vil schone ire helben daz houevayt.

In quibus omnia rursus eiusdē linguæ, nisi quòd Helben pro Helmen, positū est, vti in Verbormen, Mi pro Beta etiam successit: atque hæc tota est diuersitas, quāuis in singulari numero Helm, æquè illis atq; nobis dicatur. Sed quia hæc apud ipsum Lazium cognoscere licet, nō est operæpreciū plures versus in mediū proferre: satis est huius testificatione cōstare, longè aliam priscam Gotorū linguā esse, quàm eam, qua Goti in Scandia hodie vtūtur. Penes tamē Lazium fides sit, hanc sinceram Gotorū fuisse: mihi nō vlteriùs pura iudicatur, quàm quoad cū Dacica consentit: quamuis non ignorē, non solùm in variis regionibus, sed etiam in singulis ciuitatibus magnū esse, in eodē linguę genere pronūtiationis scripturæq; discrimen, & Poetis etiā licere, varias loquendi formulas consarcinare, non minùs quàm Homero, Doricôs, Ionicôs, Atticôs, Æolicôs, & si quo alio modo vellet loqui, Musa permisit. Quò verò magis appareat eorū vanitas, qui aliam priscam linguā Goticam, quàm Germanicam inferioré siue Cimbricam somniarunt, adducēdæ mihi sunt duæ linguę, plurimùm inter se differentes: quarū vtraq; suos habet patronos, ad Gotissimi antiquitatem sibi vindicandam. Inter has prior est Suedanica, quæ eadē est cum ea, qua in peninsula illa huius tēporis Goti loquuntur; in qua Munsterus orationem Dominicam legēdam dedit, quam & ipse adscribam: Vfader war sow er i himlum, Heilighat warde dit namey, til kome tit rike. Sckey diy willige, sow i himlum so opo iordene. War taglig brodh gif os i tag. Verlath os warey sculdey, sow wi verlatey ware schuldiger. Och iy ledh os icke i frestilse. Vtay los os i froonda. Amey. Hîc radices Cimbricas licet videre, sed miserè & distortè pullulantes. Vfader integrū est. War pro Vnsar, siue aunsar, siue onser, siue ons, irrepsit, quod Angli *our* dicunt; vt hinc detur intelligi, apud Britannos antiquos, & Suedanos & Danos, magnā fuisse sermonis viciniam: quò minùs mirum est, Æstyas Tacito, qui tū Danicè loquebantur, Britannis esse comparatos. Sow illis relationem notat, nobis idem est quod, aliquid vel aliqui. Er, Anglis *Art* dicitur, similitudine sermonis vetusta adhuc manente; nec vox illa à sermone nostro ita est aliena, quin intelligatur. I pro In. Himlum pro hemeley, siue himmeley, nostrati voce ponitur. Heiligat pro heiliget, siue Geheiliget, vocali secunda in primā, more Flandrico, mutata. Warde æquè nostrū est atque illorū: pro quo & werde & worde dicimus. Dit, nos din. Namen, nos nam vel name. Til, nos To-

Komen,

Komen, nos Kome. Tit, nos din dicimus. Eike, non minùs nostris, quàm Suedanis vsitatum. Secken, nos diceremus Scie, vel Sescie cum augmẽto. Sin wissige, nobis esset, din wis, vel wisse. Sony, pro sicut, nobis in vsu non est, vti dixi. J himsuny, modò exposui. So opo iordene, nobis sonaret, So opt arde. Wax iam examinatũ. Tagstig integrum est; quamuis nos medio sono dagstig dicamus, pro quotidiano. Zrodh solo illo differt, quòd citra rationẽ aspirationem habeat post mediam litteram, eius minimè capacem. Sif, factum è nostro Sef. Os, pro ons dictum. J tag, nos huitag efferremus. Werfath idem nobis signat, quod & Aflaet maioribus dictum, nunc ferè Vergeuen venit in vsum. Os rursus pro ons; Angli *vs* dicunt, tanto propiùs accedentes. Waren, Anglis *oore*, nobis Vnse, siue onse. Schuld Cimbris & Alemannis eodem modo pronunciatur. Sony wi Verlateny, nos, so wi Verlaten. Ware scudiger, pro onsen scudigen, vel scudenaren. Och in sedh os icke i frestisse, nobis dicere liceret, Och ey seid ons in geen ifringe. Vtan, pro sed, quasi diceres, extra hoc vlterius. Doss, idem nos sos. Os, ons. J froonda, cõpositum à fro, quod lętum notat; & Hoy, quod idem est quod fraudo: ita vt froonda illud dici mihi videatur, quod nobis lętitiam aufert, quod quid aliud est, quàm omne genus mali? Quod enim malũ vocamus, ea ratione tantùm malum est; quia lætitiam & gaudium, & eam, quæ naturę conueniens est, voluptatem tollit, & idcirco defraudare nos dicitur, quippe quæ illud aufert, quod Dei fauore nobis debebatur. Nulli igitur potiùs hæc vox tribuetur, quàm ipsi Draconi, qui nos & olim & quotidie per fraudem suam beatæ vitæ voluptate priuare contendit. Nunc igitur ad alterã linguã, quæ Gotica doctissimi cuiusque apud Colonienses iudicio habetur, veniamus: & eandẽ orationem Dominicam ea descriptam, in antiquissimo codice monasterij Werdeni, in regione Bergensi, quatuor paulo plus minus à Colonia milliaribus distantis, examinemus: quam reuerẽdus & eruditissimus vir Maximilianus Morillonus, de Antonij fratris sui, piæ memoriæ, schedis mihi benignè communicauit, tum ob suam in omnes litterarum studiosos singularem beneuolentiam; tum ob eam, quam arctissimam & diuturnam cum fratre adhuc viuo habui, consuetudinem; cuius eximiam in antiquitatum inuestigatione diligentiam & absolutam eruditionem malim cognosci, vel de ipsius scriptis, quæ apud Maximilianum delitescunt; vel de Pighij testificatione, qui apud Cardinalem Granuellanum omnis scientiæ & artis inexhaustum promptuarium, in eodem studiorum genere doctissimus doctissimo successit. Est igitur hæc:

Atta vnsar thu in himmina, wihnai namo thein, vimai thiudinassus theins. Werthe wilga theins, sue in himmina gah ana arte. Ti laef vnsarana thana senteinan gik vnss himmadaga. Gah aflet vns thatei sculanssigaima sua sue gah weis afletam thaim skulam vnsarem, gah ni brigges vns in fraestub. Ak lausei vns af thamma vblin, vnte thein ist thindangardi, gah mach, gah wulthus, in aenins. Amen. Facile hîc est mox in ipso limine videre, non Geticam hanc, sed peregrinorum esse, qui in Getiam ex aliis regionibus commigrarunt. Scio & ipso Augusti tempore in locis Seythiæ maritimis, commistam quandam confusamque linguam fuisse, quod ex his Ouidij versiculis accepi:

Mœsia vocis habet quid barbara lingua Latinæ,
Græcaque cum Getico mixta loquela sono est.

Idem lib. tertio de Tristibus:

Hic quoque sunt vrbes Graiæ, (quis credere posset?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ
Huc quoque Mileto missi venére coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.

Credo itaque hanc linguam, qua oratio hæc scripta est, ex eiusmodi Græcis colonis extitisse; præsertim quòd in ea μισθὸν pro mercede inueniam, & oratio à voce Græcis vsitata exordium sumat: præterea quòd articulos habeat, thana, thatei, thaim, thamma; qui omnes à τὰ Græcorum variis modis in vsum videntur venisse. Quòd verò & Latinas voces habeat, vt Ouidius cecinit, vimai pro veniat, videtur subindicare. Et quòd paucula sint, quæ Græciam redoleant, non est admirandum; cùm coloni ferè eius regionis loquelam addiscant, ad quam transierunt: quod videmus in Gotis & Francis quoque accidisse, qui ex Latino sermones eos malè loquendo fecerunt, quibus Itali, Hispani & Galli hoc tempore vtũtur. Vti igitur lingua Italica cum prisca, & germana Latinitate cõuenit; ita hæc quoque cũ Getica sincera concordat. Et quemadmodũ Hispanica, Italica, Gallica & Romana apud Leodios & Brabantos diuersæ linguę sunt, & ab vna Latina omnes enatæ; ita multas quoq; credo loquelas è corrupto Getico sermone extitisse; nec magis hæ Geticæ, quàm illæ Latinæ sunt nominãdæ. Expẽdamus igitur, quatenus cõueniat hæc Dominica oratio cum Cimbrica, è qua Getica, & Saxsonica, & ceteræ Germanicæ omnes descenderunt. Atta Græcorũ Poëtis frequens, ceteris, quantum equidem scio, ignotũ. Eustathius vocẽ dicit, qua honoris causa minor ad maiorem vtitur, nec eius vllam inueniri aut originẽ aut interpretationẽ. Didymus ab Appa Macedonũ vocabulo deriuat.

Hinc

Hinc Callimachus fortasse, quo Macedonibus in Ægypto regibus adularetur, Appa dixit, non Atta, vt quidam corrigere voluerunt. Versus eius dignissimi sunt, vt adscribantur; eò quòd iis vocis vsum clarissimè expresserit, dum Dianam paruulam adhuc puellam, patri suo loquentem inducit:

Ἄρχομεν, ὡς ὅτε πατρὸς ἐφεζομένη γονάτεσσι
Παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προσέειπε γονῆα
Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Id est, vt nos ex tempore effundebamus:

Exordimur, vt in genibus composta paternis,
Paruula adhuc verbis his est blandita parenti:
Da mihi virgineum vt seruem decus Appa perenne.

Optimè Cyrenæus & oportunissimè hac voce vsus est, simul & proprium eius vsum explicans, dum paruula in genibus patris sedens, blando sermone patrem rogat; & Ptolemæo Euergetæ quodam vernaculo Macedonum blandimento tacitè se insinuans. Credi tamē potest, & Ægyptios Abba nō minùs quàm Syros in eodē significatu dixisse; atque idcirco Appa potiùs quàm Atta Callimachum dixisse, quò & proximè Ægyptiam vocem imitaretur, & patriis Macedonum blanditiis alluderet. Alij Thessalicum esse dicunt. Scholiastes Homeri anonymus proprium eius vsum esse dicit, dū quis nutritium suum blandiùs alloquitur. Sic Achilles ad Phœnicem:

Φοίνιξ ἄττα γεραιὲ, διότρεφες, οὔτι με ταύτης
Χρεὼ τιμῆς.

Eodem modo Telemachus hac voce vtitur, alloquens Eumæum:

Εσσε) οὕτως ἄττα σέθεν ἕνεκ' ἐνθάδ' ἱκάνω.

Sic Pisthetærus apud Aristophanem Prometheum interrogans, quando Iupiter periisset, Atta dixit:

Πρ. Απόλωλεν ὁ Ζεὺς. Πεισθ. πηνίκ' ἄττ' ἀπώλετο.

quo loco interpres Aristophanem reprehendit, quòd neque Atticè, neque priscè, neque accuratè voce hac Atta vsus sit: ipse reprehensione dignior, qui vim eius non intellexerit; qua elegantissimè Prometheum hominum nutritium & educatorem; atque adeò primum humani luti figulum, & ignis datorem honorauit. Cùm ergo Græci originis ignari sint, verisimile fit, è prima lingua vocem petitam; in qua vox illa, qua infantes patrem appellant, homines sic videntur intellexisse, quasi Atta dicerent; alij verò quasi Tata sonarent; nos Teita ferè audimus; propterea quòd pueri hoc vel illo modo primùm sonare visi, posteà à matribus & nutricibus doceantur, hoc

modo patrem vocare. Videntur autẽ, cùm iam balbutire incipiunt, patres rogare vt cibum dent; quasi nunc lallationis pertæsi; quemadmodum Hebræi in Ægypto primùm dicuntur petiuisse. Est nobis Eten pro cibo commune, & At pro vtinam comederem: vnde Atta profluxit, sicut Teita à Teten, quod significat ad comedendum; quasi infantes dicerent, Date ad comedendum; sic vbi semel balbutiuerint patre præsente, nutrices eam patris propriam apud infantes appellationem esse arbitratæ, docent deinde, vt ea semper patrem nominent, in ea re sapientiores, quàm ipsæmet sciant. Patres enim infantes rogant, vt sibi alimenta & necessarium victum parent, matre iam & nutrice officio suo perfuncta, quod ipse Deus per oraculonũ videtur monere. Apud Syros Abba pro eodẽ dicũt, & apud Ægyptios Papa, vti apud alias etiam quasdam gentes. Nobis tritum est, dũ seniores alloquimur, patres eos vocare, quòd eo nomine nihil sit amabilius. Quamuis ergo apud vetustissimos Græcos huius Atta vsus sit; verisimile tamen est à Cimmeriis hanc vocem emanasse, cùm hactenus apud eos, qui purè Cimbrum sermonem sonant, At vel Aet pro Atta dicant infantes; cui si articulus præponatur te Aet, & compositè Taet, siue pronunciatione vocalis exili, Tat euadit. Sed quid ego hîc curiosiùs laboro, ad docendum Germanicam siue Teutonicam hanc vocem esse, cùm per totam ferè Germaniam ad ipsam vsque Hungariam, pueri patrem Atte nominent: quod vt Lazius quoque testificatione sua confirmat; ita præposteró iudicio à Græcis ad Germanos hanc vocẽ venisse arbitratur. Explicabo igitur veram eius rationem de Cimbrico & vernaculo nostro sermone, additurus, nullam eius apud Græcos, vel etymologiam, vel expositionem inueniri, ne quis ampliùs suauissimam hanc appellationem peregrinitatis accuset. Quid Ægyptiorum de Becco, à pueris primùm postulato, fabula significet, alibi ostendi: hoc loco ex natura causam Atta euocabo. Videntur itaque infantes Alpha primum sonare, & cùm mox inde os claudunt, Tau addere, atque ita At exili sono formare: quod primi sic intellexerũt, quasi optarẽt cibũ, cùm At ic idem sit, ô si comederem ego. quod pronomen addo, vt vel stupidissimo nostratium perspicuum sit, At esse optantis cibum, non liquorem vel ad sugendum vel bibendum. Atque hæc quidem mea est de Atta sententia. Hanc vocem Eustathius dicit ἀπαράγωγον ἀκίνητον καὶ πρωτόθετον, id est, à nullo deductam, immobilẽ & primogeniam, & ab antiquis vocatam ἀμετάληπτον ἤγουν ἀνερμήνευτον, id est, incomprehensæ significationis, vtpotè, cuius nulla sit interpretatio. Quid ad hanc Græcorum assertionem illi dicent, qui eam apud Græcos natam arbitrátur? Longè aliter Plato iudicaret, qui voces apud Græcos

vſitatas, quarũ etymon nullũ poteſt apud eos inueniri, ad Barbaros relegat. Cùm igitur nullã vocẽ aliam tam ab interpretatione Græca abhorrentẽ, Grammatici ſe reperiſſe fateãtur; quæ eſt impudẽtia ipſis inuitis originẽ eius aſſignare? Inſana eſt hæc ambitio, vel Græcis vel Latinis potiùs, quàm maioribus noſtris ſermonis vernaculi elegantiã acceptã ferre, quaſi mendicitas & ſermonis egeſtas in pulcris haberetur. Vnde verò Abba Appa, & cõuerſim Baba & Papa dicatur, nõ memini me legiſſe: coniecto tamen, ſimili quadam ratione qua Atta, in vſum veniſſe. Pueri enim dũ edere cupiunt, idque prima voce ſignificant, vnà aperiunt, qualem cibũ petant. Pap enim noſtratibus pultem ſignificat, ſaluberrimum infantibus alimentum, latitudine ſua multa genera comprehendens, in quibus *Panatella* Italis dicta, id eſt, pulticula, è macerato pane conſtans, ſimpliciſsima eſt, & concoctu facillima. Sicut ergo At eſt optantis cibum, ita Pap eſt eius, qui pulticulam ſibi dari poſtulat. Vtrumque ſanè vocabulũ à pueris auditur, priùs multo quàm à quopiam ſint edocti: atque inde naturalem habet, non voluntariam originem, cùm vbique gentium ex ore infantium audiatur. Omnibus enim animalibus, quibus vox eſt, proprium quendam ſonum ineſſe ſcimus, quo alimentum poſtuletur, quæ tamen nec patrem nec matrem diſtinguat. Eodem modo homini quoque à natura vox quædam data eſt, qua alimentum petat: quam primæ linguæ homines intelligentes, non ad patrem nec ad matrem ſignificandam edi, vocabula ſibi inde fecerunt, quibus cibus & pulticula diceretur. Pap itaque pultem vocarunt, quia videbant nimirum ita naturæ placere, cuius par erat, vt eſſent imitatores. Verùm quia patrum eſt officium, pueris ablactatis alimenta labore ſuo comparare; priſco primorum hominum vſu receptum eſt, vt patres ita compellare, infantes docerentur; quaſi dicerent, Tuum eſt, vt nos deinde alas, atque neceſſariis ad vitam rebus tantiſper ſuſtentes, dum ipſi nobis poterimus prouidere. Papa itaque & pultis eſt nomenclatura & eius, cuius eſt pultem ſuppeditare, eodem modo, quo Atta nihil aliud eſt, quàm, Vtinam comederem; quæ vox tamen ad patrem inuocandum propterea tranſit, quòd eius ſit alimenta ſubminiſtrare. Quamobrem dum quempiam Papam vocamus, nihil aliud ſignificamus, quàm eum patrem eſſe, qui pulmentum nobis dare & poſſit & debeat; qua voce Hieronymus Auguſtinum ſalutauit. Propriè igitur iis hoc nomen dandum, à quibus cæleſte animorum pabulum poſtulamus; quales cùm ſummos Pontifices eſſe deceat, & deceat quidem præ ceteris mortalibus maximè, non mirum eſt, in iis appellationẽ hanc vſurpari, quam quoties vel audit

vel

vel legit, toties officij ſui & paſcendi muneris admonetur. Syri, Hebræi, & Chaldæi, more ſuo vocem hanc contrario ordine, à dextris ad ſiniſtra legentes, ex Papa Abba fecerũt, mutatis tenuibus in medias, cùm Macedones in Appa tenues conſonantes ſeruarint. Erat quidem recta vertendæ vocis ratio, ſi ex Papa Apap factum fuiſſet; ſed lenior ſonus fuit in Appa & Abba. Hinc apud Scythas Iupiter Papæus eſt dictus, ſi Herodoto credimus, voce ex Papa ad Græcam formulam detorta. Et bene profectò, quòd is & pater ſit, & omnibus animantibus cibum donet, peculiari tamen hominem pane paſcens, quem è cælo animis noſtris per ſpiritum ſuum largitur. Noſtrates antiqua cõſuetudine omnes ſacerdotes Papas vocant, qua appellatione nihil poteſt eſſe vel vetuſtius, vel venerabilius, vel denique ſacerdotum officium propiùs exponens; cùm eo moneantur, gregi, cui præſunt, verbi diuini alimentum perpetuò dandum eſſe. Verùm vt muneris ſui non pauci in hoc ordine ſunt obliti, ita ignominia ſe affici putant, ſi ſic compellentur, quaſi conuicium, non venerabile in primis nomen audirent. Poteram hoc loco plura hactenus ignota explicare, niſi veritus fuiſſem, non lallationis modò multos, ſed pappationis etiam pertæſum iri, ſi his diutiùs Lectorem occupaſſem. Atta ergo & Papa, ſiue pappa, voces ſunt à primæ linguæ hominibus ad naturæ imitationem factæ, non id tantùm notantes, quod infantes petunt, ſed eum etiam, à quo id ſibi dari deſiderant. Magna itaque ratio, ob quam patrem cæleſtem Atta vocari audiamus; cò quòd ab eo cibus nõ corporis modò omnis, ſed animi etiam ſit petendus; & ſemper nobis optandum, vt ſolido ipſius nutrimento alamur ad vitam nunquam perituram. Illo itaque nomine eum inuocemus, quo id innuamus, quod in primis & maximè ab eo rogandũ, vt nimirum nos paſcat pane ſuo de cælo deſcendente. Cùm igitur dicitur Atta Gnſar thu in himmina, id eſt, Atta noſter tu in cælis, appoſitione emphatica, ſignificatur quodnam alimentũ ab eo potiſſimùm dari optemus; illud videlicet quod è cælis deſcendit, & vitam nobis cæleſtem & æternam largitur. Præterea quia hæc vox prima ad patres ab infantibus balbutientibus emitti videatur, oſtendimus nos, veluti pueros balbutientes, ad patrem cæleſtem accedere: quod ipſum vt faceremus, tum oſtendit, dum Apoſtolis ſuis dixit, niſi tales fierent quales pueri, non habituros partem ſuam in regno cælorum. Magnam ſanè efficaciam hæc vocula orationi adiecit, & vix integro volumine pro rei dignitate & magnitudine explicandam: quamobrem hoc enarrationis munere Theologis relicto, quorum mentes verbum Dei & Spiritus ſanctus largiùs benigniuſque alimento ſuo

cæleſti

cæleſti refecit & roborauit, noſtra tractare pergamus. Atta igitur in prima lingua ſuam habet ſignificationem, quam neſcio an Getę maritimi ad litora Ponti habitantes à maioribus acceptam ſeruarint, an rurſus in vſum vocarint admonitu Græcorum. Mihi ſanè fit veriſimile, apud Getas Athanatizontas hanc vocem ſemper manſiſſe in illo vſu, vt patrem cuius eſt filiis cibaria dare, ea compellarent, aut ſaltem eum, qui nutrimenta ſubminiſtraſſet, atque hinc à ſacerdotibus Gebeeleizeos, ſiue Zamolxeos ad Dei inuocationem fuiſſe accommodatam, quoniam is nutrimẽta daret ad vitam perpetuò ſuſtinendam. Quamuis igitur prima facie à Grę cis ad Getas vox hęc veniſſe videatur, dum tamẽ altiùs veritatis latebras diſcutimus, à Cimbris ad Getas & Græcos blandũ hoc & reuerentiæ plenũ vocabulũ deſcendiſſe cõperimus. Abſurdũ enim ſit alibi fontem eius collocare, quàm illic, vnde vera ſignificationis ratio & ſcaturit & deriuatur; cuius Græci apud ſe cùm nullam inueniant interpretationem, nobis de poſſeſſione cedant, ſatis abũde habituri, ſi vſu quoque nobiſcum vocis fruantur. Vnſar porrò noſtras eſt & incorruptum. Dicimus enim Vnſe vel Vnſe, & Vnſer vel Vnſar. Thu etiam, vel Du: vnde Latini tu ſeruãt. Iy apud nos item, nec aliter apud Latinos. Himmina ſic ſcriptũ inueni, vt dubium eſſet an Hinnina an Himmina legẽdum eſſet. Vox ſanè corrupta eſt ab Himmel: & hæc rurſus quæ eſt Alemannorũ ab Hemel voce noſtrati, quæ eſt genuina primæ linguæ, cælum ſignificans. Qua verò de cauſa hanc potiùs genuinam & germanã eſſe velim, dicã. Qua in vocũ forma vera ſignificationis ratio inuenitur, eã genuinã eſſe cenſeo: & contrà, in qua forma non inuenitur, eam corruptam adulteramque iudico. At in Himmel non inuenitur perinde atque in Hemel, & multo minùs in Himmina vel Hinnina. Eſt igitur Hemel primę genuinęque formæ. Dicitur autẽ Hemel mirabili cõpoſitione, ita vt vel ſimplici Mi, vel duplici, legi poſſit. Noſtrates enim in compoſitione geminatã litteram in ſimplici intelligere ſolent, vt in plurimis cõpoſitis annotaui. Principio igitur Hemel, vel ab Heet fit, ſignificãte caloré, vel ab Heed ſignificante caput, quomodo Angli ferè pronunciant; quamuis Head ſcribant, non ſatis bene, mea quidem ſententia, ad pronunciationem. Ambiuariti Huet dicunt, alij Hot. Optimam verò formam iudico, Heet; quod nomen à calore & ab imperio datur. Capitis enim eſt, ceteris membris imperare, atque id facere caloris præſtantiſsimi inſtrumento, qui in ſpiritu animali conſtitutus, veluti in ſuo vehiculo tanta celeritate per neruos ad totum corpus & ſingula membra differtur, vt ſola cogitatione, digiti tũ manuum, tum pedum extremi corporis artus, pro voluntate capitis

diuersos motus exsequãtur. Celeritas hæc certè tãta est, vt nulli queat cõparari rei sub visum cadenti, ne ipsi quidẽ cælorum velocitati. Hîc igitur calor, quamuis ad tactũ minor sit propter immẽsam subtilitatẽ quàm cordis calor; per excellentiam tamen simpliciter calor vocãdus est; ita à capite in mẽbra, veluti lumẽ & calor cęlestis in hęc inferiora incõparabili celeritate descendens: qui si vel minimo momenti articulo subtrahatur, meatibus crasso aliquo humore obstructis, ilico homines cadũt, veluti siderati vel fulmine tacti. Excellentissimus igitur calor est, & talis, vt ad eũ calor naturalis & calor vitalis perinde atq; ad perfectionis suæ finẽ referãtur. Quanto igitur finis iis, quæ ad finẽ sunt, præstãtior, tanto calor animalis caloribus in corpore ceteris est præferendus; atque idcirco dignus, qui calor per excellentiã vocetur. Sed hæc non sunt huius loci, necessaria tamen ad artificium vocis intelligendũ; quando adhæc fabricator eius respexisse cõperitur. Caput igitur Heet optimè vocaretur, tum ab hoc calore, tum ab imperio. Nam Heet idem est quod iubeo & impero, dum vt verbũ vsurpatur; propterea quòd omne imperium ad actionẽ spectet, actio autem motionem necessarium comitem trahat, motio verò calori maximè debeatur. Nunc igitur ad Heemet siue Hemet eadem pronunciatione. Tau in compositione auferri, sæpius dictum. Heetmet igitur cælum dicitur, & quia caput nobis aperit & reuelat, & quia omnẽ motione sua in apertũ producat calorẽ. Caput reuelat eo modo, quo D. Paulus dixit. Nihil enim est quod magis ostendat Dei potentiã infinitam, & sempiternam eius constantiam & immutabilitatem, & incomparabilem eius ordinem & pulcritudinem, quàm cælum quod ordinatissima tot siderum pulcerrimorũ volutionis perennitate Deum oculis etiam corporeis reuelat. Calorem etiam nobis aperit & recludit, non suum tantùm, sed illius etiam, qui spiritus sui calore mortalium pectora inflammat, & sursum rapit ad suauissimam suiipsius cõtemplationẽ, in qua summũ consistit bonorũ. Dona enim spiritus igneis linguis & flammulis comparantur: nec quicquam est in rerũ natura, cuius symbolo meliùs & significantiùs queant indicari, quàm calore & ardore, quo piorum pectora exæstuant. Hunc igitur cùm cælorum orbes ostendant & excitent, ingenti pulcerrimorũ siderũ admiratione; meritò Hemet pro cælo primus nominũ auctor dixit. Met enim idem est quod reuelo: cuius contrariũ Hey, idem est quod cælo & tego. Hinc Helem est galea, quia caput celet & tegat: quod cùm Itali à Gotis didicissent, Helem interpretati sunt corrupta sua lingua, Celada: sicuti Heft pro castris verterunt campum: ita vt dum verba exprimere vel nollent vel nequirent, phrasim saltem Gotorũ voluerint

rint imitari. Ex *Hetem* igitur pro galea, satis est perspicuum quid vox *Hemet* significet. Cùm enim *Hetem* id designet quod caput tegit, *Hemet* id significabit, quod caput aperit & reuelat. Ex eadẽ voce liquet, bene me docuisse, optimam illorum esse pronunciationem, qui *Het* longo & subtili vocalis ductu, vt idem sonet quod *Heet* pro capite dicũt: quod cùm ita sit, mox efficitur vt originatio quoque vocis eluceſcat; eò quòd *Het* sic elatum, caloré signet, si vocabulũ sit: sin verbũ idem sit quod iubeo & impero, quorum vtrunque capitis in corpore proprium esse, quiuis naturalis philosophiæ non prorsus rudis, videbit. Præcipuus enim & princeps & dominus calor; ad quem ceteri calores velut ad caput, & finem, & perfectionem summam referuntur, in capite consistit: & altera rursus significatione, qua *Het* verbum est, caput significatur imperare: ita vt duabus rationibus efficaciſsimis *Het* pro capite ponatur. Hæc igitur ipsius *Hemet* pro cælo interpretatio est, quatenus sic exponitur; quasi Mi alterum ratione compositionis non occulat. At si vnum Mi pro duobus ponatur, vti Alemanni duo apertè efferunt *Himmel* dicentes, tum idẽ erit *Hemet* quod *Hemmet*, id est, ipsum reuelans. Quis verò intelligitur, cùm citra certam personam ipsum efferimus, nisi is, qui est inter omnes ad quos pronomen hoc accommodari potest, præstantisſimus, excellentisſimus & nobilisſimus? Hac igitur ratione *Hemet* cælum dicetur, quia *Hem*, id est, ipsum Deum puta reuelat, vno Mi compositionis ratione bis intelligendo, vt ad syllabam præcedentem, æquè atque sequẽtem applicetur. Procedat nũc quisquam de lingua vel Græca, vel Hebręa, vel Latina sibi placens, & ostendat aliquam omnino vocem, in qua tantum ingenij, artis & veritatis queat inueniri, in qua item cælorũ inspectionis vtilitas, tam apertè indicetur, atque non solùm vtilitas, quam animal rationis capax accipit summam, sed ipsa etiam cæli natura, cuius est omnibus rebus caloris viuifici fontem aperire, demonstretur. Ita me Deus bene amet, ac ad cælos homines sanguine suo emptos deducat, vt sæpius opto, & mecum cogito: O si Plato nunc reuiuiſceret, atque hæc mecum conſideraret primarum vocũ myſteria, quantum voluptatis diuinum illud pectus ex his veræ sapientiæ fontibus hauriret! Ego sanè ingenuè fateor & Deum testor, me, dum diuino hoc calore ad contemplanda hæc agitor, frequẽter inuitũ in lacrymas prę voluptate deliqueſcere: adeò altè in animum meum hęc diuini caloris dona descendunt, & illud gaudium excitant, quo nullũ vnquã in vita maius perſensi, cuiq; immori vellẽ. Sed nulla oratio satis efficax esse queat ad hæc cogitationis meæ oblectamenta exprimẽda, tantũ abest vt ego, qui nunquã oratoriã hãc laudẽ quæsiui vel

minimum eorum me assequi posse dicendo sperem. Quòd siquis eorum particeps esse velit, is diligenter iterum atque iterum cogitet, quæ de capite, quæ de calore diffuso per omnia, quæ de spiritus calore in piorum mentibus flagrante, quæ de eius per cælorum volumina reuelatione, tum Philosophi, tum prima illa Christianorum lumina scripserunt: quæ si bene, pensiculatéque voluat, & diu ruminet, & quàm latè patent in animo suo extendat, & intueatur; non dubium est, quin sit eandem sensurus, quam ego, voluptatẽ; nisi frigidus aliquis circum præcordia sanguis spiritus æstum & flammas vel excludat, vel extinguat. Clamemus igitur Atta Atta Unser du indey Hemel, atque hîc suaui calore deliquescamus, & tandem toto corpore soluti immoriamur, atq; illius vehiculo ad amabilissimũ hũc Atta, quem Hemel nobis reuelat euolemus. Sed reuertendum ad id quod quærebatur, quamuis ægerrimè ab huius contemplationis dulcedine diuellar. Dixi Hemel meliùs quàm Himmel vel Himmina dici; eò quòd in illo potiores sint quàm in his significationis rationes: qui iudicatus in omnibus valere debet in quibus dubitatur, quænam vel pronunciatio vel scriptura pura germanaq; sit dicenda. Sequuntur dehinc in oratione Dominica Weihnai namo theiy; tria vocabula origine illa quidem nostratia, sed formatione ad peregrinitatem detorta. Winai ductum est à Wiey, quo significatur sacrare. Winai igitur dictum pro consecretur: vt sit sensus, Consecretur nomen tuum. Namo ponitur pro Nam, quo nomen prima in lingua significatur, vnde Latini nomen fecerunt. Thein pro Dein per diphthongum enunciatur. Quòd verò Wien meliùs & maiore ratione dicatur, quàm Winaien, ei liquebit, qui Ichnæũ hoc vocabulum esse intelligat, & res quæ cõsecrantur eo ipso, quo Deo dicantur, innocari. Est & Nam inter Ichnæa, eò quòd nominibus admoneamur rerum significatarum. Nam igitur, non Namo, aut nomen, vt Latini, prima lingua pro genuino habebit. Hæc sunt nominum faciendorum arcana, nulli sermoni inter mortales cum nostro communia: quod siquis neget, vel vno tantum exemplo, aut ab Hebræis, aut à Latinis aut à Græcis, aut ab aliis etiam sumpto, me conuincat. Sed de Ichnæis vocibus in Themide Ichnæa; & in linguæ Cimbricæ artificio plura. Ex hoc contextu orationis Winai namo thein, clarè constat hanc linguam non solùm non esse puram Geticam; sed ne Goticam quidem, qua illi locuti sint, qui in Italiam & Hispaniam commigrarunt. Itali enim dicerent, *Sia sanctificato*: Hispani *sanctificado sea*: quam phrasim cùm à Latinis nõ habeant, qui sanctificetur, non sanctificatum sit dicunt; necesse est fateri, à Gotis accepisse. Habuerunt

buerunt igitur Goti hanc loquendi formulam, quam nos hactenus retinemus, dum dicimus, Geheilicht si dinen nam. Quamobrem fallitur quisquis credit hunc Gotorum esse sermonem, Weihnai namo theiy: in quo verbum substantiuũ non est adiectum. Videntur igitur Gręci suum loquendi modum huic corrupto Gotico sermoni intulisse. Id quod sequitur, prorsus est Barbarum. Vimai thuidinassus, id est, veniat regnum, nihil habens cum Gotico commune; eò quòd regnum Ric Gotis dicatur: nisi fortasse Getę Regẽ thuemacht, id est, capitaneam, vt sic dicam, potestatem nominarint, atque id Græci partim seruarint, partim ad suam linguam traxerint: eò quòd δύνασθαι ad potestatis significationem vtantur. Vimai pro veniat, vnde venerit, ignoro: At theins planè Goticum est. Werthe wilga theins, id est, Fiat voluntas tua: nos dicere possemus, Seiy wil werde. Wilga igitur pro Wil. Werthe pro Werde ponitur. Sue in Himmina gah ana arte, id est, sicut in cælis & in terra. Sue pro So, quod nobis signat Sic & sicut. Gah pro &, nemo purè Gotus intelliget: videtur autem à Græco sermone detortum, quibus καὶ, &, signat; mutato Cappa in Gamma, & loco Iota aspiratione adiecta. Ana pro Ay quod est ad. Arte, nos Art, ert, & erde, & arde dicimus: Qi laef vnsarana thana, sinteinay gik vnss himmadaga. Hîc duo sunt articuli Qi & Thana: quorum prior videtur apud Gotos fuisse, eò quòd Itali *Li Lo* articulis vtantur, quos à Latinis minimè acceperunt. Hac parte ferè cogor suspicari, Gotorum etiam sermonem, cùm in Italiam venirent, habuisse nonnulla peregrinitate à Cimbrico degenerantia, qui articulis Qi, Qo & Il, penitus caret. Nec quemquam omnino horum in illo poëmate inuenias, quo Theodorici Regis Gotorum res gestæ canuntur, adeò vt à Barbarisantibus Gotis hi articuli ad Italos & Hispanos venisse videantur. Thana, nescio an à Græcorum τὰ, an à nostrati Sat, sit corruptum. Qaef pro pane nobis non est in vsu, sed pro refocillatione: vt dum dicimus, Ic Qaef hem, id est, ego refocillo ipsum. Vnsarana pro Vnsarey vel Onsey. Sinteinay quid sit, & vnde venerit, ignoro. Gik pro Geb siue Gib ponitur, id est, Da. Vnss correctè dictũ, pro Ons. Himmadaga, pro Hedey dag; quod est, Hodierno die. Gah aflet, id est, & remitte. Aflat hactenus nobis pro indulgentiis & remissione peccatorum in vsu est. Vns tathei sculanssigaima, nostra debita. Hîc Tathei articulus τὰ, Schulanssigaima, pro debitis nostris: Nos schulden, pro debitis agnoscimus, caudam non intelligimus, nisi sit contractio ex integris Schula vnsigaima; atque vnsigaima idem sit quod vnsaram. Su à sue pro So as, id est, sicut.

Weis pro wi. Afletam nos diceremus Aflatey. Thaim articulus est. Skulam Sculdenerꝭ nobis dicũtur. Unſarey pro Unſarey. Saꝭ ni briggeꝭ Uns in fraeſtub; & ne inducas nos in tentationem. Mi pro Miet. Briggeꝭ nos dicimus Bringet vel Brenget. Hoc Græci per duplex Gamma ſcriberent, atque hinc videtur Briggeꝭ pro Bringes irrepſiſſe. Fraeſtub omne id nobis ſignificat, quod pacem perturbat vel expellit. Fre enim pax eſt. Stub expello & turbo. Ak nihil nobis notat, nec Gotis quidem qui in Italiam & Hiſpaniam venerunt. Illi enim Maer perinde atque nos hactenus pro Sed dixerunt, vnde Itali *Ma*, Hiſpani *Mas*, Galli *Mais* fecerunt. Clarum igitur & hinc eſt, hũc ſermonem non eſſe illorum Gotorum, qui in Italiam phraſes ſuas & non paucas voces inuexerunt. Sermo Suedanicus pro Maer dicit Untay: è quo perſpicuum, nec illum quidem eorum fuiſſe, qui in Italiam, Galliam & Hiſpaniam migrarunt. Lauſei Uns af thamma Ubliy; Libera nos à malo. Lauſei nos Los dicimus, pro libera: quod videtur ex Lat ws, id eſt, dimitte foras vel extra: atque ita nõ malè ſaus ſcribi, è quo Los, vt ex aula ola. Af integrũ eſt. Thamma articulus. Ubliy, p Ubel, id eſt, malo: vnde compoſitũ videtur Subel vel Suuel, quaſi diceretur Se Ubel, id eſt, ὁ κακὸς, ſiue malus. Se articulus nobis eſt. Cacodęmon igitur nobis dicitur Subel, quòd malus ſit, & omnium malorum pater, & infelicitatis noſtrę auctor atque promotor. Unte theiy iſt thindangardi gaꝭ machs gaꝭ wulthus in aeniuꝭ: quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in æuũ. Unte, nos dicimus Ow dat. Theiy iſt, noſtris quoque dicitur. Thindangardi, planè barbarũ. Machs, nos Macht dicimus. Wulthus rurſus exoticum. Aeniuꝭ nobis Euwich pro æterno. Videmus itaque in hac lingua quędá vocabula planè integra, quædã è noſtris corrupta, quædam omnino barbara. Dei profectò nomen in ea incorruptũ remãſit, quod in illius Eloe Eloe Lamaſabactani interpretatione annotaui, quæ habet, God mein God meins duque miꝭ biſeſt? id eſt, Deus meus, Deus meus, ad quid me deſeris? Viri item mannaꝰ pro Manney; & Wiuon pro Wiuen dicuntur. Eſt in eadem lingua & illud vocabulũ, è quo Hemel poſteriorem ſui partem habet. Gameſit enim dicunt pro eo quod proditum eſt ſiue ſcriptum: vt in Euãgelio D. Marci. Sue gameſit iſt in Eſaiu praupheta: id eſt, ſicut proditum eſt in Eſaia propheta. Ex eodem Euangelio vnum proferam exemplum; è quo liquebit, minimè hoc ſermone Gotos eos vſos eſſe, qui Italos Latinam linguam dedocuerunt. Saꝭ merga Bithans Himmith ſuinthoza miſſa a fax miꝭ thizei iꝭ ni im waerte auanei wands andbindan ſcaudaraip ſcoſe iꝭ, id eſt, Et prædicabat dicens:

dicens: Veniet fortior me post me, cuius ego non sum dignus procũbẽdo soluere corrigiã calciamenti eius. Hic Guinthoza missa, idẽ est quod fortior me: quæ phrasis apud Italos quãuis antè fuisset, à Gotis tamen est sublata, dicentibus Guinder vel sterker dan ik, id est, fortior quàm ego: quod Itali dicunt, *piu forte que io*: & Galli, *plus fort que moy*, in hoc genere loquẽdi ablatiuo non vtentes, sed nominatiuo intercedẽte cõiunctione, quod nobis idẽ est familiare. Sed mirũ, Italos, Hispanos, & Gallos cõparatiuis præterquàm in paucis carere, cùm in Cimbrico sermone reperiantur. Credo id factũ, quòd nõ facilè principio cõparantium vocabulorũ inflexionẽ addiscere possent; atq; hinc per plus vel magis eundẽ sensum faciliùs efferrent, sicut eadẽ de causa & casus in nominibus neglexerũt, quos in sua vernacula lingua non habebant. Sed ne in lingua prorsus abolita, quaq; nulla gens, ꝙ equidẽ sciam, hoc tẽpore vtatur, plus tædij quàm vtilitatis apportẽ, breuiter concludã, neque hac, neque illa Suedanica siue Gotladica Gotos, qui in Italiam phrases suas intulerũt, locutos esse; & plurimas diuersas linguas è Gotica corrupta originem traxisse: quod in tanta gentiũ confusione, quanta in Romani imperij euersione cõtigit, non est mirum accidisse, cùm diuersarum gentium exercitus contra alios itidem permistos conspirarent ad aliquam lacerati orbis partẽ sibi vindicandam. Ego tamen hunc fructum ex corruptis linguis capio, vt nõ pauca vocabula abolita, vel meliùs intelligã, vel in vsum reuocẽ: eò quòd perpetuò liceat, si qua in desuetudinẽ abierũt, aut obliuionẽ, ea postliminio in ius ciuitatis vocare, si modò certa generis cognationisque nota deprehendatur. Sicuti verò hanc linguam Græcorum & Hunnorum fortasse commercio corruptam dixi; ita Gotlandicam & Suedanicam, Windi, & Lappones, & Moschouitæ, & aliarum linguarum vicini è continente in peninsulam transgressi, corrumpere potuerunt; tametsi nihil domestici vitij, vt longo temporum decursu non rarò solet euenire, contraxisset. Irrepunt enim paulatim maximè in vernaculo sermone diuersitates citra omnem peregrinorum culpam: quod in Latino quoque sermone euenisse quiuis videbit, qui Osca illa & Opica ex Carmentæ vsque & Euãdri ætate de Grammaticorum obseruationibus euoluet. Quanta est in Græcorum scriptis dialectorum varietas, tum in vocibus ipsis, tum in vocum inflexionibus, siue vocabula siue verba spectes. Nihil igitur miri, vel hac, vel illa causa discrimen hoc in Gotlandicam, Danicam, Norwegicam, & Suedanicam venisse, quo á Cimbrica, & Teutonica, & pura illa priscorum Getarum loquela, eo quo monstrauimus modo, differt. Liquet itaque ex hac linguæ diuersitate, nec Dacos, quos Græci Getas nomina-

nominarunt, propter eandem linguam; nec Getas ipsos prolem Massagetarum ex Cherroneso, aut insula aliqua veniſſe; sed longis ac diuturnis migrationibus è vicinia Sacarum priùs ad Tanaim, deinde in vetustas Cimbrorum ad Mæotim & mare Ponticum sedes & loca Occidentem versus superiora veniſſe, atque hîc à prisca illa Darij expeditione, vt fabulosam illam Ægyptij Regis omittam, habitasse; ac in tantam multitudinem excreuisse, vt ad Germanicũ vsque mare, & vltrà ad insulas quoque & peninsulá colonias emiserint, alias quidé per se, aliàs Danis in societatẽ receptis, à quibus ostẽdimus Gedanũ, & originem & nomenclaturam habere; quamuis posteà Teutones Danſwic, id est, Danorũ vicum siue seceſſum duntaxat appellarint, Getarum neglecta mentione: & fieri potest, vt priùs Gedanſwic dixerint, ac pòst breuitatis ergô Danſwic venerit in vsum. Verùm ne solus videar huius opinionis Iornandi prorsus repugnãtis fuisse, adducam Stephani, vrbium scriptoris verba; quibus liquidò constabit, Gotthos, siue Gotos, vt nos scribimus, & eosdem esse cum Getis, & eisdem locis eodem tempore habitasse, & ab eisdem sedibus ad oram Ponticam, & Istri ripam commigrasse:

Γότθοι, φησὶ, ἔθνος πάλαι οἰκῆσαν ἐντὸς τῆς Μαιώτιδος, ὕστερον δὲ εἰς τὴν ἐντὸς θράκης μεταναστᾶσαν ὡς εἴρηταί μοι ἐν τοῖς βυζαντικοῖς. μέμνηται τούτων ὁ Φωκαεὺς Παρθένιος. id est,

Gotthi gens quondam ad interiora Mæotidis commorata, posteriùs in Thraciam commigrauit, vt à me dictum est in Byzanticis. Meminit & horum Phocæus Parthenius. Huic videtur Dionysius præiuisse, qui Græcorum more Getas eos, non Gotos nominauit, atque vnà cum Germanis, & Sarmatis, & Bastarnis, & ceteris quamplurimis Sarmatiæ Europææ gentibus eos recensuit. Omnes enim Teutonici sermonis homines, è Sarmatia Asiana in Europam eadem ferè via immigrarunt; continuata quadá serie à Parapaniso & Imao per intermedia loca succedentes; adeò, vt Asiana Sarmatia matrix sit omnium earum nationum, quæ in Europam ab omnibus sæculis, velut quædam populorum examina, inuolarunt. Antiquissima igitur Massagetarum, Getarum, Tyragetarum, Sarmatarum, Germanorumque omnium origo, à Persidis vicinia è Bactris & Margiana, & Sogdiana, in reliquum orbem influxit. Herodotus Germanorum & Daarum in Persarum exercitu meminit; quos nemo ab Istro & Rheno illuc terrarum militatum abiuisse dicet, nisi absurdissimus velit haberi: sed cõtrà fatendũ, vti nos ostendimus, ex illis terrarũ latifundiis Persarum regno finitimis, omnes Germanos, & Dacos, & Getas, & cete-

& ceteros eiuſdem loquelæ populos proceſsiſſe. Audiatur ergo Dionyſius, qui Germanos ad Mæotidem vnà cum Getis recenſet, quò ab eo tempore, de quo Herodotus agit, paulatim progreſsi fuerunt:

Τοῦ μὲν πρὸς βορέην τε λαυσμένα φῦλα νέμονται
Πολλὰ μάλ' ἐξείης μαιώτιδ' ἐς στόμα λιμνῆς,
Γερμάνοι Σαμάταί τε, γέται θ' ἅμα βασάρναιτε
Δακῶν ἄπειρα αἶα, καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοί,
Τοὔνεκα δ' οἱ ναίουσιν ἀχιλλῆος δρόμον αἰπύν,
Στεινὸν ὁμοῦ δολιχόν τε καὶ οὐκ ἐς στόμα λιμνῆς,
Τῶν ὑπὲρ ἐκλέπτων πολυίππων φῦλον Ἀλανῶν,
Ἔνθα μελαγχλαινοί τε καὶ ἀνέρες ὑππημολγοί
Νευροί θ', ἱππόποδές τε γέλωνοι τ' ἠδ' ἀγάθυρσοι.
Hinc verſus Boream diuerſo nomine gentes
Poſt alias aliæ, donec Mæotidis ora
Tangant Germani, Samatæ, populuſque Getarum;
Baſtarnæque ſimul, quos Dacica rura ſequuntur:
Fortis Alanorum gens hinc, mox Taurus Achillis
Altum habitans curſum non lato limite longum,
Hinc & habens quicquid Mæotidis vſque paludem,
Vltra diues equis latè ſua tendit Alanus:
Inde Melanchlæni, mulſor dein lactis equini
Neurus & Hippopodes, Agathyrſi, deinde Geloni.

Samatas hoc loco Dionyſius pro Sarmatis dixit, cuius licentiam nos quoque ſumus ſecuti: in quo clarè videre eſt, Getas à Tanai & Mæotide veniſſe, haud ſecus atque alios quos recenſet; & inter ceteros de Germanis, conſtat ex Herodoto, eos priùs vltra Caſpium mare circa Daas habitaſſe: vnde paulatim mutatis ſedibus, priùs ad Tanaim, deinde ad Germaniam venerunt. Qui verò hi Germani fuerint, qui tẽpore Dionyſij in Sarmatia adhuc morarẽtur, ex Procopio & Agathia perſpici poteſt, quorum vterque ſine diſcrimine Francorum & Germanorũ nomine vtitur. de qua re alibi, dum Francorum propaginem è ſua radice deducam. Hîc id erat duntaxat monendũ, Getas, & Germanos & Dacos ex Aſia in Europã per Tanaim ſecundũ Mæotida paludẽ veniſſe; longè verò abeſſe, vt è Scandia, vti Iornandes & ceteri volũt, aduerſus Græcos & Romanos ſint profecti. Quod enim de Germanis ex Herodoto docui, idẽ in Gotis valere credo, eò quòd linguæ cõmunione inter ſe diſcrepare nõ ſentiãtur. Atq; hęc quidẽ ſatis ſunto cõtra eos, qui falſa hac opinione imbuti, diligẽ-

ter Gotorũ qui Romã occuparũt, monumẽta vltra Balticũ mare ſcrũtãtur. Nos vtriſq; & Gotis Scandianis, & Gotis qui Græciã, Italiam, Galliam & Hiſpaniam tenuerunt, clariora illuſtrioraque principia monſtrauimus, ab ipſis vſque Maſſagetis, qui Cyrum regum Perſarum principem cum toto exercitu ceciderunt, repetita. Sed videor mihi inanem ferè laborem ſubiiſſe, dũ pluribus docere nitor, Gotos è Scandia in Thraciam minimè veniſſe, cùm vel vnus Claudianus ſatis eſſe poſsit ad id euincendum, qui omnia Gotorum facta dictáque Getis adſcribit; eoſdem hos eſſe credens. Quocirca ſi Getas è Scandia nemo deduxit, nec Goti quoque inde fuere euocandi. Ouidius eodem loco eos inuenit, dum ad Euxinum exularet, quo Dario illo magno Perſarum Rege expeditionem contra ipſos mouente, habitarunt, & ex eadem poſt ſede, in Thraciam, & Illyricum, & Aſiam, & reliquas orbis partes fecerunt incurſiones. Ex hac igitur Getia, & Goti, & Gotini, & Gutæ, & Guthones, & Gotlandi exierunt, quorum poſtremi è litore Venedico ad inſulam eam nauigarunt, quæ Gleſſariæ ſiue Auſtraniæ longo maris interuallo obiecta, à Ptolemęo Scandia vocatur, qua in re pleroſque omnes falli animaduerto, qui huius Scandiæ nomine veram Scandiam ſiue Scaonlandiam acceperunt: quorum opinio quàm longè à Ptolemæo aberret, quia nec-dum oſtendi, hîc erit addendum. Ab Orientali parte Cherroneſi, inquit Geographus Alexandrinus, quatuor Scandiæ nuncupatæ, tres quidem paruæ; ex quibus ea quæ media eſt, partes habet in longitudine quadraginta vnam cum ſemiſſe, in latitudine quinquaginta octo. Vna verò quæ maxima earum eſt, & maximè Orientalis iuxta Viſtulæ fluuij oſtia, longitudinem qua maximè ad Occidentem vergit, quadraginta quatuor partium longitudinem habet, latitudinem quinquaginta octo partium, qua verò maximè ad Orientem recedit, gradus habet longitudinis quadraginta ſex: pars eius maximè Septentrionalis, quinquaginta octo partibus & triginta octo ſcrupulis ab Æquinoctiali abeſt: ab Occiduo verò cardine, quadraginta quatuor gradibũs & ſcrupulis triginta: at pars eius maximè Auſtrina, quadraginta quinque partium longitudinẽ habet; latitudinem quinquaginta ſeptem partium & quadraginta ſcrupulorum. Hæc deſcriptio tam exiguæ inſulæ eſt, vt vix Gotlandiam nobis vocatam æquet, in qua Ptolemæi duces in eo fefelliſſe videntur, quòd inter Occidentem & Orientem longiſsimè inſulam exporrexerint, cùm recentiorum obſeruatio inter Septentrionem & Meridiem eam longiſsimam faciat, duplo verò anguſtiorem inter Occidentem & Orientem, quanquam vereor ne numerorum notæ ſint corruptæ,

quas

quas in longitudine nos sic correximus, vt ex quadraginta octo, vt Germanicum habet exemplar, quadraginta quatuor fecerimus, vbi Venetus codex ex recentissima Iosephi Moletij castigatione, quadraginta tria habet: ita vt insulam ad tres gradus patêre faciat, cũ nobis duo gradus magis arrideant, quos Ptolemæus, contrà quàm debuit, in longitudine computauit, rectè facturus, si latitudini adscripsisset. Quòd verò inter quatuor & sex eam collocẽ: de Ptolemæo sumo; qui eam iuxta ostia Vistulæ iacêre dixit, quod de longitudine duntaxat intelligendum, quæ in Vistulæ ostiis quinquaginta quinque gradus habet adscriptos. Quis hîc non animaduertit quàm absurdi sint, qui hanc exiguam insulam ad duos gradus longam, & ad vnum vix gradum latam, Scaondiam existimarunt, in ea Norwegiam, Suetiam, Gotiam, Scandianam & Oplandiam contineri asserentes. Ptolemæus de ea hæc addit: Vocatur autem & hæc propriè Scandia, & tenent ipsius Occidentalia Chædini: Orientalia verò, Phauonæ & Phiræsi: Meridionalia, Gutæ & Dauciones: media autem tenent Leuonij. Quos hic Chædinos, Phauones & Phiræsos nominarit, ignotum est. De Leuonis & Gutis hoc suspicor, venisse hos quidem à Gutonibus è Sarmatia: illos vero à Leuonis, quos Liuonos hodie vocamus. Dauciones verò corrupto vocabulo è Danionibus extitisse, siue è Danswiconibus exemptione litteræ Græcis ignotæ, & Ni in Ypsilon commutato, & Cappa loco Sigma accersito. Sed parui refert, vtrum hòrum factum sit, cùm vtrouis modo à Danis Daniones venisse videantur. Ptolemæus igitur magnam illam Cherronesum ignorauit, & eius commentatores siue scholiastæ, inepto & supino errore à parua insula, ad ingentem illum plurimorum regnorum orbem, hos populos transtulerunt: quos alij æquè inconsideranter sequuntur; inter quos & Crantsius est, tanto minùs excusandus, quòd ex professo de Norwegia & Suetia, & Gotia plurimis libris scripserit, cuius nec illud citra stomachum ferre possum, quòd pro Norwegia siue Norwigia, Noruagiam dixerit, cùm sermonis nostri vernaculi non fuerit imperitus; è quo ratio nominis statim cuiuis est aperta, ex eo sumpta, quòd illius regionis tractus rectam viam ad Septentrionem monstret & obseruet. Sed excusetur hic error cum ceteris quamplurimis, Saxsonis Grammatici auctoritate, quos ex eo cæco quodam amore deprompsit; nulla nec linguæ Cimbricæ, nec veterum Græcorum, è quibus Plinius suam Nerigon hausit, habita reuerentia. Hos tamen potiùs ob insignem diligentiam, & venerandam antiquitatem, & curiosam rerum externarum peruestigationem, & sequi, & interpretari, &

ſiqua parte lapſi eſſent, adiuuare debuiſſet, quàm vanum illum fabulatorem, cuius hiſtoria minus habet, quàm Arioſti Orlandus, veritatis: ſimilior certè veris Luciani narrationibus, & Apulei Mileſiis fabulis, & Heliodori Æthiopicis, quàm veræ rerum geſtarum expoſitioni. Quoniam verò iam de Gotorum antiquitate & prima origine ſatis multa mihi videor attuliſſe, nec propoſitum eſt hoc loco poſteriorum temporum hiſtoriam conſcribere, non erit abſurdum, ſi paulo altiùs Norwegiam & Daniam vicinas Gotiæ Scandianæ regiones ingrediar, & obiter ridiculos quoſdam Saxonis & Crantſij errores ex hominum mentibus euellam. Dixi modò, vnde Dani nomen habuerint, & quam cum Alanis, Albanis, Roſchalanis habeant tum ſermonis, tum nomenclaturæ communionem: atque illud etiam ab iis in vſum tractum eſſe, vt Galli gallinacei in exercitu & ad virtutis imitationē, & ad Solis curſum notandum circumferantur. Vide verò nunc quid adferat Saxo Grammaticus, ad gentis ſuæ primordia illuſtranda. Poſtquam in præfatione ſua ſaxorum & rupium annales ſibi magiſtros propoſuiſſet, ac Thylenſium hiſtorias antiquiſsimas ex ipſo vltimo Oceani angulo aduocaſſet, ac Daniæ, Scaniæ, Noruagiæ, Suetiæ & Iſlandiæ ſitum addidiſſet, à Gigantibus antiquitus habitatam Daniam ſcribit; argumēto, vt putat, irrefragabili ad perſuadendum vſus: videri enim eximiæ magnitudinis ſaxa veterum buſtis ac ſpecubus adfixa, & ingentes moles ſuper montium verticibus collocatas, quas nulla mortalium niſi Gigantum vis eò euehere potuiſſet. Egregium verò & neceſſarium ſignum, quo Romani mox euincet, maximos olim Romæ Gigantes habitaſſe, vtpote, apud quos obeliſci & aliæ immanes columnæ è ſolido marmore cernūtur. Sed valeant hæ ineptię dignæ ſuis rupibus & ſaxis, è quibus Saxo hiſtoriam ſuam petiuit. Videamus quæ poſt Gigantes gens ſucceſſerit, ex qua Dani originem ducant: & vt ne quid minus bona fide dixiſſe queam videri, ipſum ſua lingua loquentem audiamus. Dan igitur, inquit, & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, patre Humblo procreati, nō ſolum conditores gentis noſtræ, verumetiam rectores fuere; quāquam Dudo rerum Aquitanicarum ſcriptor, Danos à Danais ortos nuncupatosque recenſeat. Hi licet fauentibus patriæ votis regni dominio potirentur, rerumq; ſummam, ob egregia fortitudinis merita, aſſentientibus ciuium ſuffragiis obtinerent; regij tamen nominis expertes degebant: cuius vſum nulla tunc temporis apud noſtros conſuetudinum frequentabat auctoritas. Ex quibus Angul, à quo gentis Anglicæ principia manaſſe memoriæ proditum eſt, nomen ſuum prouinciæ, cui præ-

erat

erat,aptandum curauit, leui monumenti genere perennem ſui notitiã traditurus. Cuius ſucceſſores poſtmodũ Britannia potiti, priſcum inſulæ nomen nouo patriæ ſuæ vocabulo permutarunt. Hæc Saxo, qui mox deinde huic Dan Skioldum nepotem dedit,qui inſpectante Teutonũ Danorũq; exercitu Scatũ Alemaniæ Satrapá ſingulari certamine vicit,& victoriæ præmiũ totam Alemaniá occupauit. Huius filius Gram filiam Sicturigi regis Sueonũ vni ex Gigãtibus deſponſatam,in matrimoniũ ſibi petit,& quo potiatur,patrem,quẽ fata ferro perire vetabãt,claua per multum auri pondus infuſum graui,occidit;ac deinde multos alios,veluti Hercules quidam,ſingulari pugna vbiq; deuincit. Mox Gram à Rege Noruagiæ occiſo,rurſus Gigãtum mentio,quibus filij Gram dati ad educandũ:quam vt emolliat,addit hiſtoriã multo etiam durioré & planè ſaxeã. Quorum, inquit de Gigãtibus his nutriciis tractans, ſummatim opera perſtricturus, ne publicæ exiſtimationi contraria,aut veri fidẽ excedentia fidẽter adſtruere videar;noſſe operæ preciũ eſt,triplex quondam Mathematicorum genus inauditi generis miracula diſcretis exercuiſſe præſtigiis. Horũ primi fuere monſtroſi generis, quos Gigantes antiquitas nominauit, humanę magnitudinis habitum eximia corporum grãditate vincentes. Secundi poſt hos primam Phyſiculandi ſolertiam obtinentes, artem poſſedere Phytonicam : qui quantũ ſuperioribus habitu ceſſere corporeo, tantum viuaci mentis ingenio præſtiterunt. Hos inter gigantesq; de rerum ſumma bellis certabatur aſſiduis, quoad Magi victores gigantæum armis genus ſubigerent,ſibiq; non ſolùm regnandi ius,verumetiam diuinitatis opinioné conſciſcerent. Horũ vtriq, per ſummã ludificandorũ oculorum peritiá, proprios alienosque vultus variis rerũ imaginibus adumbrare callebant, illicibusq; formis veros obſcurare cõſpectus. Tertij verò generis homines,ex alterna ſuperiorum copula pullulantes,auctorũ ſuorum naturę,nec corporũ magnitudine,nec artiũ exercitio reſpondebant.His tamé apud deluſas prę-ſtigiis mentes diuinitatis acceſſit opinio.Nec mirandum,ſi prodigialibus ipſorum portentis adducta Barbaries in adulterinæ religionis cultum conceſſerit, cùm Latinorum quoque prudentiam pellexerit talium quorundam diuinis honoribus celebrata mortalitas. Hæc idcirco tetigerim, ne cum præſtigia, portentáue perſcripſero, lectoris incredula refragetur opinio. Hæc Saxo è ſaxis ſuis Danicis & Noruagicis deſcripſit, ne quis fabulas, quæ de Gigantibus feruntur,exiſtimaret. Hæc igitur tria hominum genera cùm definiiſſet, viſus eſt ſibi velut axiomata quædam Mathematica perſtruxiſſe; è quibus reliqua, quæ docturus eſſet, acciperent aſſenſionem:

quorum naturam qui perſpexerit, facilè cernet, qualem auditurus ſit ex his principiis concluſionem. Multas nugas me legere & audire memini; ſed oderit me Mercurius, ſi vnquam vllas frigidiores, quàm egregius hic hiſtoriæ ſcriptor cõtexuit, eſtimarim. Relictis igitur quæ deinde ſcribit, nulla notatione temporum adhibita, ſatis ſit nos didiciſſe Daniam à *Say*, & Angliam ab *Angul* nomina duxiſſe: quam originem Crantſius hoc etiam mirabiliorem reddit, quòd *Say* dicat indigenam eius regionis fuiſſe, non ſatis Saxſonis fabulam opinatus, niſi luculentius etiam mendacium addidiſſet: quod à nobis alibi eſt repulſum grauiſſima Moſis diuini vatis auctoritate. Anglos qua de cauſa Saxſones maritimi ſe nominarint, in Saxſonicis oſtendi: at quia nũc Danorum & Britannorum Saxſonis monitu in mentem venit, quid ego de Britannia ſuſpicer, obiter adiiciam, non alienũ à propoſito, nec ſine fruge cognitionis antiquariæ futurum. Tacitus, vt antè commemoraui, Æſtyos pro Auſtris poſuit, atque eorum linguam Britannicæ propiorem dicit, quamuis ritus ſint habituſque Sueuorũ. Cùm igitur videam hactenus plurima Danis, Suethanis & Gotis, Scandianis ſiue Sconlandis & Britannis communia vocabula, eò adducar, vt omnium harum gẽtium præcipuam originem ad Alanos referendam cenſeam, qui vna voce ſe Danos, id eſt, Gallinaceos vocarunt. Ptolemæus Danorum nuſquam meminit, haud dubiè iis tum adhuc latitantibus ſub Alanorum, quos Alaunos falſo quædam exemplaria vocant, appellatione. Videntur enim Alani equitatu plurimum valentes longè lateque per Sarmatiam diſcurriſſe, adeò vt ad Iſtrum vſque ſint progreſſi. Horum pars ad fontes Tanais, & inde ſecundum Turunti fluminis ripas in mare Liuonicum ad Rigam effluẽtis, quem Duinam nunc vocamus, habitauit; vnde facile illis fuit ad inſulas etiam nauigare. Huc autem ex Aſia perinde atque ceteri deſcenderunt: in qua quia ad ſexageſimum quintum latitudinis gradum ponuntur, non ſolùm in Sarmatiam, ſed etiam ad peninſulam illam maximam per Iſthmum tranſiiſſe mihi videntur; ita vt duabus viis Cimmerij in eam peruenerint, & hoc itinere terreſtri, & illo maritimo ex Venedorum litoribus trãſgreſſi. Ad hunc verò ſuperiorem ipſorum introitum, mare Finnicum & Bodnicum hiberna glacie ſeu ponte quodam latiſsimo adiuuabat: vt nihil mirum ſit, alterius etiam linguæ homines eadẽ pòſt via peninſulam intraſſe. Hinc igitur Alanas inſulas appellationem habere credo: quas, quamuis vulgus *ſant* vocet ſyncoptôs, integrè tamen *ſanenſant* nominandæ mihi videntur. Hinc ergo & Suedanos ſiue Suethanos, vt Iornandes ſcribit, ex Danorũ & Sueuorũ gente coaluiſſe: & Daniones item

item in Gotlandia extitisse credo, siue hoc siue illo itinere ad hęc loca cõmigrarint. Quãuis enim Suetiã Saxo et alij vocent, nos tamẽ Suedey vernacula nostra lingua nominamus; voce ex Sueue & Dey, id est, Sueuo & Dano composita: quia nimirum Danum Dey vocali prima in secundam mutata dicere solemus, non citra, siquid video, conuitium. Sicut enim ex Guta siue Goto facimus Guit, quo nebulo significatur: ita ex Day facimus Dey, quorum illud gallinaceum, hoc gallinam notat, vtrobique articulo nostrati adiecto; qui solutus De hey facit, id est, Gallinam: è quo D'ey coalescit. Si ergo ex Suedey Latina vox sit fingenda, non Suetia cum Saxsone & Crantsio, sed Suedenia, siue potiùs Suedania, vel Suethania erit dicenda. Eodem modo Scondey dicimus, quasi diceres pulcrum Danum; à quo regio Latinis Scondania vocaretur. Hinc Gedanum, Getarum & Danorum opidum, vti antè dixi. Quemadmodum igitur Alemanni omnis generis viri dicuntur, ita Alani omnis generis Dani sunt nominati, qui paulatim colonias è continenti in insulas & Cherronesos miserunt, & tunc maximè aucti sunt & numero & potentia; cùm Sueuorum gentes, & Teutones, & Cimbri, & ceteri vicini melioribus regionibus inuasis, & occupatis, priscas suas sedes vacuas reliquerunt: quod tum maximè contigit, cùm Franci Galliam, Goti Italiam; & alij Germani, aliam Imperij Romani partem sibi armis vindicarunt. Porrò & multo antè, Dani Norwegiam iis viis, quas ostẽdi, obtinuerunt: vnde factum credo, vt regio ea Dania fuerit vocata, cuius vocis loco ab imperito quopiam in Ptolemæi tabulis, ea parte quam intactam reliquit, Dacia est inuecta; opinato fortasse Dacos & Danos vnam eandemque, aut saltem eiusdem originis gentem fuisse. Priùs igitur Dani in Suethania & Norwegia quàm in Cimbrica Cherroneso habitarunt; atque id valde olim: adeò vt credam ex hac orbis plaga, quosdam etiam sibi in Albio sedes quæsiuisse, atque insulam de suo nomine Britaniam dixisse; quasi Brithaniam, siue Bridaniam, id est, liberam Daniam, siue regionem in qua Dani liberè viuãt; propterea quòd mari vndique cingatur. Bri pro Vri, Græci ferè scripserunt, cùm V consonante, vt crebro monui, carerent. Quamuis igitur Belgæ proximas sibi insulæ partes, teste Cæsare, occupassent; maximam tamen partem Dani siue Thani tenuerunt; qui linguam suam eò intulerunt, qua olim in Alania, & litoribus maris Venedici, quæ paulatim descendendo occuparunt, vtebaantur. Austri igitur, quos Æstyas Tacitus vocat, Iornandes Æstros, eundem sermonem, vel simillimum, habebant Britanis: quod mirum non est, si eiusdem originis fuerunt, & tametsi aliunde nihil esset argumenti, de sermone tamen,

men, non improbabili collectione, doceretur, eiuſdem nationis & propaginis Æſtyas & Britannos fuiſſe. Quamobrem cùm voces Germanicæ in lingua Anglica hactenus conſeruatæ, non ad Saxſonicam ſed Danicam loquelam alludant; aſſeuerare minimè verebor, has in ea non ab Anglis, ſed à Danis relictas eſſe, atque ab Anglis deinde ſuſceptas. Knif quid ſignificet, non opinor Saxſonem intellecturum; at intelliget Danus, Norwegus, & Suedanus, qua voce pro cultro Britani vtuntur: & ne odioſa vocabulorun conquiſitione ſim moleſtus, ad orationem Dominicam reuertar, in qua Suedani Fäder, Angli Father, dicunt; cùm alij Vater, alij Vetter, nos Vader dicamus. Deinde Suedani Waer, Angli Our, vtrique per diphthongum, cum Saxſones, & Sueui, & noſtrates, longè aliter Onſer, vel Vnſer, vel Onſey ſonent. In eadem oratione Suedani er pro es Latinorum habent: Angli, paruo diſcrimine, Ar ſiue art pro eodem dicunt. Sed de his antè ſatis: hoc loco tamen repetenda fuerunt, quò quæ de Britaniæ conditoribus, cõtra fabuloſa de Bruto cõmenta de opinione mea primus adduxi; veriſimiliora reddantur. Antiquiſſima igitur eſt Danorum, & Britanorum, & Suedanorum cognatio, ab Alanis Aſiaticis longa generis & linguæ propagine deducta; atq; hæc vera eſt ratio quare Dani & Britani ab eadem ſtirpe deſcendiſſe dicantur: quam cùm Saxo Grammaticus non intelligeret, Dan & Angul fratres in poëma ſuum induxit, quorum hic Anglos, ille Danos procrearit. Admirormaiorem in modum, Grammaticum hunc vetuſtiſſimæ huius populi ſtirpis in Dania à ſe conſtitutæ non puduiſſe, cùm neque Ptolemæus, nec Strabo, nec quiſquam veterum Græcorum in Cimbrica Cherroneſo Danorum nomen inuenerit; quamuis Ptolemæus diligẽter omnes eius incolas enumerarit. Aliunde ſanè gentis principia inuehenda fuerunt, ex ipſa nimirum Scondania, & Suedania & Alania, quarum regionum ſermo Britannos generis ſui originem docet. Nam fruſtra quis obiiciet, ab Anglis eum inuectum, cum Angli non fuerint Dani, ſed Saxſones; quorum loquela minimè cum Britãnica concordat; tametſi nolim negare cum Saxſonibus Danos etiam aliquos vel vicinię iure ſociatos, vel cognationis vetuſtæ ratione à Britannis ſimul accerſitos tranſiiſſe, atque ita priſcum ſermonem faciliùs retentum, qui poſt à Normanis, iam ſuæ linguæ oblitis, totus eſt corruptus, Gallo-latina commiſtione inuecta. Nec mirum, è Norwegia & Suedania Britãnos profectos olim fuiſſe, præſertim eos, qui Septentrionalem eius inſulæ partem tenuerunt, cùm è Norwegia non difficilis ſit nec admodum longa ad eam nauigatio. Certè multo facilius erat, inſulam vacuã occupare, quàm vicinos

vicinos ſibi Cimbros, & Teutones, & Saxſones, & Sueuos ſedibus ſuis ſummouere, & omnium facillimum per Calidoniũ ſaltum Auſtrum verſus paulatim in tantæ partis venire poſſeſſionem; quantam difficillimè in continenti aduerſus Germanos bellicoſiſsimam nationem obtinere potuiſſent. Multo igitur poſt Adriani imperium in Cherroneſum Cimbricam ditionem ſuam protulerũt, tum ni fallor, cùm totus ferè hic tractus vacuus relinqueretur, omnibus iis certatim ad mitius cælum, & Romanorum prouincias progreſsis, qui loca hæc antè coluerunt; quorũ diſceſſus nõ Danis modò Cherroneſi inuadendæ, tenẽdæque dedit occaſionẽ, ſed Wendos etiã ſiue Windos, vt alij eos vocant, ad Teutonicas regiones inuitauit, qui vix tandem multis variisq; vtrinq; cladibus ſunt vltra Viſtulam propulſi, paucis exceptis; qui ſub Germanorum iugo degunt. Veniſſe autem Danos è Norwegia, illud indicio eſt, maximã regni Danici partẽ adhuc in ea, & inſulis mediis manere, atq; Cherroneſum nõ Daniam dici, ſed Danorũ Marcam, id eſt, Danorũ limitaneã regionem, quaſi hũc ſibi ditionis ſuæ terminũ poſuiſſent, cùm vlteriùs eã Germanorũ, qui proximi erant, armis prohibiti, proferre nequiuiſſent. Quamobrẽ credo eo ipſo tempore, vel paulo antè, quo in Belgicã Theodorico Regi parentẽ magna claſſe deſcenderãt, in Danimarcã quoq; tranſiiſſe, ac deinde proxima quæq; litora, quæ Franci & Saxſones reliquerãt, crebris incurſionibus piraticis infeſtaſſe. Verùm quia video Saxſonẽ Grãmaticum puras putas nugas & anicularum deliramenta ad Caroli vſque Magni ętatẽ perditis chartis illinere, & nihil præter Gigãtes & incantamenta nobis venditare; lubet adſcribere quãdo hiſtoriæ & temporum ſcriptores, primam Danorũ, quoad eius mihi notum eſt, fecerint mentionem. Mortuo Clodoueo Francorum Rege potentiſsimo, ad alterum poſt annũ Cochliarieus Rex Danorum dicitur Belgicã eam, quæ tum Auſtraſia pro Auſtrick corruptè à Latinis vocabatur, claſſe inuaſiſſe, ac ingentibus prædis coactis, dum reditum pararet, ad infimum Auſtraſiæ limitem à Theodeberto Theodorici regis filio cum toto exercitu deletus eſſe: qua victoria Auſtraſianus ad Antwerpiam potitus, anno quingenteſimo decimo ſexto Marchionatum, id eſt, limitis prẹfecturã, Vtiloni primario copiarum duci vnà cum ſorore ſua in matrimoniũ dicitur tradidiſſe; ne ſi qua rurſus irruptio cõtingeret, maioribus, quæ in Italiam cogitabat, abſtraheretur. Huius Danorũ Regis, & eius cladis, & prędæ iis quibus abrepta erat reſtitutæ Gregorius Turonenſis meminit, Chochilaichum eũ appellans; cui idcirco magis credendum, quòd proximus illis tẽporibus in Epiſcopatu Turonẽſi floruerit, eodẽ tempore, quo beatus Gregorius Romæ Pontifi-

catu maximo fungebatur. Idē refert & Adonis Chronologia, qui ſub rege Ludouico & Carolo Simplici in Epiſcopatu ſedit, vt ceteros ſcriptores, qui eiuſdem rei teſtimonium libris ſuis conſignarunt, breuitatis gratia ſilentio præteream; cōtentus teſtibus duobus grauiſsimis & antiquiſsimis; quorū prior illorū temporū, quibus hæc acciderūt, ferè fuit æqualis, ſi puerilis eius ætas ſurſum cōputetur. Apud Saxonē circa ea tempora Starcatheri, & Hateri, & neſcio quorū non mōſtrorum fabulæ narrātur; nihil cum idoneis auctoribus aut veritate conſentientes, niſi quòd videā Siuardi cuiuſdam regis fieri mentionē, qui ex Hallandia Iutiā ingreſſus, Sclauos inde expulerit: quæ res facit, vt magis in opinione confirmer, Danorū tum primū in Cimbricā Cherroneſum fines extenſos. Neſcio profectò vtrū in hoc Grāmatico impudentem mentiendi vanitatē, an incuriam & ſupinam oſcitantiam magis admirer; qui hanc Danorū expeditionem, apud omnes hiſtoriæ ſcriptores celebratam, neglexerit; quaſi nullum eorum vnquā vel legiſſet, vel tanti faceret, vt dignum reprehenſione aut cōfutatione, dum prorſus alia prodit, arbitraretur. Conferamus itaq; nos diligentiùs, quæ veterum monumentis tradita, antiquitates gentium nobis recludunt: atq; ex Beda Angloſaxone diſcamus, quæ loca gens ea habitarit, quæ Britanniam & ditione & nomine occupauit. Is poſt alia ſic habet, vbi eorum aduētum in inſulā deſcribit. Aduenerant autem de tribus Germaniæ titulis fortioribus, id eſt, de Saxonibus, Anglis, Iutis. De Iutarū origine ſunt Cantuarij & Vectuarij, hoc eſt, ea gens quæ Vectam tenet inſulam, & ea quæ vſque hodie Occidentaliū Saxonum Iutarum natio nominatur, poſita contra inſulam Vectam. De Saxonibus, hoc eſt, ea regione antiquorum Saxonum, venēre Orientales Saxones, Meridiani & Occidui. Porrò de Anglis, hoc eſt, de illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore vſque hodie manere deſerta inter prouincias Iutarum & Saxonum perhibetur, Orientales & Meridiani Angli, pariterque tota Northumbrorū progenies, id eſt, earum gētium, quæ ad Boream fluminis Humbri inhabitant, ceterique Anglorum populi ſunt orti. Hæc Beda. In quibus animaduertendum, quo loco Angli in Germania habitarint: quod quamuis in Saxonicis à me dictum ſit, hîc tamen repetendum. Ipſa Cherroneſus maxima ſui parte Iutia dicitur: vix dubito quin à Gutis ita nominata, cui proximè Holſatia adhæret; Ditmarſiam ferè complexa: deinde Saxonia conſequitur, eo loco quo à Ptolemæo poſita eſt, quærenda. Liquet ergo ex Bedæ verbis, Holſatorum, & Ditmarſorum, & Hamburgorum ſedes, Anglos olim tenuiſſe, ac inde piraticam exercuiſſe; eò quòd hæ mediæ ſint inter Iutiam & Saxoniam.

Verùm

Verùm Beda non ſolùm Anglos Saxonas generaliter videtur feciſſe, ſed Iutas quoque ea nomenclatura dignatus, dum Occidentalium Saxonum Iutarũ facit mentionẽ, Saxones Iutas coniungens. Omnes certè & Saxones & Iutæ, quamuis è diuerſis locis veniſſent, generali Anglorum nomine vocari voluerunt, vt ex eo conſtare cuiuis poteſt, quòd totam eã regionem, quam cõmunibus copiis occupaſſent, Angliam nominarint. Quòd verò eã Saxonũ partẽ, quæ Hamburgum, Ditmarſiam & Holſatiam cõplectitur, Angliam potiùs Beda quàm reliquã Saxoniam vocatã fuiſſe dicat; id argumento eſt, huius regionis incolas piraticã ſibi laudem maximè arrogaſſe, quãuis omnes, qui maritimis prædis ſtudebant, eo nomine vocari mererentur. Eſt hactenus in Anglia Souſexia, quam Auſtrinam Saxoniã rectè interpreteris: eſt Middelſexia, id eſt, media Saxonia: eſt & Eſtſexia, q nos Auſtſaxey diceremus, Latini Saxoniam Orientalem: in quibus vocibus priſca ſermonis proprietas in illo retinetur, quòd pro prima vocali ſecundam vſurpent, Eex pro Eax dicentes, ſicut & pro Auſt Weſt, cui Weſt eſt contrarium. Eodem modo Dani Denos ſe vocant, vocali tamen producta; qua ratione conuicium, quo à noſtris pro gallinaceis gallinæ intelligerentur, eſt excluſum; cùm Hey vel Hiy vtrobique vocali breui pro gallina ſit dicendum. Accidit igitur hoc Saxonibus in Britanniam tranſgreſsis, vt patrij ſoni negligentes, communem vetuſti Britannici ſermonis pronunciationem ſequerentur; ad quam tamen & ipſi priùs in patria de Danorum commercio proximè videntur acceſsiſſe. Ptolemæus Charudum in extremitate Cimbricæ Cherroneſi meminit, à quibus Harondel in Suſexia nomen videtur habere; quaſi Harudum ſiue Charudum portio eſſet, à piloſa cute ita fortè nominatorum. Videmus hîc anno quadringenteſimo quadrageſimo nono, Danorum nullam in Cimbrica Cherroneſo ditionem fuiſſe, cùm Iutæ eam & Angli tenerent; & ea pars, quam Angli tenuerant, ad Bedæ vſque ætatem cultoribus vacua maneret. Vnde ſuſpicor, cùm Dani infelici ſucceſſu Francos Auſtraſianos tentaſſent, proxima ſibi loca occupaſſe, ac principio Iutiã tenuiſſe, relicta ſolitudine inter ſe & Saxones pro finium munimẽto; ac hinc ortum eſſe perpetuũ inter Saxones & Danos odium, dum ſemper ferè de finibus dimicarent, ac id vario euentu tamdiu duraſſe, donec Witikindus cum Rege Danorum amicitiam paciſceretur ad Carolum è Saxonia arcendum, tametſi id parum profuerit quo minùs ſubiugaretur. Dani ergo Iutiam à Saxonibus ferè deſertã, aut ſaltem firmioribus egreſſorum viribus eneruatã, circa quingenteſimũ à Chriſti natali annum occuparunt: qua occaſione aſsidua

inter vtramque gentem bella exorta, non antè ceſſarunt, quàm communis vtrique hoſtis vires coniungendas eſſe copiis ſuis validiſſimis doceret. Cùm autem Carolus totam Saxſoniam ſubegiſſet, Danorum nulli motus antè ſunt auditi, quàm magnus hic Imperator morte ſua ſpem feciſſet, non eandem pòſt Francis fore felicitatem. Ad annum igitur octingenteſimum decimum quintum cùm Haroldus vnius Danorum partis rex à filiis Godefridi, qui Widekindo Saxſonum regi auxilio cõtra Carolum fuerat, expulſus, ad Ludouicum confugiſſet, ac eius rogatu exercitus contra Danos miſſus, obſides extorſiſſet, quibus ſe imperata facturos cauerent; noua eſt bellorum occaſio oblata: cui & illud acceſſit quòd Cloamar rex Abroditarum à Ludouico ad Danos defeciſſet, ac ob id exilio ab Imperatore mulctatus eſſet. Haroldus autem ſuæ regni partẽ reſtitutus, cum vxore, & liberis, & toto ſuo comitatu Maguntiæ ſacrum Chriſtianæ fidei baptiſmũ ſuſcepit, cui Imperator partem Friſiæ inter cetera munera donauit. Quieuerunt tamen quamdiu Ludouici res proſperæ erant: at cùm impietate filiorum & inſidiis ſuorum turpiter eſſet ab auguſta Imperij dignitate deiectus, quamuis in eam mox reſtitueretur, cœpere depoſito metu, fœderum optimo cuſtode, noua moliri; & Antwerpiam & loca vicina deprædati, Friſios ad vectigal coëgerunt: quæ prima fuit Regis Cochliarici vindicta, quò tardiùs, eò grauiùs ſumpta: quæ incidit in annum à Chriſti natali octingenteſimum viceſimũ tertiũ, mox latiùs graſſatura. Nam cùm Ludouico mortuo, Carolus & Ludouicus eius filij contra Lotharium fratrem, quia ſoli ſibi regnum paternum vi teneret, arma mouiſſent; ac tantam fraternis odiis Francorũ ſtragem, quanta nulla vnquam audita eſſet, edidiſſent; ſic regni vires attenuarunt, vt non ſolùm alienis inuadendis deinde pares non eſſent, ſed vltro etiam alios populos ad Galliam incurſandam inuitarent. Compoſita tamen optimatum conſilio pace, regnum in tres partes eſt diſtractum, tanto infirmius futurum, quanto diuiſa vnitis minus poſſunt. Hac itaque ſpe freti Dani ſiue Normanni, octingenteſimo quadrageſimo ſexto anno ſalutis humanæ, Gallias, Pariſios vſque depopulantur: cum Friſiis tribus prœliis confligunt, vno ſolo victi, duobus ſuperiores. Deinde ſeptimo pòſt anno reuerſi, Ligerim aduerſum ſubeunt, ac Nannetum cæſis omnibus vnà cum Epiſcopo ſabbatho Paſchæ de more Baptiſmi ſacramentum adminiſtrante capiunt; Andegauo deinde ac Turonis occupatis, vbi & D. Martini auguſtum templum incenderunt: quam impietatẽ licet Carolus vlciſci nequiret, non tamen diu habuerunt impunem, diuina ira domũ reuerſis inteſtinum bellum ciente; in quo ſic ſe fraterno & domeſtico ſangui-

ſanguine ſaturarunt, vt præter vnum puerum, nemo de regia ſtirpe manſerit ſuperſtes, iam vix ſecundo anno, è quo ſacrilegiis & abominanda crudelitate ſe cacodæmoni deuouerunt, ad finem ſuum labente. Rurſus tamen viginti pòſt annis Germaniam tentant, & ingenti clade cæduntur; quam alibi contra Francos vlturi, ſecundo pòſt anno in Galliam mouent: non iam, vti videbantur, prædabundi, ſed quaſi in ea perpetuam Andegaui ſedem poſituri; quos Carolus longa obſidione ad extrema preſſos facilè deleuiſſet, niſi pecuniam ſaluti patriæ & regni ſui prætuliſſet, qua ad magnum pondus accepta, eos dimiſit; à quibus mox tota Gallia flammis & ferro eſſet vaſtanda, inſigni exemplo, quàm auaritia mentes mortalium excæcet. Nam quamuis anno octingenteſimo octageſimo vltra nouem millia in ſilua Carbonaria cæſa ſint; altero pòſt anno copiis maioribus ſibi adiunctis, totam Auſtraſiam quàm latè ad Bonna ad mare vſque patet, ingenti diritate vaſtarunt, omnibus opidis & maioribus, & minoribus expugnatis & incenſis; inter alia Treueris & Metis, ad quas prœlio cum Chriſtianis commiſſo ſuperiores euaſerunt, ipſo etiam Epiſcopo in acie cæſo: quos tamen Carolus tum temporis Imperator exercitu Gallorum & Germanorum ſic obſedit, vt fœdere inito Rex ſe Chriſtianam religionem accepturum polliceretur, cui Giſa filia Lotarij, in dotem Friſia aſſignata, ſpondebatur. Sed quid ego multis texo Hiſtoriam, cùm ſatis ſit, antiquitates primas gentis indicaſſe; atque hoc vnum demonſtraſſe, nihil de iis veri in Saxſonis & Crantſij ſcriptis contineri? Qui reliqua ipſorum geſta cognoſcere volet, habet complures quos legat, cum veteres, tum recentiores, qui ſub communi Normannorum nomine omnes eos comprehendunt, qui nauibus è Sona ad piraticam egreſſi, & Normanniam, quam Weſtrijc, vnde corruptè fecerunt Neuſtriam, cùm Weſtriam dicere debuiſſent, antea vocabatur; & Siciliam, & optimam regni Neapolitani partem in ditionem ſuam redegerunt. Quoniam verò Danis attribui, quæ de Normannis ſcribuntur, addenda ratio ob quam ita ſentiam. Dixi Daniam Sconlandiæ & inſularum adiacentium terminis principio fuiſſe comprehenſam, & multo poſt Chriſtum natum Danos Cimbricæ Cherroneſi ditione potitos. Incolæ autem Norwegiæ, Normanni vocātur; eadem ratione, qua tota regio, à Septentrione, quem nos Mort vocamus, nomenclaturam adepti: communi analogia & formula Morssigſmanni fortaſſe primùm, ſed pòſt breuitatis lenitatiſque cauſa Normanni vocati. Et vt non quæuis regio Septentrionalis, à Septentrione nominatur; ita nec quiuis homines ab eodem cæli cardine nuncupandi: quamuis non negem, plurimos quo-

que vicinorum lucri auidos, rapinarum Danis ſocios fuiſſe, ac idcirco ſub eodem nomine latuiſſe; atque hanc cauſam fuiſſe, vt Normanni potiùs quàm Dani vellent vocari; eò quòd quamuis omnes Dani nõ eſſent, omnes tamen eſſent Septentrionales. Certè nomen Normanniæ, video Cherroneſo quoque Cimbricæ à Reginone datum; quo loco narrat, Widichindum ad Normannos fugiſſe, cùm Carolus Magnus conuentum Padenbornæ haberet; aliis referentibus ad Regem Daniæ ſe ſurripuiſſe Widichindum. Quo verò loco Daniæ tum fines eſſent, Regino item docet, qui proximus illis temporibus vixit: cuius verba adſcripta, clarè omnem tollent dubitationem. Eodem die, inquit, Godefridus Rex Danorũ venit cum claſſe ſua, & omni equitatu regni ſui ad locum, qui dicitur Schleſwich in confinio regni ſui & Saxſoniæ. Promiſit enim ſe ad colloquium Imperatoris venturum: ſed conſilio ſuorum territus, propiùs non acceſsit, ſed quicquid voluit, per legatos mandauit. Hæc ille: quibus addit, Carolum tunc ad Albim in Hoftſteiy ſtatiua habuiſſe. Idem pòſt narrat, Carolo Aquis commorante, ducentarum nauium claſſem è Normannia in Friſiam appuliſſe, atque Danos Friſiis deuictis, tributũ impoſuiſſe, vbi apertè Danos è Normannia educit: & alibi ſemel atque iterum & pluries etiam è Sona fluuio Normannos nauigaſſe in Galliam refert; ita vt videatur credidiſſe Sunt nomen fluuij fuiſſe, cùm hac voce Danicum fretum per excellentiam notetur, generatim alioqui quoduis fretum ſignificatura. Sed quid pluribus in hoc docendo laboro, cùm Eginhartus Caroli Magni alumnus & ſcriba, inſigni & rariſsima Latinæ linguæ eloquentia, cum Ciceronis ætate certans, apertè teſtificetur eoſdem Danos & Normannos eſſe? cuius verba, & quia elegantia ſunt, & breuitate ſumma plurimum comprehendunt, lubentiùs quàm Reginonis adſcribam. Ceterùm, inquit, incruentum pæne Francis hoc bellum fuit (loquitur de bello Hunnico, quo Rex Caganus cum omnibus ſuis cæſus, incomparabiles theſauros Carolo reliquit) & proſperrimum exitum habuit, tametſi diutius ſua magnitudine traheretur. Poſt quod & Saxſonicum ſuæ prolixitati conuenientem finem accepit. Bohemanicum quoque & Hiliuonicum, quæ poſtea exorta ſunt, diu durare non potuerunt; quorum vtrumque, ductu Caroli iunioris, celeri fine completum eſt. Vltimũ, quod contra Normannos, qui Dani vocantur, primũ piraticam exercẽtes, deinde maiori claſſe litora Gallię atq; Germaniæ vaſtantes, bellũ ſuſceptum eſt; quorũ rex Godefridus adeò vana ſpe inflatus erat, vt totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatẽ. Friſiam quoq; & Saxſoniã haud aliter atq; ſuas prouincias eſtimabat.

Iam

Iam Abotritos vicinos ſuos in ſuam ditionem redegerat ; iam eos ſibi vectigales fecerat. Iactabat etiam ſe breui Aquaſgrani, vbi Regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturũ: nec dictis eius quamuis vaniſſimis omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinata fuiſſet morte præuentus. Nam à proprio ſatellite interfectus, & ſuæ vitæ, & belli à ſe inchoati finem accelerauit. Hæc ille. Idem tamen alibi, Danos & Sueonas communi Normãnorum comprehẽdit appellatione: nec malè ſanè; vel quia æquè ſint Septentrionales, vel quia Danicæ etiam gentis pars habeãtur; vti ego monſtraui. Saxo Grãmaticus in hoc, de quo locuti ſumus, Godefrido, veram hiſtoriam, tandem ceu à graui ſomniorum veterno vix dum excitatus, attingere incipit, cùm de patre eius, omnibuſque Normannorum regibus ſuperioribus, frigidas duntaxat fabulas ſeptem libris & toto ferè octauo finxiſſet: & ne de hoc quidem ſic ſcripſit, vt Reginonem illorum ferè temporum æqualem, aut quempiam aliorũ, qui Danorũ res geſtas litteris mandarunt, legiſſe videatur. Porrò id etiam monendum, me non ignorare plures Normãnorum reges fuiſſe, cùm Norwegia latiſſimè pateat, & Gotiam, & Suedaniam, aliaſque regiones vicinas habeat; è quarum litoribus auxilia etiam piratica, & prædonum numerum, Dani poterant augere; vt & paulo antè indicaui. Atque hæc ſatis de Danorum origine ; quam ab Alanorum parentibus acceptam, per omnia Sconlandiæ loca ad ipſum vſq; exteriorem Oceanum, & eius etiam inſulas, quàm latè eorum linguæ idiotiſmus tendit, propagarunt, adeò, vt & litora oppoſita videantur occupaſſe ad ipſam vſque exteriorem nobis Engroenlandiæ partẽ, in qua Hay fluuius ab eadem aue, à qua Dani, nomen habuiſſe videtur. Dicitur autem Engroenlandia, anguſta Groenlandia, quam Viridẽ regionem Latinè verteremus. Nomine igitur ſuo declarat eſſe ſe angultiorem ipſius Groenlandiæ propaginem, quippe quæ ab ea vltra ſexcenta milliaria Germanica verſus Meridiem & Occidentem in Oceanum extendatur: quam cùm ſuperioribus ſeculis mercatores noſtrates nouerint, & Geni naucleri Veneti portus, & flumina, & litorum tractus in ea deſcripſerint, adiectis & aliis terris, ad nauigationis pericula declinanda, cognitu vtiliſsimis; mirum quî fiat, vt in tanta Gallorum & Anglorum ad lucrum vndique expiſcandum diligẽtia, hodie omnibus ita ſit incognita, ceu inani duntaxat nomine, veluti Vtopia quædam iactaretur. Miror item Friſios & Hollandos, Friſlandiam illam, quam ſupra Scotiam, Occidentẽ verſus iidem deſcripſerunt, non diligentiùs explorare; cùm inſula ea vltra quadraginta quinque milliaria Germanica in longum, in latum vltra triginta porrigatur.

Lin-

Linguam autem illis Cimbricam esse, satis liquet ex ipsis locorum nominibus, licet ab Italis eius ignaris, voces plurimùm corruptæ videantur. Cabart opidulum est ad sinum situm, qui ob vadi breuitatem naues citra periculum non admittit; sic dictum quasi Cauart, id est, mala nauigatio, diceretur. Sunt ad idem insulæ Occidentale latus duo præterea sinus permagni, quorum Septentrionalis à promontorio Nordot, id est, capite Septentrionali: Australis à promontorio Suderot, id est, capite Meridiano, habet appellationem. Est & insula parua ad Austrum præiacens, quam Horsant vocant, id est, regio præiacens: quamuis Portlandam Veneti scribant: quod si correctè faciant, Portsand erit regionis porta: quo nomine in Anglia sinus quidam vocatur. Omnia denique nomina Cimbricam redolent originem: vt Osibar, Hoseuar, quod ad altum Oceanum Meridianum opidum sit. Sorand pro Surand, id est, limbus Meridianus. Sodmec pro Sodmac, id est, Dei factura, opidum ad insignem portum, nomine suo bonam promittens nauium stationem. Est & Vfrisland vrbs, sub eadem linea parallela cum Cimbrico promontorio, ex Genorum descriptione, nomine suo testata, huc primùm Frisios appulisse. Ab hac insula Occidentem versus regio depingitur, ad sexaginta milliaria Germanica remota, nomen itidem Cimbricum retinens: quæ cùm trecentos & denos gradus longitudinis habeat, in orbem nouum incidit, & ei vel præiacet, vel annectitur: in quo Norumbega regio mihi persuadet, Norwegos, quos Norumbegos Hispani dicunt, antiquitus hanc regionem de nomine suo nuncupasse. Sed plura hæc fortasse, quàm sit necesse, vtilia tamen mihi ad id visa, vt prisca nauigationum diligentia nostris hominibus reuocetur, dum vident de claris linguæ suæ vestigiis antiquam maiorum suorum possessionem, ad ipsum vsque quem vocamus nouum orbẽ pertigisse. Verùm quia Saxo post Paulũ Diaconum Longobardorum è Scandia primordia ducit, & ex ea sub Snyone Godefridi abauo, fame compulsos sortium iudicio exiisse asserit, non possum committere, quin hanc etiam ab antiquitatum serie maculam tollam. Nam si vera hæc essent, necessariò colligeretur, vt longissimè calculum sursum ducas: non tamen emigrationẽ hanc Caroli Magni abauo fuisse antiquioreẽ; qui Pipinus cognomẽto Crassus vocatus, Caroli Martelli pater, circa annũ à redemptione generis humani septingentesimum, & inferioris Brabantiæ, & totius Austrasiæ Dux, & in totius Franciæ gubernatione Coninc stapel, id est, Regis columen, magna celebritate vixit. Ad hoc igitur tempus, si, vt Saxo voluit, Longobardi primùm sibi hoc nomen, nescio cuius

Gutlan-

Gutlandicæ Deæ inſtinctu, dederũt; conſequens eſt, antea hanc gẽtem Danorum nominẽ in Scandia fuiſſe vocatam: tantum abeſt, vt priùs in Germania fuerit quærenda. Admiranda ſanè res eſt, quàm omnes ferè nationes fabulis in exordiis ſuis recitandis oblectentur: quæ vt tolerandæ aliquo modo in illis ſunt, de quibus nihil certi veterum monumenta tradiderunt; ita non video, qua fronte quis velit idoneorum teſtium auctoritati nugas ſuas citra omnem prioris ſententiæ confutationem anteferri. Tacitus, qui ſub Domitiano prætura geſſit, tot ſæculis ante Pipinum florens, Langobardos agnouit; & eos, non in Scandia, ſed in media Germania collocans, admiratus eſt, quî hæc natio vndique tot feris gentibus cincta, numeroque hominum Sueuis longè inferior, ſeſe aduerſus vim tueretur. Ptolemæus Langobardos mediterraneos, & quaſi intimos Germaniæ facit, ad Occidentale Sueuorum Anglorum latus ſitos, à quibus Lancobardos diſtinguendos putauit, de diuerſis eorum ſedibus nominum ſibi diuerſitatẽ, neſcio cuius auctoritate fabricatus, cùm Langobardi, vbicunque locorum habitent, ſint nominandi; nomine idem ſignificante quod Lancobardi, eò quòd *Lanc* & *Lang* eiuſdem nobis ſint notionis. Pro vnis igitur Langobardis, geminos in Germania inuenimus: vtrumque tamen eorum genus citra Albim, à Rheno longè remotum; vt meritò Tacitus miratus ſit, quî tuti in hoc Sueuorum meditullio viuere poſſent. Quid hîc dicis Paule Diacone, vbi apertis teſtimoniis grauiſſimorum hominum mendacij te conuictum cernis? Per me quidem licet, vt qui volet, tibi potiùs anicularum deliramenta adferenti, (quæ equidem recitare, quia frigidiſſima ſunt & plena infacetiarum, non dignabor) quàm Tacito & Ptolemæo veritatem explicantibus credat: ego interim hoc pro certo ſtatuam, hos Germanos Langobardos, à longis barbis nutriendis nominatos, paulatim non aliter atque vicinos ſuos ſedes mutaſſe ſurſum ad calidiora loca enitendo, dum tandem ad Danubium peruenirent; vbi ad Morauiam nunc vocatam, & vetuſtas Boiorum ſedes, Hercinij ſaltus aſperitate paucitatem ſuam à finitimis defendentes, aliquantulum temporis duram vitam & ignobilem egerunt, tantiſper dum Iuſtinianus eos inde magnis muneribus euocaret, vſurus iis tum ad loca à Barbaris vaſtata rurſus colenda, tum ad hoſtes nouo & ſtrennuo milite opprimendos. Principio igitur antiquam vrbem in Norico dedit, & alia quædam in Pannonia caſtra ad præſidium collocata; quibus allecti, horridis ſuis ſiluis relictis, Danubium trãſeunt, ac ad Gepidarum fines vniuerſim conſidunt, vti Procopius, qui illa ipſa ætate vixit, ſcriptum reliquit: quod cum Tacito & Ptolemæo egregiè con-

ſentit; quoniam Sueuis ad dextra Rheno propinquiùs aſcendentibus, ipſi, quia minùs viribus poſſent, ſiniſtrorſum à potẽtioribus declinantes, recto tractu ſecundum Albim ad ſiluas, quæ Boiorũ priùs, pòſt Marcomannorum fuerunt, contenderunt: quòd ea loca Marcomannicis contra Romanos bellis exhauſta, paucos cultores haberent. Cùm ergo in tanta barbarie, quantam tum fuiſſe in tot nationũ colluuie credere oportet, omnes ferè illi laterent, vt qui ſeſe armis apud Græcos Romanósve necdum nobilitaſſent: nihil miri eſt, Diaconum & Grammaticum Langobardos ex abditis Hercinij ſaltus latebris egreſſos, quia vnde veniſſent, non legiſſent, dixiſſe è Scandia commigraſſe, vt ferè ſemper, quorum ortus ignoramus, eos è longinquo loco, cuius minimè vulgaris eſt notitia, è qua mendacium deprehenderetur, euocamus. Bene itaque feciſſet Saxo, ſi antiquiorem emigrationem eorum finxiſſet, quò cum Procopio & veritate paulò meliùs temporum ſupputatio conueniret. Nam quî conuenit dicere, Pipino demum in Gallia ſummam rerum tenente, è Scandia commigraſſe, ſi ducentis antè annis ſub Iuſtiniani apud Romanos, & Theodorici, & Theodoberti apud Auſtraſios principatu, in Noricum venerunt? Videmus itaque, quàm impudenter quidam, dum nugas agunt, Hiſtoricorum ſibi titulum arrogent; & quantum fidei, indoctis eiuſmodi antiquitatum hominibus, ſit tribuendum. Langobardis ergo priſci Germanici ſanguinis honorem reſtituimus; quibus inſtructi, rectiùs hiſtoriam eorum, & cum maiore voluptate cognoſcemus. Porrò vt ſtolidè, & contra omnia doctæ vetuſtatis teſtimonia, Gotos & Langobardos è Scandia ad Euxinum & Iſtrum veniſſe fabulantur: ita & Gepidas ad ridicula primordia ex eadem Cherroneſo deſumpta, reuocarunt. Procopius hos etiam Goticæ gentis partem fuiſſe aſſerit, quos veteres Melanchlænos nominarint, in Sarmatia Europæa ſitos. Laudandus hac parte Procopius, qui Herodoto hîc maluit, quàm Ptolemæo aſſentiri, cùm hic vetuſtiſsimas Melanchlænorum ſedes ex antiquiſsimis tabulis in Sarmatia Aſiatica ad ipſas Rha ingentis fluminis ripas collocarit: qua ſua deſcriptione me iuuat quamplurimùm, qui contendo omnes hos, de quibus agimus, populos ex Aſia in Europam commigraſſe. Ineptiit igitur Herodotus, vt antè dixi, dum hominibus longè ex Aſia generis ſui principia ducentibus, nomen Græcum accommodauit: cùm qui paſcendis pecoribus viuunt, & vno loco non commorantur, ſemper videantur terram læto gramine luxuriantem ſibi ſumere commodato, relicta iis, qui velint, poſſeſsione: quod ipſo Melanchlænorum nomine clarè ſignificatur. Habemus ergo, Gepi-

das

das Melanchlænos olim dictos fuisse, & maiores ipsorum pascua sibi ad Volgam commodato sumpsisse, eò quòd ceterorum Nomadum more, eiusdem loci pastura longior annua non placeret, atque inde paulatim citra Tanaim, ad intima vsque Sarmatiæ Europææ processisse; ita vt Herodotus eos viginti dierum itinere à mari Euxino habitare dicat, in singulos dies ducentis stadiis supputatis: quæ mensura à gradu militari pleno à Vegetio annotato, non admodum recedit. Centum igitur & viginti milliaribus Germanicis ab Euxino distabant, sed quia ab Istro non adiecit interuallum, dubiam adhuc eorum habitationem reliquit. Certè etymon vocis omnibus in vniuersum Nomadibus conuenit; eò quòd omnes pascuis non veluti perpetuò suis, sed ad annum vnum vel alterum commodatis vterentur. Verùm cùm vlterius vagandi potestas non esset, quia ad fines eorũ peruenerant, qui certas & fixas sibi sedes tenebant; occuparunt & ipsi terram deinde non commodato, sed perpetuo imperio tenendam: atque hac causa nomen suum commutarunt, pro Melanchlænis Gepidas se nominantes; propterea quòd qui commodato sumunt, precario videntur rem habere: at qui aliquid nullius permissu, sed arbitrio & iussu suo occupant, ij aliis videntur iubere, & imperare, vt de communi hominibus immetata colentibus iugera discedant. Gepiedey enim idem est, quod iubemus & imperamus Latinè diceretur. Ostendebant igitur se, quam occupauerant regionem, suo se imperio, non commodato, vt antea, possidere; atque in ea se dictaturam perpetuam habere. Ex mensura sanè Herodoti videntur ad Burgundionum fines peruenisse, atque hîc vlteriùs progrediendi fuisse ademptam potestatem. Consederant autem hi ad Burgum fluuium, qui in Vistulam sese exonerat, non parua priùs terrarum spacia emensus, qui ab arcibus, quas ad eum Burgundiones contra vagandi licentiam Nomadibus vsitatam construxerant, nomen accepit. Dicuntur autem Burgenswoney ij, qui oppida & arces habitant vitæ instituto vagis discursibus prorsus contrario, eodem modo quo Hermitswoney, & Ingezeswoney, & Westswoney, eò quòd Woney significet habitare: è quibus Latini Burgundiones, Hermiones, Ingeuones, & Estiones fecerunt. Ptolemæus Burgiones à Burgundionibus distinguit, corruptè pro Burgundionibus Phrungudiones libro meo habẽte: quod hic eodẽ fecit modo, quo Lancobardos & Langobardos ꝓpter locorũ diuersitatẽ discretis nominibus appellauit. Burgundiones igitur sic dicti sunt, appellationis quadam excellentia singulari; non illud quidẽ, quòd soli arces habitarẽt, sed quòd eas tenerẽt præsidio suo, quibus Germania cõtra

Getas limitem Orientalem tueretur, qui vnus fuit omnium difficillimus ad custodiendum. Fluuij nomen corruptè Bug hodie dicitur à Polonis, Germanici & veteris eorum locorum sermonis imperitis, & fortassis à semidocto quopiam deceptis; qui cùm Bycis fluuij apud Ptolemæum nomen legisset, huic applicandum putauit, cùm Buc Ptolemæi in Bycen paludem supra Isthmum Cimbricam exoneretur, hic verò in Vistulam per antiquos Burgundionum fines euoluatur, limitaneis arcibus ita decoratus, vt hinc nomen acceperit. Gepidæ itaque circa Volhimiam nunc vocatam ad fines Podoliæ pertingebant, Melanchlænorum nomine tum appellati, Burgundionibus finitimi; atque hinc deinde ascenderunt versus Daciam Carpatho inclusam: quam Getis siue Dacis trans Danubium progressis exoneratam debilitatamque, postquam ad Occidentale eius latus per aliquod annos consedissent, inuaserunt & occuparunt. Priùs tamen cum Burgundionibus bella gessisse, Iornandes etiam testatur, hac sua assertione nonnihil veræ antiquitatis attingens; & confirmans eos ad fines Burgundionum antiquitus habitasse, ac illinc sursum versus Danubium adscendisse: quo transmisso, Decium Imperatorem ceciderunt, qui paludibus dicitur absorptus, filio Cæsare ab hostibus interfecto: quam victoriã Cniua duce eos obtinuisse narrat: deinde verò, non addens quoto pòst anno, Daciam occupatam de nomine suo Gepidiam dixisse: quod equidem miror, quãdo Procopius eos à Langobardis ad Occidentem finitimis ferè deletos esse scribat. Sed verisimile est, à Langobardorum finibus victos longiùs versus Orientẽ ad Carpathum cõfugisse, quò asperitate montiũ se tuerentur, ac tũ Daciã facilè occupasse, eò quòd omnes Getarum vires in Romanas prouincias diffusæ essent, patriis sedibus prorsus desertis, dum sibi iter ad meliores regiones apertum viderent. Gepidæ igitur, Procopio & Iornande testibus, pars Gotorum, ad Occidentem longissimè ab Euxino ad fines vsque Burgundionum gentis Germanicæ, remoti fuerunt: quos Ptolemæus fortasse sua ætate Tragomontanos vocauit: quod mihi suspicari ex eo in mentem venit, quòd Iornandes eos tardioris ingenij, quàm ceteros Gotos, esse dicat; atque adeò à tarditate eos nomen habere credat: quàm bene, mox examinabo. Certè à tarditate Tragomontani per conuicium à vicinis poterant vocari, eò quòd tardo ore loquerentur, vti apud nos itidem quosdam agrestes facere videmus; cùm Tragen-mont tardũ os notet, è quo Tranomontani scribentium vitio, dum ν pro γ similitudine decepti pingunt, apud Ptolemæum extiterunt. Audiuerat igitur Iornandes Gepidas olim à tarditate nominatos fuisse; sed ignorabat, qua voce

ca

ea fuisset notata: & idcirco hanc rationem in Gepidæ nomine quæsiuit; quam vt inueniret, Gepidam à Gepanta deriuat, quo pigrum ipsorum lingua significetur: inde Gepidam corruptè dici arbitratus. Si linguæ ipsorum peritus fuisset, longè propiùs accedere potuisset, Gepidam à Gepeit, siue, vt nos dicimus, gebeit; quo diu expectatus signatur, deducendo: cùm frequens sit vnius litterarum in alteram transitus: & Sepant, non pigrũ, sed eum notet, à quo pignus acceptum est; nec quicquam verisimilitudinis habeat à Sepant Gepidam dici; vbi præter primam syllabam nihil est cõmunionis. Tragomontani verò nomen, apertè id quod in iis finitimi ridebant, significat: quod vt ab iis per conuicium dabatur, ita à Gepidis minimè est receptum: eaq; de causa dum pòst notiores hæ Gotorum nãtiones fierent, prorsus obscuratum, eò quòd nulla gens tam obtusa sit, vt aliorum in se irrisionem pro nomine suo velit vsurpare; & dum verum nomen cognoscitur, alterum, quod verum nõ est, sed per contumeliam datum, euanescit. Quia verò tempore Iornandis Daciam adhuc tenebant, verisimile est, linguam Teutonicam, quæ Gepidis eadem & Gotis fuit, ab ea vsq; die illic hactenus permansisse: quanquam fieri potuit, vt Carolus Magnus Saxsones etiam in eandem pòst regionem induxerit, qui nunquam linguam suam retinuissent, nisi cum iis habitassent, qui eodem sermone vterentur, nõ magis certè quàm Franci qui in Galliam iam Romanisantẽ, vel Goti qui in Italiam Latinè loquentem transierunt. Dicuntur in hanc Brabantiæ campestris oram, decem quoque Saxsonum millia à Carolo traducta, quo Ambiuaritorum regionem, ab antiquis suis cultoribus in lætos Galliæ Celticæ agros Francorum ductu egressis, desertam, in vetustum decus restituerent, & à solitudine liberarent: sed illis non plus de Saxsonica lingua decessit, quàm illud solum, quo Saxsonum sermo à Cimbrica sinceritate per Allemanici Sueuiciq́ue spiritus affectationem degenerauit: quod inde accidit, quòd his in locis lingua prisca à Romanis nunquam fuisset aut corrupta aut immutata. Idem in Dacia siue Gepidia contigisse arbitror: & quemadmodum Saxsones, Ambiuaritos & Atuaticos idiotismos apud nostrates receperunt; ita illic quoque ad Gepidarum & Dacorum dialectum se accommodasse: qui si Wendicam loquelam habuissent, Saxsones sermonem patrium non magis illic, quàm Franci & Normanni in Gallia conseruassent. Si igitur à Carolo in Daciam adducti fuerunt, vti non est vero dissimile credendum, apud illos solos linguam antiquã mansisse, qui vetustis Gepidis & Dais permisti vixerunt: aliis verò, si qui fuerũt, qui inter Sclauicos populos egerunt, patriam loquelam periisse. Verùm quo certior sit

probatio, adducenda Pauli Diaconi verba, qui libro rerum Langobardicarum primo hanc habet hiſtoriã: Mortuus itaq; eſt Odewyn, ac deinde regnũ iam decimus Albuyn ad regẽdam patriam cunctorũ votis acceſsit. Clotharius Rex Francorum Clotſuyndam ei ſuam filiam in matrimonium ſociauit: de qua vnam tantùm filiam Alſuyndam nomine genuit. Qui vindicare veteres Gepidanorum iniurias cupiens, rupto cum Gepidis fœdere, bellũ potiùs quàm pacem elegit. Albuyn verò cum Auaribus, qui primùm Huni, poſteà de Regis proprij nomine Auares appellati ſunt, fœdus perpetuum init. Dehinc ad præparatũ cum Gepidis bellum profectus eſt. Qui cùm aduerſus eum è diuerſo properarent, Auares vt cum Albuyn ſtatuerant, eorum patriã inuaſerunt. Triſtis ad Chunimundum nuncius veniẽs, inuaſiſſe Auares eius terminos edicit. Qui proſtratus animo, & vtrinque in anguſtiis poſitus, fortiter tamẽ ſuos, primùm cum Langobardis confligere iubet: quos ſi ſuperare valerent, demùm Hunnorum exercitum è patria pellerent. Committitur ergo prœliũ: pugnatum eſt totis viribus: Langobardi victores effecti ſunt tanta in Gepidas ira deſæuientes, vt eos ad internecionẽ vſq; delerent, atq; ex eorũ copioſa multitudine, vix nũcius ſupereſſet. In eo prœlio Albuyn Chunimundum occidit, caputq; eius ſublatũ, ad bibẽdum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos Scala dicitur; lingua verò Latina patera vocitatur: cuius filiam nomine Roſemundã cum magna ſimul multitudine diuerſi ſexus & ætatis duxit captiuam: quam, quia Cloſuynda obierat, in ſuã, vt poſt patuit, pernicie duxit vxorẽ. Tunc Langobardi tantã adepti ſunt prædam, vt iam ad ampliſſimas peruenirẽt diuitias. Gepedanorũ verò ita eſt genus diminutũ, vt ex illo iam tẽpore vltra non habuerint Regem, ſed vniuerſi qui ſupereſſe bello poterant, aut Langobardis ſubditi, aut vſque hodie Hunis eorum patriam poſſidentibus, duro imperio ſubiecti ſunt. Hæc Paulus Diaconus. In quibus cernimus, Chunimũdi & Roſemundæ nomina apertiſsimè Germanica eſſe: quorum illud audax imperterritumque os; hoc roſeum os notat: quanquã, neſcio qua de cauſa, Chunimundus Choraſinus apud Procopiũ vocetur, niſi fortè binominis fuiſſe dicatur. Choraſſinus certè Cimbricum vocabulũ eſt, eum ſignãs, qui citò ſuis audientiam dat: vtroq; in eo fauſtè feliciterq; optato, & vt imperterrito audacíq; ore imperaret, & vt citò ſuis audientiã præberet. Manſerũt igitur Gepidæ Hunis & Auaris ſubiecti, donec Carolus Magnus è Norico, Pannonia Daciaq; vltra Carpathias anguſtias in Sarmatiã commiſtam gentẽ profligaret. Langobardos item noſtra lingua loquutos fuiſſe, cùm propria nomina, tum Scala etiam monſtrat; qua voce hactenus

ctenus pro patera vti ſolemus: quãuis nihil opus ſit in eo docẽdo laborare, cùm clarè demonſtrarim, in media eos Germania quondá habitaſſe. Neq; igitur vel Langobardi vel Gepidæ è Scandia venerunt, nec item Burgundiones Hunni fuerunt, nec Burgundi alij à Burgundionibus, nec à Burgionibus; licet Agathius & Ptolemæus hæc nomina diſtinxiſſe videantur. Agathius enim libro quinto Burgundos Hunnos facit, cùm libro eiuſdem Hiſtoriæ primo, Burgundiones Gotos eſſe dicat, errore quidem manifeſto, ſed Græco homini in tanta Gotorum, Hunnorum, Germanorũ confuſione condonando. Verùm cùm hos Plinius partẽ Vandilorũ ponat quintæ Germanorũ portionis, & Gutonibus proximos faciat, eisque Varinos & Carinos annumeret; non malè colligo Burgundiones apud Ptolemæũ legendum, quibus Tragomontanos finitimos locauit, nec procul ab eiſdẽ Auarinos, quos ego Auaros pòſt nominatos opinor: quamuis pleriq; Hunos Auarosque eoſdẽ exiſtimarint. Eginhartus de Carolo Magno hero ſuo ſcribens, Maximũ, inquit, omnium, quæ ab illo geſta ſunt, bellorum, præter Saxonicũ, huic belloſucceſſit, illud videlicet, quod contra Auaros ſiue Hunos ſuſceptũ eſt, quod ille & animoſius, quàm cetera, & longè maiore apparatu adminiſtrauit. Ex his Eginharti verbis, in eam ventũ eſt opinionem, Hunnos & Auaros eoſdẽ eſſe, quos ego tamen diſtinguendos opinor, & quod communibus coniunctiſque duarum gentium viribus geſtũ eſt, id modò huic, modò illi adſcribi; perinde atque ſi quis dicat, Oſtrogotos ab Hunnis ſiue Alanis eiectos: qua oratione Hunnos & Alanos non eoſdem facimus, ſed dicimus amborũ armis Oſtrogotos oppreſſos fuiſſe. Ex Ptolemæi deſcriptione, & ad eam hiſtoriæ collatione, & vocum conſenſu, Auaros eoſdem eſſe crediderim cum Auarinis, non aliter ab Auaris Auarinis deriuatis, quàm à Gotis fiunt Gotini. Apud Pliniũ ergo mendũ fortaſſis erit, primo vocabuli elemento ex Auarinis ſublato, dũ Varinos & Burgundiones populos Vandilorũ fecit, ipſa gentium vicinia non apud hunc modò, ſed apud Ptolemæum etiam obſeruata, vitioſam ſcripturam arguente. Vbi verò Vandilos Plinius collocarit, tũ Guttones, tũ Burgundiones apertè monſtrant: quorũ his cùm Ptolemæus Auarinos finitimos ponat; quis ampliùs dubitabit eos eſſe Auarinos, quos Varinos Plinij codex vocauit? Chuni autẽ à Ptolemæo, & aliis item quamplurimis vocati, Huni apud omnes eſſe iudicantur, citra omnem hæſitationem; qui in eadem Sarmatia, quamuis ad Orientem Mæotim verſus, non parum ab Auarinis recedant, in latitudine tamẽ parũ differunt; nec vlla gens præter Tragomontanorũ ſiue Gepidarum, quæ quidẽ nobilis ſit, inter Auarinos & Chunos intercedit.

Trago-

Tragomontanis igitur ad Istrũ digressis, Chuni & Auarini vires suas videntur coniunxisse, communi vt Marte faciliùs aliena occuparent: atque inde factum esse, vt qui contra ipsorum exercitus bellum gereret, is modò contra Auaros, modò contra Hunos id gessisse diceretur. Frequentius tamen fuit & celebrius Hunorum quàm Auarorum nomen, eò quòd gentis amplitudine, & rerum gestarum claritate longè essent superiores. Periere tamen ingentibus variisque cladibus attriti; adeò vt Agathius suo tempore nullam eorum notitiam haberi dicat; siue quòd prorsus extincti, siue quòd longiùs essent à Romanis prouinciis reiecti. Auari verò rebus Hunorum labentibus, videntur partim cum Hunis ad antiquas in Sarmatia sedes reuersi, partim ad Boios transgressi, propter linguæ communionẽ, quæ Bois Gallica, Auaris erat Cimbrica, & illos in prioribus sedibus ex duabus diuersi sermonis nationibus coalescentes, Hunauaros; hos verò in Norico considentes Boiauaros, & per syncopen Bauaros fuisse nominatos: atque hinc esse, vt Bauari à prisco sermone nõ longiùs recesserint, quàm quantum Sueuicæ linguæ contagio vetustæ puritatis ademit: apud Hunauaros verò loquela extiterit, Hunnicam Germanica mistione permutans. Ratio autem ob quam in hanc vocẽ Gamma irrepserit, ea videtur fuisse, quòd Huni, vt potiorem gentis & linguæ partem tenebant; ita ad vetus quoddam Hunorum nomen communem nomenclaturam pertraxerunt. Agathius enim testis est, Hunos quosdam Onogoros olim dictos fuisse, qui à Colchis cæsi nomen Onogori opido in cladis acceptæ loco, veluti trophæo cuidam reliquerunt: quod opidum pòst à Christianis Diuo Stephano est nuncupatum. Huni igitur Onogori olim dicti, finitimi Colchorum fuerunt, inter Mæotim & Caspium tum temporis habitantes: qui paulatim ad Tanaiticam planiciem, & inde ad fines Gotorum progressi, Alanis adiuncti, Ostrogotos subiugarunt, & inde in Westgotos inpetũ feceruut. Ex Hunauaris igitur Hungaros se nominarunt: & fieri potest, vt olim etiam Hungori, nõ Onogori, dicti fuerint. Certè satelliti cuidam apud Agathium Ognari nomen est, qui elephantem lanceæ in fronte firmiter incussæ ictu, & fragmine eius inde pendente, sic perturbauit, vt in fugam contra Persas verterit, ac ea occasione Romanis ad Phasim opidum victoriam compararit: quo loco suspicor Ongaris potiùs legendum; cùm Hunos, idem auctor affirmet, eo tempore mercenarios milites fuisse, & modò apud Persas, modò apud Romanos stipendia fecisse, nihil pensi habentes quibus militarent, modò salarium liberaliter numeraretur: quod adeò verum est, vt Vitimiris Gotorum Rex, Hunos contra Hunos testi-

monio

monio Ammiani Marcellini, sibi cõduxerit, atque eorum ope & subsidio Hunis simul & Alanis tãtisper restiterit, dum animam in prœlio efflaret. Ammianus libro tricesimo primo, quo de his tractat, Vngoriorum mentionem facit: sed locus ita corruptus est, vt quid de iis dicat, vix intelligatur: facit tamẽ, vt suspicer, Hungoros siue Hungorios, nõ Onogoros, hos Hunos olim dictos fuisse, atq; ab iis posteà nomẽ Hungaros sibi feciſſe. Sed adeò obscura illius tẽporis est historia, ob varia Hunnorũ genera, intermixtasq; aliis alias gentes, vt vix quicquam certi ex auctoribus elici possit. Mihi satis est ostendisse Hungaros, non ab Hugris, vt Auentinus Iugros vitiose vocat, quò vox ad Hungaros alluderet, descẽdisse; sed multo ante Arnulphi ętatem Vngarorum nomen cognitum fuisse, priùs quidem apud Colchos, deinde ad Istrum, Marcellino teste; postremò verò in Sarmatiæ ea parte, quam Auari siue Auarini quondam tenuerunt, ad quam è Norico à Carolo Magno multis cladibus compulsi cfugõerant, quò longè remoti Francorum arma non ampliùs experirentur. Hinc igitur contra Zwendebaldum ab Arnulpho sunt exciti, non ab Iugris, qui vltra Moscouiam, vltraque Obam flumen multo maximum è lacu Cataio delapsum, ad Oceanum Aquilonarem degunt. Quis enim tam insulsus sit, vt inde ab Arnulpho Imperatore contra Morauanos auxilia credat euocata? sed contrà, quia contra Morauanos euocata sunt, quis non intelligat Hungaros finitimos Morauanis fuisse? Verùm quoniam Iugri siue Iurhi, vt Sigismundus à Rutenis eos vocari dicit, ab omnibus ferè Hungarorum parentes putantur: satius erit, Luitprandi Leuitæ verba adscribere, quò veritas clariùs eluceſcat. Arnulphus interea, inquit, earum quæ sub Arcturo sunt gentium Rex fortissimus, quum Zwendebaldum Morauanorum Ducem, quem suprà nominauimus, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret: depulsis his, prô dolor, munitissimis interpositionibus, quas vulgò Clusas nominari prædiximus, Hungarorũ gentẽ cupidam, audacẽ, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omniũ non insciam, cędis & omnium rapinarum solummodò auidam, in auxilium conuocat: si tamẽ auxilium dici potest: quod paulo pòst eo moriente, tum genti suæ, tum ceteris in Meridie Occasuque degentibus nationibus, graue periculũ, immò excidium fuit. Quid igitur? Zwentebaldus vincitur, subiugatur, sed non solus. O cæcam Arnulphi Regis regnandi cupiditatem! O infelicem, amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio, fit totius Europæ contritio. Hæc Luitprandus, eius ætatis, qua hæc contigerunt, scriptor: qui cùm Clusarum mentionem facit, & eas depulsas dicit, non aliud videtur indicare, quàm in monti-

bus iis,qui Sleſiam à Polonia diuidunt, & iis rurſus,qui Daciam verſus porrigũtur, à Francis præſidia contra gentẽ hanc fuiſſe collocata, vt neq; in Germaniã, neque in Pannoniam penetrare poſſent: quod à me verè dici Segebertus oſtendit;qui dicit Hũgaros antè ſic cõcluſos fuiſſe,vt neq; Occidentẽ,neque Meridiẽ verſus egredi poſſent,obſtãtib⁹ ab Auſtro quidẽ Carpathiis,à Zephyro Sarmaticis anguſtiis,quas Frãci vtrobiq; cuſtodiebãt:quãuis videã vim Cluſarũ, quas Luitprãdus cõmemorauit,nõ ſatis intellexiſſe,cùm dicat eas ab Arnulpho ruptas, quaſi valuis aut muris Hũgari incluſi fuiſſent. Arnulphus cùm auxiliũ peteret,nõ dubiũ eſt quin præſidia Portarũ ſummouerit,quo Hũgaris non tutus modò trãſitus in Morauiã, ſed reditus etiã in patriã pateret, ac deinde victoriæ de Zwẽtebaldo beneficio deuinctus, tranſitũ illũ apertũ incuſtoditumve reliquerit, quaſi nihil opus eſſet cõtra ſocios & amicos montiũ & ſaltuum anguſtias præſidio tenere. Quamdiu Arnulphus quidẽ vixit,fidi quietiq; permanſerũt:at vbi is è viuis diſceſſit,totam Germaniam,Galliam,Italiam & Græciam populabundi incurſarunt,multis Chriſtianorum myriadibus crudeliter fœdeq; trucidatis.Hinc igitur contra Morauos finitimos ſuos à Francis ſunt accerſiti, è priſcis nimirum Auarinorum ſedibus, & fortaſſis ab ipſis ſedibus nomen Auarorũ acceperunt,vt crebrò accidere videmus.Eodem enim modo Francos vocamus Gallos,quoniã antiquam Gallorũ patriam incolunt,& Gallis ſeſe permiſcuerunt. Vel igitur de Hunorum & Auarorum permiſtione, vel de priſca Auarorum regione, Huni ſunt Auari vocati, minimè verò à Rege : quod Diaconus è communi ignorãtię aſylo,quò in nominibus gentiũ ignotis plerique confugiunt, mutuatur. Quemadmodum enim nunc Polonos Sauromatas vocamus,quãuis Sauromatæ minimè ſint,ſed alterius omnino & gentis,& linguæ: & Anglos dicimus Britanos, non à gente,ſed à loco qui olim Britanorum fuit: & Gotos & Alanos, & Vandalos, & Sueuos,& Mauros communi nomine Hiſpanorũ dignamur, quãuis aliunde in Hiſpaniam cõmigrarunt: ita Huni quoque Auari, tũ de ſedibus,tũ de Auarorũ permiſtione vocabãtur.Hungaros verò vel de Ongoriorũ antiqua nomenclatura, vel de Hunnorum Auarorũq; coniunctione ſeſe poſtea nominarunt. Multa ſanè vocabula longiùs ab origine ſua receſſerunt, quàm ſi ex Hunauaris fiant Hungari : & fuit etiam id,vti indicaui,procliuius,quo Hungari lubẽtius antiquã ſuam gentem,quæ in Aſia bellis claruerat, nomine ſuo referrent, nec tamen procul ab Hunauaris diſcederẽt.Aperui nunc, & quare Huni Auari dicti ſint, & quibus è locis Arnulphus Hungaros euocarit. Habitarunt enim poſt Caroli Magni ætatem circa Cracouiam, è qua regio-

regione ad Sleſiam admiſsi præſidiis Francorum ab Imperatore diſcedere iuſsis, Marauaniam, quam Morauiam nunc vocamus, inuaſerunt: & deinde poſt Arnulphi mortem maioribus viribus egreſsi, totam ferè Europam Chriſtianorum ſanguine fœdarunt. Hæc ſententia mea quamuis a Paulo Diacono & aliis fortaſſe diſsideat; mihi tamen ob eam cauſam arridet, quòd Plinio, Ptolemæo, & hiſtoriæ de Hungarorum auxiliis, ingenti Chriſtianitatis malo, ab Arnulpho accerſitis conueniat, & nugas eorum qui à Iugris, quibus nec nomen nec origo cũ Hungaris cõmunis, excludat. Scilicet ab vltimo Aquilonis cardine per tam immenſa terrarum ſpacia, per tot diuerſas & maximas intermedias gentes, per tot inuios ſaltus, tot inuias paludes, per tam bellicoſas nationes, ad Morauiam inuadendam, Iugri euocati ab Arnulpho fuiſſent. Paratum ſanè & in foribus auxilium, ſi volando cum gruibus inde venire potuiſſent. Quamuis verò huic prætexi poſsit, non tum ſtatim continuato itinere inde profectos eſſe, ſed paulatim, veluti ceteras gentes, ex Aſia commigraſſe: id tamen veriſimilitudinem tueri non poteſt, eò quòd tunc primum clauſtra, quibus ad illam vſque ætatem fuerunt obſerati, ab Arnulpho rupta dicantur; nec vlla cauſa addatur, quare Iugrorum nomine reiecto, Hungaros ſeſe nuncuparint. Miror cur non & hos è Scandia eduxerint, perinde atque Langobardos, & Getas, & Gepidas, & ceteras complures nationes: cùm ea multo propiùs quàm Iugra diſtaret. Sed ſatis de his. rurſus ad Auaros redeuntes dicimus eorum quoſdam ſe Bois coniunxiſſe, qui Boiauari commiſto nomine ſunt vocati; ac deinde eorum vitio, qui compoſitionem hanc ignorabant, Boioarij; quod poſterius nomen, miror qua de cauſa Auentino adeò placuerit, vt Bauarorum appellationem ferè abominetur, cùm Bauari è Boiauaris per vulgatam nobis ſyncopen optimè & conuenientiſsimè origini dicantur, licet vetuſta barbari ſæculi diplomata corruptam Boioariorum nomenclaturam obtrudant & inculcent. Pluris ergo Bauaris fiat germana & ſincera vocis compoſitio, quàm hiſtoriographi ſui, & veterum codicillorum auctoritas, qui plerumque ab hominibus veteris memoriæ & antiquitatis ignaris conſcribuntur. Græci Abaros, quos Latini Auaros, vocant: atque hinc eſt, vt in antiquo ſaxo Regenburgij in æde Diui Haimerani Babaria, pro Bauaria, legatur, ipſo etiam Auentino hoc atteſtato. Idem opinatur Auaros Hunos fuiſſe, ab Eginharto forſan deceptus: qui, dum Auaros Hunos dicit, ſic locutus eſt, ac ſi ego dicerem, Langobardos eſſe Inſubres; aut Francos, Gallos, nomine de loco, & permiſtione, non de origine gentis accepto.

Ado item ad Chronicorum finem ſic ſcripſit, vt eoſdem Auaros & Hunos eſſe videatur arbitratus. Ludouicus verò, inquit, præter Noricam, quam habebat, tenuit regna quæ pater ſuus illi dederat, id eſt, Alamaniam, Thoringiam, Auſtraſiam, Saxſoniam, & Auarorum, id eſt, Hunorum regnum. Hic dum dicit Auarorum, id eſt, Hunorum, eodem modo locutus eſt, quo paulo pòſt, dum dicit, Ludouicus Rex Noricorum, id eſt, Boiouariorum; quia videlicet Bauari antiquas Noricorum ſedes tenerent, alioqui cum ipſis nihil habẽtes cognationis. Hungari igitur ſiue Vngorij, vt apud Marcellinum eſt, ad Arnulphi vſque ætatem intra ſaltus Sarmaticos & Carpathios montes domicilia habuêre, ab eo tempore, quo Hunni, ſiue Auari, ſiue Hunauari à Carolo vltra Danubium ſunt fugati; è quibus locis ab Arnulpho excitiſic videntur cum eo pepegiſſe, vt ſi auxilium ferrent, Daciam eis daret habitandam: quam vi mox occupatam quieti ſeptem circiter annos tenuerunt, donec poſt eius mortem, contempta Ludouici in imperio ſucceſſoris pueritia, poſt Morauiam impulſu Chriſtianorum in poteſtatem redactam, & eius regulos Zwendebaldi filios occiſos, Bauariam inuadunt, & totam vaſtant, & inde in Italiam pergunt, eadem illic ſæuitia & immanitate graſſaturi; vnde ingenti præda onuſti in Bauariam reuerſi, ingenti cẽde Rege etiam interempto, in Daciã profligantur, vbi pòſt duobus regibus ſubſtitutis, longè crudeliora meditantur. Nam rurſus Danubium tranſgreſſi, Pannoniã occupant, & de ſuo nomine Hungariam appellant, regionem ob fœcundum ſolum à diuerſis admodum nationibus olim habitatam, & nunc periculo proximam, ne tota à Turcis occupetur, maximo & fœdiſsimo Chriſtianorum Principum pudore: qui ſi vires coniungerent, non hanc modò, ſed totam etiam Aſiam & Africam in ditionem ſuam redigere poſſent; quod Deus nunquam, vt vereor, illis concedet, niſi vterque ordo & Sacerdotalis & Ciuilis, ſublatis viciis, ſe ad meliorem frugem & fidei vnionẽ comparabit. Sed nimiũ hæc multa de Auaris: quę eo maximè à me ſunt deſtinata, ne quis Bauaros è Boiis & Hunis gente Barbara, minimeque germana deriuaret: qua in re mecum facit Bauarorũ vernaculus ſermo, in quo nihil Hunicum, ſed Sueuica & Gallica omnia mihi videntur. De Boiorum autem nobilitate & priſca gentis potentia & amplitudine in Gallorum originibus latiùs agendum: ſatis ſit hoc loco Auaris Hunicam maculam ademiſſe, & Boiauaros ſiue Boiauarios, vt Adoni vocãtur, ad antiquiſsimã Boiorum & Germanorum gentem retuliſſe. quod ſi Auentinus bene enucleaſſet, clareque Auaros & Hunos diſtinxiſſet, hoc onere me liberaſſet. Habemus itaque, qui Auari ſint, Auarini Ptolemæo, & mendosè,

ni fal-

ni fallor, Varini à Plinio dicti. Ceterùm quando Burgundiones, Guttones, & Auarinos, Vandelos facit, sitque obstinatissima apud plurimos, non plebeios modò, sed primæ etiam classis viros, persuasio, Vãdelos eosdem cum Windis siue Wendis esse hominibus, nihil minùs quàm Teutonis, placuit & hunc errorem eradicare; tametsi priùs è Procopio omnibus Gotis, Gepidis, Vandelis & Vesegotis, eandẽ linguam docuerim fuisse. Qui Vindelos apud Plinium legunt, Vindelicorum similitudine decepti, ij cùm longè à Burgundionibus & Guttonibus aberrarint, nullo modo sunt audiendi, Ptolemæo & Tacito, & locorum situ prorsus reclamante. Si igitur Vindeli nullo modo legendi, sed Vandali; dicanturque ij Germani esse, eos cõplexi, qui vltra Vistulã habitarent, statim consequitur, Germanicè eos, non Hunnicè locutos fuisse. Nemo dubitat, quin Iornandes Wendos Venetos putarit, propterea quòd loca à Venetis quondam habitata, occuparint; & nomen sic consentiat, vt vix propiùs possit: cuius in sententiam Auẽtinus totus descendit, vt interim alios omittamus. Mirum igitur, quî factum sit plurimorum consensu, vt ciuitates Wendicæ vernaculo sermone nominatæ, ab iis qui Latinè loquũtur, vocẽtur. At quia hæc maxima videbitur absurditas, negare ciuitates Wendicas non esse Vandalicas, principio tribus verbis exponam, quî ventum sit in hanc opinionem. Wandelis è patria egressis, Wendi gens Sclauica, quæ proxima Alanis & Wandalis incumbebat, eam occupauit; & inde per Vistulam desertas à Sueuis & Saxsonibus ad meliora profectis terras inuasit: quam quia è priscis Vandaliæ locis venerat, Vandalicam nominarunt. Hæc longè lateque omnibus veteris Sueuiæ, Saxoniæ, vicinarumque gentium sedibus, in ditionem redactis, vix tandem potuit à Germanis expelli. Idem igitur hic error, eademque erroris causa; quæ facit, vt Grammatico more Burgundiones, Sequanos, Anglos, Britannos, Britones, Venetos, Polonos, Sarmatas Europæos, & alios aliud vocemus, pro eo atque vetustas aliorum sedes tenere cernuntur. Quia igitur Wendi ex antiquis Vãdelorum campis in Teutonum fines irruperunt, ab hominibus non satis rerum peritis quicquid occuparunt Vandalia dicebatur. Wendi certè longè alij fuêre quàm Wandeli, clarissimo efficacissimoque sermonis argumento; qui tantum à Teutonico, quantum Græcus à Latino differt; quo hactenus multi in Germania adhuc vtuntur; qui è Wendorum gente reliqui Teutonibus seruiunt, quorum pars Cassubij vocantur. Nec rursus bene illi sentiunt, qui Venetos hos propter vocis allusionem nominarunt: eò quòd prisci illi Veneti, à quibus Venedicus sinus nominatur, Danici generis fuerint, non Sclauici; æquè & magis etiam

Germanis quàm Vandeli annumerandi. Tacitus de Venedis, Peucinis & Fennis dubitauit: Venedos tamen Germanos esse, de moribus collegit; de lingua nulla facta mentione. Nos nono libro ex ipsa Venetorum appellatione docebimus, Cimbrico sermone vsos fuisse, tantum abest, vt Wendi sint putandi, nisi quis Turcos idcirco Græcos, quia Græciam habitant, velit nuncupare. Diligentiùs hæc inculco, ne quis posterioribus potiùs & barbaris scriptoribus, quàm vetustis, adhærens, omnes gentium origines commisceat & perturbet. Quid Wendey siue Windey Sclauis significet, ipsis relinquo explicandum: ego quid Venetus Cimbris notet, eo, quo dixi, loco docebo. Nunc de Wandelis. Hi ab ambulando nomen sumpserunt, eò professi sese motoriam vitam agere, & in alias regiones tanta securitate impetum facere, vt non hostilem incursionem, sed ociosam ambulationem expeditionem suam nominarint. Nomen certè Sarmatis, Germanisque omnibus olim competebat, dum adhuc vagam pastionem agriculturamque exercebant. Latini Sarmatas, nominis significationem non intelligentes, à Germanis sic distinguebant, vt in plaustris agentes, Sarmatas; qui domos haberent, Germanos vocarent: non malè sanè dicturi, si Carmatas, id est, plaustrales socios eos nominassent. Tacitus Venedos hoc potissimùm argumento à Sarmatarum gente excluſos, Germanis vindicauit; quoniam domos, non plaustra, habitarent: quod idcirco videtur feciſſe, quòd apud vtramque gentem eandem linguam vigere didiciſſet. Nam non eosdem semper agros habere, sicuti omnes Sarmatis attribuunt; ita à Iulio Cæsare Germanis etiam adscribitur: ita vt nec ea quidem nota satis distingui possint. Qui Sarmatæ & sint, & vocentur, libro hunc seduturo exponam: hîc Wandelos eos intelligamus, qui vltra Vistulam primùm vagas sedes habuerũt; ac deinde propiùs eorum limites contingentes, qui hanc ambulandi licentiam armis suis compescerent, coacti sunt prisco suo instituto supersedere, & se intra terminos suos continere. Horum illi, qui Gotorum fines carpebant, ac arces contra eorum impetum habitabant, Orientalem Germaniæ limitem, quem Marcomanni tenebant, non parua locorum intercapedine ad Occidentem relinquentes, Burgundi siue Burgundiones dicebantur: quibus proxima Auarini & Carini occuparunt. Reliqui, qui ad sinum Balthicum commorabantur, nomen Vandelorum commune, proprium sibi fecerunt, maxima ex parte toto illo tractu vltra Vistulam litoribus occupatis: quæ vbi melioribus intenti, mox deseruissent, Wendi sibi arripuerunt, ac de Vandelorum sedibus, ab hominibus originis gentium ignaris,

Vande-

Vandeli cœpere dici: quod nomen ipſis non in illis tantùm locis, ſed tum etiam tributum eſt, cùm tranſmiſſo Viſtula veterem Sueuiam, Teutonariam, Teutoniam, Semnoniam, Pharadyniam, ad Cauchos vſq; maiores in ditionẽ redegiſſent: cùm illic tamẽ nõ amplius Vandeli, ſed Teutones vel Saxones, vel quiduis potiùs quàm Vandeli dicendi fuiſſent, ſi de locis, non de gentis origine, fuiſſent nuncupandi. Meliùs longè Germani ſua lingua Wendos vocãt, adeò vt clarè cernamus erroris cauſam à Grãmaticorum inſcitia pendêre: qui dum Latinum Wendorũ vocabulum non inuenirent, Vandelos eos vocarunt. Alij ſatis intelligentes Germanos nõ eſſe, Vandelos quidẽ non dixere; ſed ignari qua lingua Venedi olim vſi fuiſſent, Venetos nominarunt; non minore, vt pòſt dicetur, errore. Humoldis, ceteroquin doctus & ſatis Latinus, vt ante quadringẽtos annos ſæcula tulerunt, eiuſdẽ criminis videtur inſimulandus; qui Vandalos Sclauos faciens, ſuo tempore Winithos ſiue Winulos dicit appellari: hoc tamen magis quàm ceteri excuſandus, quòd eoſdẽ non Venetos etiam, vt Iornandes fecit, nominarit. Ex eo tamen cõſtat infra Poloniam Vandalos olim habitaſſe, ac eorũ vacuas ſedes à Winithis, quos alij Wendos vocant, pòſt occupatas fuiſſe, quos variis nominibus, ſupremos Boëmos, deinde ſecundùm Albis dextram ripam Sorabos, & medio eius curſu Slauos vſque ad Hamburgenſes recenſet. Ab Albi verò ad mare vſque, innumera eſt Slauorum multitudo: quam nihil hîc opus eſt enumerare, cùm nobis de Wandalis, non de Slauis ſit ſermo: quorum vt linguam, ita antiquitates quoque ignoro. Blondus è Plinio rectè animaduerterat, Vandelos genere Germanos eſſe; ſed non bene videtur addidiſſe, nomen iis à flumine Vandalo datũ eſſe, cùm cuiuis Germanorum notius ſit, quàm vt monendũ ab ambulando, quòd Wandeſey dicimus, nomenclaturã manaſſe. Vocati autem ſic ſunt, quòd vltimi Germanorum cùm eſſent, non poſſent veteris ſedium quotannis transferendarum conſuetudinis obliuiſci. Pomponius Mela Sarmatiam Viſula terminauit, eos qui in ea habitarent, nullis ſtatis ſedibus habitare dicens. Quos igitur Plinius Germanos ratione linguæ vocauit, eos Mela Sarmatas diceret, fluminibus, non origine populos diſtinguendo. Certè magna Getarum, Sauromatarum, & Germanorum omnium, qui ſermone Germaniæ inferioris vſi ſunt, fuit affinitas; quorum omnium lingua, à Sueuica & Alemannica differebat illa quidẽ, ſed ſic vt vocũ vtrobiq; eædem radices inuenirentur. Non malè igitur Plinius Scythas dicit in vniuerſum vocari, & illos qui vltimi ſunt Germanorum, & illos qui vltimi ſunt Sarmatarum.

Non

Non mirum igitur, Vandelos ab his Germanos, ab illis Sarmatas dici, cùm lingua Scythica omnes vterentur. Habitarunt igitur primùm ad mare Balthicum in Prussia, & Curetum, & Samogetarum ditione: à qua sursum ascendentes Gepidis proximi consedere, Dexippi, quem Iornandes citauit, testificatione: vbi Gotos ab Oriente, ab Occidente Marcomannos, à Septentrione Hermundulos, à Meridie Istrum habebant. His cùm Wismar imperaret genere Hastingus inter Vandelos nobilissimo, Geberich Gotorum Dux bellum intulit adeò sæuum, vt maxima pars gentis Vandelicæ in prælio, vnà cum Rege fuerit prostrata. Reliquiæ igitur, auctore Iornande, aduersus finitimos vlteriùs durare non valentes, à Constantino tutum habitandi locum in Pannonia crebris bellis & delectibus exhausta, petiuerunt: quo obtento, ad quadraginta paulo plus minus annos fruentes, à Stilicone ciue suo peruersissimæ ambitionis homine, contra Galliam excitantur, vnà ad prædam Alanis, Sueuis, & Burgundionibus euocatis; non aliam ob causam, quàm vt Honorio genero suo Imperium extortum ad filium suum Eucherium transiret, cuius perfidiæ & scelcris pòst pœnas exercitui capite ambo luerunt. Accidit hæc Galliarum deuastatio duobus antè annis, quàm Alaricus Romam occuparet, Stiliconis perfida iniuria ad id concitatus: à quo nisi in Alpibus Cocciis ex insidiis pugna illata iritatus fuisset, recta ad Vandalos & eorũ socios profectus fuisset, vt Gallias & Hispanias ab Honorio, quo ex Italia discederet datas, sibi armis vindicaret. Ita vnius perfida & scelerata ambitio, Galliam, Italiam, Hispaniam & Africam perdidit. Direpta igitur Roma, & deinde Alarico mortuo, & sub Barentio amne sepulto, aquis ab alueo priùs auersis, & mox immissis, Ataulphus consanguineus sceptrum accipit: qui partim deliberationis suæ, quam Orosius refert, maturitate; partim Placidiæ vxoris filiæ Theodosij, & sororis Arcadij & Honorij, qua in vrbis direptione potitus erat, suasu; Italia suis legibus relicta, in Galliam profectus, vtpote donatione suam, Vandalos inde exegit: quos in Hispaniam fugientes Goti secuti tantisper afflixerunt, donec in Aphricam sedes transferrent: in qua centum ferè annos cùm regnassent, à Belisario ita cæsi extinctiq; sunt, vt nisi in Vandalosia & historiis eorum extarent monumenta, à nemine mortalium cognoscerentur. Vandali igitur cum Alanis & Sueuis Hispaniæ multas partes tenuerunt: è quibus non omnes discessisse certum est, tum ex historia, tum è Goralania & Vandalosia, in quibus nomina hactenus extant. At mihi satis est hæc indicasse, non quò historia integra; sed quò antiquitas & gentis origo cognoscatur: quod eò fuit mihi diligentiùs

gentiùs faciendum, quòd crebrò apud Gedanenſes, & Lubecanos, & alios eius regionis, tum nobiles, tum mercatores ſupra hac re diſputáti, vix vnquá fides habita ſit, alios Wendos, alios Vandalos fuiſſe: nec ciuitates, quas Wendicas vernaculo more vocamus, vllo modo iuxta Grammaticos Vandalicas eſſe nominandas: eò quòd Vandeli ea loca nunquam habitarint, cùm vltra Viſtulam cogniti, ad ſuperiora ſequẽtibus Alanis & Burgundionibus cõſcenderint, vbi Sueuis coniuncti Gallicam deuaſtationem Stiliconis ciuis ſui hortatu adornarint. Verùm ne videar nobiliſſimis ciuitatibus, quas in Wendico ſolo Germani condiderunt, hanc veteris memoriæ gloriam inuidere, breuiter Oroſij præconium, qui Vandelos tam honeſtis titulis celebrat, vt gentem eſſe dicat imbellem, auaram, perfidam & doloſam: quam laudem ſi quis ſibi tribui velit, ei liberum eſto, vt mihi iraſcatur, quia Vandelorum nomen ab imperitis Grammaticis profectum, à Germanorum nobilitate & generoſiſsimis ſtemmatis detraxi. Scio equidem & Vandelos Germanos fuiſſe, ſed extimæ notæ, & vltimæ claſsis, & eo nomine vocatos, quo nos validos mendicantes pagatim oberrantes per riſum vocamus. Nulla certè præclara eorum geſta extant; niſi pulcrum ducatur, Wiſimarum auſum fuiſſe Gebericho repugnare, vt ab eo cum exercitu cæderetur, aut hoc magni aliquid ſit, per Gallias prædando vagari, nullo iuſto exercitu obſtante. Quid verò turpius, non Ataulpho tantùm, quem nos Adolfum nunc vocaremus, è Galliis cedere, ſed à Beliſario etiam centum annorum regno depelli, atque id quinque millibus duntaxat hominum, contra tantam multitudinem inſtructo? Sed hæc nihil ad rem: fuerint ſanè, vti credo, Germano nomine non indigni, priuſquam deliciis Hiſpanicis & Africanis emollirentur: hoc tamen mecum fecerit, qui Germanos eos, non Wendos, cenſeo. Quod quò clariùs etiam eluceſcat, propria aliquot Regum nomina addam; in quibus quamuis corruptiſsimis, clara tamen Teutonicę linguæ veſtigia cernuntur. Wiſumar igitur, qui primus enumeratur, apertam habet Germanicæ formationis & originis notam: ſed quia deformata vox eſt, variè poteſt reddi. Nam Witſtemar latiſsimæ famæ virum notat: ſed ſi Wiſſomar dicas, is erit qui prudens & ſapiens eſt in rumoribus audiendis. Sic Somar, virum bonæ famæ ſignificat, nomen apud nos frequens. Genzericus is qui in Africam ſuos deduxit, Ganzricus dicendus erat; ſed E pro A ſæpe, olim apud Baltici maris accolas in vſum veniſſe deprehendo; vt clarum eſt, dum Sey pro Say, & Suedey pro Sueday ſiue Suethay dicitur. Ganzricus igitur omninò diues, vel totus diues erit; votum

apud Germanos ceteraſq́ue gentes vſitatum. Huius filius Hunricus, Humricus potiùs dicendus, id eſt, domorum diues: quia Hun i lic vnde profecti erant, domum ſignificabat; vti hactenus apud Britannos eiuſdem olim linguæ homines eſt in vſu. Rex hũc ſecutus Gundamundus nomen habet; quo optatur vt os habeat ad fauorem compoſitum. Cui ſucceſsit Traſmundus Rex, nomine præ ſe ferens, os idoneum ad conſilia danda, Te Gats munt: quod alibi in Toriſmundi nomen corruptum legitur, omnibus integritatem, quam ignorant, cæco ductu corrumpentibus. Poſt hunc principatum in Africa ſuſcepit Hildericus, Hildenrick Teutonicè vocandus, id eſt, diues fortium generoſorumque virorum, quos Hildey ſiue Heftey vocamus. Aliud notat Huldericus, nomen ei dandum cui tanquam principi iuramento ſe obſtrinxerunt. Siſimer à Wiſmar corruptum, ſicut Siſſhelm à Wiſſhelm. Huius nominis pagus apud Antwerpiam extat, Wiſmardonc vocatus. Eſt autem Wiſmar, cupidus famæ: quam hic Rex maximam illam quidem, ſed peſsimam eſt conſecutus; quippe qui per Regis cædem tyrannidem inuaſit; & à Beliſario in triumphum ductus, tandem agnouit ſcelera ſua deteſtanda, publicè alta voce Conſtantinopoli exclamans, Vanitas vanitatum & omnia vanitas, ſi Damaſceno credendum. Num quiſquam adhuc tam impudens ſit, vt obſtinata contra apertam veritatem dementia aſſerere audeat, Vandalos Wendos fuiſſe, cùm videat Reges omnes, qui in Africa imperio potiti ſunt, Germanica non Slauica nomina habuiſſe? Adiungam tamen iis, qui moroſiores ſunt, probationum quoddam, vt ſic dicam, apud mercatores ſuperpondium ex Olympiodoro Ægyptio Thebis nato, homine inter primos curioſo. Is in materia ſua Hiſtorica tradit, Gotos à Vandelis Troulos vocatos fuiſſe; cuius rei appellationis cauſam cùm à Goto quopiam Athenis fortè interrogaſſet (vt erat rerum ab aliis memoriæ non traditarum diligens inquiſitor) reſponſum accepit, nomen illud ex eo inditum fuiſſe, quòd quodam tempore Goti ad eam famem redacti fuiſſent, vt vnam frumenti Trulam aureo à Vandalis emere cogerentur, quæ menſura vix tertiam capit vnius ſextarij. Mirum eſt quàm Goti lubenter exterorum hominum curioſitatem ludere conſueuerint; & non Goti modò, ſed omnes quotquot Cimbricæ nationis fuerunt. Quòd cum Crete cretiſandum Græci monent, id hic Gotus citra fortaſsis eorum admonitionem egregiè videtur præſtitiſſe. Ægyptij nugas ſuas totis plauſtris aliis ſolent venditare, quarum hic particulam ſaltem aliquam Olympiodorus in ſolutum recepit. Quaſi verò Trulla menſuræ genus apud Latinos fuerit, aut ſi fuiſſet, Vandali

dali Gotos Romano, non vernaculo ſermone, deriſiſſent! Facile fuit Goto homini linguæ Latinæ ignaro hoc modo illudere; quoniam Trullæ ſignificationem ignoraret. Vide Feſtum, vide Catonem, vide Varronem, & quotquot voles linguæ Latinæ auctores; apud neminem inuenies, Trullæ nomen ad menſuram applicatum. Varro à Trua genere vaſis maioris dictam tradit. Erat autem vas multiplicis vſus, & incertæ tum menſuræ, tum materiæ; adeò vt apud Catonem Sparteę etiam Trullæ commemorentur. Varroni inter alia ad id ſeruiuit, vt ea aqua è culina in lauatrinam traiiceretur. Poëtis ad bibendum fuit in vſu. Hinc Horatius:

Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trullâ, vappamque profeſtis:

Iuuenalis item:

Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

Quo loco agit de eo quod Græci dicunt κοτταβίζειν: quod erat, cùm quis bibiſſet, reliquũ in pauimentũ, vel æneas phialas, cum crepitu quodam effundere, vel ad amores experiendos, vel vt id amicis mortuis daretur: de qua re Athenæus. Quid multis? Trulla nihil minus quàm menſura videtur fuiſſe; & ſi fuiſſet, liquorum potiùs, quàm aridorum fuiſſet. Nos etymõ eius in vocibus Cimbricis, apud Romanos vſitatis, explicabimus longè aliter, & veriùs, quàm Varro potuiſſet. Præterea quæ cauſa deriſionis in eo magna fuiſſet, quòd inopia aliquando Goti laboraſſent? An non idem & Vandalis tum contigit, cùm neceſſariorum defectu, coacti ſunt Gotorũ impreſsione terram à Conſtantino emendicare, in qua ægram vitam in tuto trahere poſſent? Quid igitur cauſæ, vt Gotos Trulos vocarent? Ea nempe, quam Gotũ puduit Olympiodoro cõfiteri, quem idcirco delusit. Truſos enim eum notat, qui omni fide caret: quem Latini, quamuis non æquè ſignificanter, perfidum, infidum, fœdifragumque vocant. Nec mirum id contigiſſe, vt à Vandelis conuicio hoc notarentur, cùm Germani Gotis vicini nullis pactis videãtur potuiſſe conſequi, vt ſuis in locis ſecurè degere ſinerentur. Neque enim veriſimile eſt alioqui tot arcibus contra eorũ incurſiones fines ſuos Vandelos munituros fuiſſe, vt pars eorum quæ in earũ cuſtodia perpetuò degebat, Burgundiones inde dicerẽtur. Sed quid opus eſt id docere, cùm ſatis cõſtet inter finitimos nõ diutiùs fidem ſeruari integrã, quàm ea parti potẽtiori vtilis videtur. Vandeli igitur ſedibus ſuis eiecti, à Gotis infinito pluribus, idq; fortaſſe cõtra fœdus cũ ipſis initũ, quando armis

iniuriam acceptam vlciſci nequirent, ſeſe infami illorum nomenclatura ſolabantur; atque ſi quem Gotum viderent, eum Trulos vocabant: quod cùm Olympiodorus fortè Athenis, vbi & Goti, & Vandeli, & Ægyptij, & omnium nationum homines liberalium artium ſtudio vacabant, audiuiſſet; cauſam eius à Goto percontatus eſt; meliùs facturus, ſi à Vandelo eam diſcere laboraſſet. Quis enim gentis ſuæ infame opprobrium & conuicium extero cuipiam vellet explicare? præſertim in clariſsima ſtudiorum Vniuerſitate, atque adeò ipſa Academia, à qua omnes litterariæ ſcholæ nomen ſibi ſumpſerunt, cùm nuſquam conuicia, & faciliùs in quempiam confingantur, & pertinaciùs iactitentur, quàm apud eos, qui in ludo litterario ociantur: quippe apud quos moris etiam ſit, eum qui pallium magiſterij ſumpturus eſt, publicè conuiciis proſcindere & iritare, quem morem ab Athenienſibus acceperunt. Eſt adhuc quiſquam qui Vandelos Wendos fuiſſe, aut eorum lingua locutos eſſe dicet? Interrogentur Wendi, quid Trulos ſignificet; tacebunt, ni fallor, aut aliud, quod nihil ad hanc notionem faciet, reſpondebunt. Percontare verò Germanum, an Trulos velit nominari, an non: mox tibi peſtem imprecatus, te in malam rem, & ad coruos abire iubebit. Plura poſſem ad eandem rem adferre argumenta, ſed hæc ſufficere videntur ad hominem vel peruicaciſsimum de ſententia dimouendum. Vandeli igitur Germani fuerunt: & quamuis quintam eorum partem facerent, pòſt tamen nomen in illis ſolis hæſit, qui vltimi verſus Alanos & Hunos habitarent: quòd illis ambulandi conſuetudo adhuc manere videretur; qua alij iam olim relicta, certas ſibi ſedes tenebant, propriis nominibus diſtincti. Qua verò parte Sarmatiæ Alani morarentur, ex Ptolemæo cognoſcere licet; qui & in Europa, & in Aſia eos inuenit. Magna ſanè gens fuit, & in varias orbis partes diſtributa, prompta apud quemuis facere ſtipendia, perinde atque Huni, atque hoc tempore Germani, nihil penſi habentes apud hoſtes ne, an apud amicos, contra ſuam ne gentem, an contra aliam mererent, dum modò ſalarium numeraretur. Hinc cum Hunis alterius gentis & linguæ hominibus contra Gotos affines & conſanguineos ſuos, & eiuſdem ſermonis participes expeditionem ſuſceperunt. Æquius fuit cum Vandelis vicinis, & eadē lingua vtentibus in Galliam & Hiſpaniam irrumpere, quòd nihil magis homines quàm loquelæ communio conuinciat; nihil magis quàm loquelæ diuerſitas homines ab hominibus alienet. Horum vel pars, vel certè vicini Heruli fuerunt, eodem item modo ad cædes & rapinas, & ad ſuum

etiam

etiam ſanguinem profundendum venales, qui leuitate armorum & celeritate in primis excellebant. Hos Agathius vnà cum Langobardis ſub eodem duce Phaſi opido contra Perſas tenendo incluſit. De horum origine incerta ſunt omnia, aliis ex Irlandia, aliis è Thule, aliis è Rugia, aliis aliunde eos euocantibus. Nomen quamuis parum ad Irlandiam, quaſi Herlandiam dicas, alludat, originem tamen videtur à vitæ inſtituto, non à patria habere. Neque equidem crediderim ex inſulis in Germaniam, ſed contrà è Germania ſiue Sarmatia in inſulas principio fuiſſe ventum. Neſcio ſanè an opinari debeam hos ad vltimum Septentrionis cardinem habitaſſe, atque inde ad Scandiam per Iſthmon tranſiiſſe, & ita ad Thulen tandem & Irlandiam nauigaſſe. Vox Bubonem militarem ſiue communem ſignificat; è quo lubet ſuſpicari, eos per hiemem, cùm in vltimo Norwegiæ termino nullus eſt dies, ad Lunam in vicinos incurriſſe, atque inde fortaſſe nomen ſibi ſumpſiſſe, quòd veluti Bubones noctu graſſarentur. Mihi tamen veriſimilius fit Herulos Alanorum finitimos fuiſſe; & quia hi à Gallis ſibi nomen formaſſent, ipſos æmulatione quadam ab Vlulis & Bubonibus voluiſſe nominari: quaſi horum ſymbolum non minùs ad militarem laudem, quàm Gallinaceorum, pertineret: quod quia minùs credibile prima ſtatim fronte videbitur, breuiter eſt explicandum. Bubonum omne genus, animal rapax eſt, & præ ceteris adeò vigilans, vt ceteris dormientibus prædas agat, hoc ipſo nomine in re militari Gallo gallinaceo præferendum, qui horarum quidem momenta cantu notat, ſed noctu nihil, vel ſibi quærit, vel hoſtibus rapit. Iam ad prœlium vncatis vnguibus, multo quàm ſint calcaria gallinaceorum ſæuioribus, & roſtro item adũco munitur, & tantam habet magnitudinem, & tantum corporis robur, vt Aquilæ auium principi hac parte nihil cedat. Nec animus deeſt, cùm & ipſe viderim, magnos & feroces canes ab eo abactos, ita vnguibus in carnem impactis, vt redire ad pugnam non auderent. Præterea ingenio eſt ſolertiſſimo: quod cùm noctu in leporibus rapiendis, & id genus minoribus quadrupedibus, vt auium omne genus omittam, apparet; tum maximè eluceſcit, ſi interdiu ab Aquila vel Accipitrum genere impetatur. Tum enim in dorſum ſupinus incumbens vnguibus & roſtro ſic ſe vallat, vt omnẽ impetum eludat; & ſi cominus ſit pugnandum citra accipitrinum aut aquilinum inuolatum nulli ſe præbet inferiorem. Deinde nullum animal eſt, quod tantum prædarum noctu congerat, dum pullos educat: adeò vt non ſibi ſuisque ſolùm, ſed venatoribus etiam, qui nidum norunt,

sati s adferat; qui dum ad aliam prædam euolat, eam quam priùs de posuerat, clam suffurantur, tantum tamen relinquentes, quantum ad pullos nutriendos sufficere credunt. Ne verò fœtus suos iniuriis exponant, rupes altissimas & inuias nidis suis eligunt, quò hominibus nullum aditum patêre putantes, securiùs noctu ad prædam euagantur. Sed ingenio & conatui humano nihil inuium; quod non Isauri tantùm rupicolæ, sed Alpini quoque Damarum & Ibicum venatores altissima & asperrima saxa perrepentes ostendunt. Quid, rogo, est artis militaris, quid roboris, quid solertiæ, vel in vigiliis, vel in rapiendo, vel in locis opportunis & temporibus ad securitatem eligendis, quod non sit in Bubone excellentissimum? Ex æmulatione igitur nomen inuenerunt, quò Alanis etiam superiores & præstantiores ad rem bellicam viderentur: nec id solum, sed quò etiam habitatio eorum Septentrionalis indicaretur, vbi homines quadam anni parte velut Bubones, vel in tenebris, vel ad Lunam solent euolare. Rupes profectò Norwegiæ, & harum auium, & accipitrini generis vt maximam, ita præstantissimam copiam habent; in qua facilè hæc naturalis historiæ pars, ab ipsis poterat cognosci quotidianis experimentis. Dum igitur communes & publicos Bubones se nominarunt, non aliud profitebantur, quàm se maximas prædas coacturos, atq; ad id valido corpore, & insidiis nocturnis, & cautione diurna vsuros: quod sanè egregiè ab ipso Septentrione ad mare vsque mediterraneum præstiterunt. Ex eadem ratione cuidam Herulorum præfecto strennuo viro & solerti, contra Persas pro Romanis suos ducenti, nomen fuit Vlilago, quem nos Ὑλέλαγ vocaremus: quo significantur Bubonis insidiæ. Periculosum, me Hercule, hostibus nomen, & sociis amicisque plenum securitatis, dum quis se vocat Vlelagum, & quod se vocat id reapse præstat. Agathius patriũ vernaculumque ipsius prouerbium refert. Dum Romani hoc præsente consultarent, esset ne Onogiris statim oppugnanda, an subsidia Persarum, quæ aduentabant, priùs repellenda & cædenda, ac deinde arx, auxiliorum spe deiecta, inuadenda; hic pro sententia sua dixit, Apes priùs abigendas, deinde mel subtrahẽdum; indicans, Persas, qui suppetias ferebant priùs repellendos, deinde præsidium limitaneum expugnandum. Eo tum prouerbio & sententia contempta, ingens clades, nec minor ignominia est euestigiò consecuta, eò quòd quinquaginta millia Romanorum à tribus millibus Persarum ingenti strage sint fusa, fugataque. Agnosco hic priscum gentis Cimbricæ in sententia dicenda morem; qui erat, vt concisa & breui oratione magnum

magnum rerum vtilium pondus colligarent. Si Herulorum igitur Principi Vlelago à Bubonum insidiis nomen erat; quid vetat dicere, toti genti ab eisdem fuisse appellationem? Nihil igitur mirũ, è Barbaris etiam quosdam Romanis duces datos fuisse, propter consiliorum animiq́ue præsentiam tum in periculis euitandis, tum in hostibus inuadendis. Atque in eodem illo exercitu duo eiusdem nobiscum linguę homines Romanos equites ductabant; quamuis, vt Agathius dicit, natione barbari essent: quorum alter Dabragazas, alter Vsigardus nominabatur. Nos Sappergast, aut Sabbergast & Busegart diceremus: quorum prius, agilem hospitem significat. Viros enim rerum experientes nomine hospitum honoramus, quòd peregrinatos plus putemus vidisse, quàm eos qui semper domi sederunt. Posterius verò eum notat, qui domus est custodia. Wart enim quod in gart commutant, custodiam, tuitionemq́ue vocamus; vnde Garda Italis & aliis Germanisantibus remansit. Ex Herulorum genere & illum Belisarij armigerum fuisse credo, qui Anconæ in hostibus à muro propellendis egregiam operam nauans, præsidio salutem attulit. Hunc Procopius lib. Goticæ historiæ secundo, Barbarum esse dicit, & in Thracia natum, sed qua gente, non addit: ex nomine tamen coniecturam quis facere possit; eò quòd Vsimut nihil aliud sit, quàm animus Bubonis, nobis Vsenmoet vocãdus. Siue verò Thrax, siue Herulus fuerit, parum refert: hoc saltem ex eius nomine constat, non turpem olim fuisse appellationem à Bubone deriuatam: quoniã lingua Thracum & Gotorum eadem sit, cum Germanica radicitus concordans. Herulos autem Germanicè siue Goticè locutos esse, cùm propria nomina declarant, tum sedes Langobardis vicinæ, quos Rodolphus Rex Herulorum vectigales sibi habebat. Iustinianus eiusdem gentis hominem, nomine Suartum, Regem illis aliquando dedit; cuius nomen nigrum significat, non minùs Germanicum, quàm Rodolphi nomen, quod nos integrè Rothulph, vel Rothulf exprimeremus, quo cohortis auxilium significatur: quasi vnus in adiuuando cohortis instar esset. Ablauius apud Iornandem auctor est, Herulos olim ad paludem Mæotim habitasse, atque sic dictos esse, quòd Hele, id est, paludes incolerent: quæ nominis ratio è Græcia petita, Scythicis populis non aliter quadrat, quàm si Hebræa ad Romanas origines referantur. Paludes autem circa Mæotim latè patent, totam ferè Lituaniam & Moscouiam munientes: quo fit, vt qui paludosam illam planiciem ad immensa terrarum spacia extensa tenerent, ij omnes paludibus Mæoticis adscriberentur. Hoc saltẽ inde colligo,

Heru-

Herulos proximos Alanis ad Septentrionem fuiſſe, ac inde cæterorum ritu, paulatim alios Iſtrum verſus ſedes promouiſſe, alios ad mare Balticum declinaſſe, ac in Scandiam tranſiiſſe, ac inde in Rugiam pòſt colonos miſiſſe: qui numero & viribus aucti, ſurſum ad Danubium ſenſim euadentes, Langobardorum tandem fines attigiſſe, eosq; vectigales ſibi feciſſe dicuntur. Procopius ſupra Iſtrum eos habitaſſe ſcribit, ac Langobardos iam tum Chriſtianos ſibi ſubiugaſſe: qui cùm tributa pacificè ſoluerent, nec belli occaſionem offerrent, cœpit Herulos longi iam ocij, quod per tres annos durarat, tædere. Quocirca in Rodulfum ducem ſuum fœdis conuiciis inuehi, eum vt effeminatum mollemque criminari: idque tam facere improbè, vt vellet nollet expeditionem aliquam ſuſcipere cogeretur: quæ iuſta de cauſa cùm nulla daretur, placuit Langobardos inuadere contra omne gentium ius, & citra omnem iuris prætextum. Hi igitur per legatos ſæpiùs bellum deprecati, conceſſis etiam, ſi imperarent, vectigalibus grauioribus, cùm nihil proficerent, tandem contra ſuos in aciem eduxerunt, & iuſto Dei oculo rebus ipſorum affulgente, tam exitiali clade impiam & efferam Herulorum gentem ceciderunt, vt maxima & potiſsima exercitus parte ad Orci barathra cum Rege demiſſis, reliqui qui pauci erant, non inde tantùm, ſed è patria etiam fugerent: ac variis erroribus ſurſum deorſum acti, tandem apud Gepidas precario conſederunt; apud quos cùm contumelioſè tractarentur, ab Anaſtaſio habitandi locum impetrarunt: in quo mox inſoleſcentes, & Romanis iniurias inferentes, prœlio maximo & cruentiſsimo ad vnum omnes cecidiſſent, niſi ea conditione vitam rogaſſent, vt vel fœdere Imperatori, vel ſeruitute addicerentur. Hos Iuſtinianus deinde muneribus demulcens, quamuis eò adduxiſſet, vt fidei Chriſtianæ myſteriis initiati, ſocietatem armorum cum Romanis inirent; à priſtinis tamen moribus & vitæ execranda fœditate, nunquam potuit reuocare. Neque enim multo pòſt Haniricum Regem ſuum mactarunt, nulla cauſa adducta alia, quàm quòd dicerent ſe nolle ampliùs vllius imperio ſubeſſe; cùm tamen Regibus tam familiariter vterentur, vt aſsidere illi, vt pari, & iurgia & conuicia in eum euomere impudenter, turpe ſibi minimè putarent. Tanta autem huic vitæ infamiæ accedebat leuitas, vt mox cædis Regiæ pœnitentes, alium quæſiuerint: & quia inter ſe nullum Regij ſanguinis inuenirent, ad alios Herulos, qui in Scandia habitabant, legatos mittunt, Regem ſibi petitum. Procopius in his exponendis, toto cælo aber-

aberrat; ſemel, quia credit Herulos poſt cladem à Langobardis acceptam, tum demum ad Septentrionem tranſiiſſe, cùm antè in eo, quàm ad Iſtrum, habitarint; iterum, quia Scandiam depingens, ſe Thulen deſcribere arbitratur: quod in homine Græco non poſſum ſatis admirari. Suſpicor igitur ab Herulo aliquo deceptum, deriſumque fuiſſe; qui fortè ab eo interrogatus, quò miſiſſent Legatos Regem petitum, reſponderit Thulen; volens dicere The Hley, ſyncoptôs; quo ſignificatur ad Bubonas: eò quòd Heruli Bubones vocarentur. Nihil igitur aliud reſpondit, quàm eos ad Herulorum patriam profectos, vt inde Regem aliquem accerſerent; cuius ſitum, & magnitudinem, & partium nomenclaturas, cùm vlteriùs Procopius interrogaſſet, deſcriptionem Scandiæ accepit, credens ſe Thules hiſtoriam audire. Ita videtur volupe Germanis fuiſſe, ſi Græcorum curioſitatem deriſiſſent; qui mos hactenus in eodem Septentrione ita hæret, vt nulla gens ad eiuſmodi luſus ſit procliuior. Mihi profectò ridere lubuit, cùm hanc impoſturam Heruli animaduerterem: qui cùm ſciret Græcis Thules nomen ſatis cognitum eſſe, ſic reſpondit, vt ſimul & ipſe verum diceret, & Græcus deciperetur. Sed operæprecium eſt Procopium audire, quò dolus hic eluceſcat. Conſtat autem, inquit, Thulen hanc inſulam longè plurimùm vndequaque patentiſsimam eſſe, quippe quam decies ferant maiorem Britannia, à qua longè in Boream eſt remota. Hac ipſa in inſula deſerta pleraque ſunt, & ingentibus vacua ſpaciis loca. Quæ verò frequentiora ædificiis ſunt & hominum cultu, nationes tredecim numero incolunt, affluentiſsima quadam hominum multitudine; Regesque ſingulis nationibus præſunt. Et apud has vniuerſas mirandum, quod fieri contingit: ſiquidem circa extremum ęſtatis tempus, dum in Autumnum hæc ſe circumagit, ad quadrageſimũ plurimum diem, haudquaquam Sol in Occiduum vergit, ſed per omne id tempus ſupra terram exiſtit, & viſitur. Dein non minore quàm ſex menſium interuallo, circa hiemisque poſtrema, eadem in inſula per dies Sol quadraginta, nuſpiam comparet, ſed perpetua hæc offunditur nocte. Vnde per id temporis, negociorum omnium remiſſio tenet, qui ea in regione ſunt, homines, quandoquidem nullo pacto verſari inter ſe hi mutuò queant. Mihi verò hanc inſulam adeundi, etſi nimium peroptanti, oblata nunquam occaſio eſt, vt mirãda iſta conſpicerem. Hæc ille: quibus ad miraculi magnitudinem extollendam confirmandamque cùm plura adieciſſet, ſubdit Scricfinos partẽ inſulæ tenere: è quo liquet, de Scandia, non de Thule, omnia quæ

refert, interpretanda: quod & inde clarius constat; quoniam dicat hominum multitudine, præ ceteris omnibus hanc insulam abundare. Porrò quod de longitudine maximi diei, & contrà de longissima nocte recitat, id nec miraculum est, nec rectè ab eo descriptum. Longissimus enim dies non post Solstitium, sed in ipso æstatis vigore consistens, viginti diebus nostris Caneri principium præcedit, totidem deinde post duraturus. Similiter horam longissimæ noctis mediam, primùm Capricorni punctum discernit; vti quiuis Sphæricæ disciplinæ peritus nouit: adeò vt frustra Procopius & admiratus sit, quòd de perspicuis causis existat; & optarit illud multis molestiis, & longis itineribus videre, quod domi suæ vel in globo, vel in circulis Astronomicis ad Horizontem rectè applicatis, cernere potuisset, citra perditas temporis, laboris, & pecuniarum impensas: & alioqui quamuis in ipsam illam regionem profectus, coràm quod mirabatur inspexisset; non tamen hac via admiratio fuisset imminuta, sed potiùs aucta; eò quòd causam eius quod videret, æquè tum atque anteà ignorasset, nisi Sphærica elementa pòst didicisset. Quòd insulam dixerit, non accuso; cùm id illi cum priscis Græcis sit commune, qui Isthmum, per quam pedibus aditus patet, ob longinquitatem ignoratunt. Hac igitur in regione, in qua hæc sit dierum & noctium longitudo, Herulos quosdam Iustiniani adhuc tempore habitasse, ac inde Regem sibi accersiuisse tradit: in eo tamen, vt opinor, falsus; quòd post conflictum cum Langobardis exitioso ausu pugnatum, in eam venisse credat, nec antè eo in loco habitasse; cùm mihi verisimile fiat, multo priùs illic cõsedisse; si quidem verum est, ab his Rugiam, & insulam, & eam quæ in Pomerania est, conditam fuisse. Nomen Bubonibus auctoribus bene conuenit, eò quòd ij, dum defendere sese ab hostium impetu volunt, supini in dorsum decumbant, quod nos Rugghen dicimus; & ad homines translatum, præsidium defensionemque significat. Rugia ergo insula dorsum ipsis erat aduersus maritimam & terrestrem incursionem. Rugium verò continentis opidum, à Ptolemæo ad Vidri, quem nunc Wiper vocãt, ostia positum, pedestrem, equestremq; vim abercebat. Extat hactenus Rugenwold, nomine suo apertè declarans, Rugorum hîc olim sedes fuisse. Nec Rugia insula alio nomine hodie vocatur; non magna illa quidem, sed insignis, à Sundo Barthiæ opido, freto non magno disiuncta; quod ipsi Sundo nomen dedit: quoniam Sunt quoduis fretum Germanicè signet. Herulos igitur olim è Scandia egressos hæc loca occupasse, ac muniisse credo;

credo; quò in piraticis & terreſtribus excurſionibus, ſi à potentioribus inuaderentur, haberent quo ſe in tutum referrent; quod nos Ruggheу vocamus, à Bubonibus & Vlulis exemplo & nomine deducto. Hi pòſt ſurſum in Sarmatiam contenderunt, ſedibus ad Carpathios ſaltus, quos Goti reliquerant, occupatis; non procul à Stiris, quos Sciros alij vocant; à Danis fortaſſe, vt Iornandes annotauit, expulſi; quo loco à Langobardis cæſi, fugatiſque Iſtrum tranſierunt, & duce Hodwacro, quem alij Odoacrum, alij Ottocharum corruptè nominarunt, Auguſtulo deiecto, Italiam occuparunt: vbi à Gotis vel ſubacti ſunt, vel pulſi, Hodwakero per Theodoricum in conuiuio contra fœdera, & ſacrum hoſpitij conuiuiiſque ius occiſo. Inde ad Iſtrum reuerſi, varia fortuna vſi, à Gepidis admiſsi vixerunt; donec ab Anaſtaſio in meliorem liberiorémque vitæ ſtatum aſſererentur. Pòſt Iuſtiniano in variis bellis ſeruierunt, Romanis fœdere & ſtipendiis addicti. Procopius hos omnium hominum ſceleſtiſſimos, finitimis moleſtiſſimos vexatores, erga Duces ſuos impudentes; in Venerem etiam præpoſteram & belluinã ſpurciſſimos, denique omnium perditiſſimos, & vt peſsimos peſsimè perdendos. Bene profectò irriſionem illam qua ab Herulo in Thule deſcribendà deceptus fuit, compenſauit; quamuis deceptum ſeſe eſſe neſciret. Mirabilis eſt confuſio Diaconi, Iornandis, & Procopij in horum tranſmigratione: quod inde factum credo, quòd cùm ſemel à Danis pulſi ſunt, per Sarmatiam diu ſint vagati, ac modò ad has, modò ad illas partes conſederint. Eſt autem Hodwakeу, caput in vigilijs, ſiue vigil capitaneus: vt hoc nomen pro Latino apud vulgus receptum retineamus. Heruli igitur in Liuonia olim & Nouogardia habitarunt: vnde vel ab Alanis & Hunnis pulſi, in Bodniam & Scandiam reliquam tranſierunt. Hinc Rugiam & Rugilandiam condiderunt: vnde à Danis pulſi, Sarmatiam ingreſsi, Langobardos vectigales fecêre, atque pòſt, quæ modò indicaui, & in alios perpetrarunt, & ab aliis ſunt perpeſsi, donec à Romanis ad Gotos deſciſcerent, & tandem venirent in obliuionem. An verò Sciri, qui vnà militarunt, Stiri & Tauriſci fuerint, an Sceiri dicti ſint, quaſi Sceirey, id eſt forfices, nihil ſtatuere poſſum. Forfices ſanè vernaculo noſtro ſermone, ad eos accommodamus, qui veluti forfices omnia tondent: ita vt vel hac cauſa Sceiri dici potuerint, vel quòd ad Norwegici litoris rupes habitarint, quæ Scerey hactenus vocamus; quamquam priùs magis arrideat.

Bene itaque Herulis Sciri fuerunt confœderati, peſſimis nimirum peſsimi. Irlandos autem Herulos eſſe, quamuis Lazius id putet, lingua prorſus negat, quæ Irlandis nihil minus eſt quàm Germanica, quamuis velocitate & veſtitu fortaſſe conſentiant. Nec de Thule diſputandum; cùm, ſi in ea vixerint, neceſſe ſit è Norwegia vel Rugia eò nauigaſſe; & Thule Procopij fictitia ſit, propter homonymiam: cùm Thuſey Germanicè, Bubones cum articulo intelligantur, & Græcè inſula ſignificetur, quàm Scandia, in qua Scricfini ſunt, vigecuplo minor. Turſilingi, qui & ipſi Herulorum coloni vel ſocij fuerunt, non malè mihi videntur ad eandem militiam adſciti, eò quòd nomine ſuo profiteantur, ſe omnia in vnum coacta ſecum auferre: quod Torſey ſiue Turſey dicimus, è quo Turſeling eſt eiuſmodi prædæ gerulus. Hiſtoriam hîc non ſcribimus, ſed eatenus attingimus, quatenus ad antiquas gentium origines perueſtigandas ſatis eſſe iudicamus: in quibus ſi ſingulorum errores nominatim indicaremus, nullus finis inueniretur; nec minor prolixitas exiſteret, ſi quæ bene rectéque ab aliis ſcripta ſunt, à me repeterentur. Satis igitur ſit, in his gentibus Cimbricam originem inueniſſe; quas idcirco Gotis adſcripſerunt, quia priùs in antiquis Getarum regionibus, quàm Iſtrum tranſirent, vel vagati eſſent, vel conſediſſent: tum etiam, quia omnes eadem lingua vterentur. Heruli igitur Bubones ſe aut publicos, aut militares nominarunt, ad æmulationem, vt opinor, Alanorum, quos à Septentrione premebant. Quod autem Danos & Alanos generatim in hoſtium numero haberent, ex eo coniicere licet, quòd Regi, quem occidiſſe dicuntur, Hanericus nomen fuit: quo ſignificatur is, qui Gallorum gallinaceorum diues eſt. quod cùm Regio puero imponeretur, vota concepta videntur, vt multos Alanos redigeret in ſeruitutem; ſicut Hathanericus Gotorum Rex dictus eſt, diues eorum qui Danos ſiue Alanos odiſſent. Lazius procul à vero receſsit, dum Treuiros & Herulos affectare dixit, vt Germani viderentur; cùm Taciti locus non Herulos, ſed Neruios habere debeat, niſi bis per omnia diſsidentia coniungamus: quod fieret, ſi Treuiris citra Rhenum habitantibus, & Herulis ad Sueuicum litus remotis, eandem Germaniſmi affectationem tribueremus, quo nihil poſſet eſſe ineptius; cùm Heruli Germanorum ferè omnium longiſsimè à Gallis diſtarent, nihil vt periculi eſſet, quò Gallis connumerarentur. Quid enim Sueuico mari, ad quod Rugi Herulorum, vt equidem exiſtimo, colonia habitabat, cùm Treuiris, qui in Belgica Gallia tam olim conſederant, vt Galline an Germani eſſent, dubitaretur? Sido-

nius

nius Apollinaris Arcticæ plagæ, & eius Oceano valde vicinos fecit, ad hunc modum canens:

Hic glaucis Herulus genis vagatur,
Ymos Oceani colens receſſus,
Algoſo prope concolor profundo.

Quæ Lazius ad Hibernicum mare obtorto collo trahens, putat Herulos in Belgicam tranſgreſſos, Germanicam ſibi originem arrogare voluiſſe; ac in eo tam lubenter acquieſcit, vt Thulen, quam Procopius deſcribit, Irlandiam eſſe tradat, multis variiſque modis impingens: cùm Procopius Thulen decuplo faciat Britannia maiorem, atque in ea Scricfinos ponat, ac diem quadraginta dierum naturalium noſtratium eſſe dicat; quæ quàm Hiberniæ conueniant, ipſe maiore animaduerſione expendat. Nec in eo verior eſt, dum Herulorum linguam, neſcio quam, vel Sclauicam, vel alio genere barbaram, pro Germanica ſupponat, quam eos dicat in vſum vocaſſe, dum apud Romanos militarent. In ea orationem Dominicam à Werulis Wendorum quadam, aut Obotritorum, aut Viltarum gente petitam, recitat, in qua nihil eſt quod ad Teutonicam puritatem ſpectet. Qui Weruli ſint, qui ignota illa noſtratibus lingua vtuntur, mea non refert: vnum hoc ſcio, Herulos Cimbrica loquela vſos eſſe, non minùs quàm Langobardos, Gepidas aut Gotos; quorum vocabula Allemani plerumque vel non intelligunt, vel corrumpunt: ſed ea particulatim perſequi nec opus eſt, nec quicquam habet vtilitatis; propterea quòd ex iis, quæ hactenus à me ſunt commemorata, cuiuis liquere poſsit, omnibus his de quibus egi Teutonicam linguam, & eandem Thracibus quoque fuiſſe communem; quò hæc mea antiquitatis Cimbricæ tractatio præcipuè refertur. Si enim ex Strabone conſtet, eodem ſermone & Getas, & Thraces vſos fuiſſe, ac Herodotus Getas alioſque finitimos Thracum amplitudine comprehẽdat, eorum gentem ſecundum Indos omnium maximam pronuncians, quam ad ignotos vſque Septentrionis terminos extendit: conſequens eſt, vt totus ille terrarum tractus, qui vltra Iſtrum in Europa latiſſimè patet, vnius fuerit ſermonis, atque eius quidem Thracij ſiue Gotici, quem eundem cum noſtrati fuiſſe monſtraui. Reliquum igitur eſt, vt Orpheus Thrax Theologiæ & Poëſeos apud Græcos princeps, & primus inuentor, vernaculam linguam eandem cum Cimbrica noſtra habuerit, & ex ea hauſerit omnia illa myſteria, quæ Græci Philoſophi & Poëtæ vno conſenſu Orphica vocarunt. Quicquid ergo in iis obſcurum eſt, & ex ignoto Græcis hominibus primordio deductum, id

omne ad loquelam noſtram referendum eſt,& examinandum. Quocirca admirari ceſſent ij, quibus ridiculum & abſurdum viſum eſſe non dubito, ſi quando priſca Græcorum vocabula ad veras linguæ noſtræ rationes vel antè ſum interpretatus, vel poſthac etiam interpretabor, ſciantque id me facere & Strabonis, & Herodoti & omnium denique Græcorum auctoritate, qui citra omnem controuerſiam Orpheum Thracem fuiſſe confitentur. Nec dubium eſt, quin omnis veræ philoſophiæ à Græcis cognitæ perfectio, apud Thracas habuerit exordium, ac inde Orpheo, Thamyra, Strymone, Abari, Ariſteo, aliiſque, quorum memoria non extat, doctoribus, ad Græcos ſerò peruenerit. Apud quos enim veram ſapientiam potiùs quæras, quàm apud eos, apud quos animorum immortalitas ſemper fuit indubitata.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

AMAZONICA.

LIBER OCTAVVS.

AMAZONICA.

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

Concitat octauus lunatis agmina peltis,
Quò ſit Athenarum Spartanæque arcis origo
Nota, ſuumque iterum nunc Terea calculus ornet,
Atque Themis doceat ſua per veſtigia rectum.

ANTVERPIÆ,
clɔ Iɔ LXIX.

AMAZONICA.

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

Curritur Oceanis lunaris agmina pelis,
Quod fit Tethymarum Spartanaque arcis origo
Vota, Iunoque iterum nunc Troia calcibus orate,
Atque Veneris docuit Ima per vestigia redire.

ANTVERPIÆ.

AD ELIZABETHAM REGINAM SERENISSIMAM, PHILIPPI HISPANIARVM ET INDIARVM, &c. REGIS MAXIMI, CONIVGEM CARISSIMAM;

IOANNIS GOROPII BECANI PRAEFATIO.

ABSVRDE ME FACTVRVM ARbitrabar, *Regina omnium, quas orbis habet, potentiſsima, ſi eius operis quod vniuerſum coniugi tuo cariſsimo dedicaui, nullam partem ad te deſtinarem, quo maieſtati eius cæſto tuo amabiliſsimo totum gratius redderetur. Nec diu mihi hæſitandum fuit, quinam liber generoſam tuam indolem, & excelſos ſpiritus clariſsimis natalibus quàm optimè per omnia reſpondentes deceret, eò quòd Amazonica ipſo ſuo nomine poſtularent, vt ad eam mitterentur, quæ quàm digniſsima eſſet tam auguſto Heroinarum comitatu. Neque enim ordinem mihi librorum vſquam ſequẽdum, in hoc delectu putaui, ſed conſiderandum, quæ materia quem patronum ſibi maximè apud regem deposcere videretur. Quapropter etſi octauo demum loco Amazonica recenſeantur, quia tamen nihil eſt antiquius, nihil nobilius, nihil celebrius, non apud hiſtoriæ modò ſcriptores, ſed apud optimos etiam Poëtarum; hoc mihi imprimis decorum fore videbatur, ſi feminarum omnium fortiſsimas ad eam legarem, quæ ſupremum omniũ reginarum tenet principatum. Deinde quoniam hoc libro declaro, Amazones Sauromata-*

rum in vno ſignificatu vxores fuiſſe, atq; Sauromatas doceo Cimbros gentili nomine vocari, & alibi indicaui regem noſtrum recta propagine per Pipinos & Carolos, ab ijs deſcendere, penes quos Cimbrorum nomen ad nouiſſimam vſque eius memoriam permanſit; non peccabo, ſi te quoque Amazonem nuncupauero: qua voce nihil aliud indicatur, quàm te legitimum coniugis tui oſculum ſuauiumque eſſe, vti latius in libri ipſius progreſſu explicatum videbis. Exploſæ enim illæ fabulæ ſunt, quibus altera mammarum fortiſſimis feminis & prolis ſuæ amantiſſimis adimebatur; quod vt clarè pòſt docebo, ita hic præmonitum volui, ne cui fortè pro clara nomenclatura opprobrium, & conuicium obtrudere viderer. Quocirca te rogo, vt Amazones non ſolùm vt clariſſimas feminas, ſed etiam vt cariſſimas ſorores excipere digneris, & eum qui eas adducit, ea benignitate proſequare, quam is meretur, qui ſorores propter diuturnam peregrinationem non facilè agnoſcendas, non tantùm domum reducit, ſed omnibus ornamẽtis, quibus ſpoliatæ in itinere longinquo fuerant, prius induit quàm oſtendat. Potuerunt & alij fortaſsis idem præſtare: ſed quia nemo ſcriptorum extat, nec veterum, nec recentiorum, qui veritatem hiſtoriæ hac in re ſit aſſecutus, non video quando tandem nobiliſſimæ feminæ veris ſuis natalibus vindicandæ fuiſſent, niſi indignatio contra Græcorum vanitatem à me concepta, & patriorum decorum, & maiorum claritatis amor, me ad hanc materiam tractãdam incitaſſet. Nec verò in re exigua, aut oculis tuis indigna laborem hunc ſumpſi, cùm videamus, quanto quiſque ingenio, & eruditione magis excelluit, tanto ſtudioſius eum de Amazonibus quæſiuiſſe, cùm tamen nihil admodum præclari in illis conſiderarent, ſi quæ prodiderunt, ad ea quæ nos ſcribimus, conferantur. Paſsim enim eas victas tradunt, modò ab Hercule, modò à Theſeo, modò ab Achille, modò ab aliis, neſcio quibus ficticiis nominibus, adeò

vt

vt de ipsis non alia ratione egisse videantur; quàm vt Græcorum res gestas redderent, ex hostium deuictorum virtute, clariores. Nos verò longè secus de ijs agimus, nõ modò à Græcis nunquam iusto prælio superatas fuisse asserentes, sed contrà toti Græciæ eas iugum imposuisse, nõ durum illud quidem aut hostile, sed generosissimis animis dignum, & deuictis etiam ipsis omnibus votis optandum. Agrestem enim, & crudelem Hellenum, & Pelasgorum vitam, ad ciuilem humanæ societatis consuetudinem, armis suis traduxerunt, & homines feros è siluis & montibus in ciuitates congregatos, optimis legibus & institutis formarunt, omni bellorum scopo in eo constituto, vt iustitia & bonæ disciplinæ apud omnes mortales vigerent. Iam cùm Rex carissimus tuus maritus, eadẽ de causa plurima bella suscipiat, vt errabũdos ad rectã legum religionisq; viam compellat, & iam totum orbem nouum, Atlanticis olim & Hyperboreis, & aliis quibusdam Scythis obscura fama attributum, partim patris & aui, partim suis armis subactum, libertate donarit, & legibus eisdem tum ciuilis vitæ, tum Christianæ fidei frui permittat: quis non videt eundem vobis, qui Amazonibus olim fuit, militiæ finem esse, atque idcirco nulli mortalium magis hoc argumentũ quàm tibi cõuenire? Nihil enim queat magis ante oculos omnium ponere, quales olim Amazones fuerint, & qua de causa per vniuersum orbem bella gesserint, quàm id, quod in amplissimis illis regnis, mariti tui maiorumq; virtute videmus contigisse; in quo omnibus clarissimè eluxit, nihil victis præstabilius potuisse euenire, quàm sic vinci, vt tãdem fœdam Dei ignorãtiam & idolomaniam, ac crudelem anthropophagiam deserere cogerentur, & illa suscipere instituta, quibus nõ tẽporaria modò huius vitæ tranquillitas, sed æterna etiam vitæ perpetuò duraturæ felicitas continetur. Non igitur generis tantùm ratione, quod clara propagine ad coniugem tuum descendens, Amazonem te fa-

cit, ſed de ſimilitudine etiam rerũ geſtarum Amazonica propriè ad te ſpectant. quæ ſpero eò tibi gratiora futura, quòd & cognatione & militiæ conſonantia, nemini hominum magis quàm tibi ſunt deuincta. Quanquã porrò non dubito, quin toto in orbe plurima monumenta Amazones reliquerint, quorum quædam litteris veterum ſcriptorum ſunt celebrata, quædam longi temporis caligine obſoleta; in Græcia tamen nobiliſſima earum memoria retinetur, fabulis illa quidem, & mendaciis contaminata, ſed tam clara tamen lynceis oculis inſpicienti, vt ex ea veſtigijs minimè dubijs ad primam Athenarum & Spartæ originem queat perueniri, vrbium duarũ, quibus Græcia nihil vnquã vel clarius habuit, vel ambitioſius celebrauit. Harum Amazones fundamenta ieciſſe, nomina ore fatidico indidiſſe, leges & inſtituta dictaſſe, hoc libro meo cognoſcetur: quo vel ſolo ſtudioſis omnibus gratum acceptumq; fore confido, idque eo magis quòd addiderim, qua ratione Pallas Athana vocetur, & qua item ratione nomen ipſius ei loco ſit inditum, in quo hæc dea præcipuè eſſet colẽda. Videbit hic quiuis Amazonibus ſemper Sibyllas interfuiſſe, quarum monitu ſic vrbibus nomina darentur, vt ijs & Genius loci, & ea quæ ciuitatum propria eſſent, notarentur: quod vt in Athenis, ita multo clarius in Sparta cerni poteſt. Sed omnium diuiniſſimum nomen eſt Themiſcyræ; in quo exponẽdo breui compendio totum Themidis regnum delineo, limpidiſſimũ ſpeculum rerum omnium, ſiue foris, ſiue domi agendarum: cui accedit admirabilis templi apud Cimbros nomẽclatura quatuor litteris complexa, tum veram rationem orandi, tum verum ſalutaris orationis finem. Sed ne longior eorum, quæ hoc libro continentur, commoratio inuentorum nouitatem deterat, & præterea legendi deſiderium demoretur, cetera quæ non pauca ſunt, minimè recenſebo; hoc vnum monuiſſe contentus, nihil in ijs eſſe, quod quiſquam ante me ſcriptis mandarit, quanquam in eiſdem

non

non nego plurimos laborasse. Quo autem hæc mea benigniore vultu suscipias, ipsam tibi puta Palladem, & Spartanos Penates adesse, vnà cum ipsa Themide omnium rerum publicarum & regnorum fidissima custode; quo te moneant, vel si fas sit Diuis, orent, ne parui facias hunc librum; qui etsi mole sit pusillus, rerum tamen varietate, & pondere, & magnitudine, & claritate, vel maximis voluminibus potest æquari, si quæ ab alijs sæpius dicta sunt, ijs eximantur. Ego item pro mea parte polliceor, si liberaliter hoc opusculum complectaris, & Regi calidè pro eo, ac potes, commendes; me alia quædã daturum, quæ non dubito quin longè sint, quàm ea quæ nunc offerimus, futura gratiora. Cùm enim hoc homini à natura insitum sit, vt patriæ quisq; suæ summo amore ducatur, fieri non poterit, vt non lubentissimè sis visura antiquissimam Francorum nobilitatem, quam nemo hactenus ne eminus quidem, aut per transennam ostẽdit, tametsi quamplurimi sese in huius inquisitione fatigarint. Eam ego breui in lucem me editurum recipio, ea quidem conditione, si te Lucinam mihi præstiteris, atq; parturientis labores benigna numinis tui aura subleuaris: ad quam opem quò te magis accendã, hoc promisso addam, Francorum natales me longè vetustiores florentibus Troianorum rebus, nedum eorum excidio ostensurum, nulla interim ab eis sanguinis claritate emendicata. Præterea Gallicas origines iampridem edidissem, longè alias quàm quisquã hactenus doctorum hominum indicarit, quæ non tantũ antiquas fluminum locorumq; voces, sed religionem quoque Druidum, & veram Gallorum nominis rationem, nemini, quod equidẽ sciam, ante me inuentam, exponunt: sed Principum virorũ fauor non affulsit; fero Marte hominum animos ab humanitatis studijs ad belluinam rabiem, & ciuilem discordiam insanis suis furijs incitante: quæ quamuis necdum videatur cessatura, blandis

tamen tuis monitis fieri poterit, vt Achilles in medijs bellorum tumultibus lyram aliquando contrectet, atq; ad cognoſcendos primos ſuos natales, tum coniux tuus, tum fratres etiam aliquantulum ſibi ocij à bellicis turbis ſuffurentur, atq; animum noua vetuſtiſſimarum rerum amœnitate nonnihil ſinant recreari.

IOAN. GOROPII BECANI

AMAZONICA.

LIBER VIII.



VANTO MAGIS MAGISQVE Cimmeriorum colonos euoluo, tanto plus mihi video nobiliſsimarum gentium occurrere; quarum ſingulæ integra ſibi volumina poſtulaſſent, ſi pro dignitate & magnitudine rerum præclarè geſtarum, libri eis eſſent emetiendi. Quocirca, quia infiniti laboris eſſet, ſingulas nationes Cimbricas latè perſequi, adductis iis omnibus, quæ vel apud Poëtas, vel Hiſtoriographos prodita ſunt; ſatius mihi viſum eſt, aliquot coloniis, iisque nobiliſsimis obiter explicatis, ad eos procedere, qui gentile nomen ab omni ferè æuo cuſtodierunt: quamuis nonnunquam ab aliquo vel euentu, vel propoſito, aliud quoque ſibi nuncuparint, quo pro tempore aut priuilegio à cognatis ſuis diſtingueretur. Cùm itaque variæ commigrationum occaſiones hominibus offerantur, tum illa non eſt in poſtremis, quæ de vicinorum moleſtiis & incurſionibus arripi conſueuit. Eſt apud Herodotum videre, vnos ſolos Hyperboreos, de quibus pòſt agemus, inter Scythas quietè vixiſſe; duabus, vt nos ſupputamus, maximè de cauſis; vna quidem, quòd ipſi præ inſigni & ſingulari regionis ſuæ felicitate facilè ceteros, quos nouiſſent, contemnerent, nec tanti facerent, vt operæ crederent precium, aliorum ſedes vel inuadere, vel occupare; altera, quòd nec ipſi ab aliis facilè poſſent moleſtari, tum magno locorum interuallo, & immenſis terrarum ſpaciis, tum virtute ſua & hominum multitudine, & itinerum aſperitate ab incurſibus tuti. Sed hæc quies non diutiùs apud eos durauit, quàm mos patrius, & maiorum inſtituta, & purus ſincerusque Scythiſmus vigerent: pòſt cùm abundantia rerum & diuturnum ocium, peſſimi fortitudinis cuſtodes, paulatim animos emolliiſſent, cœperunt & ipſi perinde atque ceteri, violentiæ exponi, ac tandem eò delabi, vt & linguam priſcam, & ſacros parentum primorum ritus, & ipſam illam beatam regionem ita amiſerint, vt vix reliquias nunc aliquas reſtare videamus. Porrò reliqui Scythæ, ſic videlicet viciniæ inter ſe iura

cuſtodiuerũt, vt Arimaſpi Iſſedonas, Iſſedones Scythas, per excellentiã ſic vocatos; Scythæ Cimmerios, auitis ſedibus frequẽter exturbarint. Hac igitur de cauſa Cimmerij, quibus perpetuum hoc nomen manſit, aliò atque aliò fortaſſe commigrarunt, ſi Herodoti auctoritate ſtandum: cui ego aliam multò potiorem adiiciendam cenſeo, Cimmerios nimirum propterea longè lateque per orbem vniuerſum vagatos, quò rudes hominum animos, in veræ diſciplinæ obliuionem collapſos, erigerent; ac ad priſcum Scythiſmum reuocarent. Sed de hac re latiùs & oportuniùs tum ſcribemus, cùm nobiliſsimam Francorum antiquitatem, à nemine hactenus mortalium animaduerſam, non è fabulis, aut equo Troiano; ſed è veris ſuis principiis educemus, ſi modò Deus vitam, & litterati ocij ſumptus dignabitur elargiri. Hoc loco ſtatui eorum archæologiam diſcutere, qui Cimmeriorum nomen perpetuò in commigrationibus conſeruarunt, ſiue hanc, ſiue illam habuerint mutandi domicilij occaſionem, quò tandem ad eos veniatur, qui vnà cum Teuthonis ad hanc Scaldis ripam Atuaticum condiderunt. Quò verò hîc antiquiſsima quæque priùs dicantur, quàm ad recentiora deſcendatur, Cimmeriis & Amazonibus hunc librum dedicabo, ab ipſo vetuſtiſsimo hiſtoriæ ſcriptore exorſurus. Herodotus in Clio Crœſum antiquiſsimum eorum facit, qui Græcos vectigales ſibi reddidere. Quamuis enim Cimmerij Ioniã antè inuaſiſſent, vrbes tamẽ minimè ditionis ſuæ fecêre; ſed agros incurſione depopulati, cum præda domum reuerterunt. Id verò circa Homeri ætatem accidiſſe, Strabo tradit; an paulò antè, an pòſt, incertum relinquẽs. Euſtathius in Homeri Necyomantiam ſcribens, teſtem denunciat; cuius ſi Latinè vertantur, hæc ſunt verba. Vera autem, inquit, narratio ſic habet, vt Cimmerios Scythicam gentem eſſe tradat, pecore paſcendo ſub ipſa cæleſti Vrſa victitantem. Cuius ſacra quædam pars, quos Treres vocatos fuiſſe aiunt, feratur quondam, vel paulò ante Homerum, vel ipſius etiam ætate, è Boſphoro Cimmerio bonam Aſiæ partem præcipiti, & procelloſo impetu incurſaſſe, atque eò Sardeis cepiſſe, nec non maximam Magnetum partem ad Mæandrum habitantium, deleuiſſe. Inuaſiſſe etiam Paphlagonas atque Phrygas; qua de cauſa Midas dicatur, non aliter atque multò pòſt Themiſtocles, ſanguine taurino epoto, mortem ſibi conſciuiſſe. Hæc ille. Quando verò Homerus vixerit, cùm inter ſcriptores minimè conſtet, non multum adiuuor hac temporum notatione, quæ ignotum per ignotius explicare mihi videtur, contrà atque docendi ratio poſtularet. Nec Herodotus item quicquam certi tradit, cùm hanc Cimmeriorum incurſionem ante Crœſum quidem

conti-

contigiſſe ait; quanto verò tempore priùs contigerit, non addit. Nos ergo Euſebium ſequemur, qui hanc Aſię depopulationem quingentis annis Crœſo facit antiquiorem, hoc ſuo calculo illorum opinionem confirmans, qui eam circa Homeri tempora contigiſſe produnt, quando & Midas, præ metu & pudore, ſe poculo ſuo exanimauit; non ille quidem Bacchi hoſpes, de quo pòſt dicemus, ſed Gordij filius, longè primo illo poſterior ætate. Latrocinantium porrò more totam Ioniam percurſam ab iis fuiſſe, Plutarchus quoque in iis, quæ de virtute & fortuna Alexandri ſcripſit, indicauit, Hannibalem eodem modo Italiam vaſtaſſe dicens; ſed pro Cimmeriis Treras poſuit; quos eoſdem cum Cimmeriis fuiſſe Euſtathianus ille, quem modò aduocaui, teſtis affirmat. Adſtipulatur his Strabo; qui libro decimo quarto memorat, Magnetas quondam funditus fuiſſe deletos à Treribus gente Cimmerica, quæ longo tempore ſecundis rebus vſa ſit. Sed de Treribus mox. Multo igitur anteà Cimmerij à Mæotide ad Thraciam vſque dominabantur, quàm Ionicam vaſtationem perpetrarent. Poſſet tamen in eam quis venire ſuſpicionem, non ſemel impetum ex Europa in Aſiam feciſſe, atque illam, cuius Euſebius meminit, antiquiorem eſſe hac, qua Magneſij ſunt exciſi. Callinus enim eorum meminit in bello contra Epheſios geſto, quaſi tum adhuc rebus proſperis fruerentur, & res gererent non citra laudem militarem. Apparet ergo hanc ipſorum cladem Callino eſſe poſteriorẽ, Archilochus tamen calamitatem eorum in prouerbium videtur adduxiſſe, dum magna mala, Magnetum mala nominauit. Et ſi Callino crederemus, Sardes priùs occupaſſe dicerẽtur, quàm Magneſiam euerterẽt; cuius Strabo verſum de Sardibus captis canentis, adduxit.

Νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχετ' ὄμβριμος ἔργων. *id eſt,*
Et nunc Cimber adeſt, acies rerum impete pollens.

Priùs igitur multo Sardeis ceperunt, videlicet ante Callini hoc poëma, in quo hic verſiculus inuenitur. Magnetes verò Callini adhuc ætate florentes, ante Archilochi mortem penitus ſunt euerſi, à quibus Magneſia mala cœpere dici, pro horrendis & extremis. Verùm hæc omnia, quæ vel Sardes, vel Magneſia eſt perpeſſa, multo ſunt inferiora iis, ob quæ apud Ionas, tempore Homeri, ſummo odio fuerunt. Si enim verum eſt, quod Euſtathius ad Necyomantiam prodidit, Cimmerios à Poetis, & principe eorum Homero, perpetuis tenebris condemnatos eſſe, propter hoſtilitatem & grauiſsimas clades, quas Ionibus intulerunt; neceſſe eſt fateri, ante Homeri ætatem, Ioniam eos depopulatos fuiſſe.

Nec videri debet mala, hæc Euſtathij, & eorum, è quibus hauſit, coniectura: quòd nihil miri ſit, ſi eos, à quibus ſæpè multumque vexati fuiſſent, Ionici Poëtæ ad inferos relegarent; quoniam commune ſit, non Poetarum modò, ſed aliorum etiam hominum iniurias, quas vi & armis non poſſunt, verbis & conuiciis vlciſci; vindicandi quodam modo non Ionibus tantùm, qui vt Aſiatici verboſiores ſunt; ſed Atticis etiam, & inter eos maximè Tragœdis vſitato. Nam Minoëm optimum & laudatiſsimum Regem, & talem legiſlatorem, vt nouem annis Iouis auditor fuiſſe dicatur, iniuſtiſsimè de crudelitate, & aliis, neſcio quibus, ſic traduxerunt, vt ruditatis & agreſtis ingenij famam, Platonis teſtificatione, ei ſuſcitarint. Quamobrem Socrates prudenter admodum monet, Poëtas offendi non debere ab eo, cui fama ſua curæ ſit; propterea quòd plurimum virium habeant, vel ad laudandum, vel ad vituperandum. Hoc Anytus & Melitus, vt à Socrate fortaſſe didicerant, ita in præceptorem retorſerunt, empta Comœdia pluſquam Tragica, ab Ariſtophane doctiſsimo nebulone, qua optimum virum & hominem diuinum ſtolido vulgo deridendum, & tandem iniquiſsimis ſuffragiis condemnandum propinarent. Si igitur diuiniſsimi iſti viri, & nunquam ſatis laudandi, nullum amuletum ad Poëtarum calumnias propulſandas inuenerunt; quid ſperandum fuit Cimmeriis hominibus, vt Græcis appellare placuit, Barbaris; qui Ioniam non laceſsiuerunt tantùm ſemel, ſed crebris incurſibus ferè vaſtarunt? Et quam tandem regionem? eam nempe, in qua natus eſſet Homerus, pater atque princeps Poëtarum. Non igitur aqua & igni, quod fieri ſolet, Cimmeriis interdixerunt, ſed ipſo Sole vitæ datore priuarunt. Verùm, vt hæc cauſa veriſimilis eſt, & plurimis argumentum ad ſcribendum ſuppeditauit, ita credo tenebras aliò eſſe referendas. Vt vt eſt, illud ſaltem lucri accepimus ex ipſis parentum noſtrorum hoſtibus, vt eorum ſiue ſeriò ſcriptis, ſiue conuiciis nomen Cimmeriorum à tenebris ſit vindicatum: quod dubio procul latuiſſet, niſi Latinorum, & præcipuè Græcorum libris fuiſſet celebratum. Quemadmodum enim apud Græcos doctiſsimi duo viri, Pythagoras & Socrates, vt de ceteris innumeris taceam, non fuere ſcribendi, ſed docendi viua voce ſtudioſi: ita Cimbri quoque videntur exiſtimaſſe, res maiorum geſtas, non ſcriptis, ſed filiis et nepotibus tradendas eſſe; atque ita per manus ad poſtera ſecula tranſmittendas. Non dubito tamen, quin primi illi Cimmerij multo ſuperiores Homeri ætate, ſicut linguam cultiſsimam, et ſummo artificio compoſitam, habuerunt; ita ſcribendi quoque vſum inuenerint elegantiſsimum: ſed quia litterarum figuræ variæ apud varias gentes ſunt, omnes

nestamen similitudine quadam inter se confines, verisimile est primos characteres aliquos fuisse, & eos quidem penes ipsos illos, qui linguam quoque primam retinuerunt. Verùm in hac quæstione non est laborandum, eò quòd quiuis sibi nouas litterarum figuras fingere queat, quibus voces notentur. Si Iosepho credimus, tempore Homeri, vixdum apud Græcos scribendi ratio fuit vsitata: à quo Ælianus non longè recedit, qui tradit, Homerum Iliada & Odysseam non scripsisse, verùm cantiunculas quasdam reliquisse, quas alij postea in libros digesserint. Sed alibi fortasse de litterarum inuentione latiùs: hoc loco satis est intelligere, maiores nostros hostium testimoniis, quàm suis, clariores esse. Iones igitur, qui Cimmerios ad tenebras relegarunt, antiquissimam hanc celebrant expeditionem, qua Treres Ioniam inuaserunt. Sed quia Treres in Thracia habitarunt, & gens Cimmerica fuit; necesse erit fateri, multo ante hanc Ioniæ depopulationem, Cimmerios Thraciæ illam partem occupasse, è qua in Ioniam irruerunt. Vt igitur paulatim à mari Caspio ad Pontum & Mæotim, ita à Mæotide pedetentim secundum litora ad Thraciam vsque peruenerunt, inuictis armis omnia perdomantes. Hîc igitur victoria non exigua potiti, trophæi loco coloniam reliquerunt, cui nomen è re nata posuêre. Τερ ερεϒ enim, idem est atque si dicas Latinè, ad honorem & decus. Syncoptôs igitur Τρεερεϒ dicti sunt Cimmerij illi, qui honoris causa & trophæi loco Thraciam habitare cœperunt: quod necesse est, multo antè contigisse, quàm vel Sardes, vel Magnetas euerterent. Neque enim verisimile sit ab ipso statim coloniæ exordio tantum virium habuisse, vt mox Asiam vastarent. Multo tempore opus est, ad tantam potentiam colligendam, quantam esse oportebat, ad tot regna superanda. Ex hoc igitur coniicere licet, quot seculis Threres ante Homeri ætatem conditi fuerint in Thracum regione: deinde quanto priùs ad Cherronesum Tauricam peruenerint; atque etiam quàm immenso interuallo antea ad Mæotim & partes vicinas commigrarint. Non est igitur ab Ionica expeditione antiquitas gentis apud Græcos computanda, sed ab ea retrò ad innumeras ætates adscendendum, quò principia prima repetantur, quamuis non sint certis temporum interuallis apud eos distincta. Totum certè illum tractum, quem pòst Getæ tenuerunt, priùs Cimmerij occuparunt, atque inde in Thraciam, & Græciam, & Germaniam excurrerunt, atque id tantisper iterarunt, dum tota illa regio prioribus colonis exhausta, locum Getis daret. Eusebius, incursum Cimmeriorum in Asiam factum fuisse, prodit, centum paulo plus minus annis à Troiæ excidio: sed eodem loco aliud addit, dignum accu-

ratiore consideratione. Nam impressionem hanc, quam alij Treribus siue Cimmeriis tribuunt, hic Amazonibus pariter & Cimmeriis adscribit. Paucis sanè verbis magnum nobis campum aperuit dubitationum, quas dissoluere & expedire perarduum videtur. Sicut enim antiquitas Cimmeriorum, propter Ogygiam vetustatem, apud omnes veteres multa caligine septa, & propè sepulta iacet; ita Amazonum frequens quidem mentio, sed nõ obscura modò, verùm talis etiam, vt à pleriſque fabulosa habeatur. Quid igitur hoc est, optime Eusebi, quod nobis de antiquitatum thesauris eruisti? An credis fortissimas feminas Cimmerios in societatem belli aduocasse? an contra hos illarum opem imploraſſe? Parui tamen refert, vtrum horum asseratur; sed illud admirabile, feminas se viris coniunxisse, præsertim in longinqua expeditione. Cùm legissem apud Arrianum, Cimmerios aconitum vltra Sangarium comedisse, è tabo viperarum è Cerberi capite natarum, venenatum effectum, cùm anteà innoxium fuisset; nec aditum viderem, qua occasione id accidisset, Homerus mihi scrupulum exemit; non exempturus, nisi cum hac Eusebij commemoratione eum contulissem. Cùm enim hanc post Troianum excidium societatem inter Cimmerios & Amazonas fuisse considero, facilè mihi persuadeo, anteà quoque sociis armis vsos fuisse. Tum igitur credo, aconitum ab eis comestum fuisse, vti Græci fabulantur, cùm Amazonibus ad Sangarium contra Otreum & Mygdonem castra metatis succurrere niterentur. Nec Eusebius solus effecit, vt ita suspicarer, sed Trogus quoque Pompeius hanc opinionem meam confirmauit, qui Amazonibus Græciam inuadentibus, Scythas quosdam auxilio fuisse dicit. Qui verò Scytharum illi fuerint, ex Diodoro Siculo collegi, qui auctor est, Amazonas à Bosphoro Cimmerio per Thraciam veniſſe in Græciam, qui tractus haud dubiè totus fuit ea tempestate Cimmeriorum. Credendum igitur Cimmerios vnà in Græciam profectos, atque hos eos esse Scythas, quos Amazonum auxiliares Pompeius fecit. Diligenter igitur examinandum, an fuerint omninò vllæ Amazones; &, si fuerint, quales fuerint, & quibus parentibus oriundæ; & quæ tandem ipsis cum Cimmeriis societas interceſſerit. Fortassis enim aliud longè reperiemus, quàm hactenus quisquam sit suspicatus. Incipiam itaque à Strabone, qui Theophanem adducit auctorem, Albaniæ & vicinarum regionum, de militia, in qua cum Pompeio fuit aduersus Mythridatem, gnarum. Eum ait inter Albanos & Amazonas, Gelas & Legas Scythas collocare, à quibus Amazones Mermandali fluuio distinguantur. Ab aliis, & inter hos à Metrodoro

Scepsio,

Scepsio,& Hypsicrate,locorum, vt vult,non imperitis,proximas poni Gargarensibus, Septentrionem versus, sub montibus Caucasiis, Ceraunijs vocatis. Has duobus vernis mensibus in eo mõte,qui medius est, Gargarensibus prolis causa cõmisceri, atq; femellas quidem studiosè à matribus educari, masculos verò ad patres remitti. Mammas dexteras ad vsum iaculandi promptiorẽ, ab ineunte ætate exuri. His tandem Strabo subiungit hæc, quæ nos ad hunc modum Latina fecimus. Peculiare verò, inquit,quiddam est,quod huic de Amazonibus sermoni accidit. Alię enim narrationes,id quod fabulosum est, ab eo quod historicum est,distinctum habent. Prisca enim, & falsa & monstrosa, fabulæ vocantur; at historia verum postulat, siue id antiquum sit,siue nouum: & quod monstri simile est, id vel non habet, vel in ea rarum est. Porrò de Amazonibus eadem & nunc narrantur, & olim narrabantur: sed quæ & monstrosa sint, & procul à fide remota. Quis enim credat feminarum vel exercitum, vel ciuitatem, vel omnino gentem vllam, citra viros vnquam constare potuisse; & non constare solùm, sed terras etiam alienas inuasisse, & non finitima modò in potestatem redegisse, vt ad eam quæ nunc Ionia est, processerint, sed exercitum etiam classe traiecisse in ipsam vsque Aticam? Est enim hoc tale, ac si quis dicat, viros, qui tum erant, feminas fuisse: feminas verò tum temporis virile robur habuisse. Verùm enimuerò eadem etiam nunc de ipsis prædicantur. Auget verò singularia hæc, quæ de ipsis narrantur, & quasi sustentat, quòd antiqua magis quàm præsentia credantur: tum etiam illud robur addit, quòd vrbes ab eis conditæ, & nomina vrbibus indita ferantur; vt Ephesus, Smyrna, Cuma, Myrina, Paphus, aliaque earum monumenta. Iam Themiscyram, & eos, qui ad Thermodonta sunt, campos, atque iis imminentes montes, Amazonum nomine ad vnum omnes appellant, & inde expulsas esse dicunt. Verùm vbi nunc sint,& à paucis,& citra certam demonstrationem traditur. Quemadmodum & illud de Thalestria, quam Amazonum reginam fuisse, & in Hircania Alexandro commixtam, prolisq; causa cõgressam,aiunt. Neq; enim hoc omnibus in confesso est: sed cùm tot sint scriptores, certè ij,quibus maxima fuit veritatis cura, & quibus plurimum fidei habetur, nec verbum, nec mentionem eius vllam fecerunt; & eorum, qui huius rei meminerunt, non eadem est oratio. Clitarchus ait, Thalestriam à portis Caspiis & Thermodonte progressam, ad Alexandrum veniisse. Sunt autem à portis Caspiis ad Thermodonta vsque, plus quàm sex millia stadiorum. Atque talia quidem ad gloriam & honorem Alexã-

dri

dri diuulgata,vt omnium conſenſu dicantur: ſunt tamen conficta ab illis, qui adulationis maiorem quàm veritatis rationem habuerunt. Hæc Strabo: quibus quædam attexuit, quorum illud, quod de Caucaſo ad Indiam fabulosè tranſlato adiecit, mihi minimè probatur. Quamuis enim Caucaſus altiſsimus eſt inter Albaniam & Iberiam, verſus Colchos & Heniochos; alibi tamen altior eſt, illic nimirũ, vbi propriè Caucaſus à Ptolemæo nominatur. Corrigimus igitur Strabonem hac parte Ptolemæi & Plinij auctoritate; quorum, vti poſteriorũ, accuratior fuit deſcriptio. Sed de his antè ſatis latè & copiosè, prout noſtra poſtulauit narratio. Nunc de Amazonibus eſt ſermo, quas Strabo ſic videtur ſuſtuliſſe, vt nihil earũ reliquum fecerit. Nos contrà, quod ab omnibus decantatur, tale eſſe credimus; vt quamuis fabulis ſit inuolutum, habeat tamen ſemper originem è fonte aliquo veritatis. Diodorus Siculus ex Dionyſio, qui Argonautarum, Dionyſij, & aliorum priſca geſta deſcripſit, Amazonum hiſtoriam longè fecit, quàm ceteri, admirabiliorem. Primas enim & antiquiſsimas Amazonas in Libya collocauit; è quarum numero Myrina ad Orum Iſidis filium in Ægyptum venit, & contracta cum eo amicitia, Arabiam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, & alias regiones ſubiecit; atque tandem militiæ finem flumen Caicum ſtatuens, plurimas vrbes condidit, Ninam, Cumam, Pitanam, Prienen: & inſulis etiam nonnullis in poteſtatem redactis, in Lesbo Mytilenen erexit, de ſororis nomine, quæ vnà militauerat, ita nuncupatam. Huic item Samothracen adſcribit, quam Magnę matri dedicarit, voce ſacram inſulam ſignificante. Tanto verò hæc Amazonum natio, altera illa ad Thermodontem eſt antiquior, vt multis ante Troianum bellum ſæculis ſit deleta, ſi Siculo credamus. Sed nobis de Libycis necdum eſt quæſtio: quocirca alios audiamus, qui de illis agunt, quæ ad Thermodontem celebritatem nominis cõſecutæ ſunt. Iuſtinus ex Trogo Pompeio, duos regios iuuenes ait domo pulſos è Scythia, factione optimatũ; quos cum ingẽti iuuentutis numero, in ora Cappadocię iuxta amnem Thermodonta conſediſſe, & ſubiectos Themiſcyrios campos occupaſſe. Ibi per multos annos, finitimos ſpoliare, in præcipuo quæſtu habentes, conſpiratione populorum ex inſidiis trucidatos eſſe. horum vxores, cùm viderent exilio ſuo additam orbitatem, arma ſumpſiſſe, fineſque ſuos, ſummouentes primò, mox inferentes bella, defendiſſe. nubendi quoque finitimis animum omiſiſſe, ſeruitutem non matrimonium appellantes, ſingulare omnium ſæculorum exemplum: auxiſſe Remp. ſine viris, iam etiam cum contemptu virorum ſe tueri: & ne feliciores aliæ aliis viderentur, viros, qui domi remanſerant, interfeciſſe. Vl-

tionem

tionem quoque cæſorum coniugum, excidio finitimorum conſecutas. Tum pace armis quæſita, ne gens interiret, concubitum finitimorum iniuiſſe; ſi qui mares naſcerentur, interfectos. Virgines in eundem morem non ocio, neque lanificio, ſed armis, equis, venationibus exercuiſſe, inuſtis infantium dexterioribus mammis, ne ſagittarum iactus impediretur, vnde Amazones dictæ ſunt. Harum vni Orithyæ nomine, quæ Martheſiæ matri interfectæ in regno ſucceſſit, eximiá in omne æuum virginitatem conſeruatam fuiſſe. Huius virtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonibus fuiſſe, vt Herculi Rex, cui duodecim ſtipendia debebat, imperauerit; vt arma Reginæ Amazonum ſibi adferret, quaſi rem impoſsibilem. Profectum igitur eò longis nouem nauibus, comitante Principum Græciæ iuuentute, inopinantes inuaſiſſe. Duas tum è quatuor ſororibus Amazonum regna tractaſſe, Antiopen & Orithyam: quarum hæc foris bellũ gerebat. Repentino itaque impetu & inexſpectato, alias cæſas, alias captas fuiſſe, & inter has, duas Antiopæ ſorores, Menalippen ab Hercule, Hippolyten à Theſeo fuiſſe abreptas. Hanc à Theſeo vxorem ductam, Menalippen Antiopæ ea conditione redditam, vt arma ſua pro ea Regina daret, atque ita Herculem voto ſuo potitum, reuerſum in Græciam fuiſſe. Orithyam, audita ſuarum domeſtica clade, ab Athenienſium principe latrocinij more perpetrata, Scytharum ſibi auxilium impetraſſe, atque eo fretam, bellum Athenienſibus intuliſſe; verùm ob diſſenſionem, neſcio quam, ab auxiliaribus in prœlio fuiſſe deſertas, atque ita victas, Scytharum tamen præſidio in patriam reuertiſſe. Poſt Orithyam, Penthesileam regno potitam, Troianis auxilium tuliſſe, atq; ibi cæſam. Poſt hanc genus adhuc ad Alexandri vſque ætatem perduraſſe, atq; ad eum Reginam ſobolis ſuſcipiendæ cauſa veniſſe, pòſt vnà cum nomine omnes, quibus neſcio cladibus, interiiſſe. Hæc ſummatim è Trogo adducta, tempus docent, quo Orithya bellum geſsit ad Sangarium, cuius Priamus apud Homerũ facit mentionem. Docet enim hanc id temporis, quo Hercules improuiſus, & nullo ad bellũ indicendum feciale miſſo, Menalippen rapuit, foris militaſſe: vbi verò militarit, Homerus aperuit. Quamquã ergo Priamus in adoleſcentia Mygdoni & Otreo ſuppetias aduerſus Amazonas tuliſſe, narratur, Penthesilea tamẽ Orithyæ filia Priamo auxiliares duxit copias, propter odium aduerſus Græcos iuſta de cauſa ſuſceptũ. Eadem porrò ætate, qua Orithya bello fuit implicata, Cimmerij aconitũ dicuntur comediſſe, in illa ipſa regione, in cuius finibus bellũ eſt geſtum. Fuerunt igitur tum temporis Cimmerij ad eum locũ progreſsi, in quo Amazones caſtra contra

Phrygas habebant. Cùm igitur perſpicuum ſit, non citra cauſam illuc veniſſe, & certum ſit, nõ contra Amazones bellum geſſiſſe, reliquum eſt, vt fateamur, ſocia arma cum Amazonibus contra Phrygas tuliſſe: atque in hac expeditione illud paſſos eſſe, de quo fabula nata ſit, de aconito comeſto. Arrianus enim, vti modò monui, ex Euſtathio in Dionyſium Afrum, eos apud Mariandynos vltra Sangarium flumen maioris Phrygiæ, aconitum comediſſe, de more quem habebant herbis veſcendi, memoriæ prodit. Aconitum verò illud ex eo lethale virus contraxiſſe volunt, quod Hercules paulo ante Cerberum apud Heracleam extractum hominibus oſtenderit; è cuius capite Viperæ natæ ſint, quarum tabo aconitum fuerit infectum. Ego verò hanc fabulam ita interpretor, vt credá Herculé, quo tempore ad Thermodonta nauigabat, obiter in Phrygiá ad famã maximi apparatus bellici, excurriſſe, & tũ ad Priamũ, quem paulò priùs pretio accepto dimiſerat, diuertiſſe; atque hinc, quò res Amazonũ inferiores redderet, tũ quò facilius voto ſuo potiretur, tũ quò Priamo hoc gratiæ daret, omnẽ rationẽ quæſiuiſſe, quò Cimmeriorũ auxilia, quæ iã proxima erãt, impediret. Quod quando aperto Marte nõ poſſet, ad inſidias cõuerſus, conſequi ſe poſſe arbitratus eſt, ſi aquas, qua iter facturi erant, veneno infeciſſet. Venenum autem illud à cane profluxiſſe, duabus de cauſis fingunt; & quòd canes fures & latrones à liminibus arceant, & quòd rabidi canis ſaliua illud virus habeat, vt qui ea ſunt infecti, aquas exhorreant, quantauis ſiti exareſcant. Perbelle igitur quadrabat fabula de cane inferno, vt qui homines ad inferos ſaliua ſua commigrare cogeret, atq; hoſtes Cimmerios à Phrygię limine arceret. Tũ etiam videbantur eo tempore Cimmerij à cane rabido demorſi fuiſſe, propterea quòd aquas in ſumma ſiti & aridiſſima vitarẽt, perinde atq; illi, qui in hydrophobiã è rabioſi canis morſu inciderunt; propterea quòd periculo aliquorum iam didiciſſent, toxica per aquas induſtria Græcorũ ſparſa eſſe. Quòd verò aconiti potiùs eſui Cimmeriorum hanc calamitatẽ tribuerint, id alterum in ſe conuitiũ habet, quo tenuis & exilis victus Cimmeriorũ deridetur, quaſi ſolis herbis veſcerẽtur. Quòd niſi fabellã hanc hoc modo intelligas, frigida ſanè erit & inepta. Quid enim ſi aconitũ virulento tabo fuit infectũ, ob id ne Cimmeriis alię herbę defuerũt, hominibus præſertim, vt ipſi Greci in hoc ſuo commento fatentur, herbarũ eſui aſſuetis? Deinde quî factũ eſt, vt ſolùm aconitum virus ſenſerit, ſi antè fuit innoxiũ? Num illud ſolum in tota illa regione loco graminis, & reliquarum herbarum creſcebat? Si mihi liceat contra hunc, quiſquis ille fuit, falſo Herculis titulo celebratus, ſuſpicionem dicere; exiſtimarem venenum eum inueniſſe, è rabidi canis ſaliua & tabo compoſitũ, quod aconitũ, de

præsentia & efficacia lethalis veneni, sit appellatum, quo aquas tunc infecerit. Meritò igitur fabulati sunt, non procul ab his locis Cerberũ extractũ ab hoc Pseudohercule Græcorũ fuisse, vbi canino veneno fontes infecit. Fuit igitur hoc Herculis Græci opus, haud valdè Herculanũ; sed tale tamẽ, vt astutiam & vulpinum Græcorũ ingenium non pessimè redoleret. Græci igitur, cùm viderent Amazonũ optimã partẽ in exercitu ad Sangariũ esse, ex improuiso, vt dixi, eas, quæ domi erant relictæ, incautas inuaserunt, nihil hostile metuentes. Et fuit hic incursus non belli iusti lege factus, sed more piratarũ sine discrimine quæuis quorumuis hominũ rapientiũ. Hac igitur ratione Amazones & Cimmerij iritati, pacẽ cũ Phrygibus iniuerunt, quò Græcorum perfidiam vlciscerentur. Iter autẽ fecerũt per Bosphorũ Cimmeriũ, vt Diodorus testatur, ne totam Mæotidem paludẽ circumire cogerentur. Et quidni per ipsam Cimmeriorũ regionem pacificũ iter haberent, si Cimmerij vnà cũ Amazonibus erãt? Scythæ ergo, de quibus Trogus Pompeius egit, Cimmerij fuerunt; & si Cimmerij non fuissent, non erant Amazones tutũ iter per Cimmeriorũ regionẽ habituræ; quorũ tum imperiũ à Mæotidis omni ora, ad Thraciæ vsque intima, pertinebat. Clarũ enim est ex Eusebio, centũ etiam post captã Troiam, annis, Treras in Thracia potentissimos fuisse. Quo fit, vt nemo suspicari possit, inuitis Cimmeriis Amazonas illac potuisse proficisci. Vnà igitur Amazones & Cimmerij Græciã inuaserũt, quãuis tota laus Amazonibus sit attributa, quò miraculũ historiæ vanas aures magis titillaret. Vnà etiã ad Sangariũ Phrygibus arma intulerũt, & pòst aliquot ætatibus Ioniã rursus procellæ in morẽ irrupẽre. Propiùs ergo intuendũ, quæ tanta hæc fuerit Amazonũ & Cimmeriorũ coniunctio, præsertim cùm maritis caruisse dicantur. Omnium certè cõfessione, ad Thermodontẽ Cappadociæ flumen in campis Themiscyriis à Themiscyra vrbe ad Pontum sita, super ostiis Iridis, ita vocatis, olim habitarunt. Quintus Curtius ad Thermodontem quidem Alexandri tempore locauit, sed imperium ad Phasim vsque & Caucasum extendit. Eius de Amazonũ vestitu hæc sunt verba: Vestis nõ toto Amazonum corpore obducitur: nam læua pars ad pectus est nuda, cetera deinde velantur; nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alant: aduritur dextera, vt arcus faciliùs intendant, & tela vibrent. Cetera quæ addit de Thalestri Regina, ad Alexandrum sobolis causa, ad tredecim vel quatuordecim dies commorata, cum Trogo cõsentiunt, sed ridicula sunt tum vniuersim, tum de locorum interuallo. Mulier scilicet per prærupta

Caucaſi, per Armeniam minorem & maiorem, per Mediam, perque alias interiectas tot gentes, ad Alexandrum in Hircaniam venit, quo ſemẽ reportaret. Non rideo fabulam, ſed peſſimam & laceram fabulæ ſuturam, quæ tam ingentibus terrarum interuallis fatiſcit. O miſeram feminam, quæ nec apud Gargereas, nec apud Iberos, nec apud vllos omnino, vel Scythas, vel Armenos ſemen inuenit, locis ſuis dignum! Explodamus igitur non hoc ſolùm, ſed omnino totum figmẽtum antiquorum, quod nobis de mendicato foris concubitu obtruſerunt; hæreamuſque Straboni, qui incredibile iudicauit, vllam omnino mulierum ciuitatem citra viros conſtare poſſe, nedum tot gentibus imperare. Si quæ verò Amazones fuerunt, eas dicemus coniugatas fuiſſe, & more ceterarum mulierum Venerem exercuiſſe. Trogus Pompeius fatetur, maritis primùm vſas fuiſſe; quibus occiſis, vitæ illud genus arripuerint, quod fabulis vetuſtis decantatur. Herodotus oſtendit, quando ſeſe Sauromatis coniugarint: cuius verba in Latinum ſermonem verſa, ne Græcis tranſſcribendis ſim prolixior, apponam. De Sauromatis ita fertur. Græci bellũ geſſere contra Amazones, quas Scythæ Aorpata vocant, quæ vox idem ſonat, ac ſi dicas, Viricidam. *Aor* enim virum, *pata* occidere dicunt. Narratur autem Græcos, tum in prœlio ad Thermodontem commiſſo victoria potitos, Amazonas quas viuas capere potuiſſent, tribus nauibus impoſitas abduxiſſe. Has verò ex inſidiis, dum in altum eſſent euectæ, occidiſſe quicquid eſſet virorum. Sed quòd naualis rei peritæ non eſſent, neque gubernaculis, neque velis, neque remigio vti ſcirent, temere ferebantur, quò vnda & ventus tuliſſet. Appulerunt autem in paludem Męotide, ad præcipitia quædam & promontoria regionis Scytharum eorum, qui liberi vocantur: vbi nauibus egreſſæ ad loca habitata perrexerunt. Hic caſu in equitium incidentes, totum armentum diripuerunt; quo aſcenſo, Scytharum res depopulabantur. Scythæ verò non poterant coniicere, quidnam hoc rei eſſet, quòd neque linguam, neque veſtitum, neque gentem agnoſcerent, pro miraculo habentes vnde adueniſſent. Videbantur autem omnes viri eſſe eiuſdem ætatis. Commiſſa igitur cum illis pugna, quaſdam ex ipſis ceperunt, atque ita didicerunt feminas eſſe. Quocirca inito conſilio placuit, nullo modo earum quampiam deinde occidendam eſſe, ſed iuniores quàm minimos ætate de ſuis ad ipſas mittendos, tot quot ille de coniectura viderentur: quos placuit caſtra metari illis quàm proxima, & idem omnino facere, quod illas facere videret, & ſi ipſos inuaderent, minimè reſiſtere, ſed fugere inſequẽtes: vbi ab inſequendo ceſſaſſent, caſtra rurſus propinqua illis admouere. Atque hoc quidem Scythæ

conſi-

consilio vsi sunt, quò liberos ex eis suscitarent. Adolescentes igitur dimissi, fecêre imperata: quos cùm Amazones didicissent, non venisse ad damnum aliquod inferendum, pro lubito agere sinebant. Indies itaque castra castris propiùs sunt admota. Adolescentes autem, perinde atque Amazones, nihil habebant præter arma & equos, & vitam agebant eandem cum ipsarum vita, viuentes venatu & deprædatione. Consuetudo verò erat Amazonibus, vt circa meridiem sparsæ, vel singulæ, vel binæ longè ab aliis remotæ vagarentur, ad corporis commoditati necessariæ satisfaciendum. Quod cùm didicissent Scythæ, idem fecêre, atque ita quidam vni earum, quæ se solam à reliquis subduxerat, incidit; nec ea est auersata, immo colloqui velle videbatur: quod quia voce consequi non poterat, quòd se mutuo non intelligerent, manu significauit, vt postridie ad eundem locum rediret, ac alterum vnà secum adduceret, indicans se quoque cum altera ad futuram. Postridie igitur in locum eum venit & ipse & alter, in quo Amazonem cum altera se expectantem inuenit. Quo audito, reliqui quoque adolescentes ceteras Amazones illexerunt. Deinde itaque commixtis castris, vnà habitarunt, eam sibi quisque vxorem habens, cum qua primùm se miscuisset. Cùm verò viri vxorum linguam addiscere nequirent, mulieres virorum sermonem didicerunt. Cùm ergo se nunc loquentes intelligerent, viri mulieres ad hunc modum sunt allocuti: Nobis parentes sunt, sunt & possessiones, nunc igitur deinde non amplius huiusmodi vitã agamus, sed ad cœtus hominũ nos conferamus, quò cum illis ciuilem vitę rationẽ sequamur, vbi vos vxores, & nullas alias, habebimus. Ad quæ illæ respondêre: Nos mulieribus vestris conuiuere non possemus, eò quòd non eadem nobis sint & illis, vitæ instituta. Nos enim arcubus & iaculis vtimur, & equitamus, operum muliebrium prorsus ignaræ. At vestræ feminæ illorum quæ enumerauimus nihil faciũt, femineo labore occupatæ, & in plaustris perpetuò manentes, neque ad venationem, neque ad aliud quippiam vnquam egrediuntur. Quocirca cum illis versari, nulla ratione possemus. Verùm si velitis nos vxores habere, & videri iustè agere, ite ad parentes, & partem facultatum, quæ vobis obuenire debet, accipite; vt postea inter nos agamus nostro arbitratu. Persuasi iuuenes ita fecerunt, & accepta facultatum ea portione, quæ ad ipsos pertineret, ad Amazonas redierunt, quos illæ sic sunt allocutæ: Nos metus & formido tenet, quînam oporteat in hac regione habitare; tum quòd vos patribus orbemus, tum quòd terram vestram damnis multis afflixerimus. Postea igitur quàm dignamini nos vxores habere, dignemini & hoc facere: Agite, emigremus ex hac terra, & domicilia vltra Ta-

naim flumen collocemus. Aſſenſere & his iuuenes; & Tanai traiecto, tridui à Tanai, & tridui à Mæotica palude profecti, locum eum, quem etiamnum habitant, occuparunt. Ex eo igitur tempore, vetuſta Sauromatarum conſuetudine mulieres hæ vtuntur, & in equis venatum exeunt, & cum viris, & ſine viris. Tum & ad bella egrediuntur, & ſtolam eandem, quam viri, geſtant. Hinc igitur ab antiquo Sauromatæ iudicantur in lingua Scythica ſolœciſſare, propterea quòd Amazones non rectè eam didiciſſent. Quæ verò ad nuptias ſpectant, ſic apud eas ſunt ordinata, vt nulla virgo marito priùs iungatur, quàm ex hoſtium numero virum aliquem occiderit. Vnde fit, vt quædam earum conſeneſcant priuſquam nubant, quòd legem explere non poſsint. Hæc Herodotus: in quibus, vt non pauca ſunt fabuloſa, ita quædam nobis diligenter ſunt notanda. Longè profectò receſsit à ceteris, qui de Græcorum contra Amazonas victoria ſcripſere, vt cuiuis, modò conferre nō grauetur, liquebit. Hoc interim habemus, Amazones Sauromatis, poſt cædem Græcorum in Ponto factam, ad Occidentalem Mæotidis paludis appuliſſe partē, quæ promontorij præcipitia præfert. At ea nuſquam eſt inuenire ad illam plagam, niſi qua Mæotis Cherroneſum Cimbricam attingit. Cùm igitur Cimmerij à Mæotide ad Thraciam vſque id temporis habitarint, vt è Strabone perſpicuum fit; neceſſe eſt hos, ſiue Scythas, ſiue Sauromatas, Cimmerios fuiſſe; nomine, non gente, diſtinctos. Quòd verò ſcripſit, ex illo primum tempore vxores Sauromatarū fuiſſe, non conuenit veritati. Amazones ēnim perpetuò Sauromatides nominatæ fuerunt; non illa, quam Græci ſomniarunt, cauſa, ab eſu lacertorum, quos Græci ſauras vocant, ſed à maritis ſuis Sauromatis, quibus ſemper fuēre copulatæ. Nec hoc ſolùm de appellatione poſſum docere, verùm de grauiſsimi antiquiſſimique auctoris teſtificatione, maximi, inquam, illius Hippocratis Aſclepiadarum luminis ſingularis; eius in libro De aēre, aquis & locis, quem vt germanum Coi magiſtri fœtum Galenus agnoſcit, hæc ſunt verba:

Εν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ἔσιν ἔθνος Σκυθικὸν ὃ περὶ τὴν λίμνην οἰκεῖ τὴν μαιῶτιν διαφέρον ἐθνέων τῶν ἄλλων Σαυρομάται καλεῦνται. τουτέων αἱ γυναῖκες ἱππάζονταί τε καὶ τοξεύουσι καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ἔωσιν. οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι, καὶ οὐ πρότερον συνοικέουσιν, ἢ περ τὰ ἱερὰ θύσασα τῷ ἐν νόμῳ. ἥδ' ἂν ἄνδρα ἑωυτῇ ἀρη) παύε) ἱππαζομένη, ἕως ἂν μὴ ἀνάγκη καταλάβῃ παλαιοῦ σφαλίας. τὸν δέξιον δὲ μαζὸν

μαζὸν οὐκ ἔχουσιν. παιδίοις γὰρ ἐοῦσιν ἔτι νηπίοις αἱ μητέρες χάλκεον τετεχνημένον ἢ ἐπ' αὐτῷ τετέῳ διάπυρον ποιέυσαι πρὸς τὸν μαζὸν ἰθέασιν τὸν δέξιον, καὶ ἀπικαίεται, ὥστε τὴν αὔξησιν φθείρεσθαι, ἐς ὃ τὸν δέξιον ὦμον ϛ βραχίονα πᾶσαν τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ πλῆθος ἀπιδιδόναι.

Quæ ſic obiter & ſimpliciter Latinis hominibus explicentur: In Europa verò gens eſt Scythica, circa Mæotin paludem ſedes habens, ab aliis populis plurimùm differens, Sauromatæ nominati. Horum vxores equitant, & arcubus & iaculis ex equis vtuntur, & cum hoſtibus pugnant tantiſper dum virgines permanſerint. Neque verò virginitatem ponunt, donec tres hoſtes occiderint: neque priùs viris conſueſcunt & cohabitant, quàm ſacra hæc immolarint ei, cui lex immolari iubet. Quæ verò marito nupſerit, ceſſat ab equitatione, donec opus non eſt exercitu è totius gentis vniuerſitate collecto. Carent autem dextera mammilla. Matres enim ipſis adhuc infantibus, æneum inſtrumentum ad hoc arte factum, candens admouent ad mammillam dexteram, ita vt aduratur: quo fit, vt omnis creſcendi facultas pereat, & omne robur & augmentum ad dexterum humerum & brachium deferatur.

Ex his Hippocratis verbis clarum eſt, Amazonas Sauromatarum vxores fuiſſe, nulla adiecta temporis diſtinctione, quam fruſtra alij ſibi finxêre. Freti igitur tum ratione, qua docetur, nullam ſolis mulieribus ciuitatem conſiſtere poſſe, tum hoc grauiſsimo teſtimonio aſſerimus, Amazones mulieres ſemper Sauromatarum vxores fuiſſe: Sauromatas verò hos è locorum deſcriptione contendimus, alio nomine Cimmerios vocari. Deinde ſi maritos habuerunt, cum quibus eas militaſſe dicemus, quàm cum maritis? At cum Cimmeriis Aſiam inuaſerunt, vt Euſebius tradit, & cum eiſdem multo antè ad Sangarium contra Phrygas exercitum habuerunt, quem mox inde in Græciam ductum fuiſſe, oſtendi. Fuêre igitur Cimmerij earũ mariti. Sed & illud oſtenſum eſt, Sauromatas perpetuò ab omni antiquitatis memoria coniuges earũ fuiſſe. Quę ſi vera ſunt, efficitur eoſdem omnino Cimmerios antiquiſſimos Amazonũ ſocios & cõmilitones; & Sauromatas earũ maritos iudicãdos eſſe, ſola nominũ diuerſitate differentes. Videtur ergo locus hic poſtulare, vt priùs de nominum eiuſdem gentis hominibus tributorũ rationibus, breuiter quædam annotemus, quàm ſententiam noſtrã de Amazonibus feramus. Herodotus primũ dixerat ad Scytharũ regionẽ Amazonas appuliſſe; atque illorũ ſibi filios matrimonio copulaſſe; paulò verò pòſt eoſdem Sauromatas appellat, cùm alij Cimmerios ſocios earum fecerint.

Cimme-

Cimmeriorum nomen, vt satis superque clarum feci, est proprium gentilitatis: Scytharum verò, quorum frequens mihi mentio fuit, quorumque ingens varietas erat, & latè ad Orientem & Septentrionem domicilia patuerunt, nomen commune fuit, illud quidem omnibus eiusdem linguæ rituſque gentibus, sed non à generis origine deductum. Herodotus enim egregiè fallitur, vnà cum omnibus, qui eum sequuntur; putans Scythas à Scythæ Herculis filio ita nominari. Vanitas & insania Græcorum, quò gentium haberent conditores, omnium ferè primordia ad Herculem suum retulere, non malè facturi, si ad Herculem nostrum, id est, eum, qui primus inter homines post cataclysmum hanc appellationem accepit, respexissent. Omnes enim à Noacho genus ducunt, quamuis sint, qui se Luna priores fuisse iactent. Hic enim, non suppositius ille Græcorũ omnem terram peragrauit, quò filios nepotesque suos pietatis & officiorum admoneret. Recitanda tamen est fabula, qua Scythen suum ornarunt homines linguæ Scythicæ, & antiquitatis imperiti. Hercules, vt Herodotus prodit, Geryonis boues agens, cùm in Scythiam, terram tum temporis cultoribus vacuam, venisset, substrata sibi pelle Leonis, obdormiuit. Interea equæ, nescio quo fato, disparuêre, dum à curru ad pascendum solutæ fuissent. Has per totam regionem inuestigans, ad terram, quæ Hylæa dicitur, Nympham in antro inuenit feminum tenus mulierem, inferiùs verò Viperam: quæ interrogata, ecquas vidisset equas, respondit, se illas habere, sed non reddituram se esse, nisi concubitu eas redemisset. Hercules igitur consensit, & paulò quàm vellet diutiùs, ad feminæ libidinem explendam detentus, tandem receptis equis, est dimissus. Discedentem percontatur Nympha, quid fieri velit de tribus filiis, quos se concepisse sentiebat. Cui Hercules, Quem eorum hunc arcum, quem tibi relinquam, ita tendere videris, & hoc balteo ita se præcingere, eum regioni huic tuæ iube imperare. Qui verò arcui tendendo impar erit, eum hinc ablegato. Natis igitur pueris, & vno Agathyrso, altero Gelono, tertio Scytha vocatis, tantisper dicitur expectasse, dum ad virilem ætatem peruenirent. Tum verò Agathyrsum & Gelonum, quæ ab Hercule præscripta erant, præstare nequiuisse, & Scythen solum oneri impositio parem fuisse inuentum. Huic igitur regnum traditum fuisse, ceteris aliò ablegatis: & quia in balteo phiala erat aurea, omnes Scythas deinde in balteis phialam gestare. Hæc de relatu Græcorum, qui ad Pontum habitabant, commemorantur. Scythæ ipsi aliter genus suum tradunt. Primùm enim apud ipsos fuisse Targitaum Iouis filium, è Boristhenis filia. Eius tres fuisse liberos, Lippoxain, Arpoxain, & nouissimum

Col-

Colpoxain. His regnantibus, cecidiſſe è cælo aratrum cum iugo, ſecurim, & phialam, omnia ex auro facta. Cùm igitur priores aurum arripere niterẽtur, ſubitò exarſit, & à contactu manus prohibuit. Tertio autem accedente, extinctum eſt, & ſe manu capi permiſit. Quo intellectum eſt, minimum natu regnare debere. A Lippoxai deſcendiſſe Auchatas; ab Arpoxai Catiaros & Traſpies; à minimo reges Parallatas, qui communi nomine Scolotæ vocantur. Harum originum prior, Græco more fabuloſa eſt, tenuem veritatis vmbram ſeruans. Nam Scythæ nõ ab Hercule Græco, ſed à Noacho, quem Herculem diximus, procedunt; vti ceteri quoq; mortales. Videtur autem Noachus arcum Scythis reliquiſſe, quòd eius vſu ceteris gentibus prę̃stẽt; & nomen ipſum ab arte ſagittandi ducant, vti mox docebo. Poſterior tota eſt allegorica, Scythiſmo cõuenientiſsima. Ⲧergitau enim nihil aliud ſonat, quàm antiquũ terræ fuſorem; quaſi Ⲧe ert git au, exempto Ⲧau, & articulo Ⲧe coaleſcente cum ſuo nomine; qua voce primũ parentẽ nominarunt. Quia autem omnia animantia, quæ ſemine procreantur, fuſione quadam fiunt veluti in formam quandam, & præſertim homines, verbum hoc ad generationem eſt tranſlatũ; adeò vt is quoque, qui omnia creauit, de plenitudine poteſtatis ſuæ, à fundendo nomen apud noſtrates acceperit, de quo in Theologicis elementis latiùs. Ⲁu verò antiquum ſignat. Ille igitur antiquus terræ fuſor, Scythis Ⲧergitau dictus eſt. Huius tres liberi numerantur, qui nomina ab agendi modis diuerſis, diuerſa duxerunt. Cùm enim omnes homines ad actionem nati ſint, tria ipſorũ inueniũtur diſcrimina. Alij enim nimis ſunt prę̃cipites, & priùs agunt, quàm maturè conſulant. Horum pater eſt Lippoxais, ſiue Scythicè Ⲗippogſait, id eſt, ſemen currendo omnia tentans. Ⲗip eſt idẽ quod cucurri. ϩog, idem quod tento, ſiue aggredior aliquid. Ⲍait, ſiue ſaet, ſiue Ⲍat, ſemen. Ⲗippogſaet ergo, ſiue, per duplicem conſonantem, Ⲗippoxaet, eſt illud ſemen, quod ad tentandum aggrediendumque opus cucurrit. Huius ſeminis filij ſunt Auchatæ, ſiue noſtro more Ⲁuchatey. Ⲁu antiquum; Ⲥat ſiue Ⲥhat, malum. Antiqua ergo mala ſiue malorum antiquiſsimum primordium, natum eſt ex præcipiti & inconſulto parentum noſtrorum facto, cùm ſuaſu Dæmonis curſim & præcipitanter pomum comedere tentarunt. Secundus Tergitai filius eſt Arpoxais; cuius interpretatio eſt, ſemen tardum ad aggrediẽdum. Ⲁr enim tardum notat, vt antè declaraui; ϩog, tento; ſait ſemen. Ⲁrpoxait igitur, ſiue Græca formula Arpoxais, is eſt, qui tardus eſt ad aggrediendum. Primum enim illud & antiquum peccatum, tarditas probarum actionum eſt conſecuta. Sicut igitur nimis præ-

ceps est Lippoxais, ita nimium tardus Arpoxais: quibus duobus duæ extremitates, in quibus omnia vitia consistunt, denotantur. Vltimus verò Tergitai filius Colpoxais nominatur, id est, moderatus ad agendum; ita vt neque nimium frigidus sit, neque nimium calidus, sed ita medius, vt modus animum bene constitutum delectet. Quòd enim tale est, vt calorem immodicum grata nobis temperie moderetur, Cos vocamus. Hinc in communi loquendi vsu ad eum transfertur, qui maturo consilio res suas aggreditur, ita vt neq; nimis calidus, neq; nimis frigidus censeatur. Iam igitur sicut Lippoxais genus ab antiquo malo nomen est sortitum; ita ab Arpoxai illi dicuntur descendere, qui Catiari & Traspies vocantur. Catiar malum annum significat, quem Hispani non ratò imprecantur quibus malè volunt. Cat enim malum, Jar annũ notat. Traspies verò tardum cibum significat. Tra enim tardum; & Spis, cibũ indicat. Quicunq; enim eius seminis sunt posteri, quod nimis tardũ est ad necessaria opera aggredienda, malũ annum & serum, tardumq; cibũ sortiuntur, vt meritò ab his duobus nomina deducant. Docuit id Hesiodus hoc versu:

Αἰὲν ὀιζυροῖσιν ἀνὴρ ἄταισι παλαίει. *id est,*
Ærumnis semper luctatur tardigradus vir.

A Colpoxai regium genus hominum venit, qui Paralatey vocantur, id est, illi, quorum hoc munus est, vt omnibus illa quæ agere ipsis permittunt, sic accommodent, vt pares operi & officio suo sint. Par, nobis idem est quod æquare, & secundum paritatem quandam & æquabilitatem coniungere. Al omne, Lat permitto. Hoc ergo Scythæ verè regium iudicarũt, vnicuiq; illud permittere, cui agendo par videretur. Vna profectò voce totã ferè Platonis Remp. depingũt, in qua nemini aliud agere decreto regio permittatur, quàm id ad quod idoneus esset; & non idoneus modò, sed abipso etiam supremo magistratu admissus. Reges autem hi, quorum hoc munus erat, vt suo quẽq; operi, cui idoneus esset, applicarẽt, in vniuersum cognomento Scolotey dicebantur. Est enim Scolot pulcra fors: Scoy siue in compositione Sco, pulcrum, felix, fausturnque; Lot sortem signat, vel si verbum sit, agendi significatum habens, sortiri. Indicabãt igitur hoc cognomine, nullã sortem cuiquã meliorem cõtingere posse; quàm si ad illud opus à Rege suo aptaretur, ad quod natus esset. Non difficile esset, hoc loco longè ad laudẽ decusque priscum Scytharum euagari, & eorum non exquisitã modò Reip. gubernandæ rationem, sed sapientiã etiã in omnibus ciuilis prudẽtię præceptis, & inueniendis & breuiter symbolicôsq; denotandis aperire: sed quia breuitatem sequimur, & gentiũ antiquitatem, non philosophiã scribimus,

bimus, ſatis eſt lectori indicare, quàm omnia ipſorum monumenta plena ſint reconditæ & arcanæ eruditionis. Faceret Deus Optimus Maximus, vt talis nobis magiſtratus contingeret, vt eius prudentia & opera ad illud quiſq; munus ſe applicare cogeretur, ad quod à natura videretur eſſe comparatus. Haberemus enim hac via publica negocia ſic adminiſtrata, vt neceſſariò ex his omnium ſalus & felicitas exiſteret. Porrò quod aiunt & Colpoxain ſolum imperaſſe, & ab eo Parallatas deſcendiſſe, qui Scolotę communi cognomine vocarentur; quid aliud eſt, quàm ſolum illũ Regio ſolio dignum eſſe, qui medium in omni genere rerum gerendarum tenere poſſet, & ab hoc illos poſteros eſſe relinquendos, qui tam omniũ officiorũ perſonarũq; eſſent periti, vt quoduis onus, & quãuis prouinciam idoneis hominibus ita ſcirẽt delegare, vt permiſſum onus hominibus & homines oneri pares haberentur. Ceterùm hæc de iis, qui in communitate verſantur. At illa de aratro cũ iugo, ſecuri & phiala, nõ magis ſunt ocioſa, quàm hæc quæ modò indicaui. Quid enim ſibi vult illud cælitus aratrum cum iugo, ſecurim & phialam demiſſa eſſe, atq; hæc quidem omnia aurea? Aratrum profectò cum iugo nemo dubitare debet, quin nobis indicet labores omnes humano generi ad victum quærendum neceſſarios. Ad hoc enim Deus hominem condemnauit, vt terra niſi arata eſſet, ac multo hominũ iumentorumque labore culta, victum mortalibus negaret. Hoc è ſacris litteris, hoc ex Heſiodo & aliis Poëtis accepimus, hoc item à Scythis ipſo hoc ſymbolo eſt ſignificatum, primum homini munus eſſe, vt labore victum quærat. Deinde illud accedit incommoditatis & moleſtiarum ex hominum prauitate ab antiquo illo Aucatarũ malo, vt non ſatis ſit, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, improbo ſudore ſibi paraſſe, niſi arma ad manũ ſint, quibus parta defendas. Hæc verò excellẽtiæ ratione per ſecurim notantur, quæ apta eſt non ſolùm ad defendendũ, ſed ad arma etiam cetera parãda, quibus vitam facultatesq; noſtras tueri queamus. Deinde eo ſecuris modeſtius eſt teli genus, quòd nõ ad tuitionẽ tantùm corporis, ſed ad alios infinitos vſus in pace quoq; neceſſarios ſit cõparata. Poſtremus miſſus Iouis è cælo fuit phiala, poculi genus inter prima capax, cuius vocis etymon quidã eſſe crediderunt πιεῖν ἅλις, id eſt, ſatis & egregiè bibere. Docuerunt igitur maiores Scytharũ qui huius allegorię fuêre fabri, poſt labore res partas, & armata cuſtodia tutas, ad ſuauitatẽ vitę temporis aliquid conferendũ eſſe. Suauitas autem hæc nõ ſolùm corporis oblectamenta, & amicitias complectitur, ſed illas etiam animorum delicias, quæ furori diuino ſunt coniugatę. Phiala enim Baccho datur, ob id quòd tota mẽte intus ebrius ſit, non corporali potu, ſed

nectare diuino. Eadem ratione Herculi quoque in veterum monumentis est tributa. Eiusmodi phiala Hiarchas Tantali fontem apud Brachmanas potauit, qua temulentus illa effundebat, quorum gratia Apollonius Thyanæus eò profectus fuisse narratur. Iam quod nõ solùm ad corpus reficiendum nouo spiritu, & ad lætitiam excitandam, & ad Theologiam nutriendam imbuendamque sit apta, sed ad amicitias quoque & fœdera iungenda, denique ad omnes de rebus grauibus cõsultationes, ex variis historiarum locis, docere quiuis è triuio possit. De fœderibus tum Lucianus in Toxari, tum Herodotus in Melpomene mentionem fecit. Ea autem hoc modo ineunt. Sanguinem, qui fœdera ferire volunt, sibi scalpello vel cultro demunt: eum in grandi calice siue phiala vino miscent; misto acinacem, sagittas, securim, & alia tela tingunt. Ex hoc & qui fœdus ineunt, & eorum qui adstant, primarius quisque potat. quo facto, coit indissolubile vinculum. Nulla autem consilia tractari solere citra Phialam, non antiqui modò prodidêre, sed gentis etiam nostræ, quæ peregrinis quidem moribus corrupta nõ sit, quotidianus vsus docet. Porrò in sacris quis nescit patera siue phiala omnes ferè populos & olim & modò etiam vti? Ampla igitur est & vberrima phialæ significatio, omnia comprehendens, quæ animum & corpus refocillant. Quamobrem totius vitæ humanæ munia, tribus sunt symbolis siue notis hieroglyphicis à Scythis vetustis indicata; aratro cum iugo, Sagari, & phiala. Est autem Sagaris bipennis siue gemina in eodem manubrio securis; qualem Amazonibus, in antiquo marmoreo labro, tributam vidi: vel teli parazonij genus, quod ad incidendum sit quàm maximè idoneum, à Sagis, vt antè dixi, nomen habens. Valla alibi vertit bipennem, quod σείγαριν & ἀξίνην simul Sacis Herodotus adscripserit: è quo loco cõiicien dum, aliud Sagarim, quàm simplicem securim fuisse. Scio ζυγὸν pro libra etiam accipi, vt in illo Pythagorico symbolo, μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν, quod Latinè redditum, allusionem perdit. Cùm enim naturæ conueniat, sub iugo ire, dixit Pythagoras, ne super iugo eas; libram volens non esse transgrediendam, id est, iustitiam non esse conculcandam, cuius iugo omnes subesse debemus. Si quis igitur hoc modo notas has interpretetur, vt Aratrum labores vitæ necessarios; Zygos siue libræ iugum iustitiam; Sagaris arma ad tuitionem comparata; Phiala, sacrificia, & libationes, & vitæ condimenta, & honestas recreationes, significet; non admodũ reluctabor. Immò vt verum fatear, quamuis aratrum iugo plerisque videatur coniungendum, plus tamen habet rationis symbolicæ, si segregetur, & vtrumque peculiarem & suam habeat interpretationem. Iustitia enim armis prior est, & omnis so-

cietatis

cietatis humanæ necessarium vinculum,& ligamentum;quam si pace & concordi voluntate seruare inter homines nequeamus, tum demum ad Sagarim est accedendum. Atque hac via de aratri & iugi coniunctione eleganter indicaretur necessaria quoque rerum significatarum connexio: vtpote quemadmodum frustra est aratrum, sine boum vel equorum iugo, ita frustra laboraremus in quærendis, quibus ad vitam opus est, nisi iustitia res quæsitas tueretur. Sint ergo quatuor symbola, quo vnum eorum ad Pythagoricum alludat. Sed nolo prolixior hîc esse, alioqui tota philosophia quatuor his capitibus posset accommodari, quibus tota continetur. Illud restat explicandum, quare diuina hæc & aurea dona à duorum fratrum manibus attrectari recusarint; tametsi ex iis quæ dicta sunt, id perspici possit. Nemo enim dignus est, qui cælestia hæc & aurea munera contingat, nisi is, qui in rebus gerendis mediũ seruare nouit; quoniam præcipites & nimium tardi flamma siue ira diuina sint repellendi, adeò, vt quatuor hæc nullo modo eorum arbitrio committi debeant. Quibus igitur committentur? iis certè qui mediocritatem custodiũt, qui nimirum in omnibus illis, quæ hominum generi à Deo sunt permissa, maturè prospicient, vt cuique illud ex his quatuor donis applicetur, cui maximè erit accõmodatus. Quicquid ergo muneris Reip. diuinitus incumbit, à regibus prudentibus dispensabitur, ita vt suo quisque muneri quàm optimè quadrare cernatur. Eiusmodi autem reges Parallatæ Scythico sermone nominati ex illis sunt deligẽdi, qui de illo semine nati sunt, quod frigoris nimij & nimij caloris ad agendum medium seruat. Quocirca Scolotæ quoque dicuntur, quòd cuique eam sortem partiantur, quæ cuique est feliciſsima & fauſtiſsima. Si hæc sigillatim essent examinanda, & pro latitudine significationis exponenda, tota mihi Aristotelis Ethica & Politica, & quicquid Cicero de Officiis & Rep. quicquid vtriusq; magister Plato de ciuitate scripsit, huc esset aduocandum. Quãobrem contenti simplici vocũ & symbolorũ explicatu, ad propositum Scytharũ nomen & exordium reuertamur. Qui sanè mihi desipisse illos videntur, qui nomina potiùs primorum parentum & maiorũ stemmata curiosè quærunt, quàm ea quæ ad vitæ præcepta conducunt. Interrogati ergo de primis parentibus, responderunt, non inanibus fabulis, vt ceteras ferè nationes facere videmus, sed allegoriis & symbolis, quæ tamen à Græcis, quòd linguam ignorarent, non fuerunt intellecta. Verùm in his nihil hactenus inuentum est, quòd doceret, qua ratione Scythæ vocarentur. In Græcorum quidem ad Pontum habitantium fabula, vt cetera sunt inania, ita illud, quod de arcu tendendo dicitur, apertè com-

monſtrat eam, quam quærimus, vocis originem, atque rationem. Voluit enim Hercules illos ſolos regionem hanc, de qua agimus, habitare, qui ad arcus tendendos validiſſimis eſſent lacertis; quique in ſagittis mittendis reliquis mortalibus præſtarent. Scythæ igitur, non à fictitio Herculis filio, ſed ab arte ſagittaria, nomen acceperunt. Scut enim vocali breui, quam Græci per ypſilon ſcribunt, Sagittarium ſignificat, quem alij communi multarum vocum terminatione Scuter nominant. Pronunciatur verò illud u tam tenuiter, vt apud plurimos in Iota degeneret, qui pro Scuter dicunt Sciter. In ea tamen pronunciationis diuerſitate hoc obſeruatum eſt, vt antiquior vſus ſeruatus ſit in illis ſignificandis, qui in ſodalitate ſunt, ſiue corpore ſagittariorum. Quemadmodum verò ab omni memoria apud noſtrates collegia ſagittariorum fuerunt; ita veriſimile eſt, olim apud Scythas quoque eiuſmodi corpora fuiſſe, de quibus illi legerentur, qui ad bellum eſſent emittendi. Hæc collegia ſiue ſodalitates in ſumma ſemper dignatione fuerunt, propterea quòd penes eos eſſet Reip. & Principis cuſtodia. Hæc enim via vna eſt duarum ad nobilitatem, quæ tota eſt ex eo petenda, ſi Remp. quis vel conſilio vel facto ſtudeat tueri. Scythæ igitur principiò, illi ſoli vocati ſunt, qui in illorum corpore erant, è quibus miles legebatur. Pòſt verò quòd hæc laus ab omnibus peteretur, omneſq; vellent idonei videri ad patriam ſagittis ſuis tuendam, omnes ſeſe communi nomine Scythas eſſe gloriabantur, vti oſtendimus in Germani quoque appellatione accidiſſe. Nec eſt quod mouere quenquam debeat, Scythæ nomen Græcis & Latinis cum aſpiratione dici, eò quòd aſpiratio in noſtratibus ita ſit incerta, vt quibus in vocibus ab aliis ponitur, ab aliis omittatur. Videtur certè Scutſ olim pronunciatum fuiſſe, atque inde eſſe quod Tau loco aſpirationis in Scutter & Scuttey geminetur. Quòd verò magnæ laudi ſibi ſemper duxerint, ſi in hoc ſagittariorũ numero cenſerẽtur, ex eo liquet, quod hactenus cõmuni adagio iactatur Scutteſic, id eſt, Scythicè aliquid fieri, quod ſit decorè, & ingenuè, & dignè vera nobilitate. Contrà dicimus Niet ſcutteſic, id eſt, non Scythicè fieri, quod ingenuo & verè nobili eſt indignum. Sunt in ſagittariorum collegiis inſtituta & leges ſcriptæ, quibus quæ apud plebem & vulgus vitio non vertuntur, turpia cenſentur. Quo fit, vt alteri quoque prouerbio in ſermone communi frequens locus detur, Bueſſheit ſhoortdey bogto, id eſt, modeſtia & honeſtas decet arcũ; vel ad phraſim noſtram vertẽdo, modeſtia & honeſtas pertinet ad arcũ: quo ſignificatur eũ, qui arma tractare velit, talẽ eſſe debere, vt nihil immodeſti, nihil inhoneſti vel ipſe dicat aut faciat, vel ab alio dici aut fieri permittat. Tanta igitur & olim & ha-

ctenus est eorum existimatio, qui corpori sagittariorum nomẽ dederunt, vt nullum vitæ genus sit, in quo honestati omni & modestiæ plus loci dari velimus. Durauit consuetudo ad auorum vsque ętatem, vt Sagittarij ciuitatũ Principem nostrum custodirent, & omnẽ mercenarium satellitem excluderent. Credebant enim turpe tũ Principi, tum ciuitatibus esse, salutem publicam illis credere, qui vili & minuto ære corpora sua vẽdidissent. Hunc morem, ni fallor, primus infregit Carolus ille, re & nomine Audax, successu non admodũ sibi suisq; felici. At quanquam hoc ingenuum satellitiũ in desuetudinẽ abierit, nomen tamen ad hunc vsque diem apud illos durat, qui Romano sermone corrupto loquũtur. Satellites enim eos, qui primas tenẽt, quiq; equis extra vrbes vtuntur, *Arciers* lingua Latinogallica nominant, ab arcu nimirum quo Sagittarij vti consueuerunt, dũ Principis corpus tuerentur. Non mirum est ergo, si Cimmerij & omnes Cimmeriorum coloni, Scythas se nominari fecerint, quando tantum quidem crediderũt in hac appellatione dignitatis esse. Hinc est quod de Herculis filio, Scytha nomine, sunt fabulati, quasi nemo sagittarij nomine dignus esset, nisi Herculis quoq; filius vocari mereretur. Solus igitur Scytha arcũ à patre relictum tetendit, & solus se balteo militari cinxit: quo posteriore denotarunt, non aliũ quàm eũ, qui in collegiũ sagittariorum esset cooptatus, militia dignũ videri. In balteo tamen phiala erat; vt semper ob oculos versaretur, nullũ bellũ nisi sanctè suscipiendũ, atque dum susceptum esset, nunquã amicitiæ & fœderibus fores esse præcludẽdas. In balteo igitur phiala pro insigni posita, sanctitatem semper & libationes prędias demonstrabat, & simul promittebat paratũ eum, qui cinctus esset ad amicitiam & fœdus ineundum. Vide, quęso, quàm nihil est in Scytharũ monumẽtis ociosum, quamq; sint omnia fœcunda prudentissimarum admonitionũ: quas dum explico, spero & confido me nõ odiosum lectoribus æquis habitũ iri, si nõ ob aliud, saltem hac causa, quòd ianuam aperiam ad symbola reperiẽda, quorũ sub nomine emblematũ multos hac ætate studiosissimos videmus. Vtinã nostri Principes, & huius ætatis Christiani eiusmodi se balteo cingerẽt, & cinctus sui causam verã in animo gestarẽt. Nunc ergo ad verã Scytharũ nominis rationẽ aspiraui, & allegoricæ originis interpretationẽ dedi; ad quam hoc etiã addendũ, nullã gẽtẽ esse, quæ meliore iure generis sui auctorẽ Herculẽ nominare possit, quàm Scythas. Si enim Noachꝰ inter homines primus Hercules, fuit secũdi Herculis, id est, Christi egregius typus, meritò illi, qui Noachi linguã cõseruarũt, ab Hercule genus duxisse dicẽtur. Præcipuũ enim signum, quo cognoscimus cuius quis gentis sit, lingua est siue sermo.

Deinde

Deinde ætas, quæ ab Hercule ad Abrahami circumcisionem effluxit, à Scythis, vt priùs ostendi, nomen accepit. Scythæ igitur soli digni habiti sunt, vt ab illis, tanquam veris & præcipuis Noachi siue Herculis liberis, ætas illa vocaretur. Quia ergo Scytharum appellatio communis est omnibus illis, qui de Gomeri radice sunt propagati, quocunque tandem suo & proprio nomine vocentur, bene habet quod Plinius dixit in hæc verba: Scytharum nomen vsque quaque transit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis prisca illa durauit appellatio, quàm qui extremi gentium harum ignoti propè ceteris mortalibus degunt. Ignotos igitur suis nominibus Cimmeriorum vel posteros, vel colonos, Scythas vocarunt; perinde atque facimus, dum formam siue speciem animalis alicuius nomine suo nuncupare nescientes, generis nomine vocamus: quod non in animalibus solùm, sed omnibus in rebus facere solemus; adeò, vt si eorum quæ sub eodem genere sunt, quippiam nomine suo careat, generis nomen tanquam proprium adsciscat: quod Aristoteles quoque in Topicis annotauit. Quemadmodum autem Scytharum nomen commune est omnium Cimmeriorum, qui primùm ad Hircanum mare habitarunt, à quo pòst aliò innumeras colonias emiserunt; ita Græcis Nomades siue Nomæi omnes Scythæ nominantur, voce deducta à pastionibus, quibus præcipuè vacare videbantur. Stephanus priùs Nomæos vocatos ait, ac deinde Scythas, à Scytha Herculis filio. Strabo Nomades & Aroteras distinxit, hos ab arando, illos à pascendo vocatos esse credens. Sed quia Nomadũ appellatio Græcorum est illis omnibus data, qui pascendis gregibus & armentis victitãt siue Scythiã habitent, siue Libyam, in qua Nomades etiã commemorantur, nihil facit ad historiam quærere, qui Nomades dicendi, qui non dicendi. Equidem cum Stephano sentio, Nomæos omnes promiscuè Scythas vocatos esse, propterea, vt opinor, quòd omnes diligentissimã curam pecori pascendo impendere viderentur. Neque ergo gentile nomen est, neque certis terrarum spaciis definitũ, quãuis dum alia nomina desunt, hoc vtantur auctores. Totã ergo Scythiam bipartitò diuiserunt Græci, alteram à re pecuaria, alteram ab agrorũ cultu nominantes. Quocirca qui pecore viuebant, vbicumque essent & cuiuscunque nationis, Nomades dicebantur: at qui agriculturæ operam darent, eos omnes promiscuè Aroteras nominabant, siue, quod idem est, Georgos; quorum apud auctores & in Europa & in Asia diuersis locis sedes notantur. Hæc ergo partitio non Scythis magis conuenit, quàm aliis quamplurimis gentibus, & idcirco obiter mihi transeunda. Iam ergo ad Sauromatas siue Sarmatas veniamus,

quo-

quorum nomenclatura latè patens, ad illos tamẽ ferè applicatur, qui circa Mæotidem, & Tauricam, & viciniam omnem commorabantur, vt ex Plinio, Herodoto, Strabone, & aliis non paucis, colligi poteſt. Ptolemæus Sarmatiam dũplicem fecit, Aſiaticam, & Europæam. Aſiaticam, Corace monte, Tanai, Mæotide, mari Caſpio, & incertis finibus camporum, vſque ad Rhymnicos montes, definiuit; ita vt totam planiciem complexus ſit, quæ ab oſtiis Rha fluminis ad Mæotidem, & Tanaim, & montes proximos Aquilonares longis latisque ſpaciis terminatur. Europæam Sarmatiam à Viſtula ad Tanaim vſque extendit; in quo ſpacio montes Budinos, montes Alaunos & Ripæos poſuit, de falſa veterum perſuaſione, montes hîc diuerſos comminiſcentium, vbi plus paludum & ſtagnorum, quàm collium, inuenitur. Certè ex hac Sarmatiæ latitudine facilè coniicere licet, Sarmatarũ nomẽ non tam gentis alicuius propriũ eſſe, quàm vniuerſim per multas nationes, perinde atque Scytharum, vagari. Pomponius Mela Sauromatas ad ripas Tanais poſuit; ſed ſic, vt hærentia quoque poſsidere dicat; vnam tamen gentem faciens, quamuis diuerſa ſint nomina, & populi diuerſi. Fateor equidem vnam gentem eſſe, ſi vnitas quidem hæc tam latè, quàm vnitas linguæ, patet, porrigatur; qua non aliud eſt ad eandem originem docendam efficacius argumentũ, niſi conſtet vi inductam cuiquam populo fuiſſe. Inter Sauromatas primos Pomponius Mela enumerauit Mæoticos γυναικοκρατουμένους, id eſt, ſub imperio mulierum agentes, in quibus regna ponit Amazonum. Cum hoc Dionyſius ferè, licet non omnino, conſentit.

Ἡ τοὶ μὲν λίμνης Μαιώτιδος ἄγχι νέμονται
Αὐτοὶ Μαιῶταί τε καὶ ἔθνεα Σαυροματαίων
Ἐσθλὸν ἐνυαλίου γένος Ἄρεος· ἐκ γὰρ ἐκείνης
Ἰφθίμης φιλότητος Ἀμαζονίδων ἐγένοντο,
Τήν ποτε Σαυρομάτῃσιν ἐπ' ἀνθρώποισι μίγησαν
Πλαγχθεῖσαι πάτρηθεν, ἀπόπροθι θερμώδοντος·
Τούνεκα καὶ παῖδες μεγαλήτορες ἐξεγένοντο,
Ὕλην ναιετάοντες ἀπείριτον ἧς διὰ μέσσης
Συρόμενος Τάναϊς Μαιώτιδος ἐς μυχὰ πίπτει,
Ὅσε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἄσιδος αἴης
Ἐς δύσιν Εὐρώπην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαίαν.

Id eſt, vt ex tempore fudi:

At prope Mæotim Mæotæ nomine degunt,
Sauromatæque genus clarum Mauortis in armis,

Non citra cauſam, quòd ſint inſignis amoris
Pignus Amazonidum, quo mixtæ fortibus olim
Sauromatis fuerant; longis erroribus actæ
Sedibus è patrijs, & Thermodontis ab vnda.
De generoſa igitur ſtirpe eſt generoſa propago,
Immenſas habitans ſiluas, quas ſyrmate longo
Perlapſus Tanais, Mæotis conditur vndis,
Europam atque Aſiam ſcindens, hanc Solis ad ortum,
Solis ad occaſum cernens Europica regna.

Conſtat ergo Sauromatas ad Mæotim ſedes habuiſſe, ad vtramque Tanais ripam, & hos de Amazonum concubitu, vt Herodotus quoque prodidit, genus duxiſſe. Hinc apparet, non antè Sauromatas dictos fuiſſe, quàm Scythæ ſe Amazonibus coniũxiſſent. Si enim è Scythis, ad Mæotim habitantibus, & Amazonibus ſunt procreati, neceſſariò poſteriores ſunt habendi. Cui illud quoq; conſentit, Sauromatas inter reliquos Scythas de ſermonis muliebri corruptela & ſoloeciſmo ludibrio haberi. Ita ergo ſentimus, Scythas illos, qui ad Mæotim à Boſphoro Cimmerio ad Tanaim, & hinc in Europa vltra Tauricam Cherroneſum habitarunt, Sauromatas fuiſſe nominatos. Sed in eodem omnino tractu dicuntur habitaſſe Cimmerij, ad ipſam vſque intimã Thraciam, & id quidẽ eiſdem temporibus. Conſequens igitur eſt, vt eoſdem fuiſſe arbitremur. Quamobrem reiecto Græcorũ etymo, vti ridiculo, & à lingua Scythica alieno, in Cimbrico ſermone illud expiſcemur. Veteres Sauromatas dixerunt, non Sarmatas, vt eſt apud omnes videre Græcos, & inter Latinos apud Pomponiũ Melã. Plinius Latinis Sarmatas, Græcis Sauromatas dici tradit. Nos igitur vetuſtioré nomenclaturam pro germana & genuina retinebimus, in prima quidẽ ſyllaba, in qua poſterioré partem Latini reiecêre, nõ aliter atq; ex Goetis fecêre Gotos. Græci verò in medio o paruum addiderunt, quòd ita fortè pronunciari putarent. Nos enim Saurmatey ita in prima ſyllaba producimus, vt inter Saur & Mat videatur o paruum interiectũ. Saurmat autem nihil aliud eſt, ſi de interpretatione definiatur, quàm ſocius æqualis ad res acerbas perferẽdas. Mat enim vocali longa ſocius eſt, non quiuis, ſed is, qui æqualis eſt; propterea quòd à menſura ſic vocetur, quam nos eadem voce ſignamus. Qui igitur dicit quempiam ſibi eſſe Mat, hoc dicit, alterũ ſibi tanti eſſe, vt eum ſtatuat menſurã omnium rerũ agendarũ: quaſi nihil nec facere, nec dicere velit, quod alterius voluntate non metiatur. Porrò quòd huiuſmodi ſocietas tam arctis vinculis colligata, non in rebus proſperis, ſed in aduerſis, perinde atq; aurũ in igne cernatur, prudenter ad-

ter adiecerũt in compoſitione vocis,qua eiuſmodi ſocietas erat conſignanda,acerborum mentionem. Saur enim acerbum ſignat,& à ſapore ad omnia dura, aſpera, & difficilia ſignificanda tranſiuit. Dicimus enim Het is my ſaur,id eſt, difficile mihi eſt. Effertur autem eo ſono,vt a ad o in cõmixtione proximè accedat. Saurmat igitur vocabulũ cõpoſitum eſt,duabus lõgis ſyllabis conſtãs,pro quarũ ſecunda,Græci duas breues ſubſtituerunt,Sauromatas,non Saurmatas,dicẽtes.Nõ eſt itaq; vox hæc propria gentis aut nationis, ſed eorũ inter ſe cõmunis, quibus eiuſmodi ſeu amicitia, ſeu æquabilis ſocietas, ad res duriſsimas quaſq; alterius nomine ſubeũdas initur.Sed quia amicitiæ maxima ſemper fuit inter Cimmerios laus & dignitas, omnes tandẽ qui Cimmeriorũ vetuſtũ nomẽ, linguã & inſtituta ſeruabant, hac ſe voce cõpellare cœperũt. Nos quẽ non nouimus,de nomine eũ amicũ ferè vocamus; at Zelandi & alij permulti noſtrates,in quibus hactenus antiquæ ſimplicitatis hærẽt veſtigia, dũ ſe mutuò cõpellãt, ſemper hac voce Mat vtuntur,nõ adiecta durorũ aut acerborũ mentione.Eiuſmodi igitur vox in quotidiano & cõtinuo ipſis vſu effecit, vt omnes Sauromatæ vocarentur. Hoc tẽpore miles nobis,licet alio nomine Crygman vocetur, Lanſknecht tamen frequentius nominatur. Hinc eſt, vt Itali Germaniam vocent terrã Lansknechtorum, à voce inter Germanos in hoc ſignificatu vſitata.Principio German miles dicebatur, quo nomine toti genti ea, qua diximus, ratione communicato, Crygman cœpit nominari. Sed quòd acquirendi ſtudium hac voce ſignatum ignobilius eſſe quibuſdam videretur,quàm vt ingenuum virum deceret; placuit potiùs vox Lanſknecht quàm Crygman; eò quòd Lanſknecht eum notet, qui miniſter eſt ſiue famulus regionis, id eſt, qui Reip. ſeruit. Seruitium enim ſiue miniſterium communitati hominum impenſum, vera eſt radix omnis veræ nobilitatis. Quantumuis enim quis diuitiarum poſſideat, quamuis immenſa latifundia, quamuis ingentia ædificia ſua numeret, niſi ea ad publicam vtilitatem accommodet, nullius appellationis honorem meretur, in qua vel minimum ſit nobilitatis. Sic vt quis ſit doctiſſimus, & omnem cyclopædiæ ſibi ornatum,magnis vigiliis compararit, nõ tamen nobilis ab his dotibus dici debet, niſi fructus inſignes & neceſſarios ex hoc ſuo theſauro ad Reip. adiumenta depromat. Meritò igitur Crygmanni vocabulũ minùs quàm Lansknechti ingenuis hominib⁹ placere debet,vtpote quos oporteat intelligere labores militares,ad totius regionis ſalutẽ, nõ ad ſtipẽdia, meretricũ more,faciẽda,nec ad prędãdi latrocinandiq; morẽ eſſe conferendos. Hoc igitur modo Cimmerij olim Scytharũ nomẽ minoris

facere cœperunt, quòd ſagittarij non æquè venerandum ſit vocabulum, quàm Sauromatarum. Nam illud ab arte ea ductum eſt, quæ corporis eſt, non animi. At Sauromata, ſiue, more noſtro, Saurmat, non tam corporum quàm animorum indicat coniunctionem, qua in rebus duris nihil eſt neque ſanctius, neque diuinius, neque magis neceſſarium: in rebus ſecundis, nihil vel iucundius, vel pulcrius, vel feſtiuius: adeò vt ſi quis hanc in omnibus tum proſperis, tum aduerſis æquabilem ſocietatem Soli compararit, quod Cicero ſub nomine amicitiæ fecit, non malè mihi comparaturus eſſe videatur. Non eſt itaque diſcrimen gentis hac voce, ſed propoſitum firmiſſimum animorum notatum, quo omnia amicorum communia ſtatuuntur, cùm in iucundis, tum maximè & præcipuè in acerbis, in quibus id genus ſocius & amicus, non homo, ſed Deus quiſpiam dici meretur. Quàm verò hunc cæleſtem amicitiæ vſum Scythæ omnibus diuitiis, omni auro, omnibus gemmis, omnibus denique, quæ homini cara ſunt, excellentiorem putarint; Lucianus in Toxari ſuo exemplis inſignibus oſtendit: quæ vellem, vt à multis fortaſsis leguntur, ita ab aliquibus ſaltem vel minima ſui parte ad imitationem vocarentur. Sic enim diuinus hic ignis in orbe Chriſtiano extinctus videtur, vt vix vſquam eius exigua ſcintilla cernatur. Vellem Lucianum vim hanc vocis intellexiſſe, quò non exemplis magis, quàm vniuerſo latiſsimarum in Scythia regionum conſenſu, laudem hanc maioribus noſtris vindicaſſet: à qua hac tempeſtate tantum peregrinorum hominum contagione & peſtilenti afflatu receſsimus, quantum ſedes, quas nunc occupamus, ab illis diſtat, quas tum tenebamus, cùm hoc præconio digni eſſemus. Satis ergo me credo explanaſſe, quid nomine Sauromatarum ſignificetur, & qua de cauſa hoc potius, quàm Scytharum nomen Cimmeriis arriſerit. Hac etiam via intelleximus, qua de cauſa Amazones, alij Cimmeriis ſocias fecerint, alij Sauromatis cõiugarint; eò quòd videamus eandem diuerſis nominibus gentem Cimmeriorum & Sauromatarum fuiſſe; & qui diuerſam putarunt, nominum diuerſitate, quorum ſignificationem ignorarent, fuiſſe deceptos. Ex his illud effecimus, vt cùm Sauromatarum vxores Amazones eſſe docuerimus, eaſdé etiam cogamur fateri, Cimmeriorũ fuiſſe. Hinc ergo fit, vt mirari non debeamus, Amazones & Cimmerios vnà in Ioniam irrupiſſe, vt ex Euſebio didiceramus; niſi mirandum ſit, maritos, & vxores vnà proficiſci. Sed reliquum eſt adhuc illud, non parua admiratione dignum, qua de cauſa vxorum non maritorum fiat primaria métio, quaſi expeditionis illę perpetuò principes fuiſſent. Si cũ Mela & Plinio Sauromatas ſiue Cimmerios Amazonum coniuges gyneco-

cratu-

cratumenos dicamus, id est, sub vxorum potestate constitutos, facilis est ac expedita causa. Iure enim ab eis expeditiones accipiunt nomen, à quibus accipiunt imperatoria edicta. Verùm huic responso Dionysij & Herodoti aduersatur auctoritas, quorum ille Sauromatas Amazonum filios planè Mauortios facit, tantum abest, vt à feminis se sinerent gubernari: hic verò generosos iuuenes & bellicosos se Amazonibus coniunxisse dicit, cui repugnat Sauromatas sub feminarum iugo vixisse. Tum verba, quæ Amazones ad iuuenes post concubitum fecère, satis ostendunt, quàm nihil cogitarint de imperio in maritos exercendo. Deinde, qui historiæ quàm poëseos apud veteres fuêre studiosiores, ij expeditiones in Asiã factas Cimmeriis, nõ Amazonibus, adscripserunt. Sed quanto quæque res à communi hominũ sensu est alienior, quantoque plus habet admirationis, tanto magis est accommodata fabulis Poëtarum. Quocirca Lucanum, quòd vera, non fabulas, canat, aliqui historiographum potiùs quàm Poëtam existimarunt: quòd credant Poëtam non numeris, sed figmẽtis ab historiographo differre. Licet igitur materiã ab historia Poëta possit mutuari; sic tamen eam tractare necesse est, vt veritatem fabulis tegat & abscondat. Quocirca si inter scriptores Græcos Poëtæ sint vetustissimi; par est credere, historiographos multa ab illis transtulisse. Quod equidem improbandum minimè duco, sed hoc desidero, quod maximè decebat, vt figmentis laruas detraherent, & res veras citra fabulas docerent. Quando igitur apud Homerum legissent, Amazonas ad Sangarium contra Phrygas castra fuisse metatas, & aduersus eas Otreo & Mygdoni Priamum suppetias tulisse, hoc sic in scripta sua retulerunt; vt Amazonas solas in expeditione illa commemorandas putarent. Homerus verò, quod Cimmeriorum erat siue Sauromatarum, vxoribus more poëtico adscripsit, quo indicaret, eas longè aliter quàm Ionicas mulieres educatas esse, non ad saltus Ionicos & choreas mollibus & fluxis membris peragendas, sed ad arma tractanda, & ea omnia obeunda, quæ maritis in castris sunt necessaria. Vnà enim in bella proficiscebantur, in quibus non prædis modò agendis, & pabulo rapiendo, & cibo castrensi tum quærendo, tum coquendo inuigilabant; sed frequenter etiam leuia prœlia committebant, nonnunquam in iustam aciem cum maritis aduersus hostes accingebantur. Hanc ipsarum virtutem prisci vates tanti faciendam putarunt, vt fingerent omnia Cimmeriorũ bella à feminis fuisse gesta. Hoc siquis in historiam recta ratione transferre voluisset, sic erat poëticis pigmẽtis abluendum, vt Cimmerij in bellum vnà cum vxoribus strennuissimis feminis venisse dicerentur. Morem hunc ea confirmant, quæ

multo pòst in miserabili illa Teutonum & Ambronum clade, ad Aquas Sextias contigerunt: in quibus narrandis Plutarchus adiecit Ambronum eos,qui fugere nõ audebant, tantisper restitisse,dum ad castra sua & carros à Romanis impellerentur. Ibi tum mulieres gladiis, securibusque armatas occurrisse, & terribili cum fremitu ferociter tum fugientibus,tum persequentibus, illis vt proditoribus, his vt hostibus repugnasse, nudisque manibus scuta Romanorum reuellisse, & his furiis agitatas, pertinaci ad mortem vsque ira gladios hostiles contempsisse. Hic gladios, hic secures mulierum, hic Martium robur & mortis contemptum in sexu feminino videmus. Horum autem maritos,fratres Cimmeriorum & commilitones fuisse scimus. Sed quales fuerint ipsæ Cimmeriorum vxores, ex eodem auctore discamus, ne aliis adducendis simus prolixiores. Hic narrat Romanis ad castra vsque Cimbros persequentibus, fœdum & atrox spectaculum esse oblatum. Mulieres enim Cimbrorum nigris vestibus indutas,ex carris, in quibus stabant, sæuiisse in fugientes,atque ita ab aliis maritos,ab aliis fratres,ab aliis parres fuisse mactatos: postremò ipsas & infantibus & sibi necem intulisse,ne quisquam Cimbrici nominis Romano seruiret. Si ergo tamdiu consuetudo vxorum vnà cum Cimmeriis arma tractandi durauit; quid est mirandum, si apud priscos, Amazones & Cimmerij vnà militasse prodantur? Et tanto magis de priscis illis hoc credendum est, quanto maiores posteris suis virtute, & animi magnitudine, & tolerantia laborum præstare deprehenduntur. Quocirca,si historiæ Romanorum de Cimmeriorum posteris credimus; quid ni & priscis credemus, Amazones vnà cum Cimmeriis longinquas & diuturnas expeditiones suscepisse? Verùm duabus maximè de causis Poetæ Amazonibus res præclarè gestas tribuerunt; altera,quam modò dixi, quò scripta sua admirabili & stupenda nouitate condirent, cùm apud Græcos omnes, tum maximè apud Ionas, quorum vxores mollissimæ id temporis fuerunt: altera, ne Cimmeriorum memoria, in illustrissimis rebus gestis cognosceretur, sed illic duntaxat eorum fieret mentio, vbi perpetua & æterna nocte damnati, in vestibulo Orci obscuram & ignobilem vitam agere fingerentur. Verùm quamuis plurimum nunc mihi effecisse videar, ad commonstrandum Amazones Cimmeriorum siue Sauromatarum vxores fuisse, & vnà cum ipsis militasse; adhuc tamen aliud puto latère in his Poëtarum inuolucris. Priſci tironum exercitum solent præmittere ad hostes excursionibus,& depopulationibus,& leuibus prœliis tentandos. His verisimile est matres quoque crebrò non comites tantùm,sed duces etiam adfuisse: tum quo quæ à patribus fieri

diu

diu & multo vſu nouiſſent, ea rudem adhuc iuuentutem condocerent, tum quo effrenes animos tenero & materno amore à periculis cuſtodirent. Præter enim rerum diuturna experimenta, metum quoque naturæ inſtinctu & temperamenti ratione mulieribus inditum, adferebant, ad filiorum diligentiorem cautionem. Deinde ſi fugiſſent hoſtium maiore vi compulſæ, leuius longè dedecus erat, quàm ſi Cimmerij ipſi exploratum excurrentes, in validiorem manum incidiſſent, atque ita terga iis vertiſſent, ad quos inuadendos exercitum ducebant. Magnum enim momentum habet ad totius belli exitum, qua quis ſit apud hoſtem exiſtimatione. Cauendum igitur diligenter, ne in illam ſe neceſſitatem quis iniiciat, qua cogatur pedibus quærere ſalutem. Tirones igitur ſuos ipſorum filios vnà cum matribus exploratum, pabulatum, & cùm ad alia multa, tum ad hoſtes tentandos emittebant; ne ſi repulſa hæc manus fuiſſet, ſpei quicquam & fiduciæ hoſtibus accreſceret, vtpote qui cognituri eſſent, non cum viris ſe, ſed cum feminis & imberbi ætate prœlium commiſiſſe. Contrà, ſi hoſtes cæſi eſſent, eo maior ipſis erat victoria, & aduerſariis ignominioſior, quòd à feminis & pueris victi fuiſſent. Non malum ergo ſtratagema mihi videtur factum hoc Cimmeriorum. Nec abſurdum ſit exiſtimare, plerumque ita accidiſſe, vt primum furentium matrum, & filiorum impetum, hoſtes non potuerint ſuſtinere. Quid enim mulieris & adoleſcentis primis conatibus ardentius, quid furioſius? Accedebat deinde formido alterius exercitus, qui ponè ſequebatur. Cùm ergo par ſit, filiorum & vxorum multo maiorem numerum fuiſſe, quàm ipſorum Cimmeriorum; & numerum non modò fuiſſe maiorem, ſed omnem apparatum longè elegantiorem & ſuperbiorem, & in veſtitu, & in armis, & in equorum phaleris; propterea quòd graues viri vxoribus ſemper & filiis plus ſumptus & impenſæ, quàm ſibi ipſis ad eiuſmodi pompam indulgeant, non mirum eſt, ſi hominum multitudine, & armorum ſplendidiſſimo ornatu, & ætatis alacritatiſque omnium æqualitate hoſtes percellerentur. Quod eo magis cogitandum eſt accidiſſe, quòd præcurſores leuis plerumque armaturæ equites, & non multi numero apud alias gentes eſſe conſueuerint. Quid igitur colligendum coniectandumque erat, de totius exercitus corpore, cuius emiſſarij & primis aggreſsibus deſtinati, tot taleſque eſſent? Qua de re minùs miror Poetas omnes expeditiones, omnesque victorias Amazonibus tribuiſſe, vti quarum incurſibus vix vllus vnquam exercitus par viſus fuiſſet.

Iam quòd tironũ rationẽ non habuerint, duabus rurſus de cauſis potuit

potuit euenire; vna, ne viri commisti miraculum narrationis attenuarent; altera, quòd eodem omnes vestitu cùm essent, nec barbis distinguerentur, mulieres omnes esse apparerent. Eiusmodi exercitus Amazonum, mea quidẽ sententia, fuit, ex quo fabulas natas esse, nemo mirabitur, qui diligẽter omnia expẽdet. Iam ergo videamus, an Amazonũ nomẽclatura, his quæ dicimus cõsentiat: consentit sanè & admirabili quodã modo. Quo igitur modo? Eo nempe, vt Amazonum nomen vxores simul & filios complectatur? An quicquam tali voce artificiosius, quicquam admirabilius? Herodotus Aorpatas Scythicè vocari dixit, quasi extra controuersiam esset, alteram vocem ab alterius mammæ adustione datam esse. At nos monstrabimus, hanc etiam vocem talem esse, vt vel matribus, vel filiis, vel vtrisque tribui possit. Priùs ergo de Amazonis voce. Paulo antè docui, Mat socium, cum quadam æqualitate morum, rerumq; omnium, notare; & dum de Saxsonibus agerem, Soy filium esse, si vox producatur, & quodammodo Iota admixtum sonet. Matssoy igitur socij eiusmodi filius est. Verùm cùm nostratibus semper, & olim, & nunc etiam moris sit, composita nomina, quoad eius fieri potest, concidere & decurtare, pro Sauxmat vulgo Mat plerique dicebant, perinde vt hactenus nobis est in vsu. Matssoney igitur plurali numero, filij erant Sauromatarũ. Amazon ergo siue soluta Zeta in litteras æquipollentes, Amatssoy, filius est socij æquabili iure deuincti. Iam verò Soy nõ filium modò, sed osculum etiam significat, verùm pronunciatione non in Iota quodammodo mixtum, sed in Epsilon declinante. Nos filium significantes, Soiy scriberemus; osculum verò Soey; non quòd posteriores vocales diphthongum faciant cum prioribus, sed vt intelligatur pronunciationis ipsius o longi diuersitas. Prętereà Soey non solùm osculum & osculor signat, sed idem sæpe notat, quod concilio & conciliatio. Omnia autem hæc significata ex eadem origine manant. Prima enim vox est Soy o breui, qua sanum & integrum nominamus: eius contrarium Nos, quod ægrum, & non integrum, siue morbidum signat, vt in Enos memini monuisse. Hinc Sol Soy nobis vocatur, eò quòd omnis sanitatis & integritatis sit auctor. Hinc Soy o longa, siue Soey, idem quod pacem facio, siue concilio; quia pax omnia conseruat. Hinc eodem sono Soey pro osculor, & si nomen sit, pro eo quod Latinis est osculum, in vsu est, nimirum quòd osculo homines inter se concilientur, & pacem confirment. Hinc etiam Soiy, o longo paulo aliter sonante, pro filio ponitur; propterea quòd non solùm arctius amoris vinculum inter vxorem & maritum masculinus partus faciat, sed quòd filius etiam

patris

patris nomen & gentile ius in familia conſeruet. Hæc ergo eſt origo, propago & cognatio harum vocum, exiguo pronunciationis diſcrimine diuerſa, ſed tamen cognata ſignificantium. Quocirca Matſſoy duo notabit, filium Sauromatæ, & oſculum ſiue ſuauium Sauromatę. Quid verò eſt ſuauium Sauromatæ aliud, quàm legitima vxor? Probi enim & honeſti viri eſt, nõ aliam, quàm coniugem ſuam, oſculari, alioquin Lamecho ſimilis futuri, qui legitimum coniugium primus violauit. Vxor igitur Sauromatæ, ſiue Matæ, quod pro eodem eſt in vſu, Matſoy vocatur; quia ſola ſit oſculum ſui Matæ, ſiue Sauromatæ. Verùm quid hoc eſt rei, quod Græci Amatſſoy, nõ Matſſoy dicant? Poſſem equidẽ ſimpliciter reſpondere, hãc eius cauſam eſſe, quòd quiſpiã filiorũ, vel quępiam vxorũ à Græcis capta, vel alioquin interrogata, quæná eſſet, reſpõderit A Matſoy. A autẽ articulus plurimis p ε vſitatus eſt, & inter ceteros Flamingis & Anglis omnibus. Dicunt enim A may, id eſt ὁ ἀνηρ, ſiue vir, pro ε may. Nam in vniuerſum ſecunda vocalis & prima frequentiſsimè inter ſe commutantur, pro diuerſitate regionum. Sic Flamingi pro Vechten, id eſt, pugnare, dicunt Vachten; pro gerey garey, quod eſt congregare, atque ſimiliter in aliis infinitis. Nobis autem perpetuũ eſt nomini ſubſtantiuo, quod nõ ſit proprium, articulum præponere, niſi adiectiuũ aliquod ſit coniunctum: vt Ick bey e may, ſiue a man, id eſt, ego ſum vir. Eodem modo A matſſoy cum articulo efferendum erat, cùm mulier rogata quæ eſſet, reſponderet ſe eſſe ſuauium Sauromatæ. Itidem, ſi quiſquam filiorum rogatus fuiſſet, quiſnam eſſet, reſpondere debebat, A matſſoy, id eſt, filius Sauromatæ. Cùm ergo Græci, Scythicæ linguæ imperiti, A matſſon audirent, vnam vocem eſſe crediderunt, atque ita & ſingulari numero, & plurali numero articulum retinuerunt, contrà atque vſus linguæ noſtræ poſtulat. nam in plurali numero articulum omittimus. Dicimus enim Wy zyn manney, id eſt, nos ſumus viri, non a manney. A matſſoy igitur, vel oſculum eſt, vel filius Sauromatæ. Sed quærat quis forſan, quare Sigma geminetur. Dicam. Quod primo caſu dicitur Mat-, ſecundo effertur Mats. Hinc Matſſon, non Matſon, dicendum, pro filio, aut oſculo Matæ. Nec abſurdum eſt, Græcis has conſonantes in Zeta mutari, quia Zeta minimè ſic pronunciandum, vt à pleriſque omnibus pronunciari audimus. Nam neque duplex Sigma eſt, neque ſimplex, ſed ſonus è Tau & Sigma mixtus, cum ipſius ſigma ſibilo quodam maiore, ſiue potiùs duplicato; ita vt rectè Græcis ἀμάζων ſcribatur, cùm ſonus idem vtrobique ſeruetur. Satis hæc eſſe poterant, ad Amazonis vocem explicandam: verùm quia

multiplex ferè eſt in vocibus Cimbricis, artificium non eſt tacẽdum, quod in hac præterea voce animaduerto. Dixi, ⸗, ſiue ⸗ articulum noſtratibus eſſe; at eadem vox legitimum etiam coniugium ſignat. Quocirca, ſi ⸗ in hoc ſignificatu in ⸗ commutatum eſſe dicatur, Amazon erit legitimus Matæ filius, vel legitimum Matæ ſuauium. Quando igitur tam ingenioſe nomen hoc compoſitum eſt, vt commune ſit legitimis Sauromatarum & filiis & vxoribus; non mirum eſt, toti exercitui datum fuiſſe, in quo matres & filij ſimul militabant, & prima belli præludia faciebant. Quamquam verò commune eſſet nomen, & communis adoleſcentum & mulierum exercitus; placuit tamen, vt dixi, Poëtis, quibus Amazonum memoriam omnem ferimus acceptam, mulieres duntaxat ſuis decorare ſcriptis, quò ea lectoribus admirabiliora viderentur. Quàm enim laudis huius ad ſolas mulieres tranſlatio omnibus arriſerit, conſpici poteſt in omnibus poſterioribus Poëtis; quorum ferè nullus eſt, qui carmen ſuum voluerit hoc Amazonum ornamẽto carere. Addamus nunc Herodoti interpretationem, qui neſcio cuius relatu ſcripſit, Amazonem Scythis Æorpatam nominari. Credo fuiſſe Sauromatam quempiam interrogatum qui Amazon Scythicè vocaretur. Hunc, Græci hominis errore animaduerſo, quo Amazonis nomen Græcum eſſe arbitrabatur, verè quidem reſpondiſſe; ſed ſic, vt ab errore non liberaret. obliquas enim & aſtutas reſponſiones, & ænigmatis & gryphis perſimiles, Scythis ſemper placuiſſe, non ſemel modò eſt oſtenſum. Deſcripſit igitur, quiſquis ille fuit, Amazonis ambiguum ſignificatum, voce Scythis æquè ambigua. ⸗ enim ad verbum ſignificat, legitimæ ſobolis ſiue prolis ſemitam: ⸗ enim longum, ſiue ⸗ diphthongo ſcriptum, legitimum; ⸗ verò, ſobolem ſiue propaginem vocamus: vti cùm dicimus, ⸗ ſtorf ſonder or, id eſt, mortebatur citra ſobolem relictam; vel non relictis liberis. Verùm de hac voce alibi fortè latiùs. ⸗ nobis viam ſignat, pedibus tritam, qualis ferè compendiaria ſolet eſſe, & rectiſsima. Rectè igitur Amazon dici poteſt ⸗. Nam recta ſemita ad ſtirpem ſiue genus legitimum continuandum, eſt tum vxor, tum filius. Nam & hic patris legitimo generi propagando, & illa ſeruit, & vterque patri ad finem hunc deſtinatur. Ceterùm, quòd Herodotus addidit ⸗ virum ſignificare, & ⸗ occidere, acceptum videtur eſſe à quopiam Scytha, cui volupe fuerit Græci curioſitatem deridere. Nam ⸗ quidem virum occidere ſolet, quoniam contra hoſtes vnà cum maritis & filiis pugnabat, verùm ab illo nomen minimè ducit. Interrogatus enim, quid ⸗ eſſet, reſpondere potuit

potuit, esse viri occisorem; non de voce, sed de Cimbricæ militiæ consuetudine, petita descriptione. Quemadmodum dum Arimaspus à Scythis vnum oculum habere diceretur, credidit Herodotus vnius oculi in Arimaspi nomine significatum esse. Clarum ergo nunc feci, quid sit Saurmat, siue voce simplici Mat, quid Amazon, quid Aorpat. E quibus omnibus, summo consensu inter se conspirantibus, promptum erit, lucem omnibus illis inferre, quæ de Amazonibus scribuntur. Cimmerios ergo posthac non mirabimur cum Amazonibus militasse: immò contrà sic colligemus, vbicunque Amazones quicquam præclarè gesserunt, eius gloriæ partem ad Cimmerios pertinere, nec eos vnquam longè abfuisse, cùm præcipuum semper exercitus corpus Cimmerij faceret, Amazonibus velut prædatorio globo præcurrentibus. Quicquid igitur de Amazonibus prædicatur, id ad Cimmerios, tanquam patres & coniuges, erit applicandum, cùm eosdem Cimmerios & Sauromatas esse demonstrarim. Quamobrem muneris mei est obiter indicare, quàm latè Amazones in Asiam, in Europam, & in Libyam sint euagatæ, quò cognoscatur, quas Cimmerij olim susceperint expeditiones. Qua in re ab Homero, primo & antiquissimo Græciæ scriptorum, auspicabor; cuius sunt, de bello ad Sangarium gesto, cuius aliquoties feci mentionem, libro Iliados tertio, hi versus:

Ως φάτο. τὸν δ' ὀγέρων ἠγάσατο Φρύγιος ἐλθών,
Ω μάκαρ Ατρεΐδη, μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον,
Ἦ ῥα νύτοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦραι Ἀχαιῶν,
Ἠδὴ καὶ Φρυγίην εἰσήλυθον ἀμπελόεσσαν,
Ἔνθα ἴδον πλείστας Φρύγας ἀνέρας ἀϊολοπώλους
Λαοὺς Ὀτρῆος, καὶ Μυγδόνος ἀντιθέοιο,
Οἳ ῥα τότ' ἐστρατόωντο παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο,
Καὶ γὰρ ἐγὼν ἐπίκουρος ἐὼν μετὰ τοῖσιν ἐλέχθην
Ἦμαρ τῷ, ὅτ' ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι,
Ἀλλ' ὅμως οὐ τόσοι ἦσαν, ὅσοι ἐλίκωπες Ἀχαιοί.

Pro quibus ego totidem versus Latinos effudi:

Dixit. & inde senex Regem miratus ita infit:
Felix Atride fatum sortite benignum,
Næ tibi Graiorum paret quamplurima pubes,
Quæ modò vitiferos Phrygiæ deuênit in agros,
In quibus innumeros vidi Phrygas agmen equestre,
Par rapidis ventis duce dio Mygdone & Otreô,

Qui prope Sangarij ripas sua castra locarant,
Namque ego delectus fueram quoque vt auxiliarer,
Plurima non cessura viris cùm irrupit Amazon,
Sed non tot fuerant hic, quot cernuntur Achiuì.

Strabo Bellephorontē Priamo adiunctum fuisse, in hac aduersus Amazonas militia, libro duodecimo docet, atque ab Amazonibus multas vrbes nuncupatas esse, tum & tumulo cuidam in Ilienſi agro nomen ab Amazone mansisse, vt Homerus testatur; cuius hi sunt versus è libro Iliados secundo:

Εσι δ' τις προπάροιθε πόλιος αἰπεῖα κολώνη
Εν πεδίῳ ἀπάνευθε, περίδρομος ἔνθα κ' ἔνθα,
Τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν,
Αθάνατοι δὲ σῆμα πολυσκάρθμοιο μυρίνης,
Ενθα τότε τρῶές τε διέκριθεν, ἠδ' ἐπίκουροι.

quos nos ex tempore ita barbarè peruertimus fortasse:

In campo ante vrbem tumulus se tollit in altum
Citra alium, vt circum circa sit currere promptum;
Hunc homines proprio Batieam nomine dicunt,
Ast immortales celeris monumenta Myrinnæ,
Hîc censebantur Troës sociique seorsum.

Myrinnam hanc Cassandra apud Lycophrontem canit, gemitus vnà cum totis maritimis locis editurā, tum cùm Achilles saltu se Pelasgico in litus Troianū dabit, pedibus scaturientē fontem excitaturus. Tumulus igitur hic in conspectu Troiæ è planicie veluti tymbi, quos in agro ad Tungros multos videmus, assurgens, nomen accepit ab vna Amazonum, quæ hoc loco in bello cōtra Troianos susceptо, occidit; cuius honori tumulus hic siue tumbus, quo nomine apud Thungros hoc genus tumuli hactenus vocātur, erectus est, vt ex Homero colligo; qui non frustra dixit, monumentum hoc Myrinnæ ab immortalibus nominari. Strabo tamen opidulum sub Batea Myrinnæ nomine fuisse, libro tertio decimo tradit: cuius veterum auctoritatē contra Poëtam fretus, necdum scio; quem Tzetzes quoque secutus est. Si opidulum fuit, necesse est id postea sub Batea conditum fuisse; quoniam, Homero teste, quo tempore exercitus hic recensebatur, vndique campo & planicie, per quam liber esset hominum equorumque cursus, cingebatur. Et mirum sanè, tam negligenter Strabonem versus Homeri legisse, cùm ipse libro eo, qui hunc præcedit, tumulum hoc nomine dictum fuisse, ex his ipsis demonstret.

Credo

Credo equidem Straboni, apud Æoles opidum eodem nomine fuisse; at hic tempore Troianorum de Homeri auctoritate fuisse nego; tũ ei hoc crediturus, cùm sibi ipse non refragabitur, de eadem re ferens sententiam. Batiæam autem siue Bateam, alij ob aliam causam dici arbitrantur. Sunt quibus placeat ad Dardani vxorem nomenclaturæ causam referri; at illi non intelligunt discrimen vocum diuinarum atque humanarũ. Nos ad rubos, quibus collis abundabat, respexisse eos volumus, qui Bateam nominarunt, ratione rustica potiùs quàm diuina; atque idcirco Poetam eleganter dixisse, nomen illud diuinum esse, quod ad sacrosanctæ antiquitatis memoriam conseruandam datum fuisset. Verùm de hoc alibi, vbi de nominibus Deorum & hominum disputabo. Ex his manifestò deprehenditur, Cimmerios in Priami iuuentute Phrygiam inuasisse, quo tempore aconitum eos comedisse dixi. Hinc in Græciam arma transtulisse docui, piratarum iniuriis iritatos. Attamen si diligentiùs vetusta monumenta perscrutemur, inueniemus non paucis antè annis Cimmerios in Thracia Treros condidisse, & hos mox in Græciam irruptiones fecisse. Tereus enim qui fuit, ferè trecentis annis ante Troianum excidium, natione Thrax in Græcia regnauit, vt Megarenses dicunt, circa fontes, qui Megaridis appellantur, pro eo ac Pausanias, regni eius vestigiis, suo adhuc tempore, Daulide supra Chæronæam extantibus, adductus existimat. Nam, eodem auctore, veteris Græciæ, quæ Hellas vocabatur, multæ olim partes à Barbaris tenebantur. Hunc autem de gente Cimmeriorum fuisse, de Hippolytæ Amazonis & Terei regis sepulcris colligere oportet. Ea enim inter se apud Megarenses vicina sunt, vt ex iis duo licear existimare; alterum, Hippolytam hanc non eam fuisse, quam Theseus dicitur rapuisse; propterea quòd Theseus ducentis propè annis post Tereum regnarit. Credo tamen sepulcrum hoc Megaricum occasionem dedisse, de Theseo illa fabulandi, quæ de Hippolyta fingun tur; eò quòd temporum diuersitas in antiquitatibus illis vetustissimis ignoraretur, & multa sæpe eidem tribuerentur, quæ multis sæculis inter se distarent: vt dum eundem Herculem faciunt, & eum, qui Antæum vicerit, & eum, qui cum Argonautis nauigarit, & similia infinita; quorum memoria extabat illa quidem vel carminibus, vel aliis monumentis conseruata; sed distinctio temporum & personarum perierat, propterea quòd adulatores propriis nominibus alia substituerent, quæ ab insigni aliquo Dei munere, quod in illis celebrandum suscepissent, ducerentur. Credam igitur potiùs sepulcris Terei & Hippolytæ iuxta se constitutis; è quibus conicio, Hippolytam Terei fuisse vxorem, quam duxerit post repudiatam

Prognen Pandionis filiam regis Athenarum. Hanc enim hominis Martij conuictu non contentam, adulterium commisisse reor, sororis fortassis adiumento; cuius sceleris cùm manifesta esset, eam vnà cum sorore aufugisse, atque Tereum deprehensa labili Græciæ pudicitia, è Thracia sibi vxorem aduocasse; quam Amazonem fuisse mirum nõ est, si de Treribus natales ducebat. Deinde licet ipsa alterius gentis fuisset; eò tamen, quòd Tereo Trerum generis viro nupta esset, Amazon iure suo fuisset nominanda; cùm Treres Cimmerij reuera essent. Non sum insciius, Poëtas aliter de his fabulari, & Tereum non solùm stupri Philomelæ illati accusari, vxore longiùs, ne quid rescisceret, relegata; sed crudelitatis etiam immanis & barbaræ, dum Philumelæ, quam compresserat, linguam fingunt amputasse. Ouidius libro sexto Metamorphoseos Thraciæ regem fuisse dicit, & Pandioni auxiliaribus armis, contra nescio quos barbaros adfuisse, cuius hæc sunt verba:

Credere quis posset? solæ cessastis Athenæ,
Obstitit officio bellum, subiectaque Ponto
Barbara Cecropios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis
Fuderat, & clarum vincendo nomen habebat.
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem
Et genus à magno ducentem fortè Gradiuo
Connubio Prognes iunxit.——

Quibus reliqua addit, quæ de infausto matrimonio feruntur. Raphael Regius, barbara hæc agmina regum Asiæ fuisse, existimat, quos dicit bellum Athenienſibus indixisse, præterea nihil lucis addens. Micyllus huic succurrens, apertè labitur, cùm alter suspenso gradu se sustinuisset. Ego autem, inquit, accipiendum puto Thracense bellum, quod Eumolpi temporibus gestum traditur, quando Thraces magna manu in Atticam descenderunt, & pugna circa Eleusim commissa, Erechtheum regem Athenienſium occiderunt, vt ex Pausania patet. Sed rursus se corrigens, ad bellum Amazonicum refert, quod Theseus Pandionis nepos finiuerit. Sed horum vtrumque, vt temporibus non congruit, quod ipse quoque Micyllus fatetur, ita multo minùs cum Ouidio & tota fabula quadrat. Neque enim Thracum Rex, Athenienſibus, contra Thraces auxilio fuisse, suspicandus est; nec Amazonibus cognatis suis bellum intulisse. Ouidius, nisi fallor, prudens hîc Grammaticis scrupulum iniecit. Cùm enim apud veteres inueniſſet, contra Labdacum Pandiona bellum gessisse,

nec

nec ſatis intelligere poſset, quænam vrbs Labdacus vocaretur; pro Labdaco, Lampſacum credidit legendam, cui adamuſsim omnia, quę ſcribit, reſpondent. Lampſacus enim antiquiſsima vrbs eſt Aſiæ ad Propõtidem inter Simoentem & Granicum ſita, in qua Priapus ſummo in honore habebatur: cuius Cicero in tertia Verrinarum, vt claræ & populo Romano amicæ mentionem fecit. Quia ergo hæc in Helleſponto erat, in ipſa Propontide commodiſsimum portum habens, rectè Naſo dixit, *Ponto ſubiectam*. Deinde quòd Aſiatica eſſet, barbaram vocauit. Apollodorus Athenienſis, cuius auctoritas mihi, quàm Ouidij, pluris fit, bellũ hoc contra Labdacum de finium contentione natum dicit. Confinia verò quæ eſſe poterant Lampſacenorum atque Athenienſium, toto mari Ægæo & Propontide diſtractorum? Quòd ſi fines hi inter ipſos inuenirentur, libenter correctionem hanc è Labdaco in Lampſacum Ouidio aſſentirer. Veritas igitur hæc eſt, Labdacus ad regnum Thebarum poſt Cadmi & Penthei mortem vocatus, bellum Pandioni intulit, propter fines Thebanorum, dum ipſe adhuc in tutela eſſet, occupatos. Huic Phœnicum auxiliis fortè nixo, Athenienſium rex cùm par non eſſet, Tereum ſibi adiunxit, qui tum ad Megaridis fontes ſupra Chæronæam regnabat, ſi monumentis vetuſtis & Pauſaniæ, qui ea ſuis ipſius oculis conſpexit, fides ſit adhibenda. Scribunt alij, Poëtas ſecuti, è Thracia hunc accerſitum; quod equidem reor ab ipſis eò factum,, ne maxima pars Græciæ olim à Cimmeriis ſubiugata fuiſſe ſciretur: quod tamen docui Pauſaniam diligentiſsimum ſcriptorem fateri. Plato in Cratylo ſuo, plurima Græcorum vocabula à Barbaris accepta, teſtatur, maximè verò ab illis Barbaris, quibus Græci ſubfuiſſent. A quibus autem Barbaris dicemus eos accepiſſe, ſi non ab iis, qui in media Græcia habitabant? Nam Ionibus & Aſiaticis poſſet quis Aſſyriam vel Perſicam linguam inuehere, quorum imperio aliquando paruerunt. Huic tamen Plato aduerſaretur, qui Phrygio ſermoni aliquot Græca vocabula accepta refert. An igitur Athenienſes ex Phrygia voces ſibi aduocarunt? Minimè. Neque enim id quiſquam ſanæ mentis diceret. Vnde igitur in meditullio Græciæ Phrygij ſermonis reliquiæ? Ex illis ſanè, quibus aliquando ſeruierunt. Nullum enim certius eſt ſignum veteris & aboliti Imperij, quàm linguæ veſtigia. Hinc enim indubiè colligimus, Romanos totam Galliam & Hiſpaniam diu ſubiectas habuiſſe, quòd ſermo Latinus, licet corruptiſsimus hactenus, in illis exſtet. Nec ex lingua modò integra, ſed ex parte etiam idem ſumitur argumentum, vti Platonem videmus feciſſe. Deinde ex corruptela etiam prioris ſermonis, quamuis non aboliti, intel-

intelligimus,quæ gens fuerit,quæ ſermonem corruperit.Prẹter enim dictiones quaſdam veteri ſermoni irrepentes, phraſes quoque ſiue loquendi quidam peculiares modi inuehuntur.Sic Italicum ſiue Latinum ſermonem à Gotis corruptum eſſe, quiuis ex ipſa lingua iudicarit; atque hinc deinde collegerit, Italos à Gotis vel aliis eiuſdem linguæ gentibus fuiſſe ſubiugatos. Cùm ergo Phrygij ſermonis reliquiæ non paucæ in Græcia reperiantur; negari non poteſt, eius linguæ gentem Græciæ aliquando fuiſſe dominatam. At nos oſtendimus, Cimmerios & Phrygas eodem ſermone vti. Cùm igitur multa ſint indicia, quibus Amazones & Thraces in Græcia rerum potitos fuiſſe, queat doceri,& nulla extent de Phrygibus aut ceteris eiuſdem ſermonis gentibus;arbitrari debemus;Cimmerios antiquiſſimis ante Troiæ excidium temporibus Helladem imperio tenuiſſe. Thraciam enim à Cimmeriis valde olim occupatã fuiſſe,Treres docuerunt.Verùm quia Poëtæ alienæ laudis inuidia,omnẽ memoriã partim corruperunt, partim fabulis obtexuerunt, periit ferè Cimmeriorum apud Græcos nomen,aliqua tamen, quamuis exili rerum geſtarum laude, Amazonibus adſcripta. Hanc nos,veritate manifeſtò detecta, Cimmeriis rurſus vindicamus, & Tereum Cimmerium fuiſſe contendimus, Hippolytæ Amazonis maritum,vt ſepulcra teſtãtur. Martis autem filium dicebant,quòd nec Thraciæ,nec eius Græcię partis quam tenebant,indigena eſſet; verùm Marte ſuo terras eas ſibi quæſiuiſſet. Quorũ enim parẽtes ignoramus,eos vel Terrę, Cæliq; filios dicimus; vel Diis illis,vti patribus,tribuimus,quorũ dotes in ipſis potiſsimùm elucent. Tereum igitur gente Cimmerium Mars & bella Thraciæ & Græcię dederunt,vt meritò Martis filius diceretur.Atque hinc etiam illud eſt,quòd Martem in Thracia natum fabulentur, indicantes nimirum,antiquiſſima bella è Thracia in Græciam & Aſiam fuiſſe illata. Num verò vlla Cimmeriorum contra Græcos & Aſianos bellis antiquiora apud vetuſtiſſimos ſcriptores inueniri queunt? Equidem nulla reperio, & ſi qua ſint, lubenter cupio doceri. Tereus ergo primò quidem in Græciam è Thracia vẽnit; ſed deinde ibi quò venit regnauit, & clara regni veſtigia reliquit. Hic Pandioni contra Labdacum ſuppetias tulit,tum temporis Thebanorum Regem. Conueniunt enim tempora; & clarum eſt Thebis Labdacum,quamuis ætate prouectum, regnaſſe, atque Laio filio ſuo & Oedipi patri regnum reliquiſſe. Hoc eſt quod Apollodorus Athenienſis tradit, bellum de finibus fuiſſe inter Athenienſes & Thebanos.Addam nunc quid ſuſpicer Ouidio occaſionẽ dediſſe,vt de Lampſaco cogitaret.Sunt apud Apollodorum hæc verba:

Πολέ-

Πολέμου ὃ ἐξανασάντ@ πρὸς Λάβδακον, περὶ γῆς ὅρων, Πτικαλέσατο βοηθὸν ἐκ Θράκης Τηρέα τὸν Ἄρεως, ᾧ τὸν πόλεμον ζὺν αὐτῷ καθορθῶσας ἔδωκε Τηρεῖ πρὸς γάμον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Πρόκνην. id est, Bello aduersus Labdacum de finibus exorto, accersiuit è Thracia Tereum Martis filium, quò auxilio sibi esset; cum quo dum bellum ex voto & bono suo finiisset, Tereo filiam suam Procnen nuptũ dedit. In his πρὸς Λάβδακον, videntur legisse πρὸς Λάμψακον, quasi πρὸς apud Græcos nunquam contra significaret. Sed mea non refert, vnde error sit ortus: hoc saltem verisimilius est, & veritati congruentius, contra Thebanos Athenienſibus, quàm contra Lampsacenos bellum hoc de limitibus fuisse. Condonemus igitur hæsitationem commentatoribus, quando ne ipse quidem Poëta satis consentanea historiæ scribit. Quòd verò ipse sibi manus intulerit, fictitium est, & è Poetarum veterum odio natum. Crimen autem hoc Poëtis non à me obiicitur tantùm, sed à Platone etiam, qui Minoi iustissimo viro, omnia quæ feruntur scelera & dedecora, à mendacibus Poëtis in domum ipsius dicit inuecta; quod priùs indicaui. Puduit Atticos impudicitiæ duarum sororum; quocirca crimen per calumniam ei impegerunt, contra quem fuit commissum: atque deinde fabulam contexuerunt: Procnen in hirundinem mutatam finxêre, quòd nullæ hirundines intra Daulidis fines vel pariant, vel ex ouis pullos excludant, vel omnino nidos laqueatibus affigant. Quòd si hoc Pausaniæ credimus, magna fuit occasio fingendi, vxorem in hirundinem conuersam fuisse. Cauisset enim, postquam semel mariti manus euasit, rursus Daulidem reuerti, nisi vitæ mortem prætulisset. Deinde ingratus hospitæ mulieris, & vxoris etiam animus, bene potuit & rectè hirundini comparari; quæ aliunde venientes, domos alienas subeunt, & summo loco nidos figunt, & ex alto corporis spurcitiem in pauimenta & habitatores emittunt, ac deinde dum domum fœdè conspurcarunt, discedunt. Eodem modo Procne in aliena domo ad summum fastigium euecta, & in regium thalamum sublata, Regem ipsum & regiam domum adulterio suo turpissimè fœdauit, atque deinde culpæ spurcissimæ manifesta, se subduxit citissimis alis. Credi etiam potest de fabula, sororem suauitate sermonis & cantilenis Tereum in multam noctem crebrò detinuisse, quò interea locus adultero daretur. Si enim hoc tempore similia fieri videmus; quid obstat quò minùs eadem de mulierculis Atticis credamus? Nam sororem sceleris conscium fuisse, nihil dubito; eò quòd eiusmodi spurcas voluptates mulierculæ ferè semper

in ſinum alicuius amicæ, cui maximè fidunt, effundere ſoleant. Eſſent ſcilicet eiuſmodi molles feminæ linguæ temperatiores, quàm Chærea Terentianus? Nemo ſanè hoc mihi ſuadeat; operam enim luderet. Noui ſatis quàm crepare malint id genus ſcortilla, quàm gaudium ſuum nemini communicare. Quota enim quæque eſt femina, quæ amica aliqua careat ſingulari, quam noſtrates ab vſu Geſpeſ vocant, quaſi dicerent eam eſſe, qua ad luſus ſuos feminæ vtuntur. Talis igitur non mirum, ſi ſoror fuit ſorori, & non conſcia modò culpæ, ſed adiutrix etiam & machinatrix. Facile autem id erat apud Thracem ſiue Cimmerium, bibendi pernoctandique ad calices & choreas de gentis conſuetudine auidum, auidiſsimum porrò inter pocula, ſaltus & cantilenarum. Nam & hactenus idem noſtris manet ſtudium, longiſsimo temporum ſpacio nihil omnino detritum. Deinde zelotypia à ſimplicitate & candore Cimbrorum, præſertim inter potandum ſaltandumque longiſsimè ſemper exulauit. Ad hunc igitur aſtum, quoniam Philomela linguam ſuam vocemque applicuiſſet, nihil iniuſtum Tereus feciſſet, ſi illam, ſcelere deprehenſo, vt fertur, amputaſſet. Nec malè nocturna hæc Siren fingitur in auem commutata, quæ totas noctes canendo ducit, vocis ſuauitate & varietate nulli Muſicæ conferenda. Quòd verò Tereum ipſum in vpupam tranſmutarint, ne illud quidem malè ad ſuſpicionem meam alludit. Nam hæc auis nidum facit è ſtercore humano, & paſtu vtitur fœdiſsimo. Quid verò regia Terei aliud erat, ſpurciſsimis his vitiis vxoris inquinata, quàm nidus humanis ſtercoribus, id eſt, fœdiſsimis hominum flagitiis conſtans? Nobis vpupa in prouerbio eſt, ad eas ſignificandas, quæ ſunt omni ſpurcitiæ genere contaminatæ. Non tamen minùs aptè Tereus vpupa dicebatur; quòd ſicut hæc auis in excrementis alui humani oua ponit, ita Tereus oua & ſemen ſuum, & ſe denique, quoad poſſet, ſterquilinio vxoris immergeret. At illud de filio, quem ab eo comeſum fingunt, videtur concinnè de nomine Terei originem cœpiſſe. Ter enim vocali longa, idem eſt quod abſumo, ſiue ſumptum facio, edendo præſertim & bibendo. Hues verò monoſyllabicôs pronunciatum, ſignificat modeſtum. Ter-hues ergo citra perſonæ diſtinctionem, idem eſt, ac ſi Latinè dicas, in rebus ad victum pertinentibus, modeſtè ſumptum facito. Quòd ſi è duabus dictionibus nomen compoſitum facias, is Terues, omiſſa aſpiratione ad ſonum molliorem, dicetur; qui eſt modeſtus in ſumptu ad victum faciendo. Verùm Græci, dum hanc vocem in ſuam linguam transferre voluerunt, coacti ſunt diphthongum in ſecunda ſyllaba tranſponere, & ex ues facere eus: propterea

pterea quòd Scythica illa diphthongo carerent. Hoc verò vel Thrax quispiam, vel Rex ipse cernens, risit, dicens se pro modesto epulone factum esse siniſtrum epulonem. Si quid mihi coniectare licet, ipsa vxor & eius soror cùm texendi peritæ essent; atque ita, vt fit, donum aliquod marito feciſſent, in quo par erat nomen eius contineri, pro Terues Tereus intexuerunt: quod Rex cernens, per iocum fortè dixit: Vos me ex epulone modesto feciſtis epulonem siniſtrum. Nam ues, siue Flandricè ues, modestum; eus siniſtrum, & id notat, quod contrà sit atque deberet. Dicimus enim, Ic bey eus, id est, ego sum siniſter. Hy verſtaghet eus, id est, tu intelligis siniſtrè. Tis eey eus menſch, id est, est homo prauus, omnia & siniſtrè faciens, & siniſtrè capiens. ues igitur & eus sunt pugnantia, vt meritò Tereus dicere potuerit, Vxor & soror eius epulas mihi prauas & siniſtri ominis apponent, postquam ab illis me siniſtrum epulonem vocari sentio. Ex hac fortè occasione fabula, de filio ad comedendum apposito, emanauit ex peruerso, prauo & siniſtro cibo, Poetarum licentia id comminiscente, quòd summum in hac peruersitate gradum teneret. Maleuolus enim animus, & sycophantarum calumnia, è rebus minimis frequenter occasionem sumit, vt abominanda confingat: quod equidem credo Poëtis in toto hoc commento accidisse. Si enim talis fuisset, qualem ipsi eum nobis depingunt; quæ hominum dementia diceretur, ei non solùm sepulcrum erigere, sed honores etiam tribuere diuinos? Pausanias enim testatur, quotannis ad tumulum eius à Megarensibus fieri sacrum, atque in eo pro farre calculos sumi. Quis enim credat, in media Græcia homini Barbaro & nefario, qui tantum scelus contra Procnen, tantum scelus contra Philomelam Regis Atheniensium filias designasset, non tumulum modò, sed sacra etiam sollennia fuisse dedicata? Ei'ne, qui vxoris Regis filiæ thorum tam fœda labe violasset, qui Philomelam germanam vxoris sororem per vim constupraſſet, constupratæ linguam abscidisset, filium suum ipsius in viscera sua condidisset, se denique ipsum interemisset; atque post omnia Pandionem socerum suum immatura morte contabescere, sceleribus suis compulisset; ei'ne monstro? Absit tantum dedecus à Græcorum institutis. Hoc faciunt hîc Poetæ, dum Cimmerios calumniantur, turpissimam notam Græcis inurunt. Quid enim magis execrandum, quàm abominanda scelera diuinis honoribus decorare, atque id in Barbaro, atque id quotannis, atque id in media Græcia? Sed videamus quod genus sacrificij Tereo fecerint. Singulare profectò, & haud scio, an cum vllo siue Deorum, siue Heroum, ei

commune. Monſtret mihi quiſquam, in Græcia tota vſquam eum morem fuiſſe, vt calculis pro farre ad ſacrificandum vterentur. Quòd ſi nulli Græcorum Heroum ſimile ſacrum peragitur, probabile videtur ab aliis, quàm à Græcis, ſacrum hunc ritum inductum fuiſſe. Audebo igitur, perinde atque in aliis feci, rationem huius ſacri aperire, idque eo maiore fiducia, quòd deprehendam nihil in Cimbricis eſſe, quod graui cauſa non ſit nixum. Quare ne hic quidem ſtudium inueſtigationemque meam fruſtrabitur euentus. Calculis duo potiſſimùm apud antiquos peragebãtur; quorum alterum in ſententiis ferendis, alterum in rationibus ſubducendis erat conſtitutum. Hinc Græcis ψηφίζεσθαι, quod eſt, ſuffragia & ſententiam ferre, & ad calculum reuocare. Ouidius de Myſcelo, Herculis beneficio iniquam ſententiam effugiente, hunc morem antiquiſsimum eſſe teſtatur.

Mos erat antiquis, niueis atriſque lapillis
His damnare reos, illis abſoluere culpa.

Tereus igitur, cùm iuſtitiæ in regno ſuo ſemper cuſtodiendæ, ſingulare in vita ſtudium impendiſſet; videtur vel ipſe præcepiſſe, vel ab amicis poſt mortem honoris pietatisq; cauſa conſecutus, vt quotannis iuſtitiæ ab ipſo excellentiſsimè adminiſtratæ, memoria celebraretur. Videtur enim ita ſenſiſſe, farre mortuis nihil opus eſſe, immò nec viuis cõducere, ſi in flammas fumumque abſumatur. Deinde nec ſe dignum eſſe, cui quippiam veluti numini offerretur, cùm hic cultus vnius Dei proprius ſit. Vtile tamẽ fore viuis, & honeſtum ſepulto, ſi quotannis ſacris operarentur iis, quibus iuſtitiæ, quam in vita præ ceteris mortalibus omnibus diligentiſsimè coluiſſet, memoriam refricarent. Hoc enim modo futurum, vt, dum iuſtitiæ honorem exhiberi viderent, ipſi quoque ad iuſtitiam ſeruandá commouerentur. Deinde quòd memoria hæc ad tumulum Regis mortui haberetur, cogitarent & mortuis ſenſum eorum, quæ facimus, eſſe; & ſi Regis defuncti animus iniuſtum quempiam ſciret, eum diris perſequẽdum, ab vmbra ipſius ſibi perſuaderent. Vtinam noſtrates ſic diuos ſuos perpetuò venerarentur, vt vitæ ſibi exemplum ab ipſorum dictis factisque ducerent, perinde ac Tereus teſtamento ſuo videtur præcepiſſe. Quicquid huius ſit, hoc conſtat, calculos non alia ratione ei immolatos fuiſſe, quàm vt homines intelligerent, nihil carius ei gratiusque contingere poſſe, quàm ſi ipſius exemplo iuſtitia diligentiſsimè coleretur. O Regem egregium, ô memorabilem ſolennitatem, ô tumulũ dignũ viſitatione! Hoc demum eſt Regem eſſe, hoc regium diadema & nomen mereri, ſic publicam ſalutem curare,

vt

vt iuſtitia non in vita modò accuratiſsimè ſeruetur, ſed quò poſt mortem etiam homines externis indiciis & ritibus moneantur, hoc omnibus & ſingulis in primis ſtudendum, vt omnibus in rebus & actionibus æquitatẽ & ius cuſtodiant, præſertim in illis, quæ in contractibus, vel in ſuffragiis & ſententiis, calculis peraguntur. Hoc igitur ſibi voluit inſolens hæc ſacrorum conſuetudo, à Pauſania obiter annotata. Viderint igitur Poetæ, quî tam abſurdas calumnias & ſycophantias ſuas tueri poſsint. Iuſtiſsimus enim Rex de monumentis antiquitatũ fuiſſe deprehenditur: & tantum abeſt, vt in Thracia ſe ipſe contra legem naturæ, & peſsimo exemplo mactauerit, vt in media Græcia ſepultus ſit, & diuinis honoribus quotannis celebratus. Fuit autem hic Pandion, cui ſuppetias tulit, quintus Athenienſium poſt Cecropen Rex; cuius filias Procnen & Philomelam fuiſſe, Euſebius quoque teſtatur. Deinde quæ de Labdaco dicuntur, in huius, non in alterius Pandionis ætatem incidunt. Regnante enim Pandione, Cadmus Thebas condidit, cui Pentheus ſucceſsit; ſed horum vterque non diu regnauit, Cadmo ad Illyricos profecto, & Pentheo, cui regnum reliquerat, interempto. Pentheo mortuo, Labdacus in regnum vocatur, filius Phœnicis eius, qui & Cadmi frater fuit, & Phœniciam condidit. Heſiodus Adonidis hunc patrem fecit, licet alij aliter tradant. Hæc cùm omnia inter ſe conſentiant, temporibus, imperiis, & genealogiis, atque vetuſtiſſimis auctoribus nitantur, non poſſum excuſare Ouidium, qui Pandionis eius, cuius Philomela & Progne filiæ fuerunt, Erechteum filium fuiſſe prodit his verſibus:

Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ
Tempora Tartareas Pandiona miſit ad vmbras:
Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechteus.

Verùm mirum id in Poëta non eſt, cùm Pauſanias in primis diligens, in eundem errorem incidiſſe videatur. Hic enim poſtquam de Pandionis ſtatua dubitaſſet, ac in minoris Pandionis mentionem incidiſſet; credidit Procnen & Philomelam huius Pandionis poſterioris filias fuiſſe. Verùm apertè ex Apollodoro, & per coniecturam ex Ouidio docui, bellum hoc, cuius mentio fit, contra Labdacum extitiſſe. Iam Pauſanias quamuis Labdacum Polydori filium faciat, à Pandionis tamen prioris ætate non detrahit. Cadmus enim eius opinione Polydorum, Polydorus Labdacum genuit, qui priùs Nycteo, deinde poſt eius mortem Lyco Nyctei fratri in tutelam datus eſt, à quo in regnum eſt reſtitutus, cùm per ętatem idoneus videretur, tutoribus priùs rerum potitis. Nihil ergo ad propoſitũ meum

 refert,

refert, Labdacus ne Phœnicis an Polydori fuerit filius, cùm vtrouis modo tempus meæ congruat assertioni. Nec hîc solùm fallitur Pausanias, sed in Hippolyta quoque, cuius sepulcrum Terei tumulo proximum dixit. Quicquid enim Græci Poëtæ de Amazonibus captis scripsere, tam variè scripsere, vt quot sunt scriptores, tot videatur esse sententię. Pausanias de Megarẽsium opinione ad hunc modũ tradit: Cùm Amazones ob captam Antiopen bello Athenienses lacessissent, à Theseo superatæ sunt: cumque earũ multæ in prœlio cecidissent, Hippolyten tradunt Antiopes sororẽ, cui feminarum ille parebat exercitus, Megara cum paucis aufugisse: ibi cùm re malè gesta animum despondisset, præsertim quòd se in patriã suam Themiscyram redire posse desperasset, præ animi angore è vita excessisse; sepultã verò non longè à Terei tumulo, ad quem quotannis sacrum calculis fieri dixi. Plutarchus in Thesei vita varias diuersorum adfert opiniones; inter quos sunt, qui Antiopen à Theseo raptam dicant, post balteum ab Hercule allatum: cùm alij tradant, & inter hos Philochorus, Theseum cum Hercule profectum Antiopen præmium virtutis suæ accepisse. Clidemus singula accuratè persequi volens, loca, quibus dextrum, quibus siniſtrum, quibus reliqua denique Amazonum acies fuisset, depinxit, atque pugnã in ipsa vrbe commissam dixit; & quarto mense pacem opera Hippolytæ compositã fuisse. Nam quam alij Antiopen, hic Hippolytam nominauit. Hanc alij tradunt Thesei partes magnis viribus tuentem, à Molpadia vna Amazonum iaculo confixam, & statuam ei positam ad Olympiæ Telluris. Addit tandem Plutarchus, de rebus adeò antiquis historiam non constare, mirum non esse; & alios aliter de eisdem prodidisse. Vèrùm in hanc tandem descendit sententiam, bellum pacificatione finitum fuisse. Argumento esse loci nomẽ iuxta Theseium, qui Orcomosium à iuramentis ibi præstitis nuncupatur. Prætereà sacrificium antiquitus Amazonibus ante Thesea peractum. Commemorat & Megarę Amazonis sepulcrum, ad locum Run nomine, cerni. Tum ad Chæronæam nõnullis etiam tumulos esse, ad eum riuum, qui Thermodon priùs, tempore Plutarchi, Hæmon vocabatur: nec non in Thessalia ad Scotussæam ac Cynocephalas earum sepulcra monstrari. Apollodorus Athenienſis longè ab his dissentit, qui Hippolyten ab Hercule Themiscyræ occisam tradit, eò quòd ab Amazonibus ad arma curri animaduertẽs, insidias sibi ab ea strui suspicaretur. Ex Herodoto paulo antè docui, Amazonas quidem aliquas à Græcis raptas, sed raptoribus ex insidiis nece cõflata Sauromatarum promontorio appulisse. Verùm quid opus est, singulorum rogare sententiam; quando inter

cos,

eos, qui in prima Reip. litterariæ classe principatum tenent, tanta est controuersia? Reiectis igitur omnibus, in quibus dissentiũt, ea teneamus, de quibus omniũ calculis conuenire videmus. Deinde nihil certius est vetustis sepulcrorũ & solennium rituum monumẽtis, si sinceros & doctos interpretes nãciscantur. In hoc ergo eadem omnium sunt suffragia, Amazones in Græciam, atque in ipsam etiam Atticam arma intulisse. Præterea non vno loco, sed quamplurimis earum monumenta extare, atq; ea tam antiqua esse, vt omniũ Græcorum memoriã & computationem temporum excedant. Ex his ergo procliue fuit hominibus, gloriæ suæ studiosissimis, & inflatis buccis maiorum gesta canentibus, quibus omnia Theatra, & scholæ personabant, fingere Amazonas cęlas esse tot locis, quot monumẽta earũ cernerentur. Sed nobis videndum, an reliqua huic ipsorum figmento consentiãt, tum an ipsis inter se conueniat. Quàm non conueniat, modò dixi: in quo magna vis est ad conuincendũ, nihil ab ipsis sani veriq; tradi, sed vetustam memoriã siniſtra ipsorum interpretatione corrumpi. Quòd autem reliqua ipsorũ peruersæ expositioni non consentiant, clarissimè docetur de Platone confesso, Cimmerij siue Phrygij sermonis, in Græcia, & ipsa Attica reliquias inueniri. ex ipso item Pausania, totam Helladẽ antiquitus à Barbaris habitatã fuisse, asserente. A quibus verò Barbaris, si non ab illis, quorũ antiquissima monumẽta in Græcia videntur, quorũ itidem vestigia in lingua remanserunt? Quòd si hæc in historia non habebunt locũ demonstrationũ, non video quæ sint tandẽ dicendæ veræ argumentorũ conclusiones. Vbicunq; Romanorum sepulcra, aut cippos inuenimus, Romanos rerũ habenas tenuisse confitemur. Quis enim vnquam hosti hunc honorem, quis eius memoriæ ad posteros cum laude transmittendæ pecuniam impendat, qui vt pecuniam libertatemq; auferret, armatus aduenerat? Victores ipsi sibi monumẽta, ipsi sibi Trophęa erigunt, ipsi suos magnificis sepulcris & cippis honorant, frustra alioquin hęc decora à victis exspectaturi, nisi ad ea vi cõpellerent. Hac igitur via & ratione perspicuum fit, quid causæ sit, vt tot in Græcia Amazonũ sint sepulcra. Hispani in nouũ orbem Hispanica inuehũt nomina, perinde atq; Romani olim in Hispaniam, & ceteras prouincias nomẽclaturas etiam suas importarũt. Similiter factum est, vt Thermodon ad Chæronæam fuerit, & rursus supra Glisantem regiunculam torrens, præterlabens montem Hypaton, Thermodon vocaretur, nomine indito de Thermodonte Amazonico, ab illis haud dubiè, qui victoriæ suæ monumenta in fluminibus extare voluerunt. Hinc etiam Athenis est Amazoniũ, quod nomen loci est in ea vrbe, in quo Amazonas aliquot aiunt sepultas.

Quod

Quod quid aliud eſt dicere, quàm Athenis Amazonas habitaſſe,& ſibi tumuli honores conſecraſſe ſempiternos? Videmus Romæ Mauſolæum Auguſti, videmus molem Hadriani, videmus Seſtij pyramidion,& quàplurima alia illuſtrium virorum ſepulcra. Num ea cauſa cogitabimus hæc nihil aliud eſſe, quàm cædis eorum monumenta? Non arbitror quemquam tam peruerſi eſſe iudicij, nec tam ab omni ſenſu communi alienum,ſic vt opinetur.Ergo ne Amazonum Mauſolæum,vt ita de recepta conſuetudine nominemus, ſolum erit inter omnia,quod ab hoſtibus ſit erectum , ad memoriam æternam earũ, quæ venerãt perditũ Athenas?Nõ ignoro obiici poſſe buſta Gallorũ: quæ cladẽ Gallorũ ab omni poſteritatis obliuione vindicarunt. Sed dicat mihi, quiſquis eſt,qui hoc obiicit; an diuinos quoque honores Romani Gallis cõſecrauerint, perinde atq; Amazonibus Athenienſes ? Hoc ſi me doceat, eueſtigio de hac ſententiæ meæ confirmatione diſcedam. At id nunquam quiſquam faciet. Quare hanc rationum mearum arcem tenebo, nullis vnquam aduerſariorũ arietibus labefactandam. Eſt apud Megarenſes Terei ſepulcrum, ſed ſunt & diuini honores adiuncti. Sunt apud Athenienſes Amazonum ſepulcra, ſed ſunt ſacra etiam Amazonibus in eadem vrbe dedicata. Longè igitur aliud eſt, buſta Gallorum & ſimilia apud alias gentes commonſtrare, aliud Amazonium Athenarum,ad rationem originemq; ſuam referre. Illis enim nulli additi honores, nullum decus attributum : his verò ſacra etiam ſolennia nuncupata. Et quæ, rogo, ſacra, & quantæ dignationis? eius,inquam, vt ſacra Amazonum Theſei ſacris ſint prælata. Atqui Theſeus conditor vrbis,& Princeps Heroum apud Athenienſes habebatur. Subducamus nunc rationes apud æquos iudices, quid hæc monumenta de antiquitatibus Athenienſium videantur indicare. Græci ex his colligunt, Amazonas victas, cæſasque à Theſeo fuiſſe. Nos longè ſecus exiſtimamus, Athenienſibus vetuſtiſsimis Amazonum honores, Theſei honoribus priores & antiquiores fuiſſe.Plutarchus enim auctor eſt,ſacrificium antiquitus Amazonibus ante Theſèa peractum. Quæ verò peruerſitas eſſet, hoſtes Deo tutelari & indigeti præferre,ſi res, vt Græci prodiderunt, contigiſſent?Nónne ſatis inſaniæ commiſſum fuiſſet,ſi iis, quæ Athenas euerſum venerant, ſacra feciſſent, niſi hoſticis etiam manibus omnia priora & potiora quàm domeſtico Heroi dedicaſſent? Neſcio ſanè, an quicquam abſurdius his poſsit cogitari:& quicquam poſsit colligi peruerſius, & magis præpoſterè, quàm ſi quis ex his monumentis antiquitatis ea concludat, quæ Græcorum tradit hiſtoria. Si mentiri voluerunt,ſaltem hoc curaſſent,ne eorum fieret vlla mentio,

quæ

quæ mendacia ipſorum manifeſtiſsimis indiciis conuincerent. Nos contrà ſic ratiocinamur, vt Amazones ſiue Cimmeriorum filios, dicamus primos eſſe Athenarum conditores, atque idcirco optimo iure priùs Amazonibus, quàm Theſeo ſacrificium fieri ſolere. Si Cuma, Mytilene, & aliæ quamplurimæ vrbes omnium Græcorum teſtimonio, ab Amazonibus conditæ fuerunt; quid miri, ſi Athenas quoque ad illas referamus? Sed quia abunde oſtendimus, Amazones voce dici ambigua, ad filios & vxores Cimmeriorum; vtemur poſthac Amazonum nomine hiſtoricôs, pro filiis Cimmeriorum. Cimmerij ergo priùs in Thracia Treres dederũt, atque hinc in Græciam irruperunt, in qua agreſtes hominum mores formarunt, & ciuilem vitæ rationem inſtituerunt. Viuebant enim priùs latronum ritu, & id ſuum quiſq; ducebat, quod vel occupaſſet, vel alij per vim abſtuliſſet. Condiderunt itaq; opida maiuſcula quàm priùs fuiſſent, & inter cetera Athenas, cùm priùs in rupibus, & ſiluis, & arcibus ad latrocinandum accõmodatis, habitarent. Primi itaque auctores legum iuriſq; dicundi in Græcia Cimmerij fuerunt, & inter alios Tereus, cuius tanta fuit iuſtitiæ inter omnes conſeruandæ cura, vt calculis ei ſacrificaretur. Eadem fuit exiſtimatio Strymonis, cui ab eruditionem Græciæ inuectam, vnam Muſarum nupſiſſe ferunt: de quo pòſt latiùs erit dicendum. Athenis autem inſigne manſit indicium, Amazones ciuitati leges, in quas omnes iurarent, dediſſe. Iuxta enim Theſeum locus Orcomoſion nomine clarus habebatur, quem Plutarchus à præſtitis iuramentis nominat, nõ malè ille quidem, ſed quæ iuramenta fuerint, à quibus nomen ſumpſit, mihi cum illo non conuenit. Neque enim veriſimile eſt Theſei ætate; ſiquidem ille Herculi ſtatuatur coæuus, primùm has antiquiſsimas appellationes in vſum veniſſe. Nam ſi tãta fuit huius vrbis, quantam fuiſſe cùm alij, tum Plato arbitratur, antiquitas; non facilè adducar, vt credam priſca illa monumenta, ad illam ætatem referenda. Ego Orcomoſij nomen emanaſſe ab illis iuramentis credo, quæ populus Athenienſis in vnam ciuitatẽ è variis caſtellis collectus, Cimmeriis præſtitit, ſe leges & ſtatuta, quibus nouam hominum ſocietatẽ munierunt, bona fide conſeruaturum eſſe. Oportet namq; eos, qui in vnum ciuitatis corpus ſunt cooptandi, iurare, ſe omnes leges & ſtatuta non ſecuturos modò eſſe, ſed omni vi omniq́ue induſtria defenſuros. Æſtimet hîc qui volet, vtrum huius iuramenti memoria quæ perpetuò eſt retinenda, an verò pactorum, quæ cum hoſte quopiam inita pro tempore ſunt, dignor ſit nominis immortalitate. Antwerpiæ locus eſt ab antiquo his iuramentis dedicatus, quæ ab illis exiguntur, qui ciuitatis iure ſunt donandi. Eodem

modo credendum, Cimmerios in noua vrbe locũ designasse; in quo, qui ciuium numero essent adscribendi, iureiurando adstringerẽtur. Hunc igitur locum Græci sua lingua Orcomosium vocarunt, quò id quod in vrbe primum esse debet ac sanctissimum, perpetuò hominibus de loci nomenclatura succurreret. In præcipuis enim Reip. fundamentis est, aut potiùs ipsum ciuitatis fundamentũ, iuramentorum homines meminisse; & eorũ in primis, in quibus tota custodia & salus cõmunitatis continetur. Sed quid attinet pluribus de iureiurando, & eius in ciuitatibus necessitate tractare, cùm neminẽ esse credã, qui non intelligat, hoc vnum vinculũ esse, non Reip. tantùm, sed omnis societatis humanę tum vniendæ, tũ conseruandæ? Quoties, bone Deus, singularem tuam gratiam in priscis maioribus agnosco; toties cogor mecũ suspirare omnia in deterius prolabi. Non temerè Orcomosion, id est, iurisiurandi locũ, in principe regionis vrbe sempiternę ciuiũ magistratuumq, memoriæ dedicarũt, quò semper obuiũ foret, in quod vadũ sacra humanæ societatis ancora iacienda esset. Sed heu miseros nos huius ætatis homines, quibus nihil sacrum, nihil sanctũ, nihil fidũ, nihil firmũ, sed omnia plena fraudis, omnia plena simulationis, omnia deniq; plena aulicarũ virtutũ; in quibus ludus est, credulos, simplices atq; pios etiam viros, nihil tale suspicantes, periuriis mescare. Oro Deum Opt. Max. vt & principes & subditos ea mente donet, ne posthac iureiurando, velut pueri nucibus, inter se ludant, & ea tantùm sibi seruanda iuramenta putent, quæ cum vtilitate falsò credita, sunt coniuncta, si qua contra hanc tendere videantur, nõ pluris faciant, quàm cassam nucem. Quemadmodum olim Laconum Reges iurabant, omnia se ex præscripto legũ facturos, ita Duces quoq; nostri, dum insignia imperij suscipiunt, priùs iurant, se omnia iura, tum publica, tum priuata conseruaturos, quàm populus se sacramento adstringat. Principis igitur est, populo in iurisiurandi fide conseruanda semper præire, atque præmonstrare, nihil se sanctius habere, quàm id custodire, cuius Deum testem & vindicẽ fecit. Hoc verò non Regibus tantùm, sed magistratui etiam obseruandum, vt iuramenti, quod concipitur, dum magistratus initur, nunquam obliuiscatur. Qua enim, quæso, ratione maiore confirmare quis posset, se Deum & religionẽ contemnere, & pro vano tantùm plebis terriculamento habere, quàm si deprehendatur nihili facere Deum, & testem, & vltorem. Iurant, qui magistratum Antwerpiæ ineunt, se nullius fauorem, vel per se, vel per alios directè vel obliquè solicitasse, vt in Senatorum collegium cooptentur. Videant igitur, qua conscientia plerique eiusmodi iuramenti formulam concipere audeant, nisi

lingua

lingua quidem iurent, mentem autem inuriatã relinquant. Crediderim equidem plurimorum hominum iuramenta amatoria esse, atque idcirco ab iis parui fieri, si iurata non seruent, iuxta illud:

Iupiter è cælo periuria ridet amantum.

Amore enim pleriq; mortales capti sunt, non vilis alicuius puellæ, sed Reginæ potentissimæ, quam pecuniam vocamus, non ob id, vti Grammatici putauerunt, quia pecu esset signata, sed quia ex hominibus pecudes faciat. Cùm enim os homini sublime datum sit, vt cælum patriam suam intueatur; pecuniæ amor ad suos trahit natales, id est, ad terram & obscuram mentis caliginem. Fiunt igitur capita nostra prona in terram, quasi bruta animalia, siue pecudes essemus, dum pecuniam pecoris genitricem, præ ceteris omnibus, & præ ipsa etiam Dei testatione, amamus. Sit igitur hæc periuriorum excusatio; & posthac mirari desinamus, si quem hoc amore excęcatum, peierare sentiamus. Cimmerij verò, vti homines antiquæ fidei, & incorruptæ simplicitatis, & ignari huius ciuilitatis, & aulicę cõsuetudinis, nimium duri fuerunt, dum crederent, nec Deum nec homines esse fallendos, & ad perpetuum documẽtum & æternam recordationẽ loco nomen dederunt Orcomosion, quasi dicerent, nullã Reip. salutẽ sperandam, nisi mutuo sacramentorũ vinculo colligetur. Deinde, quò conditorũ etiam memoria perpetua conseruaretur, alium locũ Amazonium nominarunt; quam quidem appellationem toti vrbi indere potuissent, nisi melius existimassent, à bona precatione, & fausto omine ipsam nuncupare. Romæ in operibus publicis, & Ianis, siue arcubus triumphalibus, ferè videmus symbola quatuor anni partiũ, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis exsculpta; quibus indicabant se optare, vt opera ea æterna essent. His enim quatuor anni partibus per prius & posterius in se redeuntibus, omnia secula perennant; & hinc annus dicitur, ab Anna voce vna ex illarum numero, quæ nostratibus sunt circulares. Est autem composita ex ⲁⲛ, id est, anterius; & eius per simplicem conuersionem contrario ⲛⲁ, quod significat posterius. Dicimus tamen sine discrimine significationis ⲁⲛⲛⲁ vel ⲁⲛⲁ. Vulgatũ enim est, ⲥⲁⲉⲧ ⲁⲛ, vel ⲥⲁⲉⲧ ⲁ, id est, Eas ad anteriora, siue vna voce, procedas. Vellem mihi vel Græcus, vel Latinus, vel Hebræus etiam Cabalistica se iactans disciplina, vocem aliquam proferret tanto artificio factam. In primis enim circularis est, id est, eiusdem soni, siue à dextris, siue à sinistris eam legas; quò significetur, tũ tempus motu circulari cõtineri, tum perpetuum infinitũque esse. Deinde vox duabus syllabis absoluitur, eò quòd nullum tempus sit quod pluribus vel paucioribus partibus, quàm duabus constet.

Definitur enim tempus per anterius & posterius. Nam ipsum nunc tempus non est, sed prioris & posterioris connexio indiuidua. Præterea syllaba prior, si contrario modo legatur, contrarium quoque designat. ⲁⲛ contrario modo scriptum & pronunciatum, fit ⲛⲁ, cuius contraria est significatio. Sic in tẽpore quod nunc est anterius, mox fit posterius. Anna igitur meritò Dea perennitatis siue æternitatis nominatur: à qua annus nomẽ desumpsit, quòd sit integer Solis circulus per prius & posterius in se regressus. Atque hæc quidẽ alterius loci, quo hæc tractare decreui, propria, hoc loco necessariò mihi fuerunt obiter indicanda, ad Athenarum etymon Amazonicum in lucẽ eruendũ. Porrò ⲁⲑ vel ⲁⲑⲏ, idẽ est nobis quod Latinis, serua vel tene. Ex ⲁⲑⲏ igitur & ⲁⲛⲁ vocabulũ conflatur Hathana, & omissa aspiratione de more Flamingorum, Athana. Flamingi enim frequenter quo loco aspiratio est addenda, eam omittunt; vbi omittenda, eam addunt. Hinc in eos ludere solemus: In Flandria, omnis omo est hanimal. Sed in Græcia, quia inter litteras aspiratio non scribitur, sed apice duntaxat notatur, qui in maiusculis litteris ferè solet omitti negligiq́ue; nihil mirandi accidit, si originem vocis ignorantes, Athana dicant pro Hathana. Sed quid opus est eò confugere, cùm in Cimbrica vocum cõpositione, aspiratio frequentissimè omittatur, vti in plurimis est explicatum. Est ergo Athana idem Cimmeriorum lingua, quod Latinis, Tene æternitatem. Quare verò Athana, non Athena, dicam; non latebit eum, qui Doricam dialectum antiquissimam esse norit. Eadem porrò vox Deam significat, alio nomine Palladem nuncupatam, è cerebro Iouis natam, quæ rerũ omnium æternitatem conseruat. Est enim Dea scientiarum, non opinionum, aut eorum, quæ sensibus percipiuntur. Scientia porrò demonstratione acquiritur, quæ constat principiis æternis. Pallas igitur, quòd in Idæis rerum æternitatem conseruet, Athana dicitur. Verùm quia Ideę materia corruptibili & sensili carent, dicitur Athana, sine matre de solo Iouis cerebro processisse. Sed de hac alibi latiùs. Optimo igitur omine, & haud dubiè instinctu diuino, Amazones vrbem nominarunt, cuius antiquitas tanta est, vt ab omnibus ignoretur. Multo enim ante Theseum condita fuit, vtpote cuius antiquiores quoque sint reges. De Theseo verò, quæ feruntur, ex variis fabulis antiquitatis congesta sunt, quorum multa sæculis aliquot inter se distant; tantum abest, vt quicquam in se habeant veritatis. Athenienses enim, quò se peculiari nomine iactarent, Theseum finxerunt, Herculis ficticij per omnia simium; in hoc parentum primorum vitium secuti; qui dum deserto Dei mandato patri mendaciorum crederent, illud

ſibi veneni genus imbiberunt, vt poſteri ipſorum ſemper fabularum, quàm veritatis, ſint ſtudioſiores. Sic noſtri Amadiſios, Primaleones, Orlandos furioſos lubentius legunt, quàm Platonem, vel Ariſtotelem, vel Cyripædiam Xenophontis, hoc ipſo ſuo ſtudio oſtendentes, ſe longè Orlando ſuo eſſe furioſiores. Si tamen Theſeus omnino quiſquam fuit, ſuſpicari licet, eum corruptum ciuitatis antiquæ ſtatum reformaſſe, atque eius beneficio eam à priſcis gratiam redditam, vt conditor vrbis diceretur: quem pòſt tot fabulis onerarunt, vt cuiuis liquêre poſſit, ne ſpeciem quidem aliquam in illis apparere veritatis. Et ne credamus, vetuſtos tantùm Græcos ſe figmentis iſtiuſmodi de Theſeo ſomniatis, oblectaſſe, recentiores quoque lingua hac corrupta, qua nunc vtuntur, Theſeida compoſuerunt, quam Venetiis legi. Sed quia de Theſeo Græcorum non plus habetur comperti, quàm de ficticio Hercule, valedicamus eius generis nugis, atque pro certo teneamus, Athanæ vocabulum Cimbricum ſiue Amazonium eſſe, à bene ominantibus nouæ & recens à ſe conditæ vrbi nuncupatum. Nec vana fuit precatio, & votorum conceptio. Athenæ enim diutiſſimè, ſi qua alia vrbs, durauerunt; & ne hactenus quidem quamuis barbarica tyrannide ſint oppreſſæ, omnem memoriam antiquitatis exuerunt, extantibus adhuc illuſtriſſimorum virorum ſcriptis, quorum diuinas ſententias illic imbibitas ſcimus. Fuerunt autem ferè Cimbrorum in ciuitatibus nuncupandis ea conſilia, vt nomé oraculi vim haberet. Quo tamen pacto id conſecuti ſint, ignoro; niſi credamus, ſemper apud eos vates fuiſſe, atque Sibyllas; vti de Cimmeriis Italiæ clarum, ſi Deus votis noſtris annuat, euadet. Fateamur itaque nulla vrbibus nomina data fuiſſe, niſi de vatum Sibyllarumque decretis. Athenæ igitur nõ ſolùm de voto ęternitatis à conditore ſuſcepto, dicuntur; ſed ob id etiam, quòd in hac vrbe ſapientiæ ſempiterna monumenta eſſent naſcitura, quibus Athana cùm præſideat, meritò ab ea nomen accepit. Quicquid enim vel Latini, vel Græci, vel Arabes hactenus habent diſciplinarum, id totum Athenis debetur: quæ, quamuis alios non dediſſent innumeros, duobus tamen Platone & Ariſtotele hanc laudem ſibi vindicarent, vt à ſapientia ſiue Athana nomen ducere mererentur. Quiſquis ergo fuit huius nuncupationis antiſtes; id certè dicendum, optimum præſtantiſſimumque vatem fuiſſe. Extant porrò & alia in Græcia, & in alia eius parte Amazonum trophæa. Pyrrichus opidum eſt apud Laconas, in cuius foro puteus eſt, quem Silenus dicitur commonſtraſſe. At nos Silenos ſcientiarum doctores apud Cimmerios vocari, libro hunc ſecuturo, exponemus. Veriſimile igitur, opidum monitu Cimmerij alicuius naturæ rerum

periti conditum fuiſſe, qui puteum hunc in arido ceteroquin loco aperuerit & commonſtrarit. De Pyrrichiis ita Pauſanias in Laconicis: Habent Pyrrichij intra fines ſuos templum Dianæ Aſtrateę; cuius nominis cauſa eſt, quòd Amazones hoc in loco progrediendi finem feciſſe dicantur. Eadem de cauſa fanum eſt Apollinis Amazonij. Vtriuſque Dei ſigna è ligno ſunt, quæ dedicaſſe dicuntur feminæ eæ, quæ à Thermodonte eò venerunt. A Pyrricho ad mare deſcendentes, Teuthrane opidum excipit; cuius conditorem produnt incolæ, Teuthrantem Athenienſem. Colunt hi præ ceteris Diis Dianam Iſſoriam. Hæc ille ſententia tenus: in quibus apertè fatetur, Amazones ad Lacedæmonios etiam veniſſe. Quòd autem addit, præ ceteris Diis Dianam Aſtrateam cultam ibi fuiſſe, quia Amazones eo loco à militia vlteriùs proferenda ceſſarint; id mihi non perſuadet. Proprium enim eſt Aſtrateæ nomen Artemidi, non de Græco fonte, ſed de Cimbrico manans; quo celeritas eius in orbita ſua percurrẽda notatur. Scribẽdum quidẽ eſſet cum aſpiratione in principio; verùm eam à noſtris in cõpoſitione omitti, ſæpiùs dictũ. Haſtrat componitur ab Haſt, quod celere; & Rat, quod rotam notat; quia nimirum celerrime ſiderum omnium rotam ſuam abſoluit; qua cauſa Latinis Diana vocatur. Eſt enim in motione cælorum & temporum perpetuo recurſu, quaſi promotor quidam æternitatis, orbes plurimos per prius & poſterius abſoluens. Sicut enim Athana æternitatem rerum cuſtodit, ita Luna æternitatem celerrima & interna motione feruere facit, qua res perpetuò generantur, atque corrũpuntur, neq; vnquã vnam ſeruant formam. Sîey enim circumflexo prioris ſyllabæ ſono, idem eſt quod augeri motu quodam interiore; quod maximè de miſtione dicimus. Se pap dyt, id eſt, puls attollitur, & maius corpus incremento quodam interiore ſumit. Tbrot dyt, id eſt, panis fermenti vi augetur, & molem ſumit maiorem. Hinc Zedyey eſt promouere, & Dytſom fermentum. Ana quid ſit, antè eſt dictum. Luna igitur Diana eſt, eò quòd tempora per prius & poſterius ita temperet, vt tota elementorum miſtio quaſi fermento quodam bulliat, atque feruere nunquam deſinat. Conuenientiſſimum igitur naturæ ſuæ nomẽ ſortita eſt Dea materiæ humidæ præſidens. Eadem à Cimmeriis alio nomine Aſtratea vocatur, eò quòd celerrimè & ipſa ſuum orbem abſoluit, & corruptibilibus omnibus, vt vitæ ſuæ curriculũ abſoluant, cauſam præbet. Verùm vt omnia Cimbrica vocabula plena ſunt rationũ & myſteriorum, nec vnius originis ratione continentur, videtur & aliud quiddã in eodẽ nomine latêre. Aſtratea enim in As & ſtrat reſolutum, & ab As quod pabulum, & ſtrat, quod plateam notat, deductum,

ductum, Lunam ſignabit, ea cauſa, quòd omnibus corruptibilibus eſcam ſubminiſtret. Eſt enim domina humidorum omnium, quæ naturæ opifex, velut pabulũ, calori ſubiecit. Qua cauſa Hudor aquam ſignat Phrygibus & Græcis; quia aqua ſymbolum omnis humoris, alimentum ſit, & conſeruatio caloris, qui rerũ principium agens efficiensque habetur. Sed de hoc alibi. Vtrouis igitur modo reſoluatur Aſtrateæ nomẽ, egregias indicat & ſingulares Deæ proprietates, quas latiùs in iis explicabo, quæ Deorum priſcis nominibus dedicaui. Hoc loco ad id mihi hæc nominis expoſitio conducit, quò demonſtrem Aſtrateam à Cimbris, nõ Græcis, ita indigetatã fuiſſe. Nec difficile eſt ad coniiciendũ, quare Amazonij cognomento Apollo eodẽ loco coleretur: quia nimirũ ab Amazonibus primi hoc ei loco honores ſint cõſecrati. Pauſanias enim prodit, ab Amazonibus à Thermodõte huc profectis putari, hæc ſigna poſita fuiſſe. Benignus ſanè fuit Apollo, qui appellatione hac ſua, perpetuã ſeruauit hoc in loco Cimmeriorũ memoriã, qua nos moniti, & in cognitionẽ veræ hiſtoriæ, & verã Aſtrateæ interpretationem venimus. Dato igitur, hæc vetuſtiſſima eſſe Sparranorũ ſigna, ſtatim ſuſpicio ſuboritur, alia quoq; adhuc vocabula huius regionis ad Cimbrorũ officinã eſſe referẽda. Et vt à Pyrrichi appellatione exordiar, vbi hæc antiquitatis reperi veſtigia, nõ abſurdũ ſit, ſi Phurrich ab Amazonibus opidũ hoc vocatum dicamus; eò quòd lignis ad ignem luculentũ extruendũ magis abundaret, quàm aquis contrario elemento, ad bibendũ. Nam cùm ſiluarũ ſatis eſſet, vnus duntaxat fuit puteus, ad aquam hauriendã. Phur ignẽ Cimbris notat, à quo Græci, Platone teſte, ſuum πῦρ acceperunt. Rich verò vocali lõga, idẽ eſt quod diues. Phur-rich igitur, diues ignis vocaretur. Verùm qua ſunt Cimbri copia, duo prẽterea eadẽ voce monuerũt. Alterum, vt ciuis diuitias quæreret puras citra fraudem & ſcelera: Pur enim nobis citra aſpirationem idem ſignat quod Latinis purum; eò quòd ignis res puras & mundas reddat; de qua nota calor apud Ariſtotelem definitur. Vnde liquet, à Cimbris Latinos, non contrà, accepiſſe puritatis hanc notationem; quia apud illos, non hos, nominis ratio inuenitur. Alterum prẽceptũ ciuitatis nomenclatura indicatum eſt, vt ad agendum ſint feruidi, non tardi atque ſegnes. Celeritas enim & feruor res auget, nec non cõſeruat, & diuitias puras, vtpote labore partas, & dat, & cuſtodit. Phurich enim, ſi Iota in ſecunda ſyllaba breue ſit, feruidum hominẽ notat. Prẽter igitur naturam loci cõmonſtratam, duo ſunt præcepta admodum vtilia huic voci intexta: quod factum profectò videtur à Sileno eo, qui puteum primus commonſtrauit. Deſcendentibus è ſiluoſo hoc loco verſus mare, Teuthrane

occur-

occurrit, appellatione ſua indicans, hic lacrymas propter caput ab Amazonibus fuſas eſſe; eò quòd Thuet, & more Græco, Theut, caput notet, pro præcipuo quoque duce apud nos in vſu: Thray lacrymam ſignificet. Lacrymabile igitur aliquid hic Amazonibus accidit, ob quod vel caput amiſſum ſint lamentati, vel ipſum caput lacrymas effuderit. Siue igitur pugna, ſiue peſte plurimi hic perierint, locus à capitis lacryma nomen ſortitus eſt. Vt cladem hîc magnam factam eſſe credam, facit Diana Iſſor, quam præ ceteris Diis coluiſſe, Teuthranij dicuntur. Ad recuperandum enim robur exercitus, & redintegrandas vires, plurima ſobole opus erat, quam Diana Iſſor copioſam dare poteſt. Præeſt enim rei proletariæ, & ſemen in vtero conſeruat, alit & in molem attollit, ac inde fœtum in lucem producit. Dicitur autem Iſſor, dempta aſpiratione; vti modò in compoſitis docui, frequenter euenire. Coaluit autem vox ex Hiſ & Or: quorum illud idem eſt quod incito & irrito; hoc, principium notat. Hiſor igitur ea de cauſa Diana dicitur, vt principium & cauſam originalem incitet ad humidæ materiæ imprægnationem. Coluerũt enim Dianam ad eum finem, quò feminas ſuas ad multam prolem redderet idoneas. Quocirca non ſolùm, quia diſpoſitione materiæ humectæ cauſam formatricem inuitat, & prouocat, Hiſor dicitur; ſed illa etiam ratione, vt perpetuò incitet ad ſobolem, quæ & ipſa Or nominatur, vti antea dixi. Poſt cladem igitur optimè conſuluerunt Teuthraniis, qui perſuaſerant Dianam Hiſoram colendam eſſe, quò ad multam prolem naturam incitaret. Eſt ſanè Ammiani Marcellini diligentia laudanda, qui Tauricis hominibus Dianam Orſilochen vocari annotauit. Tauricam autem Cherroneſum & loca vicina à Cimmeriis olim habitata fuiſſe, ipſa locorum nomina teſtantur. Orſilache igitur Cimbricum nomen erit, quo Diana inuocatur, tum cùm optabatur, vt parentes viſa prole riderent. Tantiſper enim dum vterus geritur, & dolores deinde ad pariendum adſunt; nullus riſui, multus & frequens fletui locus dari ſolet. Quocirca blando nomine Dianam vocabant, cùm illud notabant, quod in votis Taurici maximè habebant; vt nimirum viſa prole riderent. Or enim ſobolem dici, non ſemel oſtendi. Si idem eſt quod video; Lach idem quod rideo. Ergo Orſilach nihil aliud eſt, quàm ſi quis dicat, ſobolem ſiue prolem video & rideo; vel ad formulam hortantis, prolem vide ac ride: quando vtroque modo licet interpretari, nulla facta litterarum immutatione; cò quòd Si video vel vide; Lach rideo vel ride ſignificet. Vel igitur ipſa Dea ſic poteſt affari parentem, Prolem vide ac ride; vel parens lætus ad Dianam exclamare, Prolem video ac rideo.

Quam-

Quamobrem Hisora tum Luna est, cùm turgentibus humoribus ad Venerem & mares & feminas incitat ac iritat, quò proles inde nascatur. Orsilache verò cùm puerperam sic tuetur, vt proles salua videatur, & eam parentes læto risu & amplectantur & osculentur. Si scriberetur Orsiloche, tum Λοχῆ præteriti temporis esset, nec aliud significaretur, quàm Prolem videns risit. Verùm alterum magis placet. Huc videtur Virgilius allusisse:

Incipe parue puer, cui non risêre parentes.

Et priùs:

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Neque enim de risu Salonini cùm nasceretur, magis in hoc loco videtur locutus, quàm in ceteris omnibus, quæ in illa Ecloga diuina puero attribuit, quamuis Seruius sic interpretetur. Sed in Sibyllæ carminibus videtur fuisse puerum quidem parentibus arrisurum; parentes tamen non risuros, ob diuersas calamitates; & postremò etiam ob infame & seruile genus mortis, quam in cruce subiturus esset. De more igitur Cimmeriorum Sibylla locuta videtur, quod vt magis appareat, versus hi faciunt:

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Lucina enim idcirco dicitur, quòd prolem in lucem producat, quod nomen ab antiqua illa Cimmeriorum Orsiloche translatum videtur: Sibyllam Cimmeriam fuisse, alibi docebo, vt minimè absurdũ sit dicere, eam ad Cimbricam consuetudinem locutam fuisse. Perspicuum est ergo, quare Diana Isora, quare Orsilache vocetur. Stephanus de Vrbibus, à mõte, in quo apud Lacones colebatur, Isoram dictam putat: nec, quamobrem mons ita vocetur, adiecit. Nos, si quis mons Isor locis illis nominetur, eum dicemus à Dianæ Isoræ templo vetustissimo sic vocari, non è conuerso. Cimbri enim, si antiquissima signa Apollinis Amazonij & Astrateæ dedicarunt apud Pyrrhichios; quid ni verisimile sit, Teuthraniis quoque Dianam, licet sub alio nomine, reliquisse, cùm omnia Dianæ sacra, quæ vsquam gentium reperiuntur, à Cimmeriis sint instituta, vti suo loco declarabo. Verùm ne in minoribus opidis hæreamus, quasi in ipsa principe Lacedæmoniorum vrbe nulla Amazonum vestigia restarent, explicandum quid Sparta, & quo sermone dicatur. Habet hoc vocabulum, & admonitionem apprimè sanam, & vaticinium verissimum. Nam Σπαρ-ταῦ nihil aliud est, quàm Parce dẽtibus; quo monemur, & parcè comedendum, & parcè loquendum. Σπαρ enim

parco est vel parce. Τανt, dens; in quo de consuetudine sermonis Tau finale adimitur. Quod si Σpartay vti vocabulum accipiatur, is ita dicetur, qui dentibus parcit. Tales autem Lacedæmonios fore, is prædixit, qui eos hoc nomine nuncupauit. Parcissimi enim in cibis fuerunt, nec minùs parci in loquendo; adeò, vt Laconismus in prouerbium abiuerit. Alcibiades, cui Spartanorum mores notiores erãt, quàm probum hospitem deceret, dixit nihil miri esse, Lacedæmonios mortem contemnere; quoniam talis eorum domi victus esset, vt præ eo optabilis mors videretur. Pleni sunt veteres libri Laconicæ parsimoniæ; tum in victu, tum in sermone decantatæ adeò, nihil vt opus sit multis eam docere. Quod autem dentibus parcere ad loquendi etiam modum referatur, Homerus satis indicauit, dum dixit:

Ποῖόν ἒπτ' φύγεν ἕρκ' ὀδόντων, *id est*,

Quale verbum tibi effugit extra vallum dentium: siue vt versu reddam:

Quale tibi verbum suffugit dentium ab arce.

Sunt enim dentes quasi septum quoddam, quo verba deberent contineri, donec emitti oportunum esset. Deinde est & illa vna dentium vtilitas non minima, quòd eorum obiectu vox formetur, ac articulata & canora euadat. A Σpartay igitur Sparta nomen duxit, moribus alumnorum & ciuium suorum conuenientissimum futurum. Ex eadem origine herba quædam Scythis vocatur Spartanica, qua dicunt famem multo tempore posse vitari. Græci enim admirati, qui tantus hominum numerus sese tam parua copia à fame posset tueri, interrogarunt quempiam, quo consilio, quave ope id præ ceteris gentibus consequerentur. Respondit is Scythicè, id est, breuiter & acutè, esse ipsis herbam quandam, cuius eæ essent vires, vt qui eam haberet, difficillimè is à fame posset cruciari. eam vocari Spartanicam. Optimè certè Scytha. Nam nunquam ferè in famem incidet, qui dentibus parcit. Quod Græcus non intelligens herbam finxit, cuius esu fames non sentiretur; eamque Alimum nominauit, ἀπὸ τῆς λιμοῦ, id est, fame, & particula priuante. Quisquis igitur ille fuit, qui Dioscoridi magna diligentia varias herbarum appellationes adiecit, deceptus est Halimi & Alimi similitudine; quæ duo vocabula solo spiritu distinguuntur. Halimus simplex est, ab Hale, id est, sale, deriuatum, fruticem significans sapore subsalso, & locis salsis gaudentem, quem in Hetruria plurimum vidimus. Huius esu, vt salsoram omnium, copiosum lac gignitur, iuxta illud Virgilij:

At

At cui lactis amor cythisum, lotosque frequentes
Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas.

At Alimus vox composita, & tenui spiritu prolata, eam herbam notat, quæ nos à fame seruare potest; ab historiæ, vt opinor, aliquo scriptore de Scythæ cuiuspiam relatu accepta. Pulera sanè allegoria vsus est, quisquis Græco sic respondit. Nullum enim præsentius & certius aduersus famem remedium est, quàm parcissimo victu vti. Nam qui eo se sustinet, is duo consequitur; vnum, vt quamplurimũ in posterum reponere & condere possit; alterum, vt consuescat paucis contentus esse, quod vbi nactus fuerit, vitam agit suauissimam. Bene namque princeps ille Philosophorum monuit: Vitam elige optimam, suauem reddet consuetudo. In tenuitate autem victus non illa tantùm suauitas est, quam consuetudo parere solet; verùm & hæc, quod quàm minimis molestiis & curis, minimoque labore opus sit ad eam, quam dicimus, frugalitatem. Agnouit hoc Socrates, dum in magno variarum rerum mercatu exclamauit: Quàm multis non indigeo! Deinde nemo maiore voluptate fruitur inter edendũ, quàm qui à frugali cœna ad frugale prandium accedit. Semper enim famem ad mensam adfert, condimentum omnium delicatissimum. Hinc Timotheus, cùm apud Platonem philosophico tenuiq; apparatu cœnasset, postridie gratias iterum egit, inquiens: Qui apud te cœnant, non in præsens tantum bene excipiuntur, sed in posterum etiam diem bene tractantur. Indicabat prudẽs Imperator, eò sibi prandiũ suauius fore, quòd pridie parcè cœnasset. Attulerat enim è Platonis conuiuio optimũ condimentũ ad prãdium secuturum. Hoc Socrates quęsiuit, dum interrogatus, quid ageret tanta exercitatione; respondit, se famẽ obsonari; intelligens videlicet, hac nullam promulsidem ad palatum stomachumque acuendum esse præstantiorem. Sed audiamus Ciceronẽ de hoc victu, suis verbis loquentẽ: Quid, victũ Lacedæmoniorum in Phiditiis nónne videmus; vbi cùm tyrannus cœnauisset Dionysius, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum? Tum is, qui illa coxerat, Minimè mirum, inquit; condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota; fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Infinita sunt apud alios etiam auctores, quibus doceri queat, summam voluptatem è tenui victu proficisci. Verùm ea adducere superfluum sit. Quis enim nescit, quanto magis esurientem cœna delectet, quàm eum, qui adhuc de prandio plenus est. Nunquam sitiit, nunquam esuriit, qui hanc oblectationem nunquam sensit. Nec verò hæc mensæ tenuitas ad curas molestiasque amolien-

das,& famem propulſandam, & voluptatem conciliandam tantum valet,quantum ad integram corporis valetudinem vel acquirendam, vel conſeruandam. Quando igitur ſanitate corporis, à qua mentis quoque ſanitas pendet,nihil eſt precioſius;quanta,bone Deus, tenui frugaliq́ue victui beneficia debentur! Hippocrates omnem agendi rationem ad ſanitatem referendam duobus concluſit, ἀκορίη τροφῆς & ἀοκνίη πόνων,quod pari breuitate Latinè nō expreſſero. Eſt eius itaque ſententia, omnem bonæ valetudinis rationem duobus contineri; altero, vt alimentum capiatur citra ſaturitatem; altero, vt ad labores corpus impigrum habeatur. Quàm rectè medicus hic cum hoc Scytharum præcepto conuenit, apud quos plurimum ſemper fuit laborum,& minimum eſcæ, quæ ea menſura dabatur, vt ſtomachus ſedatus non exſatiatus eſſet. Polybus Hippocratis diſcipulus tanti ſanitatem intelligentiſsimo cuique faciendam putauit, vt ipſe ſibi ea adminiſtrare ſciret,quibus iuuaretur.Mirum ni & illud ab eiſdem,quibus Spartanica herba celebratur, didicerit, à quibus ἀκορίην τροφῆς & ἀοκνίην πόνων magiſter acceperat. Vno enim Spartanici nominis præcepto omnia ſunt complexi,quibus integra valetudo conſtaret. Videmúsne igitur, ipſa ſtatim huius herbæ appellatione nos moneri omnium eorum, quæ ad beatè viuendum ſunt neceſſaria? Si enim dentibus parcamus, nunquam famem ſentiemus; eò quòd ſemper ſatis erit repoſitum ad naturæ neceſsitatem. Si dentibus parcamus, paucis opus erit; ad quæ pauca, nec moleſtiis magnis, nec curis venietur. Si dentibus parcamus,ſemper cum fame edemus,ſemper cum ſiti bibemus, atque ita vitam agemus in ſumma voluptate. Si dentibus parcamus,perpetua corporis integritate perfruemur,qua nihil eſt homini in hac vita precioſius. Quia denique corporis temperamenta mores ſequuntur & ingenium; nemo ad contemplandum erit magis idoneus, quàm is, qui quàm parciſsimè viuit. His conſentit votum Horatianum,quod ſplendidioribus reiectis, ita ad Apollinem corporis & mentis medicum concluſit:

——Me paſcunt Oliuæ,
Me Cichoræa,leueſque Maluæ:
Frui paratis & valido mihi
Latoe dones,& ,precor,integra
Cum mente:nec turpem ſenectam
Degere,nec cithara carentem.

Nam omnia quæ optat, talia ſunt, vt ad ea conſequenda herba Spartanica ſatis eſſe vel ſola videatur. Spartanica igitur bene alimus

eſt,

est, id est, à fame defendens; sed non alimus tantùm, verumetiam totius vitæ suauitas. Atque hæc quidem de Scythica allegoria: de qua cùm nomen ad herbam applicabant, eam sic describebant, vt exterius quidem horrida esset atque spinosa, radices tamen occultas haberet plurimas & dulcissimas, quas qui gustaret, nunquam neq; fameret neque sitiret. Græci igitur non Alimum modò, sed Glycyrrhizon etiam verterunt à radicum dulcore, & quia sitim quoq; prohiberet, Adipson item nominarunt. Scythæ quidem ad allegoriam & tesseram parsimoniæ tenuisque vitæ spectantes, herbam conspicientibus horridam, spinosamque videri aiunt: at si quis ad radices vsque penetrasset, tum dulcissimam inueniri: quia vbi quis tam diu frugali vitæ assueuerit, vt longa consuetudine radices ea egerit, per animum & corpus penitus insinuatas, tum mirum dulcorem gustantibus offerre sentitur. Ex hac fabula Scytharum peruetusta, factum est, vt Glycyrrhizon Scythicam hanc herbam esse putarent. Theophrastus Scythicam radicem vocat, addens & dulcem dici, & ad Mæotim nasci, atque ea vna cum Hippace Scythas ad multos dies aduersus sitim tutos esse. Dioscorides vnum Glycyrrhizæ genus describit, cui folia Lentisci, & pilulas Platani pilulis similes, adscripsit; quod nos etiam conspeximus; & radices dulces illas quidem, sed maiore adstringendi vi præditas sensimus, quàm sint radices Glycyrrhizæ vulgaris, quæ pilulas hirsutas non producit. Nouimus igitur duo Glycyrrhizæ genera, sed neutrum folia spinosa habet. Quos igitur Plinius auctores legit, apud quos inuenit Glycyrrhizo folia spinosa esse, perinde atque Eryngio & Carduo; ab Eryngio tamen diuersam statuens, inter aculeatas refert & sic depingit, vt folia det echinata, deceptus nimirum, quòd aculeata folia habere dicens, non potuerit foliâ ἄχνου dare, quæ spinosa non sunt. Pro illo igitur, quod Dioscorides habet φύλλα ἀχνῳ ἐοικότα, legit ἐχίνῳ ἐοικότα. Si ad pilulas retulisset, non malè hanc similitudinem dedisset, sed foliis tributa totam descriptionem reddit mendosam. Reliqua autem è Dioscoride adiecit. Radix igitur dulcis nostra vulgaris, nec Dioscoridi, nec Theophrasto nota videtur fuisse; at illa duntaxat, quæ Platani pilulas habens, plus habet virium ad stringendum. Ei Theophrastus & Plinius famis sitisque propulsandæ vim tribuunt, & idcirco Adipson etiam dici. Plinius autem lapsus est, tum de fabula Scythica ducta occasione, qua de Spartanica, cuius folia sunt horrida & aspera, Glycyrrhizæ quoque talia dedit, putans eandem plantam vtroque nomine significari. Alij fuêre diligentiores: qui quòd Glycyrrhizam hanc spinosa folia minimè habere scirent, aliam herbam quæsiue-

runt,ad quam allegoria propriùs alluderet. Inuenerunt igitur inter alia Eryngij genera vnũ, quod ad mare in arenis plerumq; creſceret, radice tantæ longitudinis, vt radix ſine fine à quibuſdam vocetur. Huius folia ſpinoſa ſunt, & radices dulces & aromaticæ, quibus ſaccaro vel melle conditis, ad corpus roborandum lumbosque excalfaciendos firmandosq; non pauci vtuntur. Non errarũt igitur illi, quos Plinius reprehendit, qui crediderũt, Eryngion & Glycyrrhizon eiuſdem generis eſſe. Si tamen putarunt Glycyrrhizæ nomen omnibus Eryngiis æquè conuenire, aberrarunt. Maritimum enim hoc, quod dicimus ſuauitate & præſtantia radicum longiſsimarum, omnibus ceteris antefertur; atq; ita Glycyrrhizon, vel potiùs ad diſtinctionem aliarum radicum, Eryngion Glycyrrhizon dicetur. Nos autem maritimum idcirco vocamus, quòd in litoribus, & maximè naſci apud nos gaudeat, & longiſsimas ibi radices in terrã demittat. Huic igitur maximè conueniat Spartanicæ Scythicæ deſcriptio, atque idcirco ſi fabula ad herbam, perinde atque in moly factum eſt, ſit traducenda, nulli potiùs herbæ, quàm huic Eryngio, quadrabit. Germani Eryngion *Manſtrou* vocant, quo fiducia virorum ſignificatur, quæ non cum ſymbolo meliùs conuenit, quàm cum ipſa planta. Sicut enim Spartanica freti, optima ſunt fiducia ad omnia quæ accidere poſſunt; ita viri Eryngio comeſto, fidunt ſe bonis lateribus fore ad maſculum munus exequendum. Videmus hic quæ anſa erroris Plinio data ſit, vt deſcriptionẽ Glycyrrhizæ corruperit: deinde quę cauſa ſit diuerſitatis opinionũ de herba Scythica, qua famem tolerare ſe iactant. Eadem cauſa Moly dubiũ reddidit, quod ex Homeri fictione ad herbã aliter ab aliis fuit tractũ. Nunc igitur ad illud, quod antè dixi, non bene factum eſſe, vt è Spartanica fieret Halimus, cùm Alimus priſca interpretatione diceretur. Quòd igitur adiectum eſt in nominum apud Dioſcoridem diuerſitate, Halimum à quibuſdam Britanicam dici, id prorſus eſt corruptum. Nam cùm anteà ſcriptum quiſquam legiſſet Alimũ Græcorum alio nomine Spartanicã vocari, nec aſſequeretur quid Spartanica ſibi vellet, non aliud habuit coniicere, quàm ſcriptam perperam eſſe Spartanicam pro Britanica; & ita dixit Alimum Britanicam quoque nominari: bis impingens, ſemel, Halimum cum Alimo confundendo; iterum, pro Spartanica falsò Britanicam ſupponendo. Et quia Aſphodelus quoque famem fœcundiſſimo radicum prouentu maximè leuat, dictus eſt & ipſe Alimus, quòd famem defendat. Huic igitur Alimo cùm adſcriptum quiſquam legiſſet, Albucum Romanis dici; in eum venit errorem, vt Halimo Dioſcoridis adſcriberet, Albucũ eum à Romanis nominari.

Aſpho-

Asphodelus sanè Alimus Græcis sit, atque Latini Albucum vocent; minimè tamen inde efficitur, Halimum quoque Albucum vocari. Quamuis enim lac copiosum gignat, non tamen hominum cibo est idoneus, perinde atque Asphodelus, qui numerosa vaporum sobole ad octogesimam aliquando adscendente, largissimum aduersus famem præsidiũ præbet. Sed de his copiosiùs in iis, quæ in Historiam plantarum annotauimus. Reuertamur nunc ad Spartanorum vetustissimum nomen, quod à Cimmeriis eadem ratione inditum est, qua fabulam de Spartanica confinxerunt. Id autem ita esse, cùm de moribus in edendo, tum etiam de loquendi consuetudine clarum est ei, qui Laconismi non sit oblitus. Menelaus Spartanus qualis fuerit in dicendo, Homerus diligẽter annotauit: quo loco Vlysis orationem copiosam, & in modum torrentium niuibus auctorum fluentem, cum eius breuitate comparauit: n

Αλλ' ὅτε δὴ μυθοις, καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον,
Ἦ τοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπὶ οἱ πολὺ μυθος
Οὐδ' ἀφαμαρτοεπὴς, εἰ ἡ γένος ὕστερος ἦεν.

Quæ ferè ad verbum ita vertebam:

At cùm consilium populo & contexere verba
Vellent, tum cursim & breuiter Menelaus agebat
Pauca quidem, sed acuta tamen; sermone quòd arcto
Non multo nec aberranti gauderet; vt esset
Iunior & multo post diuum natus Vlyssem.

Hîc cernimus, valde olim atque adeò ab ipsa gentis origine breuitatis acuminisque studium Laconibus fuisse. Non igitur in edendo tantùm dentibus parcebant, sed & in loquendo; atque idcirco bene sunt Spartani nuncupati. Nam eo nomine ad frugalem vitam copiosa & elegans exhortatio continetur; atque præter eam vaticinium etiam, quo tales fore, quales nomine feruntur, primus ille siue Silenus fuit, siue alius quisquam Onomatopœus prædixit. Sed quòd à Græcis hæc nomenclatura, & eius causa non intelligeretur, constituerunt Cimbri, vt quotannis sympositum siue epulũ fieret, quò quisq; cœnã suam adferret, quo se parcè & mundè domi viuere doceret. Quàm verò frugaliter in conuiuio eo se tractarint, Cicero docuit, qui caput cœnæ ius nigrũ esse dixit, quod Dionysij palato nõ sapiebat. Magnũ momentũ ad parsimoniã habuit in publico epulo ciuitatis, nihil lautum, nihil opiparum, nihil exquisitũ apponi.

Quis

Quis enim domi ſuæ ſe delicatiùs tractare non vereatur, quàm videret Ephoros & ſupremos ciuium in feſta excipi comeſſatione? Si quis verò tam egenus eſſet, vt cœnulam ſuam in commune adferre non poſſet, eum iudicabant nec ad publica officia admittendum, neque omnino Spartanum eſſe. Nemo enim, qui manibus frequentiùs & diligentiùs, quàm dentibus vti velit, eò poteſt inopiæ peruenire, vt nequeat ad hanc tam tenuem menſam honeſtè accedere, ſemel ſaltem in toto anno. Si quis ergo talis eſſet, eum meritò, vti ignauum pecus, & telluris inutile pondus, à Reipub. negociis excludebant. Qui enim paruam domunculam & ſuum ſolius munus adminiſtrare decorè non poteſt; quo, rogo, pacto communitatis negocia tractabit? Vel hoc igitur nomine, vel quia egeſtas peſſimus eſt conſiliarius ad publica officia citra præuaricationem, ſuppilationem, peculatum, proditionem, & id genus peſtes bene rectéque peragenda, eiuſmodi homines ab omni ciuitatis miniſterio excluſerunt. Erat igitur in eo conuiuio tacita quædam cenſura, quæ cùm è parco, mundoque & veſtitu & victu, tum è moribus inter edendum bibendumque iudicabat, qualis quiſque ciuium habendus eſſet. Quocirca hic dies, ſi rectè ſupputemus, quaſi natalis ciuitatis poterat haberi, eò quòd memoriam refricaret originis, à qua nomen Spartani traxêre. Hoc verò quo Græco etiam ſermone cognoſceretur, feſtum hoc & ſolenne epulum Phiditia Cimbri nominarunt, à φείδομαι, quod eſt parco. Siue enim conuiuium Cimbricè Spartanicum, ſiue Græcè Phiditia voces, idem dicas. Vide, quæſo, quàm nomen vrbis & epuli ſolennis, quod ad conditoris & inſtitutorum ciuitatis memoriam fiebat, inter ſe conſentiant. Quòd ſi hæc Ariſtoteles, vti nos expoſuimus, candidè examinaſſet, non tam iniquè Phiditia carpſiſſet. Hic enim in Politicis è communi potiùs, vti apud Cretenſes fit, epuli ſumptum fieri debere putat, quàm à ſingulis cœnulam adferri: propterea quòd quidam pauperiores eſſent, quàm vt impenſam hanc ferre poſſent, atque idcirco excluderentur. contrà igitur euenire contendit, quàm legiſlator voluerit. Cùm enim popularem ſtatum hac comeſſatione confirmare niteretur, eum hac ratione diſſolui. Eſſe enim patria lege definitum, qui tantulum vectigal ferre non poſſet, eum ad officiorum communionem non eſſe admittendum. Pauperes igitur hoc modo à Repub. remoueri. Non rectè expendit Ariſtoteles, nec nomen Phiditiorum, nec ſcopum legiſlatoris. Quamuis enim inter ceteras cauſas vna eſſe potuerit, vt communi hoc ſympoſio æqualitas quædam in populo ſeruaretur, non tamen ea ſola fuit. Præter enim hanc & illa fuit, quam nomen indicabat, vt in perpetua parſimonia & mundo victu

victu ciues manerent, atque tantum laboribus & industria facerent, vt honestè decoreq; communi comessationi interesse possent. Quòd verò ignoraret Phiditia Spartanam originem in memoriam reuocare, non magis accuso, quàm quòd Cimbricam linguam nesciret. Verùm mirum non est, ab hoc auctore conuiuium optima atque prægnantissima, vt sic dicam, ratione institutum, reprehendi; cùm plurima veterum aurea dicta suo modo ea interpretatus calumnietur; vt meritò à Platone pullus equinus dictus sit; qui vbi lac matris ad satietatem exsuxerit, mox auersus calcibus eam impetit, haud aliter, atque si maleficium, non alimentum accepisset. Est hoc vitilitigatorũ proprium, in alienis diligenter inquirere, quod in peiorem partem queant interpretari, vt dum alios maledictis figunt, ipsi soli sapere videantur; quam artem hæretici nostri, quamuis philosophiam contemnant, ab eius tamen magistro videntur accepisse. Laudemus igitur Phiditia veterum Spartanorum, ad memoriam conditæ vrbis, & veræ originationis, tum etiam ad frugalitatem & mundiciem, nec non ad amicam & æquabilem societatem inter ciues retinendam, prudenter inuenta: nec credamus Peripatetico dicenti, Andria priùs quàm Phiditia nominata fuisse, cùm Phiditiorum nomẽ de nomine vrbis manarit. Patrum memoria ad festum Diui Ioannis Baptistæ, in opidis simile quiddam fieri solet, dum vicini collatis misibus & ferculis communem mensam sub dio in platea adornabant, ad quam læti & hilares simul epularentur. Nec pudebat quenquam tenuissimam cœnulam adferre, modò id non ab auaritia & sordibus, sed à paupertate proficisceretur. Immò contrà laudabantur illi maximè, qui frugaliter, sed mundè, sua cõmunicassent. Vidi ipse Parisiis morem hunc à Francis susceptum anno quadragesimo secundo supra millesimum & quingentesimum adhuc durare; & in Geldria etiam nonnullis locis fuisse obseruatum, sed à tenuioris duntaxat fortunæ ciuibus. Ditiores enim ab æqualitate lubenter sese eximere solent, atque omnia aspernari, quibus possint videri ceteris nõ esse meliores: atque hac causa cõsuetudo prisca hæc pæne est abolita. Sed loco eius succesit festus dies consecrationis templi, quem *Karmes* nominamus. Sicut enim Phiditia nuncupationem & dedicationem vrbis Spartanorum referebant; ita hic dies commemorationem refert templi consecrati. Sed de *Karmes* significatione alibi, atque id longè aliter, quàm vulgus arbitratur. Habemus ergo veram Phiditiorum interpretationem atque causam, vt à nemine hactenus intellectam, ita cum Spartanorum nomine prorsus conuenientem. Sed quæret quisquam, qua de causa Lacon Spartanus nominetur. Poteram di-

cere, nec omnia nomina Cimbricæ antiquitatis esse, nec si essent, omnium mihi causas explicandas. Satis enim videri, si Cimmeriorum reliquias aliquas saltem inuenerim, in tanta vetustatis obscuritate. Verùm elegantia & summum artificium in hoc nomine à me deprehensum, non patitur se silentio premi. Deinde si exponatur, non solùm ipsa per se vox lucem accipiet, sed iis quoque, quæ de Sparta dixi, magnum addet firmamentum. Quisquis enim Spartanus verè iuxta interpretationem meam dici potest, is etiam Lacon erit vocandus, pro eo atque originatio postulat. Idem enim est Lacon in lingua Cimbrica, quod Latinus non admodum fortasse Latinè dicere posset, Defraudo defectum siue consumptionem; vel defraudator consumptionis & defectus. Lac enim idem est quod deficio, vel consumor: Loy verò vocali longa, idem est quod decipio & defraudo. Lacon igitur, reiecta aspiratione, de more iam sæpiùs annotato, nihil aliud est, quàm defectus & deliquij defraudator. Quis verò defraudat, vt ita dicam, deficientiam & rerũ consumptionem, si non is, qui dentibus parcit? Nihil enim res magis conseruat, quàm parsimonia; in qua summum esse vectigal, si quis dicat, optimè, iudicio meo, dixerit. Bene igitur exclamatum est ab eo, qui dixit: O Dij immortales, non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit parsimonia! Quod nescio, an ex suo sinu, an ex Hesiodo acceperit:

Οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ Ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. *id est,*
Nec norunt quanto sit toto dimidium plus,
Nec quanta vtilitas in Maluis Asphodeloque.

Quid enim aliud Asoræus pastor hîc canit, quàm in tenui victu & parsimonia tantum esse momenti, vt qui hac virtute præditus sit, facilius dimidio sit victurus, quàm alius toto? Solent olim Cimmerij herbis plurimùm vesci, vti alibi notaui; atque id facere, cùm ob dotes ac naturæ varias facultates, tum ob id, quòd cibus paratu facillimus esset, ac ab ipsa natura nobis vbique obiectus. Inter ceteras autem herbas Malachen & Asphodelum maximè celebrabant, propterea quòd vtriusque maxima esset copia in iis regionibus, vbi priùs habitarunt, quàm ad frigidam Septentrionis plagam commigrassent; atque adeò hæ duæ herbæ ab ipsis apud Græcos sunt decantatæ, vt hactenus etiam Cimbricis nominibus vocentur. Malache dicitur à Malach, quo significatur risus conuiuij. Mal enim vocali longa, conuiuium ordinarium significat: vt cùm dicimus,

Moen-

Moenmaſ & Nuoittmaſ, id eſt, conuiuium meridianum, & conuiuium veſpertinum, pro prandio & cœna. Lacſ, dum vocabulum eſt, ſiue, vt Grammatici dicunt, nomen, riſum notat. Malache igitur inde nomen habet, quòd qui ea veſcitur, ridere poſſit; ob eam nimirum cauſam, quia pranſus ſit citra ſumptum; de quo dolere plerique conſueuerunt, dum ſic prandent, vt vix tribus pòſt diebus ridere queant: quia grauis impenſæ & viribus maioris non poteſt eos non pœnitere. Eſt igitur hæc vna & maxima vtilitas, quòd Malache ſic hominem excipiat, vt hilarem & ridentem dimittat, quod cœnæ Apitianæ non ferè facere conſueuerunt. Prætereà ridentes dimittit, quòd corpori ſit ſalubertima, non vna atque altera, ſed multis præclaris dotibus. Præter enim id, quòd cibus ſit temperatus, modicè calidus & humidus, & facilis ad alendum & excernendum, medicamenti etiam tam præſtantes habet vires, vt Plinius è priſcis tradiderit, eum, qui ſucci huius herbæ dimidiatum cyathum quotidie ſorpſerit, eum ab omni morborum genere liberum fore. Volumen integrum addendum eſſet, ſi omnem medendi rationem ſigillatim per membra corporis humani, ex hac herba petendam, explicare vellem. Meritò igitur riſus conuiuij nominatur, quando tantam lætandi, gaudendi, & in ſinu ridendi præbet materiam. Attamen ſi quis ſit moroſior, quàm vt alterũ Lambda de more Cimbrorũ, quem alibi expoſui, in compoſitione tolli patiatur, is faciet, vt apud æquos iudices gemina nominis ratio conſtet; altera quidem, quam dixi; altera, quæ nullam habeat litteræ in medio ablationẽ, Malachen ſic interpretatura, quaſi diceretur, Maſ acht, id eſt, magni facito conuiuium; in quo ſcilicet Malua apponitur pro opſonio. Eſt enim digna hæc herba quam plurimi æſtimemus; & tam digna, vt conuiuium in quod infertur, dignũ quoque ſumma ſit exiſtimatione, ob eius ſolius gratiam. Vtrouis ergo modo nominis cauſam aſsignemus, id ipſum ſignificabitur, quod Heſiodus verſu ſuo expreſsit, neſcire nimirum homines, quantũ ſit in Malua vtilitatis. Aſphodelus verò litteram caninam è medio abiecit, integrè vocandus Aſphordelus, ab Ns & Phordeſ. Eſt autem Ns vocali longa, pabulum & alimentum. Phordeſ verò ſeu Wordeſ, priuilegium notat; aliquando etiam promotionem: ſed pro illo, poſterior vocalis longa eſt; pro hac, breuis. Eſt enim Wordeeſ pars ſiue portio, quam quis præ aliis capere debet; compoſitum è Wor, quod eſt præ ſiue ante, & Deſ vocali longa, quo pars ſignificatur. Verùm Græci, V conſonante carentes, Phi loco eius ſtatuunt; quo etiam modo à multis pronunciatur, quibus maior ſpiritus, vti virilior, magis arridet.

Asphodelus igitur gemina origine indicat se alimentum esse priuilegiarium. Est sanè ita. Nam pro vna radice bulbosa, quàm plurimas habet; & non solùm alit, sed calorem etiam corporis auget, atque omnia viscera aperit, tum etiam inter ceteras dotes, ad Venerem reddit aptiores. Est ne maximum priuilegium, cùm Napus vnicam duntaxat radicẽ habeat, hanc herbam quadraginta,& quinquaginta, & multo plures etiam proferre, atque eas omnes iis viribus præditas, vt non solùm alant, sed infinitas etiam habeant ad medendum corpori, tum interiùs, tum exteriùs, facultates; ad quas enumerandas non vnus liber satis esset. Hanc Plinius tradit, quosdam Alimum ex Hesiodo vocasse, falsò, vt arbitratur. Non intellexit Plinius, quid sibi vellent, qui hoc Hesiodo adscripserunt; nec inter Alimon & Halimon distinxit. Vt enim modò dixi, Asphodelus reuera Alimus est, propterea quòd hac voce omnes plantæ nominari queant, quæ nos à fame defendunt, atque id ab Hesiodo est indicatum; non tamen Alimi nomine Græco, sed Cimbrico expresso. Liber enim est à fame, qui alimẽtum habet tot modis priuilegiarium, quot Asphodeli nomine significatur. Quisquis autem is fuit qui hoc annotauit quod Plinius refert, eum existimo ab aliquo id accepisse, qui linguæ eius, in qua hæc est notatio, fuerit peritus. Verùm & ipsum Hesiodum, quod de Malua dixit & Asphodelo, credo de Orphico quopiam didicisse, nec satis, si solius linguæ Græcæ gnarus fuit, quid dixerit, intellexisse: quod penitus peruidere nequiret, quantum in his vocibus mysteriorum lateret. Quòd autem dixit ὄνειαρ, id nobis significat Hordes, syllaba posteriore breui. Est enim Hordes siue Phordes, omne id quod nos iuuat & promouet, atque hac via Asphordes idem est quod adiumentum & promotio ad alendum. Procli diligentiam in hoc Hesiodi versu exponendo satis admirari vix possum, qui ex Hermippo de septem sapientibus scribente, & Herodoto, & Platone collegit, Poëtam hic de Alimo esse intelligendum, hoc nomine alimenti quoddam genus significari arbitratus, quod è Malua & Asphodelo conficeretur. Nescio profectò cuius monitu in hanc venerit sententiã; non dubito tamen quin ea à quopiam Cimbricæ linguæ perito in Græciam sit illata. Tzetzes Grammaticorum omnium glorioſissimus Thraso, & memoriæ eruditionisque suæ odiosus buccinator, ineptos aliquot & verbosos Iambos contra Proclum, quem perpetuò sugillat, de Alimo euomuit: quos adscribere placuit; quò cernatur quantâ controuersiâ inter Græcos de Alimo sit quæsitum.

Παλιν

Πάλιν ὁ Πρόκλ. ἐξαποπύᾳ λόγους,
Θέλων διδάσκειν τῆς ἀλίμου τὸν τρόπον,
Αλλ' οὐδὲν εἰδὼς ἀφρικᾶ μάτῃω γράφων·
Αλλ' αὐτὸς εἰπεῖν ἢ διδάσκειν καὶ γράφειν,
Ακων ἀφῆγμαι τοῖς κενοῖς τούτου κρότοις.
Σκίλλης τὸν ὄγκον, καὶ μαλάχης σὺν κλάδοις
Τεμὼν ἐν ὄλμῳ, συγκεράσας καὶ μέλι,
Καὶ ἀσὼν τι βραχὺ πρὸς τροφὴν τῶν μιγμάτων
Οὐκ ἂν πτοήθης τοῦ λιμοῦ τὸ πυρφόρον,
Εἰ συγκεράσαις ἀκριβῶς καὶ πρὸς τέχνῃ.
Εἰδ' οὐ, πρὸς ἅδην οὐ φανεὶς βραδὺς τρέχων,
Σκίλλα γὰρ εἶδε σοῦ ἀτέχνους ὀλλύειν.
Εἰδ' αὐλὸν ἰὸν ἐξενέγκῃς ἐντέχνως
Βράθων ἱκανῶς ἐν χύτραις μεθ' ὑδάτων
Επειτα τερσήνειας αὐγαῖς ἡλίου,
Τεμών τε λεπτὰ συμφυράσαις ζῃ ζάμῳ,
Μέλιτε μίξᾳς καὶ τὸ μήκων ὦ δάκρυ
Πρὸς σαθμὸν οὗ χρὴ κ̓ ποσὸν κ̓ πρός μέτρον,
Ὅπερ γινώσκων ἀκριβῶς οὐχὶ γράφω
Μικροῖς ἐν ὄγκοις ἱκανὸν θρέψεις ὄχλον.

Quæ nos, licet indigna, sic vertebamus:

Rursum Proclus nugas suas hic exspuit,
Volens docere forma quæ sit Alimi:
Frustra tamen despumat haud sciens hilum.
Quare ipse dicere, & docere, & scribere
Inuitus eius incitor plausu leui.
Scillæ grauem molem, atque Maluæ surculos,
Mortario contusa melle misceas,
E qua parum si mistione glutias,
Famem nihil timere debes igneam,
Si diligens ex arte fiat mistio:
At si minùs, Ditem videbis ocius,
Nam Scilla nouit nescios disperdere.
Sed si peritè virus omne exemeris,
Quassans in ollis, dum sat, undis additis,
Radijsque Solis inde desiccaueris,
Probéque fractæ, Sesamum coniunxeris

Cum melle, necnon lacryma papaueris
Ad pondus illud & modum quem poſtulant:
(Hæc vt ſciam, nolo tamen conſcribere)
Fruſtis minutis plurimos enutries.

Neſcio equidem quid hîc magis ſit admirandum, impotensne Grammatici contra Philoſophum (dummodo hunc cum illo eundem eſſe fateamur, qui Platoni doctiſſima commentaria adiecit) odium; an craſſa ignorantia, an verò virulenta inuidia in totum genus humanum, dum medicamentum, quod præſtantiſſimum iudicabat, noluit integrè communicare. Nam dum ineptus hic litterator, Proclum virum optimè de omni diſciplinarum orbe meritum, & totius philoſophiæ ſingulare lumen ignorantiæ matæologia ſua accuſat, ſe ipſe ſupini erroris condemnat, è Scilla Alimum componens. Heſiodus homines neſcire dixit, quantum commodi in Malua & Aſphodelo eſſet: id Proclus ad Alimum retulit, credens ex his duabus herbis Alimum conſtare. At noſter hic cenſor, poſt Proclum è claſſe doctorum deiectum, alimentum nobis, ſi Phœbo placet, è Scilla componit, fundamento in ea totius mixtionis conſtituto. Quid, rogo, hoc eſt, bone Tzetzes? víſne craſſa lentaque pituita cerebrum tuum expurgare, an fortaſsis comitiali delirio tenêris, ad quod medicus quiſquam medicamentum hoc tibi præſcripſerit? Quiſquis ſanè ille fuit, qui hoc conſilium dedit, egregium ſe medicum oſtendit, cùm nihil comitialibus, & lenta craſſaque pituita laborantibus, Scilla ſit conuenientius. Bene igitur facis, dum pondus & menſuram aliis prodere recuſas, quo tu craſsis læmis & viſcido mucco liberatus, ſolus ſapias, & alios veluti deliros ex alto derideas. Ceterùm ſint hæc ira: quid tum poſtea ad Aſphodelum? Nobis de Aſphodelo, non Scilla, quæſtio eſt. Profectò video te vigilem ſomniare; & vt fieri ſolet, ex vna imagine in alteram delabi, diſcernendi facultate dormitante; & id tandem occurrere, quo tibi maximè opus ſit:

Quando canis panes per ſomnia vaticinatur,
Tu Scillas; tandem diſcuſſo diſce veterno,
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina, necnon
Aſphodelus Scillæ, quàm ſit diuerſus & amens
Grammaticus quanto, quàm Proclus, turpius erres,
Quamque Lycambæos indoctè imiteris Iambos.
Sed ne nos nugis in Scillam ſiue Charybdim
Abripias, lautas Scillas tibi ſolus habeto.

Omni-

Omnibus vniuersim medicis Scillæ præparatæ vsus est, ad deiectas frigidi, flaccidiq́ue ventriculi vires corroborandas, & ad appetentiam coquendiq́ue facultatem, nec non boni succi per corpus digestionem adiuuandam; tum etiam ad egerenda superflua, non per aluum modò & vrinas, sed per occultam etiam exhalationem: quibus omnibus fames & cibi desiderium acuitur, tátum abest, vt Alimi & adipsi homines reddantur. Credo profectò arrogantem hunc litteratorem à medico quopiam de Alimo percontatum, responsum se dignum accepisse, medicamento eo contra famem commonstrato, quo nihil est ad famem & appetentiam excitandam præsentius. Ne tamen tam crassè lapsum, & citra omnem erroris occasionem deceptum dicam; addenda est ratio, quę hominem, quò ita crederet, reddiderit proniorem. Legerat, Hermippum vel alium quempiam scripsisse Epimenidem, quem quidam septem Græciæ sapientibus adnumerauerunt, totum diem citra famem & sitim perduransse, exigua Alimi portiuncula deuorata. At ab aliis proditum Scillam quandam inueniri multò quàm illa sit, quæ medicis expetitur, dulciorem, atque idcirco esui aptam: quam quia Epimenidiam cognomento dici videmus, coniectare licet Epimenidem hac famem depellere consueuisse, ac hinc de nomine eius sortitam esse appellationem. Et poterat quidem Tzetzes hac ratione excusari, si Alimon Epimenidis proprium Scillam esse dixisset; at ipsemet suis iambis se strangulauit, de ea se Scilla agere canens, quæ homines præparationis artificiosæ ignaros, præsenti veneno ad Orcum detruderet: quod in Epimenidiam Scillam non magis quadrat, quàm in bulbos, cùm æquè illam atque hos prisci auctores dixerint edules. Nec verisimile est, Epimenidem Creticæ philosophiæ principem, & Spartanæ parsimoniæ, quam è Creta deriuant, exemplar, illud sibi alimenti genus elegisse, in quo parando multo & accurato labore, & longo tempore, & operoso apparatu opus esset. Iam, quamuis fateremur Scillam medicam & minimè inter alimenta admittendam, sic parari posse, vt tandem omni acredine victa ad edendum fiat apta; nihil tamen inde Tzetzes adiuuabitur, cùm Hesiodus non Scillæ, sed Asphodeli, fecerit mentionem. Proclus vt diligenter hic versatus est, ita non video, qua de causa tertium de legibus Platonis librum adduxerit; in quo, licet Epimenidis nomen inueniatur, nihil tamen de eius vel Alimo, vel Adipso, vel frugalitate proditur, nisi memoria & oculi me fefellerint. Primo libro eius item meminit, sed de vaticinio duntaxat eum laudat, quo post decem annos Persarum in Græciam expeditionem fore prædixit, sed talem, vt infausta Persis esset. Melius secundum de Repub. siue iusto librum ad Alimum

mum nutrimentum accommodaſſet, in quo Socrates non ex Aſphodelo & Malua ſolis, ſed ex maza & pane, vel è tritico, vel ex hordeo factis, ciues ſuos paſcit, quibus opſonia addit, ſalem, oleas, caſeum, bulbos & olera: & ne bellaria opiparæ huic cœnæ deeſſent, ficum, cicer, fabam, baccam myrti, & glandem adiecit; in quo numero Epimenidion & Aſphodelum ſub bulborum, Maluas ſub olerum genere comprehendit: cuius dipnoſophiam Glauco deridens, eam victus rationem porcorum ciuitatis propriam eſſe dixit. Eſt ita ſanè, hanc diætam quoque Spartanicam Cimbricè, & Alimon Græcè dici poſſe: verùm neutrum horum nominum apud Platonem vidi expreſſum. Quem verò Herodotum ἐν τῷ τρίτῳ τοῦ καθ' ἡρακλέα λόγου, Alimi meminiſſe dicat, alius mihi exponat, cui contigerit bibliothecam videre copioſiorem. Nos ex his coniicimus, peruetuſtam Spartanicę, Scythicæ, & Alimi apud Græcos fuiſſe mentionẽ, ſed cùm Cimbri parſimoniam ea notaſſent, nec id Græci intelligerent, alios aliis plantis nomẽ accommodaſſe, quemadmodum in Moly quoque contigiſſe opinor, qua voce, cùm laborum moleſtiarumque patientia, tolerantiaque Orphicis notaretur, Græci poſteà herbam quæſiuerunt, cui Homeri deſcriptio conueniret, vt alibi latius exponam, dum de diuinis & humanis vocabulis quædam, hactenus omnibus ignota, enarrabo. Quãuis igitur diligens hîc Proclus fuerit, non magis tamen eſt veritatem, quàm Tzetzes, aſſecutus: licèt vterque non inutilem antiquariæ Alimi cognitioni mouerit ſuſpicionem, quæ & mea confirmauit, & Epimenidion quale ſit, & vnde dictum, ſuggeſſit: quod ſi Epimenides Alimon appellauit, vt ex hiſtoria, cuius Proclus meminit, coniicio, crediderim ſanè eum hac voce ad Cimmeriam philoſophiam alluſiſſe; cuius fuiſſe non imperitum, id argumento eſt, quòd de Curetum & Corybantum generatione multa millia verſuum ſcripſiſſe dicatur. Corybantes enim & Curetes, vt nomen, ita & originem è Cimbrica Theologia ſumpſere: quod in Francorũ antiquitatibus breui, ſi cuius fauor adſpiret, edendis annotaui. Quid, an non ipſum Epimenidem Cretenſes Curetem nominauerũt? Quod cùm Laërtius teſtetur, quid ni ſuſpicer eum vel Cimmerium origine, vel à Cimmeriis edoctum fuiſſe? Demetrius tradit cibi quoddam genus à Nymphis accepiſſe; cuius exiguo momento ſumpto, neque excernere deinde, neque comedere viſum eſſe. Quiſquis autem fuit, rhizotomus, & herbariæ rei perquam ſtudioſus fuit; quod Diogenes quoque indicauit, vt mirum videri non debeat, edulem Scillam ab eo nomen accepiſſe. Sed ſatis iam Scillarum, Maluarum & Aſphodeli: redeamus ad Laconem, quem dicimus defraudare defectũ, eò quòd nihil illi ſit defuturum,

qui

qui norit dentibus parcere, perinde atque Spartanis, in primis fuit vrbis institutis. Egregiè igitur decipitur defectus, cui nullus locus apud Spartanos dabatur. Melius igitur & prudentius dixisset, suum defraudãs defectum, is qui dixit, Quòd ille vnciatim vix de demenso suo suum defraudãs Genium comparsit miser. Nam qui vnciatim cõparcit, is Genium suũ minimè defraudat, sed promouet ad genus vitæ beatius, quod in parsimonia cõsistere paulo priùs ostẽdi. Immò verò facit, vt Genio nihil vnquam desit, etsi naturæ conuenienter viuere, & semper suauissimè comedere & bibere Genio gratum est; nihil ei potest accidere optatius, quàm eum, quicum agit, parcè sibi alimenta administrare, quò nunquam desit condimentum cibi & potus delicatissimum. Mirabile est igitur, quàm nihil magis deliquia rerum necessariarum defraudet, atque adeò prorsus è medio tollat, quàm dentibus parcere: quo fit, vt qui Spartanus dicebatur, Lacon etiam ab eisdẽ fuerit nominatus. Est enim hoc nomine merces indicata, quæ parcis hominibus debetur, quæ in illo est, quòd nihil ei vnquam sit defuturum eorũ, quibus ad vitam opus, qui parcere dentibus rectè norit. Lacedæmon verò vox est composita, è Lacone & Dæmone, quo beatus notatur. Volebant enim Cimbri Græca voce indicare, Lacones beatos fore, si ita viuerent, vti vocibus monebantur: propterea quòd iudicarent, è sobrietate & parsimonia, omnium virtutum chorum enasci; quas qui habent, frugi Latinis nominantur. At illa beatissima est Respub. in qua actiones omnes ad rectam rationem, vti à sobriis frugique hominibus fieri solet, diriguntur. Fuit ergo primi huius nomenclatoris, si liceat hac voce ita vti, ea sententia, quasi diceret: Parce dentibus; quibus si parcas, defraudabis defectum & deliquium, & semper necessariorum habebis copiam. Iam si nihil omnino eorum quibus opus est, desit, eris felix & beatus. Præcedat itaque Spartanus; sequetur mox Lacon; tertio loco felicitas perfectum numerum sua præsentia absoluet, Lacedæmonis nomine consignata. Hæc igitur sunt è sacris Amazoniæ antiquitatis scriniis fideliter à me deprompta; quibus hoc fidem etiam adstruit, quod idem Pausanias commemorat: ab Orpheo Thrace templum apud Spartanos conditum esse, Persephonæ Soteræ siue Sospitæ, è regione Veneris Olympiæ. Orpheus ergo Thrax Spartæ fuit, & ibi templum condidit; & nos miramur, Cimmerios eò vsque venisse? Contrà potiùs æstimandum, Treres origine Cimmerios, locorũ occupatione Thraces, primos fuisse, qui agrestem & Barbaram Græcorum vitam, & legibus & disciplinis, & religione castigarũt: quod, cùm de Orpheo & Strymone agemus, clariùs exponetur.

Thracum autem linguam & Cimmeriorum eandem fuisse, iã sæpius est indicatum. Quare autem Persephonen Soteram vocarit, in Deorum expositione declarabo; vbi & illud addam, qua de causa è regione Veneris Olympiæ fuerit locata. Est porrò & aliud clarissimum Cimbricæ vetustatis monumẽtum in Carneo Deo, quem Domesticũ cognomento vocant, in quo auctores ad originem vocãdo, variè se torquent; vt licet apud Pausaniam videre. Nos, quid Carna significet, confestim intelleximus è Car & Ma. Car enim nostras esse cõuersio docet atq; cõuincit, vt pòst paulò demonstrabo in Themiscyra explicanda. Latini igitur à nobis carum suum retinuerunt. Signat enim Car apud nos, quod maiorem in modum amamus. Ma autem, idem est quod propinquum: Carna ergo est id quod non solum carũ nobis est, & vehementer amatum, sed simul etiam propinquũ. Vocarunt igitur Cimbri hoc nomine Apollinem, quòd eius dona carissima cùm essent, propinqua sibi semper optaret, quò corporis & mentis sanitati præsideret, ad vtrãq; calore suo vitali tuendam inuocãdus: & sic quidẽ inuocãdus, vt semper nobis propinquus adsit. Hanc autem vocis significationẽ quasi interpretati sunt, dũ eundem Domesticum vocarunt, quamuis Pausanias non omnino eundẽ esse velit; nõ intelligés nimirũ, quid sibi Carneus Deus potestatis haberet. Meritò Apollo domesticus & propinquus nobis semper optãdus; eò quòd nõ solùm vtramq; sanitatem, sed pacem etiam largiatur; prout Cimbrico Apollinis nomine apertè notari, suo loco ostendam; vbi adiicietur etiã, quare Latini Mineruã Carnam vocarint. Fuit & Liber pater in maximo honore apud Lacedæmonios, qui ad eos, nescio quo Heroë duce veniisse narratur. Quod si verũ est, maximã Spartæ antiquitas esset ad ipsum vsque Scythismũ sursum referenda, atq; ita minimè mirandũ, si de lingua Comeri nomen acceperit. Dum hoc modo paulatim omnem antiquitatum memoriam reuoluo, deprehẽdo omnia in hoc cõuenire; Cimmerios ex eo loco, vnde eos deduxi, versus Asiam minorẽ & Scythiã tum Asiaticam, tum Europæam, & hinc in Thraciã progressos esse; atque rursus inde vlterius plurimas Græcas vrbes, & Italas condidisse: qua de re fieri, vt plurimæ adhuc in vtraq; lingua voces extent, quarum originatio nemini hactenus in mẽtem venit. Græci profectò laudandi, qui fatentur plurimas vrbes & antiquissimas ab Amazonibus nuncupatas esse: quod dum asserũt, quid aliud dicunt, quàm tempus fuisse, quo sic Cimmeriorum res floruerunt, vt præter Scythiam, vnde venerant, totam Græciam quoque legibus & opidis ornarint? Et inter ceteros exosculandus est diuinus Plato, qui ingenuo candore fassus est, quod vel ex antiquis lectio-

ctionibus acceperat, vel ab Ægyptiis & Phrygibus didicerat, plurimas Græcorum voces ab exteris acceptas olim fuisse. Ne debacchentur ergo in me supercilioſi Grammatici, quorum hac ætate maxima turba est, vel Philosophi etiam, si qui nostra procul saltem aspicere dignabuntur, si Athenarum & Spartæ prisca nomina nostram ad linguam sim interpretatus. Vellem equidem in tota hac inuestigatione, vel vnum modò mihi oblatum fuisse, qui vnam saltem micam salis Platonici haberet, quicum licuisset hos labores meos, aut potiùs, vt verum fatear, extemporales hos lusus antè communicare, quàm in vulgus extruderentur. Sed quamuis id non contigit in hac ciuitate, & hoc turbulentissimo & nigerrimo tempore, spero tamen fore aliquem, qui his non minùs, quam ego, delectetur, & cui fortè videbor aliquid meruisse laudis, quòd antiquissimas & nobilissimas totius Græciæ vrbes veris suis conditoribus vindicarim. Discant igitur tandem Græci, quæ causa sit, ob quam tot passim per Græciam Amazonum extent monumenta. Antiquiores verò multo Amazonas fuisse, quàm Herculem vel Theseum Græcorum, vt tempora de his produntur, ex hoc inter cetera colligi potest; quòd Lysias Rhetor primas hominum fuisse dicat, quæ equos adscendere fuerint ausæ, atque hoc suo inuento fretas, plurimas regiones incursasse. Et vt hoc Lysias de Amazonum equitatu prodidit, ita nos credimus non illo tantùm plurimum valuisse, verùm à re quoque nauali egregiè fuisse instructas. Quod Hellanicus Lesbius videtur minimè credidisse, propterea quòd tradat, Amazonas Cimmerium Bosphorum congelatum transiisse, cùm contra Atticam exercitum ducerent. Mihi non fit verisimile, anguſtias illas maris sic gelu concrescere, vt multas equitum turmas ferre possint. Quamuis enim regio frigida sit; non tamen frigidior est quàm Flandria, eò quòd fretum illud vix quinquaginta gradus latitudinis habere cernatur. Antwerpiæ polus vno gradu & viginti scrupulis altiùs eleuatur, & tamen miraculi loco est, si quando Scaldis congeletur ita, vt equitem ferat. Anno abhinc secundo, sexagesimo videlicet quinto vltra milleſimum & quingenteſimum, tantum frigus fuit, vt nulla vnquam hominum memoria maius fuisse credatur. Illo igitur tempore flumen hoc sic adstrictum fuit, vt multa hominum millia cruſta ferret. Videre erat totam ferè ciuitatem super ea lusitare, potare, choreas ducere, & in tentoriis non Baccho modò, sed Veneri etiam indulgere, quo res posteris mirabilior videretur. Quod si simile vel par frigus fuerit eo tempore, quo Amazones hanc

expeditionem fecerunt, fides Hellanico posset adhiberi, si flumẽ quidem queat freto comparari. Sed quando rarum est & portentosum eiusmodi gelu, nihil necesse est ad illud confugere, quo in Græciam Amazonibus transitum patuisse cuiquam persuadeamus; maximè cùm Cimmeriis naues non defuerint, quibus traiecti Ioniam, & totam Asiam vexarunt. Lycophron meminit Amazonis Neptunidis, à qua reliquas quoque Amazonas Neptunidas vocari, Tzetzes tradit. Verùm ego & hanc & omnes Neptunidas appellari arbitror, quia Neptuno essent amicæ, & ab eo non solùm equos dono, sed peritiam quoque nauigandi accepissent. Nam ex Attica dicuntur Italiæ intrasse eam partem, quæ Magna Græcia nominatur: quo verisimile est, nauibus transportatas fuisse, vbi extra controuersiam est, Cletam fuisse ab Amazonibus conditam, quam Crotoniatæ euertisse dicuntur. Cletam autem volunt à Cleta Penthesileæ nutrice nomen sortitam; quod mihi non magis probatur, quàm reliqua, quæ de Græcorum fabulis emanarunt. Satis est constare, Amazonas è Græcia in Italiam deuectas, Cletam in ea condidisse, sed multo priùs quàm Troia obsideretur. Nec mirum est, Amazonas in Magna Græcia habitasse, cùm Cimmeriorum in ea quoque sedes fuisse, sit apertum; vt paulo pòst docebo. Nec verò contentæ Italiæ limitibus & Græciæ fuerunt, sed in Africam quoque videntur traiecisse. Quamuis enim Diodoro placeat has Amazonas Thermodontiacis vetustiores esse; de nostra tamẽ Cimmeriorum è primis locis deductione perspicuum esse potest, id minimè consentire veritati. Deinde quæ ab omnibus ferè, Thermodontiacis tribuuntur, ea Diodorus de veterum lectione Libycis adscripsit. Libycas autem, quia multis sæculis Troiana tempora præcesserunt, vel obliuioni tradiderunt, vel ad Amazonum Asiaticarum nomen transtulerunt. Verùm idem auctor est, Asiaticas in Europam per Bosphorum Cimmerium nauigasse. Si ergo in Europam nauibus traiecerunt; verisimile est, & primis gentium originibus cõsentaneum, è Græcia in Italiam, & hinc in Africam transiisse, atque id multis sæculis, vt ipse fatetur, ante bellum Troianum. Quando autem tanta fuit Amazonum tum virtus, tum potentia, non illa solùm, quæ litterarum monumentis produntur, ab eis gesta credo; sed infinita quoque alia; quorum memoria, propter locorum ingentem intercapedinem, & temporum vetustatem, prorsus est deleta. Nam si Libyam inuaserunt, pari ratione vlteriora etiam arbitror quæsiuisse, & in orbem Atlanticum quoque nauigasse, atque inde ad posteros eius regionis memoriam deriuatam esse; quæ Ægyptiis idcirco tribuitur, vel quia Africæ, è quibus Amazones olim traiecissent, essent vicini; vel quia

anti-

antiquiora apud eos, quàm apud Græcos rerum priſcarum extarent monumenta. An verò Cimbri priùs ex Africa, quàm ex Europa Aquilonari Atlanticũ orbem adiuerint, incertum eſt. Nec certius etiam illud, an Amazones Libycæ à Cimmeriis Italiæ, an à Cimmeriis Caſpiis duxerint originem. Si coniecturis liceret vti, Italicis potiùs hanc expeditionem tribuerem, quòd & propinquiores Libyæ eſſent, & occaſiones maximas haberent traiiciendi, vel quò Chamiſenis probiores mores, atque meliores leges traderent; vel quò Chami iniuriam, tum in Saturnum, tum in Ianum vlciſcerentur. Ex eodem enim genere, & Cimmerij Italiæ, & Cimmerij Ponti deſcenderunt, ita vt parui referat, vtris Amazonibus hæc adſcribantur; modò conſtet, non illa tantùm cauſa peregrinatas per varias regiones fuiſſe, quòd domicilia anguſtiora ſuis in regionibus haberent, quàm numerus ferret; ſed hac item & illa quidem potiſſima, qua Cyrus, qua Darius, qua Alexander, qua Romani varia & longiſſimè diſſita regna inuaſerunt. Inſitum eſt generoſiſsimo cuique animo quàm longiſsimè velle virtutis ſuæ ſplendorem propagare; atque adeò tantus hic eſt ſtimulus à natura inditus, vt Alexandro doluerit, cùm audiret plures mundos eſſe, viribus ſe ſuis necdum potuiſſe vel vnius mundi partes aliquot occupare. Eſt quando hæc impotens dominandi cupido hominum generi maximè conducit, vel ad luxuriem & molliciem compeſcendam, vel ad potentiorum & Tyrannorum rapinas & iniurias coërcendas, vel ad legũ & linguæ communionem & latiſsimè & longiſsimè proferendam, vti Romani fecerunt; vel ad veræ religionis terminos ampliandos, vel ad alia denique, quæ nihil attinet enumerare. Amazones ergo non inutilem quoque operam bellis gerendis impenderunt, totum propè orbem peruagatæ; quo vbique terrarum & ciuitates conderẽt, & vagos inordinatoſque hominum mores legibus & rectis inſtitutis formarent; inter quas Diodorus Ninan, Cymen, Pytanen, Pryneam; Strabo etiam Smyrnam, Myrinam, Paphen, & Epheſum, & neſcio, ſi quam aliam, enumerauit. Ille rurſus complures ab eis in mediterraneis locis conditas aſſerit: prætereà & inſulas vrbibus, & inter ceteras Lesbum Mytilene ornaſſe, quam Myina ſororis ſuæ nomine æternitati nuncuparit; cùm totam Africam & Aſiam ferè armis ſuis ſubiugaſſet. Huius quòque Samothracen eſſe, licet aliter alij de ea ſentiant: Samothracen verò ſacram inſulam transferri. In ea myſteria quæ feruntur, & aſylum ab illa conſtitutum. Tandem à Mopſo & Sypilo neſcio quibus in prœlio interemptam, & ceteras poſt mortem huius, bellis frequentibus vexatas, tandem in Africam reuerſas fuiſſe. Verùm de his qui volet, legat Diodorum. Nobis tum ex his, tum ex aliis, ſatis

conſtat, Amazonas maximam partem orbis peruaſiſse, & vbique iura ciuitatum atque leges reliquiſſe expeditionis ſuæ monumenta: è quibus apertũ eſt, quo animo bella tam diuerſa per omnes regiones geſſerint: ea nimirum cauſa, quò vbique terrarum agreſtis vita & latrocinandi conſuetudo, ad ciuiles hominum communitates traduceretur. Cuius quidem rei clariſsimum eſt indicium illud, quod de natalibus fabulantur. Aiunt Amazonas ex Marte & Harmonia natas: quod haud dubiè non aliud eſt, quàm ſi dicant, ob id Martem patrem imitari, quò matrem ſuam Harmoniam terris omnibus inducant. Harmonia verò quid ſit; vt omnibus eſt perſpicuum, ita quid ſibi hoc loco velit, clarius is videbit, qui de Lacedæmoniorum Harmoſtis cogitabit. Erat is in illa Repub. magiſtratus ad hoc delectus, quò ciuitates Lacedæmoniis ſubiectæ, rectè & concinnè, & legibus & inſtitutis conuenienter gubernarentur; qua ex re diuerſitatis hominum, in vnam multitudinem collectæ, harmonia exiſtit. Homines igitur inter ſe aptare, & legum vinculo colligare, eorum præcipuè eſt officium, qui res omnes ad iuris æquabilitatem referentes, nouos hominum cœtus condũt: ſecundò illorum, qui ſtatui publico labaſcenti, correctione aliqua opitulantur, legibus aliquibus vel de nouo latis, vel in vſum reſtitutis. Quocirca Amazones, cùm hunc ſcopum haberent, quo ſuis armis populos à Barbarie ad ciuilitatem compellerent, non ſine cauſa iactatum eſt, Martis eas & Harmoniæ filias eſſe, vtpote in quibus & illius & huius dotes præ ceteris mortalibus eminerent. Vetuſtam verò hanc de Amazonum ortu opinionem Euſtathius prodidit, addens Harmoniam hanc de Naidum genere fuiſſe; propterea, ni fallor, quòd eam Nympham Thermodontis amnis indigetem arbitrarentur. Illic enim Mars ex Harmonia videtur Amazonas generaſſe, atq; inde, in totũ orbem, belli & Reipub. conſtituendæ, gloriam traduxiſſe. Sed quid ego ineptus Euſtathium Grammaticum teſtẽ denuncio, cùm Apollonium habeam, vnum dè vetuſtis Poëtis, qui hanc ſententiam, è Pherecyde antiquiore vate, carmine celebrauit? Verùm in dicendo teſtimonio ita parum ſibi conſtans fuit, vt principio ſtatuerem ne audiendum quidem eſſe. Scribit enim Amazonides, neq; veri neq; iuris obſeruãtes eſſe, cùm è cõnubio Martis & Harmoniæ prorſus contrariũ ſit intelligendũ. Eius enim Dei quiſq; filius dici meretur, ſi Socrati cum Phædro ad cælos euolanti, & inde deſcendẽti credamus, cuius dos in vnoquoq; maximè elucet. Parum enim refert, ſiue familiares Deorum, ſiue filios nominemus eorum, à quibus expreſſas virtutum imagines acceperunt. In Amazonibus igitur gemina

dos

dos fuit; altera, belli egregiè gerendi; altera, pace per bellum quæsita, ciuitates & Respub. optima consonantia temperandi moderandique; quarum illa Martis; hæc Harmoniæ propria dicenda: nisi quis ita sit obeso ingenio, vt vocum rerumque vim non intelligat. Horum igitur commixtione Amazones nascuntur, in quibus optima cernitur idea, vel condendarum ciuitatum, vel gubernandarum: frustra enim iustitia colitur, nisi adsint arma, quibus & non admissa inducatur, & læsa defendatur atque vindicetur. Audiamus igitur Poëtam, quamuis parum philosophum, aut politicum; & eo veriora dicere putemus, quòd tam simpliciter dixit, vt quæ dixit non intellexerit, nec satis norit fidibus suis accommodare.

Οὐ γὰρ Ἀμαζονίδες μαλ' ἐπιπλέες ἠδὲ Θεμισκὰς
Τίσσαι πεδίον δοιαλίων ἀμφινέμουσαι,
Ἀλλ' ὕβεις σονόεσσα καὶ ἄρεϊ ἔργα μέμηλε,
Δὴ γὰρ ἐκ γενεὴν ἔσαν ἄρεϊ ἁρμονίης τε
Νύμφης. ἣ τ' ἄρηι φιλοπολέμους τέκε κούρας
Ἄλσεϊ Ἀκμονίοιο κὴ πύχας ἐυνηθέϊσα.

id est, vt verti crassè forsan, sed ferè ad verbum:

Nam nec Amazonides veri iustique tenaces
Sunt, quæ Dœantis depascunt æquora campi;
Verùm Martis opus, tristisque iniuria curæ,
Et de Marte quidem ducunt genus Harmoniaque,
Quæ mista Acmonij nemoris per opaca, puellas
Edidit in lucem peramantes horrida bella.

In his campos Dœantios Themiscyrios vocat, à Dœante quodam, vt interpres annotauit, licet aliter quoque intelligi vox ea posset. Acmoniũ nemus ad Thermodontem secundo libro à Pherecyde collocatur. Satis ergo nũc ostensum, Amazonas è Marte & Harmonia genitas esse, nõ alia causa, quàm quòd bella gererent, quò populos ad ciuilem societatem componerent, & Marte cogerent Harmoniam colere ac venerari, tametsi Apollonius satis ineptè atque inconsideratè aliter putarit. Verùm fuit & Harmonia ex adulterio Martis & Veneris nata, quam Cadmo coniunctam fuisse fabulantur; quòd hic dicatur primus Græciam litteris instruxisse, quibus fera ingenia ad humanitatem & concinnos mores mansuescant. Simili igitur ratione Harmoniam Cadmo dederunt vxorem, qua Amazones Harmoniæ filias fecerunt. Nec dispari ratione Strymoni quoque Thracum Regi ex Cimmeriis oriundo, vnam Musarum dederũt coniu-

coniugem; quòd quaſi Hercules quidam Muſagetes, populos, quos bello ſubegiſſet, optimis diſciplinis & Muſica harmonia exornare videretur. Et Amazones quidem cum ceteris vrbibus, tum Athenis conſtruendis aptandiſque ad vtrumque tempus & pacis & belli, tam felicem operam impenderunt, vt in dubium verteretur, Neptunúſne an Pallas plus ciuitati contuliſſet. Verùm, quia ſapientia, & cauſarum cognitio, vnà cum pediſſequis ſuis, plus vbique virium habet, ad ſolidam ciuium felicitatem, quàm maris bellique proſper euentus, figmentum emanauit in Poëtarum nationem, Palladem & Neptunum contendiſſe, vter vrbi nomen daret, atque in eo certamine Palladem ſuperiorem fuiſſe; propterea quòd Olea, Mineruæ donum, equo Neptunio præferretur. Olea autem inter alia, pacis eſt indicium, ob id quòd liquorem ſuppeditet leniſſimum, qui non ſolùm emolliat corporis omnia tum interna, tũ externa; ſed tempeſtates etiam, & maris procelloſos fluctus ſedare dicatur: adeò, vt nullum ſignum præſtantius dari queat ad id notandum, quo animi perturbationes ſopiri leniriq; poſsint. Verùm de Oleæ & Oleaſtri ſymbolis, alibi fortè latiùs. Neptuno equum tribuunt, quòd hieroglyphicum ſignum ſit omnis humanæ vecturæ. Cùm enim in omni vehendi portandique diuerſitate longiſsimè naualis commoditas antecellat, atque ea ſit hominum induſtria inuenta; placuit animal illud eius habere notationẽ, quod ad hominem portandum à natura eſt procreatum. Quocirca duo potiſsimùm nobis equo indicantur, mercatus inquam & bellum nauale; quorum vtrumque Neptunus in primis adiuuat, atque ſuſtentat in maritima ciuitate. Olea verò pacis habet atque agriculturæ ſignificationem. Non mirum eſt ergo iudicatum fuiſſe, dona Mineruæ Neptuni donis eſſe potiora, quamuis hæc eſſent ſuperbiora, & ad amplitudinem vrbis, & Imperij latitudinem promouendam magis accommodata. Cimmerij ergo rectè videntur intellexiſſe finem in omni re, iis, quæ ad finem referuntur, eſſe potiorem; & idcirco pacem & agriculturam mercatui & bello eſſe præferendam. Quorſum enim bellum ſiue mari, ſiue terra geratur, aliò tendit, quàm ad optatum aliquod ocium, quo perfrui nemo poteſt, niſi ab agricultura iuuetur? Nec verò mercatus aliò diuitias quærit, quàm vt iis in pace & tranquillitate quis vtatur: cui quieti agricultura non neceſſaria modò eſt ad victum parandum, ſed ſummo etiam eſt oblectamento. Scimus enim maximos reges, & inter alios duos fortiſsimos orbis Imperatores, ab illo ſummo rerum culmine, ad hãc, tanquam ad ſuauiſsimum vitæ condimentum, ſe contuliſſe. Sed integro opus ſit volumine, ſi hoc argumentum ſit perſequendum. Nobis ſufficit obiter indicaſſe fabu-

fabulæ originem, & ſymbolorum notationem, latiore explicatu iis relicto, quibus hoc ſibi opus ſumere lubebit. Scio equidem, & alibi fortaſſe, dum de Deorum varietate & origine quædam explicabo, oſtendam, Neptuno omnes animorum fluctuationes & procellas deberi, atque hinc Cyclopicam & Giganteam ignorantiam ab eo profluxiſſe, quam Pallas perpetuo bello fingitur oppugnare, ac tandem etiam expugnare; quod loco, vtpote prolixius, relinquo. Hoc ergo Amazonum fuit ſtudium, ab omnibus regionibus barbariem & feritatem profligare, atque ciuitates & iura condere, quò pax & tranquillitas, bonarum artium ſtudia, & ſapientiæ omnis meditationem, in qua ſummum eſt bonorum, alere poſſet, atque promouere. Sic cùm aliæ vrbes innumeræ, tum & ipſæ Athenæ conditæ: quibus nomine vernaculo ſuo Amazones ominati ſunt, precatiq́ue durationis æternitatem. Porrò, vt hoc Amazonum inſtitutum Aſiæ, Europæ, Libyæq́ue fuit imprimis vtile & ſalutare; ita Cimmeriorum imperio firmiter & diu in vna orbis parte conſeruando, non potuit eſſe idoneum. Dum enim in tam diuerſas regiones vires diſtrahebantur, neceſſariò ſingularum partium imbecillitas conſequebatur. Nec dubito, quin Amazones quoque fuerint, qui Atlanticum orbem primi aperuerũt; ſed quia tam olim illuc nauigaſſent, omnis eius nauigationis memoria adeò fuit priſcis etiam ſæculis ſepulta, & Cimmeriis tenebris inuoluta, vt Plato crediderit, Atlanticum orbem iam olim ſummerſum abſorptumq́ue fuiſſe, ac ea cauſa mare extra Herculis columnas ob breuia non nauigari. Verùm cùm iam ſatis longè Amazones deduxerimus, reuertamur ad Amazonum ſedes, in quibus poſtremæ eorum reliquiæ à ſcriptoribus annotantur. Ammianus Marcellinus poſt cladem, quam Athenis finguntur accepiſſe, Amazonas putat ad Thermodontem confugiſſe, atque eo in loco paulatim aucta gente, ad loca genitalia progreſſas, circa Tanaim ad mare vſque Caſpium omnia occupaſſe. Nec malè ſanè, cùm Cimmerij loca ea omnia tenuerint, variis, vt dixi, nominibus vocati. Hinc enim Boſphorus Cimmerius, hinc Cherroneſus Cimbrica, nunc Præcopenſis, hinc promontorium Cimmerium nomen ſumpſit. Cimmeriorum igitur ſiue Sauromatarum vxores & liberi, Amazones dicebantur, atque inde nomen ad omnes aliquando Cimmerios videtur tranſiiſſe, cùm quæ Cimmeriorum ſunt communia, ſolis Amazonibus adſcribuntur, quaſi viri domi deſidentes, omnem belli curam filiis ſuis & vxoribus delegaſſent. Oroſius, quòd tempore ſuo Getæ ſiue Goti loca ea tenerent, quę olim Cimbri ſiue Sauromatæ habitaſſent, Amazonas falsò putat Getarum vxores fuiſſe. Flauius Vopiſcus triumpho Aureliani hæc

adiecit. Ductæ ſunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat, cùm multæ eſſent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat. Mulieres inter viros pugnaſſe contra Romanos facilè confitebor; ſed ex eo conſequi nego, protinus Amazonas dicendas. Omnibus enim iis, qui à Cimmeriis genus duxerãt, cõmune fuit, mulieres nec à bello, nec à cõſultationibus excludere: inter quos cùm Gotthi quoque fuerint, ſiue Getæ, non eſt abſurdum, inter Getas feminas inuentas fuiſſe, quæ viris in prœlio ſuccurrere ſint auſæ. Noſtra etiamnum ætate, non paucæ vxores & concubinæ maritos ad bellum comitantur; ſimiles illæ quidem Amazonibus, ſed Amazones non vocandæ, niſi viros Matas nominemus. Amazones igitur, vt concludamus, tironum præcipuè fuit exercitus, ſiue generatim eorum, qui filij eſſent Matarum, ſiue Sauromatarum, quibus matres & ſorores ſic erant intermixtæ, vt veſtitu non diſcernerentur. Erat autem omnibus pelta lunata, cuius forma indicabant, ſe creſcentem Lunam imitari. Quid enim magis deceat adoleſcentes, quàm clypeis, in quibus ſymbola ſolent depingi, illius Deæ præferre imaginem, quæ non ipſa modò creſcit à Sole diſcedens, ſed omnibus etiam viuentibus præbet incrementa? Cùm igitur à parentibus peltas acciperent, ipſa ſtatim earum forma monebantur, illud perpetuò ob oculos verſari debere, ſemper enitendum eſſe ad virtutum incrementa. Nec potuiſſent præſentiùs hoc monere, quàm ſi ſcuti forma monuiſſent, quippe cuius ille eſſet vſus, vt contra hoſtem pugnanti, nunquam ab aduerſo oculorũ intuitu dimoueri deberet. Siniſtra enim pectoris parte nudi erant, quo monerentur, tam diligentem in læua defenſionem ponendam eſſe, vt omnia reliqua munimenta ſuperuacanea viderentur, ad hanc corporis partem tuendam. Nihil ambitioſius in prœlio ſeruandum, quàm ne ſcutum abieciſſe videamur: quod ne accideret, ſiniſtram mammillam, quæ arteriæ magnæ exortui incumbit, Cimmerij nudam tironibus eſſe voluerunt; quamuis id non illa ſola cauſa, ſed altera etiam faciendum putarent, ne iuuenili furore rapti, ad lædendum eſſent, quàm ad cauendum promptiores, quo nihil poteſt eſſe pernicioſius. Id verò, quò efficacius modò tirones docere quis poſſit, quàm ſi locum totius corporis periculoſiſſimũ, qui ſiniſtræ ſubeſt mammillæ, nudum ipſis relinquat? Nihil in tota militari diſciplina magis neceſſarium puto, in frigida præſertim regione, in qua calidus circum præcordia ſanguis excandeſcit, quàm inuadendi impetum temerarium prudenti & ſollicita cautione temperare. Hac enim induſtria Romani ferociſſimos

mos Gallos, efferatiſſimos Germanos, rabidos Gallogræcos, inſignibus cladibus afflixerunt. Nihil igitur apud priſcos turpiùs, quàm ſcutum abieciſſe: quod qui feciſſet, Ripſaſpis Græcis, ad ſummam ignominiæ notam, dicebatur. Apud Laconas, ſi rectè memini, ſic iuuenibus ad bellum exeuntibus aſpis, id eſt, ſcutum, dabatur, vt accineretur ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶν, id eſt, vel hanc aſpidem reporta, vel ſuper eadem reportare. Præſentiſſimo igitur rudimento iuuentus Cimbrica docebatur, cautiſsimè pugnandum eſſe, & illud ſemper eſſe debere primum; ne de ſede mentis quiſquam deturbatus, rapida vi iracundiæ hoſtem diligentiùs oppugnet, quàm propugnet ſuæ ipſius ſaluti. Eſſet idem præceptum noſtratibus hac tempeſtate æquè ferè, aut magis etiam neceſſarium, quo impotens animi furor inter pugnandum, diuturna ſibi cauendi conſuetudine nonnihil refrenaretur. Alia igitur fuerunt tironum, alia veteranorum arma. Veterani enim multo iam vſu & ætatis tẽperamento edocti erant, nihil temerè in prœliis eſſe tentandũ, in quibus, Nõ putabã, vulgaris imprudenter quapiam in re lapſorũ excuſatio, locũ habere minimè debet. Qua itaque cauſa pectoris ſiniſtra pars nuda relinqueretur, oſtenſum, Poëtarum fabulis longè remotis; qui cùm hanc ſolam in ipſis viſam fuiſſe didiciſſent, finxerunt alteram fuiſſe præciſam, quaſi quòd nudum non appareret, id omne in corpore periiſſet. Nihil citra rationem à Cimmeriis vel dictum, vel factum reperimus, qua etiam cauſa diligenter ſunt omnia ipſorum examinanda. Satis nunc, ni fallor, explanatum, qui Amazones fuerint: & quamobrem eorum res geſtæ feminis ſolis tributæ ſint, cùm præcipuè fuerint maſculæ Cimmeriorum iuuentutis, quæ ferè in omnibus expeditionibus ſolet belli præludia tentare: quod vt cautè faceret, ac citra temeritatem, matres & ſorores vnà ibant, corpore totius roboris militaris in patribus conſtituto: qui quòd ſequerentur, in ſubſidiis duntaxat eſſe credebantur ab iis, qui Cimbricæ diſciplinæ erant ignari. Hinc illud quod Græci ſcribunt, Cimmerios ad Sangarium, & iterũ in Græcia Scythas, poſtremò in Ionia circa Homeri ætatem vel paulo pòſt, Cimmerios Amazonibus ſuppetias tuliſſe. Secures igitur non ad hoſtem tantum cædendum, ſed ad vias quoque ſtruendas ſeruiebant; & idcirco non abs re bipennes erant; quo ſi altera acies obtuſa in arboribus amputandis fuiſſet, altera aduerſus hoſtem parata teneretur. Atque hæc quidem ſatis de priſcis Amazonibus, è quibus ad fabulas traductis, infinita ſunt mendacia confuta. Neque verò Atlanticus nouus orbis, quo cuncta haberet, quæ vetus orbis habuiſſe fingitur, ſuis potuit Amazonibus carere. Franciſcus enim Oreglianas iuſſu Gonzali Pizzarri

per flumen quoddam descendit tanta longitudine, vt secundo & rapido fluxu octo mensibus sit nauigatum. Ad eius ripas cùm nihil ferè narratu dignum inueniissent, præter famem extremam, & insuperabiles siluarum asperitates, commodum accidit, vt Amazones occurrerent, à quibus longa & tædiosa nauigatio acciperet cõdimentum. Cum his conflictum est à quinquaginta illis Hispanis, qui vnà cum Francisco vehebantur. Intellexerunt verò illius regionis hominum narratu, mulieres illas eodem modo viuere, quo Asiaticæ vixisse finguntur; vno excepto, quòd mammam dextram non dicantur mutilare, quam Asiaticæ; quia sub thorace cælabant, cum altera esset aperta, adussisse putabantur. Certè flumen illud tantum est, & tam longis terrarum spaciis diffusum, vt quæuis monstra illi adscribere, citra mendacij manifestationem, possint. Nomen ei est Maragnon, quamuis alij ab Amazonibus ipsum mutuentur. Nascitur triginta leucis à mari Sur siue Australi, sub polo Antarctico, vt Gonsaluus Fernandus describit, vt ego interpretor ad plagam Antarcticam. Fertur ad æquinoctialem vsque circulũ, & vltra, si eidẽ sit credendum. Idem addit, mille septingentas leucas, Hispanos hos per huius fluminis aquam dulcem nauigasse, aliquando vno die viginti quinque absolutis. Quæ narratio fecit, vt quidam Geographi flumen infinitis Mæandris circundixerint, quò tantum mensuræ explerent. Verùm vt fluminis magnitudini mihi non visi derogare quicquam nolim, ita tota Gonsalui narratio mihi videtur simillima iis, quæ de Amazonibus priscis feruntur, vt dignum sit patella operculum. Nihil igitur contra has nostri sæculi Amazonas dicam, sed si sint, vt esse non credo, cum auctore suo fabuloso lubenter sinam valere; præsertim cùm ab iis, qui illa loca diligentissimè sunt perscrutati, didicerim; nec Amazones, nec Gigantes vllos in America inueniri, tametsi alij aliis sint maiores. Mulieres imperare nouum non est, immò omnibus sæculis frequentissimum. Sed mulieres citra viros degere, & semen aliunde emẽdicare, vel nusquam vnquam fuit; vel si fuit, non potuit diu perdurare. Hoc enim cùm aliqui animaduertissent in Amazonum fabula absurdè nimiũ dici, aliud suppossuerunt mendaciũ æquè atque prius illud absurdum. Finxerunt namque claudis domi maritis vsas fuisse, atque hinc natũ prouerbiũ ἄρισα χωλὸς οἰφεῖ, id est, claudus optimè Venerẽ exercet. Aiunt autem, Antianirã Amazonum reginã, cùm ad cõnubia à Scythis sollicitaretur, hac maximè ratione, quòd turpe esset fortissimis feminis claudis domi & mãcis maritis vti, quos ipse, quò armis ferẽdis essent inepti, mutilassent, respõdisse id q; est in adagio, ἄρισα χωλὸς οἰφεῖ. Aristoteles tamẽ, qui nõ temerè fabulis acquies-

acquieſcebat, aliam huius cauſam è naturæ ſacrario quæſiuit; in quo inuenit, claudos propterea potentiores eſſe ad hanc palæſtram, quòd alimentum ad debilia crura paucum attrahatur, atque ob id, quod ad illas partes à natura deſtinatur, circa lũbos & genitalia manere. Huic nos addimus, propterea etiam ſalaciores eſſe, quòd claudorum lumbi magis agitentur, quàm eorum, qui recto greſſu vtuntur: quo fit, vt non nutrimenti tantum pluſculum eo trahatur, ſed calor etiam alternata illa & moleſta motione lumborum vehementer augeatur. Hæc enim mihi cauſa potius videtur claudis conuenire, quàm illa Ariſtotelica, quæ magis in illos quadraret, qui cruribus omnino carerent. Noſtrates ob perpetuam hanc lumborum, feminum, vicinarumque partium frictionem, claudas mulieres ſalaciſſimas eſſe ſibi perſuadẽt. Theocriti interpres aliam præterea inuenit rationem. Claudi cùm ſemper domi ſedeant, coitu vtuntur, quàm ceteri, frequentiore. Hãc nos ſic adiuuamus, cùm per ſe claudicare videatur. Qui crebriùs domi ſedent, crebriùs tum fabulis, tum aſpectu ſollicitantur. Quò verò crebriùs exercentur, niſi modum naturæ excedant, tanto fiunt ad luctam hanc robuſtiores. Partes enim omnes, quò ſæpius officio ſuo moderatè funguntur, tanto fiunt ad agendum aptiores & firmiores: quod Galenus, ſi rectè memini, tum ratione, tum Platonis docuit auctoritate. Alia igitur longè origo eſt prouerbij, quàm ea, quam Grammatici de Amazonum ſibi fabula comminiſcuntur. Sed ne tam diu apud Amazones commoremur, quàm illi in Amazonidum flumine nauigarunt, reuertamur à Maragnone Atlantico ad Termodontem, apud quem priſci Amazones habitaſſe omnes vno ore, & Poëtæ, & Hiſtorici confitentur. Dictus autem eſt Termodon fluuius hic, quòd victum nouis regionis incolis debere videretur. Ter enim ſignificat idem quod victito, ſiue ſumptum ad victum facio. Mot verò idem eſt quod debet. Son verò per o longum, vt idem ſonet quod Soey, eſt illud nobis, quod Latinis ſuppedito. Sic dicimus Je mot doy tergeſt, id eſt, debeo ſuppeditare pecuniam ad victum neceſſariam. Termotdoy, vel Tau reiecto Termodoy, idem eſt quod Latinis, Debens ſuppeditare victum. Et bono iure ſic fluuius hic vocabatur, propterea quòd tam inſigniter fertiles Themiſcyrios campos reddebat, vt nunquam fames ab eius accolis ſentiretur. Sic enim Strabo docet; cui hac parte eò magis credendum, quòd Amaſiæ non procul hinc natus eſſet. Adiuuatur autem fertilitas ab alio quoque flumine Iri nuncupato, deinde à Pontico etiam mari; quibus omnibus, maximè verò Thermodonte, tam omnium rerum Themiſcyra ferax eſt, vt nihil vnquam ad victum deſit. Semper roſcida eſt, ſemper herbida, tam

boum quàm equorum optima nutrix. Tantùm præterea agreſtium, & vltro naſcentium pomorum, vt ſunt vuæ, pyra, mala, ac nuces pedemontana regio, quam Termodon irrigat, ſuppeditabat, vt quocunque anni tempore in ſiluas veniretur, eorum copia ad manum eſſet, fructibus vel in arbore adhuc pendentibus; vel in folia, quæ plurima ſubſtrata iacerent, delapſis. Hac igitur alimoniæ abundantia feræ alliciuntur, ita vt earum & facilis ſit & vberrima venatio. Videtur igitur Termodon dictus, non ſolùm ob id, quòd victum ſuppeditet, ſed illo etiam nomine, quòd ad victum faciendum animum faciat. Mot enim o longa, cùm nomen eſt, non verbum, animum notat. Termodon igitur duplici ratione dicitur; ſemel, quòd victum debeat ſuppeditare; iterum, quòd animum addat ad ſumptum faciendum. Cui enim non animus adiiciatur ad liberaliter viuendum, ſi cernat eam fluminis eſſe naturam, vt vltrò etiam citra labores omnia reddat alimentorum plena, non hominibus modò ſatis futura, ſed feras etiam allectura, quaſi opiparas & ſplendidas ex venatu cœnas iis, qui capere modò vellent vltra plebeium victum, non offerret tantùm, ſed etiam obtruderet. Amazones igitur, cùm hæc loca occupaſſent, flumini hoc nomen indiderunt, de naturæ inſignibus ſumpta ratione: quam qui mihi non credet, de ſola appellatione coniectanti, Strabonem conſulat, qui in his magis, quàm in vllis aliis fidem meretur, quòd loca coràm frequenter potuerit intueri. Apollonius Rhodius de Thermodonte loquens, ſic habet:

Τῷδ' οὔτις ποταμῶν ἐναλίγκιος, οὐδὲ ῥέεθρα
Τόσσ' ἐπὶ γαῖαν ἴησι, παρὲξ ἔθεν ἄνδιχα βάλλων
Τετράκις εἰς ἑκατὸν δεύοι τόκεν, εἴτις ἕκαστα
Πεμπάζοι. μία δ' οἴη ἐτήτυμος ἔπλετο πηγή
Ἡ μέντ' ἐξ ὀρέων κατανεί(ε) ἠπειρόν δε
Ὑψηλῶν, ἅτε φασὶν Αμαζόνια κλείεσθαι.

Cuius ſententiam obiter reddebam:

Huic non eſt aliud flumen par: nec tot in agros
Vllum demittit riuos, quot fundit vtrinque.
Quatuor in centum ſi ducas, illaque quinis
Multiplices, vix dum poſſis æquare canales;
Fons tamen eſt vnus delapſus montibus altis,
Quos ab Amazonibus dicunt deducere nomen.

Hinc licet videre, quantũ Themiſcyrij campi Termodonti debeant, quan-

quantoq́; plus ab eo muneris ſuſcipiant, quàm ab Iri altero flumine, à Strabone & ceteris Geographis celebrato. Cogitur ergo infinitis deductionibus victum Amazonibus ſuppeditare, vt nominis interpretatio demonſtrat. Nihil opus eſt me iurare, affirmo tamen veriſſimũ eſſe, priùs me de ipſo nomine amnis naturam cõiectura conſecutum fuiſſe, quàm vel Strabonem, vel Apollonium, hac gratia adiuiſſem. Sed ne in abſurdis habeatur, vnum fluuium tot elicibus ſufficere, Strabo eſt audiendus; qui, quamuis Thermodonti vnum fontem adſcribat, docet tamen quàm plurimos alios amnes, & aquas, & nomen in ipſo priùs deponere, quàm in pontum Euxinum exonerentur. Videtur Apollonij interpres Arithmeticam hoc loco non ſatis ſibi propitiam habuiſſe, ne quis me credat, temerè ab eo in vertendo receſsiſſe. Putat enim, centum quatuor demptis riuos à Rhodio Thermodonti tributos eſſe. Nam quamuis πεμπάζω hîc, vt ipſe vult, ſignificaret, calculum ſubduco; non tamen pauciores quadringentis exiſterent. Docendum deinde erat, apud quem tandem auctorem πεμπάζω pro eo ponatur, quod ſimpliciter enumero, vel calculum ſubduco. Apud Homerum in pemptades milites eodem modo, quo in Cyri pædia diſtribuuntur: arbores item per pemptades ſiue quincunces collocantur; ſed necdum legere memini, πεμπάζειν idem notare, quod enumerare: & ſi legeretur, hîc tamen locum non haberet. Neque enim Hyperbole cenſeri debet, bis mille è magno flumine canales per ingentem camporum latitudinem deduci: cùm in agro Mediolanenſi ad ſingula ferè prata riui deducantur, quorum numerus in tam amplis ſpaciis propè eſt infinitus. Legimus & Cyrum in quadringentos alueos diſtractum, quorum è ſingulis quinque, vel ſex, vel decem, pluréſue elices factos fuiſſe ad irrigationis commoditatem, an quiſquam abſurdum putaret? Infiniti digiti ex vno aquæductu emittuntur: & mirabitur quis è Thermodonte quadringẽtos canales, & è ſingulis rurſus quinq; vel ſex digitos fuiſſe deriuatos? Nobis igitur noſtra placet ſententia, quantumuis Græcus reluctetur interpres, quo ſuam probet, verba & conſtructionem obtorto collo à recta ſignificatione detorquens. Nequaquam incredibile Hiſpano videretur, in maximam camporũ planiciem è flumine ex alto delabente, bis mille riuos duci, cùm ſingulos hortorũ torulos ſiue areolas ſinguli canaliculi apud eos ſoleãt irrigare, vno puteo per tympanum & catenam geniſteam ollas fictiles hauſtorias plurimas alligantem, omnibus aquam affundente. Sed hæc ſatis ſunto de Thermodontis benignitate, qui ſe ita ſinit duci, vt omnibus videatur obligatus ad vitæ neceſſaria ſuppeditanda; nec indignè tulit,

ſi ab

ſi ab hoc ſuo munere nominaretur, cùm antè homonymus fuerit Araxæ Armeno, vti Græcorum commentaria tradiderunt. Placuit ergo Amazonibus ſiue filiis Matarum in tam lætis campis vrbem condere, cui nomen Themiſcyram fecerunt, non de Græcorum, ſed de ſua, vt par eſt, lingua. Significat autē vox ea templū eius diuinitatis, è qua tum publicè, tum priuatim decora omnium actionum moderatio promanat. Hæc duplex eſt, ſi placeat ita partiri; altera in cælorum motionibus pulcerrimum ordinem perpetuò ſeruans; altera in terris decus omne atque elegantiam inter ea, quæ terra producit, & homines, quorum gratia producuntur, cuſtodiens. Hanc poſteriorē Terram etiā appellarunt: qua cauſa Prometheus, vel Terræ, vel huius diuinæ poteſtatis filius eſſe, à priſcis dicebatur. Vocatur autem hæc vis ſiue poteſtas Temicſ, id eſt, decorū; à Tem, ſignificante idem quod deceo, ſi in prima perſona dicatur. Sic dicimus, Ten temt niet, id eſt, non decet. Eſt autem Tem vel Taem ſine diſcrimine in vſu, quod vnum eſt de vocabulis Ichnæis. Ichnæa voco; quæ ſi per veſtigia ſua relegantur, commonſtrant originem vel finem ſignificati. Tem deceo, conuerte, fit Met, quod eſt menſuro. Origo autem omnis decori in menſura continetur. Qui enim modum ſeruat, is decorum cuſtodit. Eodem modo Taem & Maet conuertuntur, diphthongo vtrobique ſeruata. Dicimus enim, Het taemt, id eſt, decet; &, Hout maet, quod eſt, ſerua modum, Maximiliano Imperatori perpetuò vſurpatum, loco familiaris chriæ, ad vitam ſuam menſura modoq́ue componendam. Ex Tem verò fit Temicſ, quod ſignificat decorum rebus perſonisq́ue commune. Græci, cùm ab Orphicis ſiue Cimbris huius numinis vim & nomenclaturam didiciſſent, ex Temicſ fecerunt Themis, quaſi à τίθεμαι deriuaretur. Prętereà cùm ab eiſdem Ichnæam vocari animaduertiſſent, varia de hac eius appellatione ſomniarunt. Plerique enim ab Ichnis opido, quod alij Macedoniæ, alij alij regioni tribuerunt, dictam putant; ſtolidum commentum ſtolidiore fabula adſtruentes. Aiunt enim Themidem Iouis nuptias fugientem, ad Ichnas fuiſſe ab adultero Deo per vim compreſſam. Non nego equidem Themidem frequenter comprimi, & vim pati eorum, qui Ioues in terris haberi volunt. Hi enim omne ius & omne fas tantiſper fas putant, dum libidini ipſorum, & prauitati, & tyrannidi, veluti ſcortillum, adulatur: dum contrà tendit in miſerorum ſubſidium, conſtupratur per vim, non vno vel altero loco, ſed quàm latè veſtigia hominū porriguntur. Quæ enim ciuitas eſt, quod opidulum, quod caſtellum, quæ domus, in qua Themis non violentè

lentè opprimatur ab iis, qui vt Ioues haberi volunt? ita puri puti sunt Tyranni, aut quod verius, cacodæmones in terris ad peccata hominum tormentis suis crudelissimis expianda, quò miseri mortales terrenorum pertæsi, pura mente ad patrem suum cælestem cõtendere nitantur. Lycophron de Proteo agens, eumque Guneum à similitudine illius Arabis, qui iustitiæ laude celebratur, appellans, huius Deæ meminit:

Κεῖν' σε γουνεὺς ὥστες ἐργάτης δίκης
Τῆς Ϝ' ἠλίου θυγατρὸς ἰχναίας θεμιθεὺς
Επεσβολήσας λυγρὰ νοσφιεῖ γάμων. *id est,*
Hic nuptijs mouebit te incursu graui,
Guneus velut iusti patrator optimus,
Ac arbiter Phœbo satæ Ichnææ Deæ.

Hîc satis indicatur proprium Themidis Ichnææ officium, quo omnes illi fungi deberent, qui sunt ad magistratum euecti. Tzetzes hoc loco Ichnæam dici vult, quòd per vestigia Gigantum pedes insequatur. Sequitur verò, vt ego opinor, Gigantum pedes; quòd crudelia facta principum & magistratuum Barbarorum semper præsens intueatur, non aliter atque pater ipsius, verus iustitiæ Sol, quo tandem pro talibus ausis eos in Platonis, siue mauis, Plutonis barathrum detrudat, vnde nunquam sint eximendi. Indoctos enim atque iniquos magistratus vnà cum suis assèclis, Gigantes solemus appellare, propterea quòd hæc natio perpetuum cum Deo bellum gerere cernatur. Nónne cælum oppugnat is, qui iustos & innocentes prauo corruptoq; iudicio premit ac euertit? Quia igitur horum vestigia sequitur, quò singula obseruet ad vltionem parem reddendam, Ichnæa dici meretur; quamuis aliud mysterium Orphici hac voce consignarint. Sanior hæc quidem Tzetzis ratio videtur, quàm illorum, qui de Ichnis opido fabulantur; eò tamen non recipienda, quòd vtrunque nomen & Ichnææ, & Themidis, Cimbricam habeat originem. Orphicis ergo Ichnæa dicta est; eò quòd vestigiis suis, habitationis suæ atque originis primæ locum indicaret. Quemadmodum enim qui feram per vestigia quærunt, à postremis incipiunt, atque ordine relegentes omnia, tandem ad lustrum perueniunt: ita Θαεμι per vestigia relectum, deducit ad modum siue mensuram, in qua vis est omnis iustitiæ atque æquitatis, necnon totum illud, qua decorum & pulcritudo rerum omnium continetur. Nihil enim decet vel agere, vel facere, vel dicere, vel etiam cogitare, quod modum & mensuram egrediatur. Est

enim in actionibus omnibus humanis mensura, recta ratio, qua omnes virtutes definiuntur. Ταεμ igitur vel Τεμ, vocali producta, id est quod decet. Μαετ vel Μετ, vocali rursus longa, mensura. Primogenium verò harum vocum est Ταμ vel Τεμ, vocali breui, quo domitum significatur. Nam & huc tandem per vestigia Ichnææ Deæ peruenitur, quando omnes perturbationes & impetus animorum indomiti ab hac mensura domantur. Recta enim ratio in hominis mente, velut in arce motionibus præsidens, omnes domat, ac veluti cicures reddit; quod nisi fieret, nullum animal tam ferum, quàm homo, nullum animal homine perniciosius & crudelius inueniretur. Videmus itaque quò à vocabulo Τεμιςῆ simus per vestigia deducti, ad pacem nimirum, & vitæ humanæ tranquillitatem, post omnes perdomitas cicuratasque animi perturbationes. Hæc sunt vestigia, à quibus Ichnæa dicitur, digna sanè quæ ei nomen dent, quæ vniuerso hominum generi se tam beneuolam, tam propitiam, tam semper promptam ostendat, vt se voluerit perpetuò vestigiis suis indicare, ne vsquam gentium in abdito lateret. Huius feruntur tres filiæ, Dice, Eunomia, & Irene: atque id quidem apud antiquissimos Poëtas, inter quos est Pindarus inter primos. Si quis Græcas voces in Latinas vertat, erunt Ius, Lex, & Pax. Quamuis enim Eunomia bona legis constitutio rectè verteretur, legis tamen nomine præter bonam legem accipi nihil debet. Sanè his tribus liberis totum Themidis regnum est distributum, nulla parte vaticinationi tali relictæ, qualem Delphis Pseudapollo possidebat. Pighius familiaris mihi, & amicus, & omnis antiquitatis diligentissimus perscrutator, signum monstrauit, quod terminorum ritu, pulcerrimum caput virginis in quadrata columna habebat, circum quod tres Nymphæ tripudiũ ducebant. Hoc sic est interpretatus, vt Themidis & trium filiarum esse diceret, multa ad id docendum, vt est copiosus, è Poëtis & Philosophis adducens. Mihi certè facilè persuasit, vt qui de Themide linguam nostram multo antè consuluissem. Ducunt autem choream Ius, Lex, & Pax, circum quadratum hunc terminum; eò quòd terminus & finis omnis rerum agendarum, in eo sit constitutus, vt vbique, quod decet, id fiat. Circa hoc enim Ius, Lex, & Pax versantur, vt fas, & id quod decet omnibus in rebus firmo pede consistat. Hac enim ratione Tetragona erit Respub. id est, vt Aristoteles interpretaretur, omni genere virtutũ absoluta. Festus Themin eam Deam putatam esse dicit, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas esset; breuiter sanè complexus omnem iustitiæ decorique latitudi-

nem.

nem. Vbi enim nemo petit, præter id, quod fas eſt, illic omnis decori, pulcritudiniſque ratio conſeruatur; quam nos Themin dicimus vocari. Hanc Deam Plato in quarto lib. Legum ſimpliciter Deum appellauit, cui Iuſtitiam ſiue Dicen perpetuam dicit hęrere comitẽ, quò ea, quæ præter huius volũtatem acta ſint, vlciſcatur. Quòd verò Dei nomine Themidem intellexerit eam, quam nos depinximus, ex eo fit perſpicuum, quòd addit Deum omnium rerum menſuram nobis eſſe. At Themidem omnium rerum menſuram continere, de veſtigiis nominis perueſtigaui. Deinde & illud conſentit, quòd huic Dicen comitem faciat, cui hîc propriè delictorum tribuit vindictam. Huic item Legem adſcribit, quam ab hoc Deo diuinam appellat, aliis Eunomiam nominatam. Porrò quòd quidam magnificè ex arcanis, neſcio quibus, iactant; Themin fatorum præſidem eſſe, atque id docent de nomine, quod à τίθεσθαι deducunt, habet illud quidem veritatis aliquid, ſed non eam, quam ipſi imaginantur. Themis enim, ſecundum primam ſui rationem, Idæa eſt omnis eius quod decet; quæ ratio, cùm in mente diuina conſiſtat, atque inde primis intelligentiis & cæleſtibus corporibus illuſtrem imprimat imaginem, quæ inde ad elementa, & ex elementis ad compoſita deſcendat, putarunt homines curioſi Themidem oraculis præſidere, quia nimirum ordinem rerum contineret. Crediderim equidem Græcos ab antiquiſsimis Cimmeriis per manus accepiſſe, Themidis oraculum Apollinis oraculo multo eſſe prius & antiquius: quo non pro eo ac debebat intellecto, in eam veniſſe opinionem, Delphicum Tripodem Themidis priùs fuiſſe, atque hinc in Iphigenia ab Euripede cani, Themin ab Apolline à ſacris oraculis repulſam fuiſſe; cùm tamen longè aliud Cimmerij voluiſſe videantur. Taxabant enim ſtolida & vana Græcorum ingenia, qui Apollinem ea, quibus ſibi opus eſſet, aut factis, aut dictis, aut cogitatis ſciſcitabantur, cùm domi ſuæ quiſque Themin, quam conſuleret, haberet. Quærendum enim potiùs erat quid facere & quid petere quemque deceret, quod Themis vnicuique per veſtigia ſua indicabat, ſi legere modò voluiſſet. Quicquid enim dicat Apollo, quicquid eius oracula canant, hoc tamen ſequendum, quod recta ratio omnium rerum menſura dictat, ad quam per Themidis veſtigia peruenitur. Hæc igitur priùs adeũda, hæc cõſulenda, & quod illa ſuaſerit nulla oraculorũ auctoritate deferendũ. Quocirca, ſi beatus eſſe velis, fac vt huius filias ſemper in pectoris ſinu geras, nec inde quicquam ſinas effluere, quod Iuſtitia, Lex, & Pax non dictarint. Sed inſani homines, neglectis tabulis in corde ſuo cuique ſcriptis,

Delphos magnis & ſumptibus & itineribus petunt, quaſi extrà potiùs quàm domi ſe ſuæ inuenire poſſent. At ipſe quiſquis ille dæmonum fuit Apollo, in primo ſtatim limine ſcitatum venientes deridet;quoniam templi valuis prima ſtatim fronte offerebatur, Noſce teipſum: & alterum, Ne quid nimis.: quibus quid aliud dicebatur, quàm ſi quis qua in re quid agendum ſit dubitaſſet, ſe vt examinaret, atque omnes pectoris ſui ſinus excuteret: illic enim inuentum iri quid facere oporteret, deinde in iis quæ agenda poſt accuratam diſquiſitionem viderentur, obſeruaret ſemper & vbique præceptũ, Nequid nimis: hoc enim modo fore, vt non opus ſit Delphos venire, nec ſi temerè quis venerit, templum intrare; valuis monſtrantibus quid quaque in re cuilibet ſit agendum, non de Apollinis, ſed de antiquiſſimo Themidis oraculo. Quamobrem antiquiſſimum hoc iure dicetur vaticinandi domicilium, quod quiſque ſecum, vbicunq; locorum ſit, portat; in quo Dea illa colenda & conſulenda, quam Themidem vocamus. Hanc verò ſi de origine vocis Cimbricæ Latinam facere velimus, Decentiam rectiùs, quàm fas, nominabimus. Decentia enim omnium eorum communis eſt, quæ menſura modoque fiunt, ad quæ fas non perinde poteſt pertinere. Quid enim decentius ordinatis orbium cæleſtium voluminibus: quid varietate colorum in terræ fructibus decentius; & vt vno verbo complectar plurima, quid decentius pulcerrimo ordine cæleſtium & terreſtrium, in quibus tamen fas locum ſuum non videtur habere, ſi loquendi conſuetudo conſulatur, quæ fas ad id quod homini licet, accommodauit; niſi quis eleganter dici arbitretur fas eſſe Soli, vt perennem ſuum curſum ſtatis diebus abſoluat? Hanc igitur vniuerſitatis venuſtatem opifex rerum eo nobis propoſuit, vt ea electi ſimiles euadere ſtuderemus in omnibus iis, quæ à nobis cogitarétur. Qua verò ratione ſimiles euademus tantæ pulcritudini? Qua alia niſi hac, vt quemadmodũ illa menſuram & rectam perpetuò rationẽ ſequuntur, ita nos quoq; faciamus nihil perturbatum, nihil tumultuariũ, nihil errabundũ & vagum in animo relinquentes. Hæc igitur venuſtas è rerum optimo ordine creatarum effloreſcens, & hominibus omnium actionum exẽplar inſinuans, & quodammodo obtrudens, Themis vocatur, quam Decentiam de noſtro ſermone vertere debemus. Quòd ſi quis hanc eandem putet cum Venere Platonis, & vetuſtiorum Vrania ad diſcrimen alterius nominata, non multum profectò aberrarit. Sed eo tamen Venuſtas à Decentia differt, quòd in illa voce pulcritudo illa quidem ſignificetur, ſed ad agentis perſonam non videatur referri. Verùm quia venuſtas nobis item terminus eſt in æternitate fixus, ad

quem

quem intuendum omnia ſtudia noſtra ſi recta ſunt, contendunt; ſtatuam quadratam perinde atque Themis & Herma merebitur, qualem olim apud Athenienſes in hortis ei dedicatam fuiſſe Pauſanias docet; quamuis eius ritus cauſam apud eos non potuerit expiſcari: hoc vnum ex inſcriptione doctus, cæleſtem Venerem eam eſſe, earum quæ Parcæ appellantur natu maximam. Idem apud Thebanos refert, tres Veneres fuiſſe, Vraniam, Pandemam & Apoſtrophiam, tam antiquas, vt ab ipſa Harmonia dedicatæ dicerentur, & Vraniam quidem puro amori citra corporis libidinem nato præſidere. Alibi Themidum aram, quam Pittheus cõſecrarit, commemorat, vt plures Themides fuiſſe indicetur, vt apud Latinos plures Carmentas, quas hominibus fata canere Auguſtinus tradit. Ouidius & Gellius duas faciunt, Porrimam & Poſtuertam; quarum Porrimam, Prorſam Gellius vocauit, non Proſam, vt plerique corruperunt. Ouidius in Faſtorum lib. primo:

Porrima placatur, Poſtuertáque, ſiue ſorores,
Siue fugæ comites Mænali diua tuæ.

Cùm igitur Carmenta, Themis ſit Græcorum, teſte Dionyſio Halicarnaſſæo; nihil miri Pittheum Themidum aram dedicaſſe: quà ité de re ſuſpicor Themidem vnà cum ſuis comitibus Themidum nomine fuiſſe intelligendas. Pauſanias Themidem matrem Horarum facit, quæ eædẽ Veneri Vraniæ adſcribi poſſunt; eò quòd Horæ è decenti corporum cæleſtium motione oriantur, quæ agendi apud homines decentiam cuſtodiunt. Huc Porrima & Poſtuerta de Phyſica diſciplina ſunt referendæ, eò quòd omne tempus per prius & poſterius in motu cæleſti definiatur; quas ſuperſtitio ad diuinationem putauit pertinere: bene illud quidem ſi ſic interpretemur, vt Porrima de futuris ſiderum motionibus naturalem elementorum conſtitutionem prædicat: Poſtuerta idem faciat ex iis cæli thematis, quæ modò ſunt elapſa. Quando igitur Venus Vrania nihil aliud eſt, quàm motionum cæleſtium & ſiderum pulcritudo; & Themis nihil aliúd quàm Decentia, quæ ex aſtris & eorum ordinatis reuolutionibus exiſtit, difficile ſit alteram ab altera diſtinguere; & quamuis diſtinguantur, nunquam tamen altera ab altera queat ſeparari, non magis ſanè quàm à Decentia Venuſtas. Hinc factũ credo, vt Venerem Vraniam maximam natu Parcarum dixerint, complexi videlicet vno nomine Parcarum, & Parcis ipſis & Parcarum matre, quæ venuſtas eſt hominum oculis è ſiderum varietate, & ordinatis curſibus elucéſcens. Mater ſanè Venuſtas eſt & Decentia, nec magis vna quàm altera omnium eorum, quæ corporibus noſtris è motionibus cæleſtibus

contingunt, quæ si per prius & posterius distinguas, duas facies Carmentis filias Porrimam & Postuortam. Sin in tria tempora partiaris, tres filiæ existent, vna præsentium, altera præteritorum, tertia futurorum. Iam siue filias dicas, siue comites, parui refert: nec illud quidem magni interest, duas ne facias an tres, eò quòd ipsum illud quod præsens est, nō sit reuera tempus, sed temporis indiuiduum momentum; quod tamen vt tempus potest vulgari & populari loquendi consuetudine vocari; cui deinde conuenienter tres Deæ enumerantur. Eadem ratione Horæ bifariam possunt considerari, vel accurato illo & præciso Philosophorum iudicio, vel consueta & in vulgus recepta sententia. Sed hæc me remotiùs ad naturæ recessus, & veteris Theologiæ arcana rapiunt, quàm præsens tempus & Themidis siue Veneris Vraniæ filiæ patiantur; quæ postulant, vt tum hæc altiùs discutiam, cùm Deorum siue diuinarum potestatum proprietates de primogeniis earum nominibus examinabo. Hîc satis sit monuisse, Themidis & Veneris Vraniæ tantam esse cognationem, vt quod de vna dicitur, posset & alteri applicari, atque hinc bene illos fecisse, qui quadratam statuam Veneri Vraniæ posuerunt; addentes eam Parcarum maximam natu esse, hoc nomine filiabus & matre comprehensis. Quisquis enim Venustatis omnes numeros, qui perfectione Ternarij continentur, & filiæ siue comites Vraniæ & Themidis finguntur, absoluerit; is ab Aristotele Tetragonus, id est, quadratus diceretur, eò quòd stabilem Decentiæ & Venustatis terminum trium filiarum orbe compleuisset, quas Dicen, Eunomiam, & Irenen veteres nominarunt: quibus tribus inter se connexis, & perennem choream circa fixum Decentiæ terminum ducentibus, omnis humanæ vitæ absoluta perfectio continetur; & non hæc modò, sed totius vniuersitatis legitima, pacifica, elegantissima, iustissimaque Concordia & Venustas, quam Tetractyn Pythagorici nominarunt, qui animis nostris perennis naturæ fontem aperit & infundit; qua de re latiùs in numeris Cimbricis disputandum. Sed quicquid vel de Themide & eius filiabus, vel de Themidibus, siue Carmentis ad naturæ cognitionem aptatur, id totum ad primam etiam philosophiam, primamque rerum causam accommodandum, ad cuius notitiam monitu cælorum euehimur, non priùs quietem inuenturi, quàm ad ipsum Themidis caput quadrato saxo, vti firmissimo fundamento, impositum adspiremus. Proclus in Parmenidem Platonis commentaria scribens, docet quî per Triades ad ipsum Vnum adscēdatur; quîq; rursus ab eo descendatur. In omnibus enim posterioribus ipso Vno, tres potestates inuenit, quas sua lingua, id est, Græca, ita enumerauit:

Τὸ τελεσιουργὸν τῶν μεθ' ἑαυτὸ, τὸ συνεκτικὸν τῶν μέσων, τὸ ἐπιφαντικὸν τῶν περὶ αὐτό. id est, sententia quidem tenus, vim posteriora perficiendi, vim media continendi, & vim, quæ priora sunt, ostendendi: quæ tres facultates ab ipso vno dependent, & circa illud tanquam stabilem æternitatis terminum choream ducunt. Descensus autẽ fit per tres item in singulis modos, per Typosim, Emphasim & Homœosim: quorũ modorum primus sigillationem perfectam totius & partium per causam rei participanti impressam; secundus, repræsentationẽ & speculum ad ipsam causam; tertius similitudinem & imaginem ad causam ipsam per totam rem & eius partes diffusam, cõplectitur. Verùm de his accuratiùs agere, non est huius loci, sed primæ sapientiæ. Nos hanc Triadẽ in nomine Dei apud Cimmerios Trilittero, cùm Got pro Deo dicunt, explicabimus longè vberiùs & apertiùs, quàm vel Proclus, vel ipse Plato, vel fecerit, vel intellexerit, si modò potestas ecphantica nos non priùs deserat, quàm quæ mente concepimus, litteris tradamus. Quare autẽ Themidis siue Carmentæ filias ad temporũ partes applicarint, è decimo Platonis de Repub. libro licet expiscari. Proclus certè in Parmenidem tradit, tẽpus circulari sua reuolutione temporaneis rebus perfectionem & conseruationem emetiri, ac ipsius æternitatis cum rebus non æternis vniõnem explicare. Themis itaque imaginem æternitatis stabilitate sua exprimit: filiæ verò tripudio sui temporis circuitũ, quo, quæ in tempore sunt, conseruantur, repræsentat, atq; hac consideratione Themis trium Parcarũ, siue trium Horarũ mater dicetur. Atque hic quidem descensus est à prima Philosophia ad Physicã contẽplationem. Quod si ordinis, motionisque cælestis decorã illã pulcritudinẽ ad humanas actiones & vitę officia transferas, iam ad politicã disciplinam è prima Philosophia descendetur: quod vt in omni contẽplatione rerũ naturaliũ faceremus, Socrates discipulos suos semper & vbiq; cõmonefecit, quoniã in eo hominis perfectio cõtineretur. Frustra enim primas causas consideres, & ab iis ad naturalium cognitionem descendas, nisi eam pulcritudinẽ & decentiam, quam in iis inueneris, ad animũ tuum applices, atq; in eo formes ipsius Decori imaginem ad illius exẽplar. Hac igitur ratione Themis Iustitiam nobis declarat, tribus partibus absoluendam, quas filiarum nomine paulò antè enumerauit. Quocirca si singulis ordinibus singulas Themidas tribuamus, quarum prima in Metaphysicis, vt clariùs cum Philosophorum scholis loquamur; altera in Physicis; tertia in moribus, tum priuatis, tum publicis dominetur, atque harum singulis tres filias addamus pro

Qui-

pro discrimine matrum differentes, nouenarium numerum absoluemus, atq; eo modo Philosophiam è cælo ad hominũ mores formandos temperandosq; cum Socrate detrahemus, inde rursus per Dicen & Eunomiam pace & tranquillitate animis comparata ad primam causam euolaturi, quo in æterna eius contemplatione acquiescamus, vtpote in termino, & vltimo bonorum fine, qui nobis Venerem Vraniam mentis oculis dabit intuendam. Plura de Themide dici possent, sed ea plura sunt, quàm vt huic loco conueniant; & non dubito quin Pighius pro singulari sua eruditione totum hoc Ichnææ sacrarium penitus sit explicaturus. Equidem ne verbum quidem de hac Dea hoc loco facturus eram, quoniam librum eius exspectarem, nisi certo mihi constaret, hoc tẽpore neminẽ inueniri, qui Orphicam disciplinam ex Orphei vernaculo sermone docere aut posit, aut cogitarit. Abeant nunc Græci cum suis Ichnis & fabellis contra decorum Themidi decori omnis præsidi attributis. Desinant etiam vocis originationem de sua lingua inuestigare, cùm videant longè pulcrius, longè decentius, longè diuinius esse, si antiquissimæ Deæ ex antiquissimo sermone nomenclatura detur, quàm si eam in Græcia tandem inuenisse diceretur, quasi anteà nullam habuisset. Si inter Deas antiquissimas est, æquum videtur, vt & nomen antiquissimum habeat, & longè vetustius quàm Græcorũ, quos Ægyptius sacerdos pueros nominauit, notitia consequi possit. Noachus mox à Diluuio arcam egressus, nihil prius potiusque duxit, quàm vt cuestigio Deo sacrificium offerret, cuius odor Deo fuit plenus suauitatis. Id cùm Poëtæ suo more in prisco Scythismo, è quo Orphica Theologia emanauit, ornarent & condirent; finxerunt Themidi à Deucalione & Pyrrha in Parnasso sacrificatum fuisse, atque ab ea oraculum redditum, qua ratione genus humanum esset restaurandum; Ouidio fideliter id cõtestato, cuius inter cetera de hac re hi sunt versus, Deucalionis & Pyrrhæ orationem continentes.

Dic Themi qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus.
Mota Dea est, sortemque dedit, Discedite templo
Et velate caput, cinctaque resolute vestes,
Ossaque post tergum Magnæ iactate parentis.

Idem clariùs & apertiùs Moses, apud quem Deus sacrificio placatus dicit: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ad reparandum enim humanum genus hęc regia via est ab ipsa Themide, id est, à decenti omnium rerum ordine indicata: quam sic tamen apud Oui-

Ouidium larua Poëtica tegit, vt concubitum quidem significet, sed eum tamen à decoro & honesto seiungi nolit. Hoc enim est quod dicit è templo esse discedendū priùs quàm liberis opera detur; quasi diceret, ab oratione in templo facta ad naturæ opus accedendum, atque id capite velato, ne pudor lædatur; quod Socratem de amore dicturum videmus obseruasse: postremò vestes esse discingendas, ad ea peragenda quæ naturæ ductus docebit. Quòd verò additur, ossa Magnæ matris, id est, lapides post tergum iacienda, notationem habet Themidi conuenientissimam. Neque enim satis erat, liberis operari ad humani generis & restaurationem & conseruationem, nisi & illud vitaretur, quo Deus iritatus mortales vndis deleuerat. Quid enim profuisset, sobolem procreare, si eam Iupiter rursus vel aquis demersisset, vel flammis concremasset? Ad hoc igitur præcauendum, Themis iussit lapides post tergū proiicere, atque eo modo homines mox nascituros pollicetur. Qui verò sunt lapides? Nempe illi qui in euangelio lapides dicuntur, in quos semen cadens nullam spem fructus adfert; quorum cor tanquam Marpesia cautes est obduratum, nullam diuinam inspirationem vel suscipiens, vel retinens. Tale erat cerebrosum Pharaonis caput, cuius cor induratum nullis admonitionibus, nullis miraculis, nulla castigatione potuit emolliri. Eiusmodi item fuerūt omnes Gigantes, qui Noachi adhortationes, concionesque, quibus ad resipiscendum impios homines reuocare nitebatur, non modò non audiebant, sed contemnebant etiam, fabulis super eo & ludicris calumniis cōfictis, quas quinto libro recitaui. Iubet ergo Themis, vt lapides siue saxea corda post tergum reiiciant; ne similes Gigantibus redditi, rursus à Ioue ad Tartara, vt illi, detrudātur: quod quid aliud est, quàm vt obstinatam eorum in peccando peruicaciam fugerent, & longè à tergo relinquerent; & proles suas sic instruerent, vt pessimos prioris ætatis mores post tergum proiicerent, & ad omnia vitiorum iritamenta tergiuersarentur? Hoc illud est oraculum post Cataclysmum omnium antiquissimum, quod Themis Noacho & Barthanæ eius vxori dictauit. Neque tamen huius oraculi fundamentum tum demum iactum est, sed multo ante ab opifice homini per Themidem tum inspirato, cùm lumen vultus sui ei imprimeret, typosi ea, quam Platonici pòst celebrarunt, iam mox ab initio vsus. Omnium enim animis illam legem impressit, vt Deum super omnia honorarent, & erga proximos sic afficerentur, vt aliorum in se animos cuperent beneuolos & amantes: quæ duo præcepta totius Themidis inter homines regnum complectuntur & absoluunt; antiquissima illa quidem & à verbo patris

homini in ipſa prima creatione inſpirata, ſed poſt Cataclyſinum luculento Gigantum exemplo repetita. Concinna igitur hæc hominum inſtitutio Themidi adſcribitur, quæ olim oracula ſola poſsidebat: eò quòd quicquid eſt in hominum vita vel agendum, vel cognoſcendum, vel colendum, integrè comprehenderet, nihil reliqui faciens eorum, quæ ad ornatum decoremque vitæ pertinent, quod ab alio vate ſit rogandum. Eſt autem tanta eius benignitas, vt illo nomine primùm vocari voluerit; de cuius veſtigiis, vbinam habitaret, ſtatim intelligeretur, cùm apertè eo doceatur, in menſura modóve ſemper verſari. Ne tamen, quam menſuram amet, ignoraretur, eiuſdem vocis indicio docemur, medium hanc tenere extremorũ. Sicut enim à Tam fit Tem; & è Tem Tim, dum Timeſic pro Temeſic ſiue Tameſic dicimus; ita à Mat fit Met, & ex hoc Mit; à quo Mittef, id eſt, medium, deriuatur. Ducimur itaque per Themidis veſtigia ad menſuram, è qua decorum exiſtit, & hanc deinde diſcimus mediam eſſe extremorum ex ipſius vocis, qua medium notatur, deriuatione. Quid ni igitur Iehnæa hæc Dea vocetur, quæ tam claris veſtigiis nos ad ea omnia ducit, quæ ad felicitatem exiguntur? Et quia nomina naturam rerum imitantur, ſi ex arte Magica facta ſint, neceſſarium eſt, non in nomine tantùm Deæ proprio veſtigia hæc, ſed in natura etiam inueniri: quod in tribus illis ordinibus, in quorum ſingulis tres Themidis filias inuenimus, aperire hoc loco nec decreui, nec oportunum eſſet. Satis erit in defunctoria hac tractatione procul indicare, qua ratione in prima Philoſophia Themidis veſtigia ſint obſeruanda, à qua ad naturalem ſcientiam & moralem inſtitutionem non difficulter poteſt deſcendi, imaginibus à primo exemplari deductis. Et quia Themis oraculis præeſt, Chaldaica logia, ſiue diuina reſponſa è tertio Commentariorum Procli in Parmenidem libro, adducam:

Νοῦς πατρὸς ἐρροίζησε νοήσας ἀκμαδὶ βουλῇ
Παμμόρφους ἰδέας, πηγῆς ὃ μιᾶς ἀνέπλασαν
Ἐξέβραν· πατρόθεν γὰρ ἕλιξ βουλήτε τέλοσδε,
Ἀλλ' ἐμερίσθησαν νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι
Εἰς ἄλλας νοεράς· κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ
Περὶ θηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, ᾧ κατὰ κόσμον
Ἰχνὼ ἐπαγόμεθ' μορφῆς κατὰ κόσμον ἐφάνθη
Παντοίης ἰδέας κεχαρισμένον, ὧν μία πηγή.

In his videre eſt patris mentem, cùm firmo conſilio ſtatuiſſet, ſpiritu

ritu ſuo omnis generis ideas efflaſſe, quæ omnes ex vno fonte exiliebant, quia à patre conſilium eſſet & finis. Sed has diuiſas fuiſſe igne quodam mentali in alias rurſus mentales fatali quadam portione diſtributas, eò quòd Rex mundo multiformi typon & exemplar incorruptibile præpoſuiſſet, veluti mentalem & intelligibilem mundum, ad quem Typicum mundum impulſus mundus poſt apparuit omnigenæformæ, Idæis quarũ vnus fons eſt gratioſus. Illud igitur quod ornatum & decorem vniuerſitatis rerum generat & cuſtodit, & omnes Idæas, vt decet, diſcernit, fatali quadam lege cuique earum ſuo tributo ignem intelligibilem ſiue igneam intelligentiam oraculum nominauit, eandem procul dubio cum noſtra Themide futuram, ſi, quæ propria huius ſunt, cum ignis huius officio conferantur. Quemadmodum enim ignis naturalis ſiue potiùs caloris proprium eſt elementa confuſa ſeparare, & vnumquodque ad ſuum genus referre; ita ignis ille mentalis idem in mundo Typico & Idæali præſtat, adeò vt è naturalis caloris veſtigiis ad intelligibilis ignis proprietatem queat perueniri. Quamobrem videmus & à Themide & ab hoc igne Theologico, qui idem cum ea eſt, ſuum cuique tribui & vnumquodque ad ſuum ordinem referri, è quo Venus Vrania, & omnis rerum pulcritudo exiſtit. Non errauerit igitur ſi quis quaternarium numerum, qui primus eſt poſt ternarium, Themidi ſacrum dicat, eò quòd is primus è Triade prima naſcatur. Hoc etiam in Iuſtitia Ariſtoteles neceſſariò vſus eſt, dum in ea quatuor terminos inuenit, duos rerum, duos perſonarum, quoniam Themis per quaternarium ad infima vſq; mortalium negocia è ſumma rerum arce deſcendat. Quis igitur miretur quadrangulum illi lapidem dedicatum, quo quaternarius numerus non minùs quàm firmum rerum ſtabilimentum notatur? Hæc enim Dea ſicut omnia vbique quadrata, ſic omnia vbique & in cælis, & in terris, & ſupra cælos etiam ſtata firmaque reddit, vt fruſtra ſperemus eam Remp. perpetuam aut quadratam fore, in qua hæc cum filiabus non colatur. Sed quo oraculum hoc philoſophicum è prima lingua profectum fuiſſe cernatur, obiter addam quaternarium & ignẽ Cimbris eodem nomine vocari, eò quòd ex ipſa ſupercæleſti pulcritudine proficiſcatur, vti alibi docebo, & eodem in elemẽtis officio fungatur, quo Themis in hominum animis & actionibus quadrandis. Prima igitur poſt Trinitatem, quam mentis nomine oraculum Chaldaicum intelligit, ignis hic ſupercæleſtis conſequitur, iuxta illud Logij Chaldaici, quod libro ſecundo Commentariorum, quæ modò citaui, Proclus commemorat, de diuino amore, ni lectionis olim Romæ factæ memoria fallat, intelligendum.

——Ος ὁτι νόος ἔκθορε πρῶτος
Εσαΐλφ ῾Υπερὶ πῦρ συνδέσμιον ὄφρα κεράσῃ
Πηγαίας κρατῆρας ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπίσχων.

Hîc rursus videmus, igne omnia temperari, atque eo indutum esse diuinũ amore, qui vnus cum Deo est, & ob id in igne habitare, Apollinis quodam peruetusto vaticinio docetur, adeò vt decorem Themidis sit indutus, super cuius igne ignis sui florem desuper extendit, quo nimirum eius beneficio & Themis ipsa & omnia Themidi subiecta conseruentur. Quid aliud est, quod Psalmus nostræ religionis cantat, Dominus regnauit, decorem indutus est? & quod Baruch dixit, Indue te decore. Zacharias sub Domini persona duas se ait virgas suscepisse; alteram Decoris, alteram funiculi: quæ quàm alludant ad ignem syndesmion in oraculo appellatum, is videbit, qui Decorem Themidi sciet propriè tribuendum, & in ea ignem contineri, cui flos ignis ipsius amoris omnia colligantis desuper affulget. Sed video me nimiũ & igne hoc accẽdi, & funiculo ad Theologiæ penetralia trahi, in quæ tum demum esset intrandũ, cùm Deorum nomina sigillatim examinabo, vbi docturus fuissem, quare Themis è Terra & Cælo sit procreata; quare Terra sit dicta; quare Promethei mater; qua de causa Apollini vaticinandi tradiderit facultatem, & vbi primùm in lucem editus esset; Nectar illi & Ambrosiam porrexerit, & si qua alia interim occurrissent: nisi Pighius hoc sibi argumentum tractandum suscepisset; in quo nõ dubito, quin abditissima quæque è fœcundis suis antiquitatum thesauris in lucem sit erupturus. Non possum tamen id omittere, quod mihi soli iure meo vindicare possum, non Græcos modò, sed & Latinos huius Deæ nomen à Cimbris mutuò accepisse. Sicut enim Themis (si liceat mihi citra aspirationem originis ratione vocem hanc enuntiare) vestigiis suis mẽsuram causam sui effectricem demonstrat, ita Carmenta officium Themidis notat, & eam vtilitatem, quam è decoro & honestis officiis homines consequuntur, in qua causa finalis continetur. Nam cùm omnia quæ agunt, boni alicuius, quod desiderãt, agant, necesse est hominibus aliquid etiam propositum esse, quod appetant, & amore summo prosequantur. At quid est, quæso, quod hoc nobis quod tam carũ habemus adducat, nisi vitæ probitas & honestæ actiones omnem hominis decentiam & venustatem complexæ? Temis igitur Carmen à vetustis Latij Cimmeriis dicta est, eò quòd summum hoc bonorũ, quod cariſsimum habemus & desideratissimum adducit, atque eo modo, caque via Nectar nobis & Ambrosiam, perinde atque apud Homerũ

Apol-

Apollini,porrigit,id eſt,cibum vitæ feliciſsimę & nunquam perituræ. Adducit enim hominibus panem cæleſtem, cuius pabulo victuri ſumus in æternum, omnis interitus & corruptionis expertes. Admiror ſanè priſcam illam Theologiam adeò adamuſsim cum noſtra religione conuenire,vt tota videatur ex Euangelio petita. Quis enim nobis hunc cæleſtem panem ſubminiſtrat, niſi ipſa iuſtitia verbi incarnati, in qua decor totius humanæ naturæ conſiſtit, vera nimirum Temis à cælo in terram deſcendens, & nobis ab omni ſæculo exoptatam adducens felicitatem, ad quam vt pertingamus,nos ſecum vnit, carnem ſuam nobis veluti Ambroſiam,& ſanguinem ſuum veluti nectar propinans. Hæc eſt Temis illa,quæ iuſtos nos reddit,& ab omnibus ſordibus purgatos patri æterno repræſentat, & eum nobis conciliat, ita vt cum ipſo decori iam facti beatam vitam perpetuò agamus. Doceamus igitur diuinam hanc diſciplinam Carmentæ nomine contineri, & ſic exprimi,vt meliùs haud poſsit. Car omne id ſignificat quod carum nobis eſt & deſideratum, vt mox latiùs explicabo. Mey verò idem eſt quod duco. Temis ergo Carmen dicitur, quia ipſa nobis id adducit, quod eſt maximè in vita expetitum. Nec vox hæc prorſa tantùm, ſed & poſtuerſa eſt inſpicienda, vt finem cognoſcamus, ob quem Temis deſiderium & amores noſtros adducat, & repræſentet. Retro igitur veſtigia legentes Memrac inuenimus, id eſt, accipe cõtactum. Huc enim amorum adductio ſpectat, vt eos contingamus, & in iis perpetuò hæreamus. Nam non ſatis eſt amores noſtros nobis à Themide adduci, niſi eos contingamus, & amplectamur, & arctiſſimis nexibus & igne ſyndeſmio iis inhæreamus & colligemur. Accipiamus ergo contactum,in quo felicitas noſtra ſumma continetur, nec vnquam accipere,& amplecti & hærere deſinamus, quò coniuncti æternitatis decore cum filio ſummi patris induamur. Carmen ergo & Nemrac duo quidem ſunt, ſed ſic deuincta, vt poſteriore prius veluti fine ſuo perficiatur admirabili aut potiùs ſtupenda rerum & vocum cognatione. O ſi Socrates ad huius linguæ artificium adſpiraſſet! bone Deus, quantum deſiderantiſsimum illud Temidis pectus voluptatis ex hac Magia, quam ſemper quæſiuit, hauſiſſet! Vtinam vel vnus mihi lector contingeret, vel ipſi,vel Platoni, ſimilis, non eruditione,quam fruſtra optarem, ſed diſcendi ſaltem voluntate, & oculis ad videndum diuina hæc myſteria apertis; Deus faceret vt ignis ille in Chaldaicis oraculis ſyndeſmios nominatus, in frigidis noſtræ ætatis hominibus excitaretur; cuius ſi vel vna ſcintilla in cuiuſpiam pectore accenderetur, non deeſſet qui cum hanc meam voluptatem communicarem. Sed ad rem. Porrimæ & Poſt-

uortæ Carmentæ vel ſorores vel comites, dum in ordine rerum naturalium conſiderantur, ad horas ſiue temporis partes referendæ videntur, vt modò indicaui. Suſpicor tamen, immò mihi perſuadeo, ab antiquis Cimmeriis Latinos hæc nomina didiciſſe, vt artificij eius quo Carmentæ nomen compoſitum eſſet, admonerentur. Videntur enim dixiſſe fruſtra nomen hoc Prorſum ſiue Porrimum legi, niſi per veſtigia poſtuertatur. Prorſa enim, teſte Feſto, recta dicuntur, quibus contraria ſunt Verſa ſiue Poſtuerta. Hinc Gellij locus corrigendus, qui Proſam pro Prorſa habet; nec admittenda eorum lectio, quibus Poſtuenta perperam pro Poſtuerta arriſit. Optimè profectò hæc duo nomina naturam Carmentæ & eius nomen interpretantur; eò quòd Temis cæleſtis recta è cælo deſcendit, decorem ſuum inde ad nos ducens, ac pòſt eôdem reuertitur, nos vnà ſecum trahens ad id contingendũ, quod ab omnibus velut ſummũ bonorum deſideratur. Quocirca Prorſa eſt ſiue Porrima & Poſtuerta priùs recta ad nos tendẽs, deinde ad cælum reuertens. Hanc verbi incarnati naturam, quæ verè Temis eſt & iuſtitiæ omnis vnica cauſa, ipſa vox Carmentæ ita imitatur, vt & ipſa Prorſa ſit & Poſtuerta, recto videlicet & pòſt verſo ordine per veſtigia legenda. Hinc & illud intelligitur, qua de cauſa hierophantę Carmentam Nicoſtratam vocarint, & matrem Euandri fuiſſe fingant. Iuſtitia enim Verbi incarnati victrix eſt exercitus eius qui hominem omni genere malorum ab ipſo ſtatim initio oppugnauit, nec hactenus oppugnare ceſſat. Hæc enim ſola Nicoſtrata eſt, id eſt, exercitus victrix, quæ in cruce clariſsimum triumphum de Cacodæmonibus egit, atque eius ſic nos participes fecit, vt quamdiu huic Nicoſtratæ adhæremus, omnem Cacodæmonum exercitum conculcemus, & pedibus proteramus. Quia verò ex hac ſummum bonorum hominibus obtingit, finxere Euandrũ huius eſſe filiũ. Quid enim aliud eſt Euander quàm τὸ ἐὺ τοῦ ἀνδρός, id eſt, bonum viri; viri nomine feminas etiam complectẽte, eò quòd in cælis & beatis ſexus diſcrimen non habeatur, omni eo quod imperfectum eſt & femininum, exuto. Bene igitur Nicoſtrata Euandri mater dicitur, eò quòd è victoria Tartarei exercitus beatitudo ſiue ſummum bonorum homini enatum eſt. O admirabiles priſcæ Poëſeos fabulas! quantum bone Mercuri myſteriorum nobis recludis? Video nunc, video quid Hercules apud Euandrũ fecerit, id eſt, quid Chriſtus verus Hercules apud eos, quibus ſummum bonorum clauacrucis ſuæ acquiſiuit. Video quis Cacus ille fuerit, qui boues Herculis retrorſum in obſcurum barathrum furtim traxit. Sed de his alibi. Nicoſtrata igitur & Carmenta, & ipſe etiam Euander non ſunt ad

hiſto-

hiſtoriam referenda, ſed ad myſticam Theologiam, quam Latini à Cimmeriis acceptam partim Cimbricis, partim Latinis, partim Græcis vocabulis conſignarunt: ſed horum omnium tanto Cimbrica ſunt diuiniora, quanto à diuinioribus ingeniis originem ducunt, vti nunc ſatis oſtenſum arbitramur. Quòd verò Carmentæ carminum inuentionem tribuant, id minimè mirandum, eò quòd carmina priſca non ad aliud cani ſoleant, quàm vt diuinũ numen allicerent, non aliter atque Dauidis carmina Deum ſibi conciliarunt, & hactenus quotidie pia mente decantata conciliant, & animis noſtris adducunt. Oratio igitur & hymnus numen cariſsimũ deſideratiſsimumq; nobis adducens Carmen vocatur; &, quia eiuſmodi carmen canere non poſſumus, niſi ipſa Iuſtitia Dei Nicoſtrata vocata; & vera omnium perturbationum & cacodæmonum expultrix illud nobis inſpiret, bene dicitur Carmenta Carminum inuentrix, quæ ad ſuauiter Deo modulandum modos omnes ſuggerit atque dictat. Verſus itaque impudici aut nugaces aut hiſtoriam ſolã continentes profanam, Carmina dici nõ merentur, eò quòd numinis fauorem, quem præ omnibus expetimus, cælo minimè deducant, ſed potiùs auertunt. Hinc opinio apud vulgus orta carminibus Deos aduocari, iuxta illud: *Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam.*

ex vero illa quidem principio nata, ſed à vera Magia ad veneficam inſaniam à veritatis indoctis detorta. Quocirca Carmen non ducit originem à canẽdo, ſed è duabus vocibus Cimbricis eſt compoſitum, totam ipſius naturam, vſum atque vltimum finem complexis. Siue enim Prorſa ſit oratio, ſiue verſus, ſi ad id nos ducat quod cuique cariſsimum eſſe debet ac maximè expetendum, carminis nomine meritò vocabitur, longè omnibus ijs excluſis, quæ quamuis numeris & pedibus certis canuntur, nihil tamen habent eorum quę ad primæ cauſæ, in qua finis omnium eſt, fauorem conducunt. Veterum igitur Cimmeriorum commenta propriam carminum materiam continebant, quoniam omnia ad id tendebant, quò iis ad Dei diuinarumque poteſtatum cognitionem perueniremus, atque eorum contemplatione ad orationem raperemur, Deum rebus noſtris conciliaturam. Sed ſatis hæc ſunto ad Carmentæ, Nicoſtratæ, Porrimæ & Poſtuertæ explicationem, quas voces Themidis mentio ſecum traxit: quam hic tam prolixam nunquam feciſſem; niſi abſurdum mihi viſum fuiſſet, Amazonibus ſingularem in Athenis & Sparta nuncupandis prudentiam adſcribere, & non oſtendere eadem ipſas etiam in ſua primaria ciuitate nominanda vſas fuiſſe.

Cùm

Cùm enim docuerim, optimam Reipub. inſtitutionem apud Græcos ab his proceſsiſſe; iniquè facturus ſim, ſi Themiſcyræ non illa quoq; tribuam, quæ artificioſiſſimo & diuino nomine ſignificantur. Huius quidem prior modò pars explicata ſtatim alterius partis veram notionem commonſtrat. Karc enim, & Kerc, & Kirc, pro linguarum varietate, templum notat; ita vt Temiſ-circ Temidis templum bene vertatur; quæ pronunciationis diuerſitas non tanta eſt, quin omnes promiſcuè quamuis harum vocum intelligant, quarum illa primogenia eſt & germana, quæ Cimbricam originem cuſtodit. Nannius Græcæ forſan linguæ, quàm ſuæ amantior, ruſticos noſtros tam politos fecit, vt putarit à Græcis vocem hanc mutuatos eſſe, in quo in primis hoc ab eo monſtrandum fuit, Κυριακὸν generatim pro templo poni. Vt enim detur δῶμα κυριακὸν pro domo Epiſcopali dictum fuiſſe; ex eo tamen, ſi quis omne templum κυριακὸν vocet, neſcio an linguæ Græcæ ſat peritus ſit habẽdus, niſi fortè ea ſit cuiuſpiã ἀνισοροησία, vt ſoli Domino apud Græcos templa fuiſſe exiſtimet, cui vel ipſi illi, qui Chriſti fidem non ſequuntur, aduerſantur, inter quos eſt Ammianus Marcellinus, templa etiam Martyribus exſtrui ſolere teſtatus. Deinde qui potiùs noſtri homines, qui Chriſti doctrinam nõ à Græcis, ſed Latinis acceperunt oratoribus, Græcam vocem, quàm Latinã, in vſum potiùs vocaſſent? Hoc cùm nec Galli, nec pòſt Fráci, nec Itali fecerint, quæ tandem ratio occurrit, vt tot gentibus interiectis, quæ priùs Chriſtianiſmum, quàm noſtrates, ſuſceperunt, κυριακὸν illud nomen ad extremos vſque Cimbricæ nationis homines tranſuolarit, atq; id præſertim ad linguæ Græcæ inperitos; quando ij, qui paulo ſunt politiores, frequentiùs Latino templi nomine, quàm altero illo, de quo quæritur, vtuntur. Expoſui antè quid Car notaret, ſed hîc rurſus idem repetendum. Eſt autem Car vnum de vocibus diuinis & Ichnæis, vt ſic cum priſcis loquamur, maximi amoris ſignificationem habens, quo alteri, quem amamus, ſic coniungimur, vt eum tangamus. Nam ſi Car per veſtigia retrò legas, finem principis amoris inuenias. Nam quem præ ceteris amamus, Car vocamus; propterea quòd illud quæramus, quod voce Ac ſignatur, quæ eiuſdem eſt cum Latinorum, tango, notationis. Princeps ergo amorum omnium is amor eſt, quo Deum amamus; quem ob id Car poſſumus nominare, quia finis eſt omnium rerum expetendarum, quem idcirco deſideramus, vt eum contingere, quoad eius homini fas eſt, poſſimus. Verùm vox à diuino amore facile prolapſa eſt ad humanum, ſed eum duntaxat, qui in hoc genere excellit;

quamuis

quamuis nomen feminis ferè demus; propterea quòd linguæ nostræ hominibus turpe videatur, ita virum amare, vt eum quis contingere desideret; minimè verò turpe, feminas hoc amore prosequi, quo ad contactum quis incitetur. Verbum tamen *Karey* siue *Cariey* ad omne genus seruitij & blandimenti commune est, quo conamur nobis quenquam intimo amore coniungere. Sic infantes, cùm necdum articulatè loquuntur, dicimus *Carey* vel *Cariey*, dum matribus vel nutricibus incondito sono & gesticulatione puerili blandiuntur, quod reciprocè etiam de matribus vsurpamus, dum pusionibus suis colludunt, & blandis susurris tenellum animulum pacare & conciliare sibi nituntur. Generatim omnes eos *Kariey* dicimus, qui omni blandimentorum genere, tum gesticulatione & oratione, tum muneribus & sedulis ministeriis, vel sequendo, vel salutando, vel alio quouis modo fauorem emerendo cupiunt placere. Cùm ergo hoc genus seruitij primum Deo Optimo Maximo tribuendum sit, cui & animo toto & corpore seruire debemus, non mirum est si maiores nostri à voce *Kariey* templa nominarunt, vtpote in quibus præcipuum esset atq; adeò vnicum hominibus officium, vt omnibus modis internis & externis orationibus, hymnis, sacrificiis, genuum, manuum, capitis, & totius corporis gestu & modulatione Deo placere contendant. Si enim *Cariey* tam familiare & vsitatum est in pueris fauorem patrum vel matrum eblandientibus, quid ni nobis omnibus conueniat, dū cælesti omnium Patri omnibus modis studemus grati esse, quò nos tangere sinat extremam fimbriam sui vestimēti? Hac enim via consequimur apud benignissimum patrem, vt vestimentū eius tangamus, perinde atq; se à muliercula tangi sensit. Si Deus nulla mauult voce quàm Patris compellari, quo potiùs seruitij genere coli vellet, quàm eo quod pusiones simplici candidoque corde parentibus exhibent? Sinite, inquit, paruulos, & nolite eos prohibere, ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Item apud Matthæum, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Apud Lucam est, Adferebant autem ad eum infantes, vt eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos. IESVS autem conuocans illos, dixit, Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Audimus hic magistrum, qui solus meretur dici Magister noster, vnus cum patre nostro qui in cælis est, cui soli hæc debetur appella-

pellatio. Quid hic nos docet? Nempe domum ſuam, domum orationis eſſe. Quid verò orandum? Primum, ait, quærite regnum cælorum, & in oratione ea quam nos docuit, quæque exemplar eſt omnium precationũ, primùm rogamus patrem inter ea quæ à nobis petuntur: Adueniat regnũ tuum. Verùm quomodo adueniet regnũ Dei? Amen, inquit, dico vobis; quicunque non acceperit regnũ Dei, ſicut puer, non intrabit in illud. At qua ratione pueri accipiunt, quæ volunt à patribus vel à matribus? Ea videlicet, quã dixi: illud, inquã, agendo quod noſtrates Karey ſiue Karien dicunt. Conuenientiſsimè ergo maiores noſtri templum, quod eſt domus orationis, ab eo officio nominarunt, quod eius loci proprium eſſe Deus ipſe confirmat: qui vt pater omnium gaudet vocari, ita cupit more infantium orari. Quorſum verò pueros adferebant ad Chriſtum? Vt tangeret eos. Hoc nimirum illud eſt, quod dixi, omne noſtrum Karey eò tendere, vt is nos tangat, cui blanditias has admouemus, & conſentaneum Dei doctrinæ finem in Kar commonſtrari, qui totus eſt in Kac: quod ſi citra expreſſam perſonam dicatur, idem eſt quod, Tange, Latinorum. Quemadmodum enim amantium vota eò tendunt, vt ab amatis tangantur, ita noſtra quoque eò referenda omnia, vt pater cæleſtis nos pueros ſuos tangat radio diuinæ ſuæ & æternæ bonitatis. Cùm igitur nomen templi Cimbri audiebant, auribus puta non obeſis, ſed Satyrorum acutis, mox eius officij, quod in templo vnicuique eſſet præſtandum, admonebantur, nec eius ſolùm, ſed illius quoque, quomodo Deus eſſet orandus, & quorſum vota preceſque noſtræ referendæ. Karey namque tendit ad Kacey, id eſt, Colere, blandiri, ſeruire, orare, ſuſurrare illò refertur, quò Deus nos manu gratiæ ſuæ paternæ & miſericordiæ infinitæ tangat. Porrò aliud in hac voce Kare diligenter obſeruandum: quòd nimirum non ſit ſimplex vti Car vox ichnæa, ſed è duabus vocibus conflata; quarum prior eſt Kar, poſterior eius conuertens Kac. Karrac ergo integrè diceretur, ſed breuitatis & Euphoniæ cauſa, quas duas res vbique quoad eius fieri poteſt, ſectamur, concisè pronunciatur. Principiò enim hoc ſciendum, dum in compoſitione eiuſmodi vocum littera aliqua in medio duplicatur, licere eam ſimplicem facere, quod antè in Athana obſeruatum eſt, vbi Anna pro Ana vocem finit. Idem fit in nomine Cerces compoſito ex Cer & Kes, vt ſit Cerres: verùm ſoni melioris gratia Cerces dicimus: quam tamen vocem Latini veræ originis ignari, per tertiam litteram in principio ſcripſerunt,

eò

eò quòd ſonus S & C ante ſecundam vocalem vix diſtinguatur: ſed de hoc alibi. Eodem modo Karac pro Karrac dicitur, atque deinde ſyncoptôs ſiue concisè Karc, reiecta poſteriore vocali, ad conſuetudinem noſtratibus vſitatiſsimam. Neque mouere quenquam debet, Karc me ſcribere; cùm eo modo apud pleroſque pronuncietur, & præſertim, qui ſimplicitatem ſuam vetuſtam necdum in ſermone ſuo vernaculo nouis deliciis corruperunt. Qui molliora quærunt, Kerc ex Karc fecerunt, quemadmodum ex Tamich Temich. Familiaris eſt enim & frequens a in e commigratio. Nec Alpha modò in Epſilon, ſed in Iota quoque & Ypſilon tranſit, ita variantibus dialectis. Germani enim ſuperiores è Kerc fecerunt Kyrc vel Kirc; è qua pronunciatione Nannio in mentem venit, vt Κυριακὸν ſomniaret, cùm vulgo, ni fallor, arbitrato, linguam Germanam inferiorem à ſuperiore, non contrà, deriuari. Sed non cuiuſuis eſt radices nominum inuenire, quas equidem illi ſoli debeo, qui ſpiritum veritatis, iis quibus vult, afflare dignatur, qui ea ſuggeſsit, quæ à bis mille & pluribus quàm quingentis annis à nemine tradita comperiuntur; & fortaſsis à nemine vnquam fuiſſent in lucem vocanda, niſi mihi Deus tum eorum notitiam, tum candidam communicandi voluntatem inſpiraſſet. Hunc itaque ſupplex oro, vt me puerum faciat & tangat, quò poſſim illud aſſequi, quod nomine templi priſci illi maiores noſtri monuerunt. Nunc ad Themiſcyram veniamus. Temichſkerc ſiue Temichſkyrc verbum de verbo, Themidis ſiue Decentiæ templum ſignificat, è quo reiecto Cappa, quo vox Græcæ formæ magis accommodetur, Themiſcyra pro Themichskyrka fecerunt. Ex Temichs autem Themis ea fit ratione, quæ aſperitatem vitat. Aſpiratio porrò de errore Græcorum addita eſt, qui Themin dici putarunt, quòd præeſſet iis, quæ τεθεμένα, id eſt, ſtatuta dicerentur, quo nomine fata intelligebant. At nos de tribus Themidis liberis & eius officio docuimus, eos longè aberraſſe, qui ex falſa etymologia Themidi oracula & fata illa, quæ vulgo talia habentur, aſſuerunt. Vera quidem Themis vera oracula habuit, & ea Apollini vero, non Pſeudapollini Delphico, tradidit, qua ratione alibi docebo: verùm id genus reſponſa, quæ è tripode fallaciſſimo mendaciorum fonte à ſtolidis regibus & aliis ferè omnibus petebantur, non magis Themidi, quàm Patri vniuerſorum, & veritati eius æterno filio, & Spiritui omnia reuelanti, ſunt attribuenda, in quibus verus Tripus eſt, totum orbem per Temidem & eius ſiue comites, ſiue filias ſuſtentans,

& Angelis & hominibus vera oracula penitus insinuans, quibus ius naturæ & omnis sapientiæ radix continetur. Ex eodem Tripode Themis siue Iustitia diuina Apollinem dedit, ob id Solem Iustitiæ vocatum, cui onus illud impositum, vt nos è tenebris liberatos, cælestibus oraculis, è Patris æternitate prodeuntibus, instrueret, ac gregem pane cælesti pasceret, Nomius inde, & Epimelius, & Pæman, & Arnocomas, & vniuersim pastor vocandus; eumque Pythonem pessundaret, qui totum humanum genus veneno suo infecerat. Sed de his in Apolline nostro. Amazones igitur, cùm vrbem conderent ad Thermodontem in regione longè vberrima, intelligentes è deliciis & copia rerum, superbiam, contumeliam, & iniuriæ quoduis genus exoriri solere, nomen indiderunt, quo omnes ciues monerentur, se in templo Themidis habitare, id est, eius Deæ quæ Iustitiæ, bonarum legum, & Pacis mater esset. Talem reuera omnem ciuitatem esse deceret, Iustitiæ nimirum, Legis, Pacis; & trium harum parentis Decentiæ augustum templum: quam vocem si Plato intellexisset, non defuisset Themiscyriis maioribus nostris diuinus Panegyristes; qui Politicos suos libros non meliùs potuisset, quàm Themiscyrios nuncupare, si à fine nomina rectissimè ponuntur, cùm totus eius scopus, & in eo esset, vt inter homines Themidis templum erigeret, ac immortalitati dedicaret. Admirabilis & omnino stupenda vbique fuit Cimmeriorum in vocibus fabricandis prudentia, quam multis exemplis cum hoc libro tum aliis illustraui, sed nullum ferè est vocabulum in tanta optimorum copia, quod magis in omni ciuitate, & populo, & magistratui ob oculos versari ex vsu Reipub. esset, quàm hoc, quo vrbem suam Amazones nominarunt. Optarem equidem illud omnibus valuis inscribi, inscriptum ab omnibus intelligi, intellectum sic admonitionem suam omnium animis imprimere, vt in ciuitate tum in publico, tum in priuato, tanquam in Themidis templo versarentur. Equidem à quodam Antwerpiæ rogatus, vt tetrastichon tabellæ, in qua curia erat depicta, quam hæc ciuitas totam è marmore breuissimo tempore magnificentissimam exstruxit, pro capacitate loci pictura vacui hos quatuor versiculos effudi:

Augustum Themidi solido de marmore templum
Antverpus posuit, natas vt seruet in vrbe:
Vix quartum rediens Ianus, terraque marique
Tam varios montes stupet hæc sub tecta coisse.

Alluси nimirum ad Themiscyram vetustissimum Cimmeriorum, è qui-

è quibus Antwerpi originem ducunt, domicilium; quos vellem, sicut genere & lingua referunt, ita moribus quoque & institutis & iustitiæ laude repręsentarent, cogitantes ciuitatem omnem Themidis templũ esse debere, in quo, si quid peccetur, Themidẽ Ichnæam statim vestigiis inhærere, ac Iouis ἔκδικον ὄμμα, id est, oculos vindices & iuris executores per omnia circumferre, quos tam habet emissitios & plusquam Lynceos, nihil vt eam ne cogitatorum quidem, nedum factorum possit latêre. Expendat quisque secum, suumque animum intueatur, qua conscientia in Repub. versetur, & certò sibi persuadeat, hanc Ichnæam Dei Iustitiam singulis cogitationum factorumque vestigiis insistere, nec quicquam relinquere, quod non cernat & examinet, atque postremò vel in hac vita, vel futura iusta mercede recompenset. Sed satius est hîc calamum continere, ne à Themide ad Dicopolas & Demouoros idiotas delabatur, quos Themidi & sibi ipsis iudicandos & emendandos relinquimus, ne in Æthiopibus lauandis oleam & operã perdamus. Reuertamur itaque ad Amazones, quæ ex hoc sacrosancto Themidis fano in campis ad Thermodontem constructo, non Martem modo, sed Harmoniam etiam matrem suam in varias orbis partes eduxerunt, & plurimas alias alibi vrbes fundarunt, & bonis institutis & legibus instruxerunt; quarum plures enumerassemus, nisi cariosa vetustas omnes ferè eorum res gestas, vel altis & Cimmeriis tenebris sepeliuisset, vel fabulis inquinasset. Constat sanè Troianis Amazones contra Græcos auxilium tulisse, è quibus maximam Achillis ornandi occasionem Poëtæ sibi sumpserunt, quam Virgilius quoque minimè negligendam putauit:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis,
Penthesilæa furens, mediisque in millibus ardet
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Qui id genus figmenta è Cimmeriorum antiquitate ducta, latiùs prolixiusque cognoscere volet, Quintum Calabrum legat, in quo Penthesilæam Amazonum reginam post multas clades ab ea editas, ab Achille occisam tradit, qui cùm viuæ virtutem ferre non posset, mortuæ formam & generosum pectus adamauit: quam rem deridenti Thersitæ colaphum impegit tam Achillis viribus dignum, vt turpis Momus eo occideretur, & sanguine suo Amazoni inferias ferret. Sed quia prolixiùs hæc à Calabro describuntur, quàm vt ea huius libri breuitas capere posset, apud ipsum, si quis fabularum amore ducitur,

legantur: nobis ad nihil aliud conductura, quàm vt ex iis colligatur, Cimmerios ad Troiam quoque militasse: quod equidem Poëtis vix credidissem, nisi historiographi quoque opinionem hanc confirmassent; è quibus Eusebius docuit, post bellum Troianum Cimmerios & Amazonas magnas clades Ioniæ intulisse; adeò, vt mirum minimè videri debeat, si contra Græcos anteà etiam bellum gessisse dicantur. Sunt verò & alia in historiæ scriptoribus argumenta, quibus doceri queat, Cimmerios Troianis suppetias tulisse: quæ quia latiùs sunt discutienda, ad sequentem librum reseruentur, in quo Venerorum antiquitatem in lucem eruemus.

FINIS LIBRI OCTAVI.

VENETICA

ET

HYPERBOREA

VENETICA,
ET
HYPERBOREA,

LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

Per Venetos nonus multum ſpatiatus, & vndas
Eridani varias, veros Diomedis honores
Inuenit, & frenos animi pelagique furentis
Caſtoribus tradit, reſonant vbi fana Timauo.
Altera pars ſedes demonſtrat Hyperboreorum,
Symbolicasque notas, teque ô Silene magiſtrum
Auriti Regis, Satyris mirantibus almum
Sub ſtipula panem, quo paſtus viuit in æuum.

ANTVERPIÆ,
cIↃ IↃ LXIX.

VENETICA

ET

HYPERBOREA.

LIBER NONUS.

AD IOAN. FRANCISCVM COMMENDONVM CARDINALEM VENETVM,

IOANNIS GOROPII BECANI PRÆFATIO.

SINGVLARIS BENEVOLENTIA *tua erga me, Cardinalis hoc nomine dignissime, ante plurimos annos mihi Romæ bonis auspiciis primum cognita, & indies familiaritate aucta, postque in Belgica clariùs iterum nec vno tempore, nec vno experimento patefacta, certam mihi spem fecit, gratissimas tibi fore has litteras meas, vtpote quibus intellecturus sis, tantum abesse, vt grata veteris beneficëtiæ tuæ memoria apud me perierit, vt nunc iterum quoq; te rogare audeam, quo nouo beneficio pristinæ voluntatis tuæ constantiam mihi velis confirmare. Scripsi, aut potius, vt verum fatear, effudi inter has grauissimas regionis nostræ turbas Originum aliquot libros; inter quos cùm vnus Venetica tractet, ex re ipsa nomen sortitus, putaui vilis abiectique animi indicium habitum iri, si tam rustico pudore me paterer teneri, vt eum Senatui Veneto non curarem offerendum; præsertim cùm ea tradat, quæ nemo vnquam eorum assecutus est, qui antiquam Venetiæ nobilitatem scriptis prodiderunt; tametsi omni litterarum genere instructissimi essent. Dispiciens igitur, cuius fauore, & opera hac in re & facillimè, & felicissimè vti possem, neminem inueni, cuius auxilium mihi vel promptius esset futurũ, vel successum meliorem polliceretur. Quem enim potius ad hoc delegissem, quàm eum, cuius vt ego amorem in me singularem sæpius expertus essem; ita maximam scirem fore apud eos, quibus commendari vellem, auctoritatem; propterea quòd & Venetus esset, & patriam clarissimo dignitatis suæ splendore insigniter ornasset? Quid? quod ipsum nomen Commendoni prima statim fronte bonum omen ostendat; quasi nemo & idoneus magis esset ad commendandum, & ad gratiam commendato conciliandam felicior. Quamobrem te rogo Commendone, vt is mihi esse velis, quod nomine tuo præ te ferre videris, ac ostendere, te nunc in isto dignitatis tuæ culmine constitutum tanto ad bene merendum cum de omnibus, tum de vetustis potissimum amicis factum esse alacriorem; quanto & Deum omnium datorem propiore gradu contingis, & plus habes ad id, quod amicorum nomine susce-*

peris efficiendum, potestatis. Quod sanè vt diligenter facias, non ipsa tantum communis omnibus ratio ; sed totus etiam liberalium artium chorus iure suo postulare videtur, propterea quòd is te ad supremum istum orbis ordinem euexerit, & in ea sede collocarit, è qua quàm plurimos posses patrocinio tuo adiuuare. Cùm igitur ego id abs te petam, quod ad honestissima litterarum studia promouenda spectat, non videberis Musis sat gratus esse, nisi sedulò annitaris, vt intelligant non minus amorem erga ministros suos, quàm facultates honoresque in te beneficio suo creuisse. Verùm quia in hoc officij genere in primis videndum, ne ea commendentur, quæ postea se prodant indigna fuisse vel iis quibus commendantur, vel eo qui commendat; iam mox dicam qualia sint, quæ clarissimo ciuitatis tuæ Senatui per te cupiam commendari. Cimmeriorum colonias diuersis, & immensis terrarum spaciis persecutus, ex Amazonum sedibus in Paphlagoniam proficiscor, vbi antiquissimus Venetorum populus inuentus, de omnibus quotquot vsquam locorum Veneti nominis reperissem, inquirendi dedit occasionem. Discurri itaque ab his, quos in Asia compereram, ad illos, qui in Triballorum regione ad Istrum habitarunt. inde ad eos adscendi, qui Veneti, & Acromi lacus ripas tenuerunt. Nec illos visitare omitto, qui inter Ligerim, & Sequanam in Oceani litoribus multa opida condidisse scribuntur. Tum etiam ad illos accedo, qui sub Venedorum nomine ad Sarmaticum mare circa Vistulæ ostia sedes sibi fixerant : quas nunc Borussi occuparunt. Totam autem hanc peregrinationem suscepi, quò primos Venetorum ad Adriam habitantium natales inuenirem : in qua tam propitia Mercurij manu vsus sum, vt non solum veram Veneti nominis originem peruestigarim: sed Rauennæ quoque, & Patauio & Troiæ & Medoaco, & Pado & Timauo verissimas nominum rationes ostenderim, à nemine prius mortalium, quantum quidem scriptis proditum est, vel inuentas, vel cogitatas. Adieci præterea caussas, ob quas Castor & Pollux apud Venetos olim culti fuerint, & qua ratione Diomedis honores summa quadam religione celebrarint : in qua obscuritate tollenda, altissima quædam mysteria è vetustæ Theologiæ adytis eruuntur, à nemine vnquam perspicienda, nisi opera & sollertia mea fuissent indicata. Iam in Padi nominibus non tantum qua de causa Bodincus vocaretur, expono : sed copiosissimam etiam addo explicationem eorum omnium, quæ de Eridano, vel apud historiæ scriptores, vel apud poetas commemorantur: in quibus quamuis infiniti ante me laborarint; nemo tamen vnquam fuit, qui potuerit ad veras aut nominum, aut rerum origines adspirare. Quæcunque itaque de Phaethonte, de sororibus, de singularum indole, et nomine, deque mystico totius fabulæ contextu dubitari magis, quàm cuiusquam ope potuissent expediri, ea à me clarissimè sunt explicata, adeò, vt duo simul perfecerim, hinc historiæ restituerim veritatem; illinc poetis priscum decus vindicarim; cùm alij omnes historiam fabulis, & Orphicam Theologiam

historiæ

historiæ permiscentes, omnia fœdissimis erroribus inuoluerint, & contaminarint. Poteram equidem his multo prolixius immorari, & non paruum volumen implere, si quicquid est auctorum mecum facientium, ad partes vocassem: sed is semper animi mei sensus fuit, vt mallem de subtiliter, & singulari sollertia inuentis rebus, quàm de ambitioso & magna verborum pompa instructo sermone laudari. Qua etiam de causa nolo te diutius demorari, ea frustra exponendo, quæ ceteroquin anteà tibi sunt ex ipso libro cognoscenda, quàm eum Venetis sis oblaturus. Qua enim fronte eum commendes, quem non noris? Rogo igitur te, vt legas, & si dignus commendatione tua videbitur, fac vt hos meos labores sic sententia & auctoritate tua magnificis ciuitatis tuæ patribus probes, vt non solùm eorum me pœnitere non possit: sed ad nouos etiam & maiores subeundos me sentiam excitatum. Si quæ fuit tum in his, tum in ceterarum gentium originibus inuestigandis mihi diligentia, eadem esset ad eas exornandas insinuandasque hominum beneuolentiæ ab orationis elegantia facultas, minus mihi fortassis patrocinium tuum necessarium fuisset. Quòd si hæc vel è Sigonij, vel Pauli Manutij, vel aliorum hominum summa istic & multiplicis eruditionis, & insignis eloquentiæ laude florentium officina prodiissent, bone Deus, quanto nõ Venetæ modò ciuitatis, sed totius etiam, quotquot vsquam sunt doctorum hominum vniuersitatis applausu fuissent exceptæ! Cùm enim ea sit vis eloquentiæ, vt è rebus exilibus, & minutis grandes structuras, & ingentia molimina honorum attollere possit, quid ex his clarissimis clarissimæ gentis natalibus, iam primum post omnes omnium à tot seculis quærentium labores delusos inuentis, sibi arrogaret; quæ trophæa, quos triumphos posceret, aut potius efflagitaret! Nam si nulla magis re homines gloriari solent, quàm vetustissima illustrium maiorum memoria; an non plurimum illi debebitur, qui eam non tantum immani ætatum accessione reddiderit antiquiorem: sed primus etiam ipsam vernaculam maiorum linguam ostenderit, & ex ea veteres nobilium tam fluminum, quàm vrbium nomenclaturas explicarit? Quocirca quia egregia sunt, & eximia, & nunc demum industria mea ex abditis venerãdæ antiquitatis adytis in publicum deducta, quæ de Venetorum nobilitate trado; nec mihi is est Latini sermonis vel vsus, vel nitor (qui enim esse possit ei, qui & inter Germanos natus est, & ad hanc laudem nihil vnquam contulit laboris?) vt eo queant gratiam sibi conciliare: te etiam atque etiam rogo, & si patitur antiqua familiaritas, & necessitudo, maiorem in modum oro, vt hunc partum meum, licet informem, Senatui vrbis tuæ cana prudentia venerando diligenter commendes, atque ad id elegantissimum istud tuum scribendi genus mihi mutueris, ad quod te cum paucis omnino adspirasse noui. Qua in re si votis meis obtemperaueris, & illud effeceris, vt hæc mea non displicuisse iis intelligam, ad quorum nobilitatem illustrandam sunt elaborata: polliceor me, si Deus & vitam, & sanam

mentem in corpore ſano conceſſerit, longè maiora & occultiora, ex Orphicis, & antiquo Scythiſmo communicaturum. In aduerſariis enim meis non pauca de Venere, atque eius nominibus myſteria explicata ſeruo, quæ ad Venetos propterea deſtinare cogitaui, quòd non ſolùm Venus, & Veneti ex eodem fonte nomen ducant, & iidem Cyprum Veneris regnum legibus ſuis moderentur: ſed eum etiam ritum religiosè obſeruent, vt quotannis Venerem ſibi ſub maris, è quo nata eſt, nomine deſponſent. Tu autem hoc interim operæ tuæ precium habebis, vt omnium earum gentium, ſi Polonos excipias, ad quas à ſummo totius orbis Chriſtiani Monarcha legatus fuiſti, origines cognoſcas. Ex his enim meis Commentariis Britanorum, Danorum, Suedanorum, Saxonum, & aliorum, item Germanorum, ad quos ſigillatim legationes de grauiſſimis, & maximis rebus ſuſcepiſſe te memini, primos, & antiquiſſimos ortus cognoſces: in quibus quoties verſaberis, toties tibi iucunda tanti honoris memoria recurret, quanto apud tot diuerſarum gentium principes neminem alium puto hac ætate noſtra claruiſſe.

AD

AD GENEROSISS. DD. GEORGIVM, CHRISTOPHORVM, MARCVM, ET IOANNEM FVCCAROS, DOMINOS IN KIRCHBERG, VVEISSENHORN, &c.

IOANNIS GOROPII BECANI PRAEFATIO.

AGNOSCO, CLARISSIMI VIRI, *et ſingulares litteratorũ patroni, partem huius operis mei, quod Regi noſtro dedicaui, vobis deberi, atque idcirco ingrati hominis notam me ſubiturum, niſi quod debeo, acceptum feram; tametſi totum perſoluere non poſſim. Nam cùm in magnificentiſſima domo veſtra Antverpiana iam à multis annis medicinam fecerim, cogor fateri, tantum me à vobis ocij ſtudiorumque commoditatis accepiſſe, quantum honorario veſtro à neceſſitatibus meis potui impetrare. Quamobrem diligenter cogitanti, quam operis partem ad vos deſtinarem, qua nomen meum in tabulis veſtris eſſe confiterer, in mentem venit, beatiſſimos beatiſſima maximè decere. Ideoque cum Hyperboreorũ diuitiis feliciſſimam in ſuauiſſimo ocio vitam fauſto omine vobis mitto, & votis pijs opto, vt ea quàm diutiſſimè perfruamini; & quemadmodum hæc ingrata eſſe non poterit; ita velim gratus etiam ſit is, qui hoc ſuo libello omnem Hyperboreorum felicitatem partim explicauit, partim in ſymbolis latentem per tranſennam eminus oſtendit. Fateor exiguum eſſe munuſculum, quod offero, &, ſi magnitudo ſpectetur, vobis indignum; verùm ſi perinde atque margarita, non mole, ſed forma & lacteo nitore æſtimetur, certò ſcio vos iudicaturos, me non contemnendam operis mei partem vobis dediſſe. Cùm enim hîc Hyperboreos duplices oſtenderim, alteros myſticôs, alteros hiſtoricôs intelligendos, duo ſimul præſtiti, quorum neutrum cuiquam mortalium poſt Orphicos præceptores fuit notũ, vt & hi veras ſuas ſedes haberent, & quò illi nos vocarent, oſtenderetur. Hîc enim vera Hyperboreorum regio demonſtratur, quam dum doctiſſimus quiſque veterum quærit, turpiſſimè ſe dat in pudendos errores. His alias quoque gentes videbitis adiunctas, quarum vt nomina apud ſcriptores Græcos extant, ita ſedes incognitæ hactenus manſerunt. Quis vnquam Iſſedones, quis Arimaſpos, quis Griphes, quis Ripæos montes certis terrarum limitibus incluſit? quis quic-*

quam

quam de nominum interpretatione prodidit? Quamuis verò Barbarus quisquam, & veteris Historiæ contemptor parui hæc faceret; apud eruditos tamẽ non dubito, quin inter bellaria, & delicias vel primum locum sint habitura. Nunc quæ de Sileno omnis sapientiæ magistro scribo, quæ de Midæ auribus; paradoxa sunt illa quidem non minus quàm reliqua ferè omnia: sed vera tamen, & plena mysticæ doctrinæ, quam nemo hactenus satis perspexit; ad quam perdocendam, tametsi Sileni partes non possem tueri, Satyri tamen personam sumam: vos interim, vt Midam diligenter imitemini, videte, cuius aures si sumpseritis, non deerit Silenus Spiritus sanctus, per quem omnes Sileni id sunt, quod vocantur; qui vos à terrenis Hyperboreis ad cælestes perducat, & illic vos non stipulis, sed tritico verbi Dei alat. Verùm ne ænigmatis vobiscum agere videar, rogo, vt quæ dicere voluissem, ex ipsis meis Commentarijs petatis. quæ si grata fuisse cognouero, faciam vt breui sitis habituri, quæ & Sileno magistro, & Mida auditore digna sitis iudicaturi.

IOAN. GOROPII BECANI

VENETICA, ET HYPERBOREA.

LIBER IX.

POSTEAQVAM AMAZONVM ductu ad Themiſcyrios campos veni, ac loca Thermodonti adiacentia, pro eo atque antiquaria Cimbricarũ gentium notitia poſtulabat, perluſtraui; viſum fuit ex Alba Syria ſiue Cappadocia Paphlagoniam verſus nonnihil exſpatiari, ac videre, ecqua natio in ea occurrat, quæ ad originem Germanicam ſiue Cimmeriam ſit referenda. Halys fluuius, de fallaci Apollinis oraculo, quo Crœſum decepit, nobiliſſimus, nomen antiquius habere videtur, quàm vt Græcis, qui multo poſt Barbaros Aſiatica Ponti litora coluerunt, deberi videatur. In Germania Haſ nomen opidi eſt, ad Oenum ſiti, & alterius item in Saxſonia nõ obſcuri, quorũ vtrunq; à ſale nuncupatur, qui Cimbricè olim Haſ dicebatur. Eſſe autẽ hanc vocem Cimbrorum vernaculam, & ab ipſis ad Grẽcos veniſſe, ex eo liquet, quòd apud Grẽcos nullã habeat etymologiam ſiue originationẽ, cùm apud illos habeat clariſsimã, & rei ſignificatę ſic cõuenientẽ, vt meliùs naturam eius exprimere non poſsit; quandoquidẽ à conſeruando deducitur; Haſ verbo idem nobis ſignificãte, quod Latinis conſeruo. Verùm quia Haſ nomen, locũ item omnẽ ſignificat, in quo merces vel alia impedimẽta aut publicè aut priuatim cuſtodiũtur; placuit aliud nomen ſali ſignificando accommodare, ab eodem illud quidẽ fonte deriuatum, ſed paulo aliter efferendũ. Pro Haſ enim Haſt dictũ, quaſi So haſtey, id eſt, ad conſeruandum diceretur. So & To ſine diſcrimine, ad, ſignificantibus, & illo potiùs quàm hoc ad vocẽ hanc vſurpato, ne homonymia, ſi Taſt pro Haſt diceretur, adferret obſcuritatem; eò quòd Taſt, vel nimium ſenem, dum nomen eſt, vel numerabat, dum verbum eſt, notet. Quamobrem Haſ pro ſale, ſi ad natales ſuos primos reuocetur, Cimbricum eſt, non Græcum;

quandoquidem Socrates docet eas voces Græcas non esse, sed Barbaras, quarum nulla ratio apud Græcos inuenitur. Cùm ergo Halys à sale, quem præterfluit, teste Strabone, nominetur; sitque nomen hoc multo Græcorum in Paphlagonia memoria vetustius, non malo me iure suspicari opinor, si à priscis nostræ siue linguæ, siue nationis hominibus, id fluuio inditum dicam. At à quibus inditum sit, nisi ab iis qui circa flumen hoc olim habitarint? Quòd si ita esse nemo possit diffiteri, necessariò dicendum, nostræ linguæ homines hunc olim terrarum tractum tenuisse. Pindarus Amazonas dicit exercitum ducere σύριον ἐυρύαιχμον δ'ἵππον, id est, Syrium latè ferratis hastis munitũ, & equis instructum aëriis. Syrias Amazonas vocat, eò quòd Syrorum nomen à Babylonia ad Isicum sinum, & ab hoc rursum ad Pontum Euxinum antiquitus pertineret, ita vt Cappadoces vtrique eo comprehenderẽtur, quos Leucosyros, id est, albos Syros vocant; eò quòd candidiores & Germanis similiores, quàm Babylonij, essent: quod decimo sexto libro Strabo confirmauit. Apud Cappadoces autem, eodem testificante libro præcedente, magna fuit Magorum copia, qui Anaitidem perpetuo igne colebant: quos alibi à Cimmeriis, tum generis, tum disciplinæ originem habere commonstraui. Memini legere in Herodoti Melpomene, Sinopicam Cherronesum à Cimmeriis olim Scythas fugientibus conditam fuisse, quamuis alij Milesiis eius exordia præcipua adscribant, ante quos tamen Autolytus vnus Argonautarum locum hunc habitarit, & in numerum Deorum à posteris relatus oracula ediderit, cuius statuam Sthenis fecerit, & Lucullus abstulerit vnà cum Billari sphæra. Phlegonti placuit Macritio Coo eius principiũ tribuere. Certè clarissima fuit, & antiquissima atq; vel hac sola coniectura Amazonibus, qui Leucosyriam, maximè olim, & omnia litora ad Ioniam vsque & sinum Isicum habitarunt, & vrbibus instruxerunt, attribuenda; idque eo magis, quòd ipsum nomẽ Barbarum sit perinde atque Cecropis, quem Strabo Thraciam habere nomenclaturam tradidit, de Attica loquutus. Sinope igitur, si Cimbricè interpreteris, significat familiæ spem; quia nimirum singulari naturæ beneficio sic munita est, vt certam securitatis spem ciuibus suis præbeat. Est & Cromna in eodem litore, de cuius nomine Teutonico mox agemus. Pindari interpres Paphlagoniam tam latè his locis extendit, vt Thermodontem quoque ea comprehendat. Bithyni à Strabone Thraces dicuntur fuisse, eiusdemque gentis Bebryces, qui olim vicina loca tenebant. Maryandenos quidam Scythas iudicauerunt, qui ad Parthenium vsque flumen habitarunt; quorum omnium linguam,

Cim-

Cimbricam fuisse, iam sæpiùs à me iteratum. Post hos trans Parthenium Orientem versus, Veneti siue Heneti, vt Græci eos vocant, sequuntur; qui cuiusnam linguæ & originis fuerint, tum de nomine, tum de illo existimandum, quòd cum Cimmeriis dicantur militasse. Zenodotus Henetiam veterum Aminsum putat fuisse, quæ vltra Halyn, ad Orientem longè vergit, atque ita à Parthenio ad Halyn, ac inde vlterius etiã Venetos habitasse colligeretur. Męandrius apud Strabonem Henetos à Leucosyris ad Troiam venisse dicit, quos tamen secundum Halys orientale latus in Cappadocia collocauit, vbi Strabo dũas linguas in vsu fuisse testatur: reliquos verò Henetos, qui Cappadociam vlteriorem Irin versus habitabant, huic militiæ non interfuisse. Nostra parum refert, vtra Henetorum pars ad Troiam venerit, modò constet non in Paphlagonia modò, sed in Cappadocia quoque Henetos habitasse; quo eluceſcat Henetos & Amazonas finitimos, vel potiùs Henetos Amazonum partem fuisse. Hecatæus Milesius Aminsum priscam Venetorum sedem non aliter atque Zenodotus putauit; qua de re clarum est, Henetos extra etiam Halyn habitasse. Cùm itaque Heneti cum Cimmeriis militasse dicuntur; quid aliud dicitur, quàm eos Amazonum socios fuisse, eò quòd Amazones Cimmeriorum & filios & vxores fuisse monstrarim? Totam itaque illam maritimam oram ab Heraclea ad Thermodontem vsque gens Cimbricæ tum linguæ, tum originis habitauit, in qua post Amazonum nomen Heneti nobilissimi fuerunt, quos equidem Cimmerios Amazonum vel maritos vel patres fuisse coniecto. Amazonibus enim equestris disciplinæ primordia Lysias, vt in Amazonicis commemoraui, adscripsit; quas ob id Pindarus δίππον στρατὸν vocauit, quoniam videlicet equestrem artem non ab alia gente, sed ab ipso Ioue didicissent; vel quia equæ ob celeritatem ab aëre, qui Iupiter est, genitale semen suscepisse viderentur, haud secus atque de Tagi ripis fabulantur; ita vt gemina ratione dici queant Diippi: & quia cælitus hanc equitãdi laudem essent adepti, & quia eas haberent equas, quæ celeritate sua diuinum quiddam & Iouiale præ se ferrent. Porrò vt locis Veneti & Amazones vel proximi, vel permisti in Leucosyria fuerunt, ita studia eadem coluerunt: quandoquidem è vetustis scriptoribus perspicuum fit, Henetis equarum curam in primis placuisse, atque inde nomen nactos esse, non in Asia modò, sed in Europa etiam celebratum. Stephanus de Vrbibus scribens, Henetidas equas commemorat, eas optimas aiens ad iugum in curribus ferendum.

Eurypides has Heroicis temporibus tribuit, quasi tũ in vsu fuissent, in quo Grammatici Anachronismum, & illum quidem vix ferendum esse putant Poëtæ, idcirco Cacozeliæ notam inurentes; ipsi dignissimi temeritatis condemnatione, eò quòd ignorantes Amazonum & Venetorum cognitionem crediderint, multo post Heroica tempora has equas in vsum venisse, octagesima quinta videlicet Olympiade, qua iis vicerit Leo Lacedęmonius. Verùm vt nõ credant his meis cõiecturis, nec ipsi etiam Eurypidi, Homero tamen antiquissimo Poëtæ, & multo ante octagesimam quintãm Olympiadem mortuo, non video cur fidem non sint habituri: qui quamuis equarum apertè non meminerit, doctissimè tamen eas indicauit, dum Henetas mulas celebrauit. Quis est enim qui nesciat, generosissimum mularum genus ex equabus generosissimis procreari? Si quem, inquit Palladius, mulorum genus creare delectat, equam magni corporis & forma egregia debet eligere, in qua non velocitatem, sed robur exquirat. Plinio mulus ex onagro & equa genitus, præstantissimus habetur, onagriq́ue in Phrygia & Lycaonia, quæ Cappadociam finit, præ ceteris excellunt. His locis cum Paphlagonia vicina sit, Venetiq́, in Cappadociæ quoque parte habitarint; nõ mirum est, præcipuam ibi mularum laudem fuisse, cùm & equas excellentissimas & non solùm permagnos asinos, sed eximios etiam onagros admissarios haberent. Quamobrem si Homerus ex Henetia Leucosyriæ & Paphlagoniæ optimas mulas proficisci dixerit, necessariò consequitur, optimas etiam equas ibidem procreari solere. Cùm autem dixit ἀγροτεράων, haud dubiè ad Onagros Leucosyriæ respexit, è quibus quæ mulæ generantur, non tantùm velociores sunt, sed agrestiores etiam & magis indomiti, multoque ceteris generosiores, propterea quòd soboles necessariò parentum naturam sequatur, quo fit vt sint quoque strigosiores. Videmus itaque Poëtam duo simul fecisse, & equarum antiquum apud Henetos decus, ex illatione occulta demonstrasse, & vna addidisse non illam tantum earum vtilitatem esse, quæ ex velocitate comparatur, sed alteram etiam multo maiorem, quòd ex iis præstantissimæ mulæ generentur, animal cùm ad rus colẽdum & homines vehendos maximè idoneum tùm iumentis ipsis, è quibus nascitur, longè robustiùs & diutiùs seruiturum. Hæc si Grammatici Critici animaduertissent, & Homerum clariùs exposuissent, et Eurypidem huius auctoritate excusassent; nec Eustathio multum fuisset in anachronismo laborandum aut quærendum, qua de causa mulas agrestiores ex hoc tractu doctissimus vates euocasset. Quemadmodum igitur Amazones Diippi & Euscarthmoi, & primi equorum domitores celebrantur; ita & Heneti,

eorum

eorum vel patres, vel filij, vel ſaltem gentiles eadem laude claruerunt, & partem eam Cimmerici agri tenuerunt, quæ ad equitium plurimum conueniret. Sed ne de Amazonibus videar ſola de coniectura hoc loco facere mentionem, adducenda Demoſthenis è Stephano auctoritas, qui Amaſtrin ait ab vna Amazonum & conditam eſſe & nominatã. Quocirca cùm ab Homero Heneti Paphlagones Cromnam dicantur habitaſſe, atque ea pòſt Amaſtris ſit vocata; quid ni dicam Henetos eiuſdem cũ Amazonibus generis fuiſſe, quandoquidem vtraque gens Cromnæ ab antiquiſſima vrbis memoria attribuatur? Poſſet hoc quidem ſic repelli, vt prius Amazones, deinde Henetos eius incolas fuiſſe comminiſceremur, ſed huius rei nullã vel teſtificationem, vel veriſimilitudinem adducere hactenus poſſemus. Mirum profectò Poëtam Amazonum in auxiliarium catalogo non meminiſſe, quas alij tamen omnes Troianis ſuppetias tuliſſe ſcribunt. Quamuis enim in Priami iuuenta contra ipſas Troiani militaſſent, pòſt tamen Græcorum iniuria iritatæ, contra communem hoſtem Troianis auxilio fuere. Harum itaque loco Henetos Poëta videtur poſuiſſe, quo artificium occultius & antiquitatis cognitio maior carmini intexeretur, ac ſimul innueretur mulieres ita nuncupatas maritis minimè caruiſſe, verùm vnà cum Cimmeriis, quorũ Heneti pars, militaſſe, vti ſuo loco declaraui. Deinde quia paulo pòſt Priami contra Amazonas auxiliares copias erat commemoraturus, nec additurus qua ratione vel pax compoſita, vel fœdera inita fuiſſent, decori rationem videtur habuiſſe, dum pro Amazonibus Henetos enumerauit, & Grammaticis plus reliquiſſe difficultatis: quam eximiam etiam reliquit in Alizonibus, pro quibus alij Amazonas, alij alios ſuppoſuerunt. Nos ſi Henetorum nomine Amazonas complectamur, non peſſimè fortaſſe ſuſpicabimur, ſi Halizonos Colchas fuiſſe coniectemus, tum quia procul eos habitare dixit, tum quia poſt Henetos eos collocauit. Hos poſterior ætas Lazos vocauit, vocabulo non procul ab Halizonibus recedente. Homerus Halizonas videtur dixiſſe, quoniam vltimum maris Euxini ad Orientem cingulum tenerent, Græca voce ad barbaræ ſimilitudinem formata. Λατσεγ autem ſiue Λαζεγ, littera tantundem valente ſcriptum, vltimos nobis ſignificat: quod nomen Colchi apud Cimmerios merebantur, quoniam vltimum Orientem verſus litus habitarent, longitudine Ponti inter Ortum & Occaſum pro eo ac debet computata. Et quia hæc vltima Græcis in hoc mari eſſet nauigatio, Dioſcuriadem in hoc ſinu legimus ædificatam, quod nomen vrbi hinc inditum credo, tametſi à nemine prodatur, quòd omnes cuperent ad finem curſus ſui Caſtori & Pol-

luci nauigantium numinibus immolare, partim vt gratias de fine nauigationis optato agerent, partim vt reditum in patriam impetrarẽt. Hinc prouerbium εἰς φάσιν ἔνθα ναυσὶν ἔχατος δρόμος, id est, in Phasin, vbi cursus carinis vltimus : quod Strabo de nescio quo Poëta citauit. Hac enim parte sicut finis maris, ita finis quoque nauigationis fuit, eò quòd ad lucrum hic faciendum, tota esset instituta, ad quod tanquam vltimum felicitatis scopum, & summum bonorum mercatores omnia sua studia referre consueuerunt. Erat namque in hoc postremo sinu emporium omnium earum mercium, quæ vel ex India per mare Caspium, vel è Sarmatia in Græciam deuehebantur; propterea quòd hac parte Euxinus & mare Hircanum proximè inter se distarent. Aiunt verò huc septuaginta diuersas diuersarum linguarum nationes, dum res Colchorum florerent, conuenire solitas; quas illi qui an rebus oratio consentiat, nihili faciunt, ad trecentas vsque subduxerunt. Earum tamen omnium maximam partem, Strabone teste, Sarmatæ faciebant, quos linguæ nostræ homines fuisse, alibi demonstraui. Horum præcipuam ciuitatem Homerus Aliben ænigmaticôs nominauit, ad historiam, ni fallor, alludens; in qua est, Sesostrin ad Phasin vsque progressum fuisse, atque illic exercitus partem, qua causa incertum, sed vt ego suspicor, limitum custodiendorum gratia, reliquisse; atque inde esse, vt Colchorum lingua eadem fuerit cum Ægyptia, si Herodoto credendum; & circuncisio vtrique genti communis; adeoque lineę telæ conficiendę par vtrobique studium. Huius igitur vetustissimæ ante vellus aureum direptum memoriæ, Homerus nos commonefacere volens, ciuitatem finxit Aliben, quasi eam ἀπὸ τῆς Λιβύας profectam diceret, eò quòd Ægyptus secundum quosdam tota, secundum alios Nilo tenus Libyæ sit admetienda. Quod verò addidit, argenti in ea generationem esse, optimè id verissimeque dixit; quoniam nusquam pecuniæ plus fieret, ac corraderetur, quàm in ditissimo illo totius orbis mercatu; ad quem ex tota India & vniuersim ex toto orbe tot gentium diuersarum fieret concursus. Est is procul dubio Colchidis situs, vt nulla pars orbis magis idonea videatur ad merces vndique comportandas, ac inde in Europæ omnes partes & Asiæ minoris & Aphricæ distrahendas; quamuis hac ætate à Barbaris commoditas ea excludatur. Porrò æquè auri hic generationem atque argenti collocasset, nisi ad priora sæcula quàm aurei velleris essent, respexisset; probè callens, à minoribus ad maiora de communi consuetudine fieri progressum; atque idcirco Sesostridis ætati argentum, Iasonis aurum conuenire, vt paulatim emporiorum diuitiæ crescere consueuerunt, tantisper dum in summo fati gradu constitutæ

ſtitutæ rurſus deſcendant. Halizonum itaque duces meritò Hodius & Epiſtrophos fuiſſe fingũtur; eò quòd iis, qui Aliben adituri eſſent, quò rem ſuam augerent, duobus opus eſſet: vno, qui viam commonſtraret, & eam ſecuram redderet, propterea quod Heniochi & Achæi & alij non pauci latrones terræque marique mercatoribus inſidiarẽtur: altero, qui diligentem verſatilemque rerum emendarum vendendarumq; curam haberet, ac ad reditum omnia pararet. Francfurti hactenus conſuetudo durat, vt equitum aliquot turmæ ad itinera iis qui ad nundinas proficiſcũtur, & inde redeunt, ſecura reddenda conducantur; quorum Dux Hodius non malè nominaretur, quandoquidem euntibus & redeuntibus præſtet ſecuritatem. Quis hic non admiretur ſummum diuini vatis artificium, tam varia antiquitatum & hiſtoriarum eruditione plenum, qua vltimos Colchos deſcripſit vocibus omnibus aptiſsimè inter ſe cohærentibus? Poſſem eadem ducũ nomina ad Caſtorem & Pollucem accõmodare: ſed vereor, ne nimis acutus in his videar, in quibus frustra quamplurimi veteres ſe torſerunt: inter quos Scepſius Halizonas fuiſſe Chalybas ex Aliba collegit; alij Amazonas pro Halizonibus ſubſtituerũt; alij Halizonas Scythas vocarunt, inter quos Herodotus eos inter Tyram & Hypanim collocauit. Hellanicus & Eudoxus Callipedas, & neſcio quas aliorum nominum nugas, nobis effutierunt, vt Strabonis peſsimè hoc loco ab interprete redditi ſententiam ſequar; alij aliter Homeri verſus corruperunt. Quid multis? laborarunt hic Menecrates Elaites, Hecatæus Mileſius, Palæphatus Demetrius, Apollodorus, & poſt alios Strabo, vt eſt eius libro duodecimo videre: nec quiſquam vel minimum eſt veritatis aſſecutus, niſi quòd quidam ad Amazonas & Scythas inclinarunt; inter quos Halizones reuera habitarunt; quos Agathius Lazos nominauit: quæ vox ſi Cimbrica eſt, vltimos ſignificat; quia vltimas Ponti partes tenerent. Quod autem Herodotus dicit, Ægyptia eos lingua ſuo tempore vſos fuiſſe, id non magni admodum facio, cùm diuerſiſsimas in hac Scythiæ parte linguas fuiſſe, Strabo teſtetur; inter quas ſi Ægyptia fuit, eorum fuit qui vel à Seſoſtri, vt ſcribunt, illic relicti fuerunt; vel pòſt eò nauibus appulerunt. Priorem verò Cimmeriam fuiſſe arbitror, quia Cimmerij hunc terrarum tractum quondam tenuerunt, à quibus Amazones & Heneti genus ducunt. Iuſtiniano principe Gobazes rex Lazorum nominabatur, quæ vox bonum magiſtrum nobis in vernaculo ſermone ſignat. Agathius in ea regione duos licet Barbaros, Romanorum tamen equitum præfectos, alterum Dabragaſtum, alterum Huſigardum nominauit; quos nos Sabber, ſiue Sappergaſt & Buſe-

Husegard diceremus; illo nomine agilem strenuumque hospitem, hoc domus custodem notante. Eodem tempore Æetes quidam Lazus orationem ad populum habuit: quæ vox iuratum siue legitimũ caput nobis signans, indicio est, non solùm sub Iustiniano, sed multis etiam seculis antè, eandem linguam Colchis fuisse, eo nimirum tempore, cùm Medeæ proditione Æetæ vellus aureum Græci abstulerunt. Contra Æetem illum recentiorem orauit Pharazes, quasi diceretur Warats; à War, id est, verum; & Rat, quo consilium notatur; ita vt optimè Pharazis oratio nomini proprio responderit, vtpotè quæ verum consilium Lazis demonstrarit. Gobazis frater Zates vocabatur, quæ vox, si rectè scripta sit, nobis Tsat siue Zat diceretur, quo ipsum semen significamus. Verùm suspicor Tsadich siue Zadich dictum fuisse, quod nomen modestum significat. Halizones ergo Homeri nos Lazos siue Colchos fuisse credimus; de quibus plura fortassis in velleris aurei significatione explicanda; quorum ciuitatem Alibam nominauit, ad Sesostris expeditionem respiciens; genitricem illam quidem priùs argenti, deinde auri per vberrimos mercaturæ prouentus, sed minimè per venas, quas Strabo quærit, tametsi in montibus superiùs incumbentibus non dubitem & auri & argenti venas fuisse, cùm flumen aurea ramenta deuehere scribatur: de quibus quò minùs Poëtam locutum putem, cùm alia, tum nomina Ducum faciunt; quorum alteri à via monstranda, tuendaque Hodio nomen est, alteri Epistropho duplici de causa; & quòd diligentissima versatilique in omnem partem cura iis opus sit, qui mercaturam exercent; & quòd non eundum ad nundinas tantùm, sed inde quoque reuertendum; quorum vtrumque nomine hoc significari videtur. Nec malè item eadem vocabula exercitus Ducibus imponuntur, eò quòd non modò aduersus hostem bono ductu securoque est eundum, sed summa etiam opus est circumspectione & animaduersione in omnibus iis gerendis, in quibus hoc vulgatũ, Non putabam, locum minimè habere debet. Halizones igitur vltra Amazones procul à Troia habitabant, & Amazones & Veneti in Cappadocia & Paphlagonia sedes indiscretas habebant; quandoquidem Cromnam alij Amazonum, alij Venetorum domicilium fuisse dicunt. Strabo tamen Amastrin ait Dionysij Heracleæ Tyranni vxorem fuisse, ac Oxyathris, qui Darij frater fuit, filiam. Hanc è tribus opidis, Sesamo, Cytoro, Cromna, vnam vrbem fecisse, quam suo nomine immortalitati nuncuparit. Stephani compendium Dionysium hunc mendosè Siciliæ Tyrannum scripsit, qui longè à Persis habitauit, nihil habens vel cum eis, vel cum Amastri affinitatis.

Nos

Nos primam Amaſtreos originem ad Amazonem referimus, in hoc Demoſtheni cõſentientes, licet ea fortaſſe nõ Amaſtris, ſed Cromna fuerit veteribus dicta, quod nomen Amazonum quidem vernaculũ eſt, ſed minimè feminæ viróve proprium, cùm eo curuum indicetur ad ſinum reductum, ad quem Cromna erat, referendũ. Quandoquidem igitur Cromna Amazonum fuit, atque eadem Venetorum ipſo etiam tempore Troianorum, non malè colligo, Venetos perinde atq; Amazones Cimmerios fuiſſe, & eodem modo memoriæ proditum, Henetos cũ Cimmeriis militaſſe: quo quis diceret, Florentinos cum Italis expeditionẽ quampiam ſuſcepiſſe. Partem enim Cimmeriorum Heneti conſtituebant; quæ neque lingua, neque genere, neq; viuendi inſtitutis diſtincta, locorum tantùm, quæ tenebat, ſitu à reliquis differebat. Cromna itaque Henetorum fuit antiquiſsima ante Troiana tempora ſedes, quæ pòſt, mutato nomine, Amaſtris fuit nominata; vel ea, quam Strabo dixit, vel alia fortaſſe ratione; nec hactenus aliter in tanta Turcorum barbarie vocata. Seſamum verò arx erat, Amaſtreos peninſulam inter duos ſinus claudens, ſic dicta, quòd mare mari connecteret munitionum & murorum catena, eò quòd Ge mare, Gamey coniungere Cimbris dicatur: vnde rurſus elucefcit, Cimmerios primos fuiſſe conditores, quippe quorum lingua in vetuſtiſsimo nomine cernatur. Cromna verò ad incuruum omnino ſinum intra arcem erat, quem promontoriũ ad Aquilonem & Orientem reflexum efficiebat, vti & nomine ipſo apertè ſignificatur, & è Caſtaldi Geographica tabula docetur. Strabo Amaſtrin in peninſula poſitam, ex vtraque Iſthmi parte portus habere ſcribit, è quo liquêre cuiuis poteſt, & qua parte arx fuerit, & quem habuerit Cromna ſitum. Si enim ad portus tuendos arx erat exſtructa, qua parte melius collocari potuiſſet, quàm ea, qua maria proximè poſſent muro coniungi, ne aditus ad peninſulam daretur? Bene igitur nomen inde datum, quòd à mari ad mare pertingat, vtrumque ſinum & muniens & coniungens: quod addo, vt quiuis cernat, quàm aptè hæc nomina Cromna & Seſamum Cimbricam admittant interpretationem. Poſterioribus ſæculis Galatarum fines, qui lingua quoque noſtra vtebantur, ad hos terminos pertingebant, inter quos poſteà Deiotaro Toliſtobogiorum Tetrarchæ Pompeius magnam maritimæ huius regionis partem à Gadilonetica ad Colchos vſque pertinentẽ, donauit; ita vt hac via ad Cimmeriorum ſobolem eo tempore ditio rurſus ſit reuerſa. Porrò, quò certius conſtet, Henetos Cimmerios & genere & ſermone fuiſſe, Ioſepum audiamus, qui tres filios Comeri enumerans, Aſcanaxem, Rhiphat, & Togor-

ma, horum medio Rhiphatæos posteros tribuit, quos ait recentiore vocabulo Paphlagones vocari. Postremò quem Thygrammem nominat pro Togorma, Thygrammæos adscribit, quos à Græcis Phrygios dicit nominari. At primo Rheginos facit posteros, de quibus quid sit existimandum, alibi declaraui. Nos enim Ascanez patrem Ascaniorum fuisse, nihil dubitamus, atque hos tres Comeri siue Cimmeri filios Asiam minorem tenuisse, è qua Ascanij partim in Germaniam, partim in Italiam antiquissimas colonias emiserunt. Si igitur Ascanez clarissima monumẽta in Phrygia reliquit, quæ quinto libro indicaui, non malè arbitratur, qui fratrum eius habitationem non procul inde remouit. Quamobrem lubenter Iosepo concedo, partem Phrygiæ à Togorma & nomen & cultum accepisse: Paphlagoniam verò non longè inde disitam, à Rhiphate primo conditore Rhiphatæam fuisse nominatam, quam secuta ætas Paphlagoniam vocarit. Hinc fit, vt Paphlagonũ antiquissimi, inter quos clarissimi sunt Heneti, ad Cimmerium genus sint reuocandi: quod modò de coniecturis ex Homero & aliis aliquot petitis conatus sum docere. Ex eadem Iosepi auctoritate, perspicuum fit, priscos illos Troiæ conditores è stirpe Cimmeria descendisse, atque id circo lingua Cimbrica locutos esse, quod alibi exemplis demonstrabo. Iam ad Henetorum veram germanamque originem, qui me adspirasse negabit; eum rogo, vt certiora, vel è Poëtis, vel ex Historiæ scriptoribus promat, & Iosepi grauissimi auctoris, quem ceteri omnes vno consensu sunt secuti, inter quos est D. Hieronymus non in postremis, sententiam expugnet. Ceterùm, quoniam modò de Henetorum & Amazonum cognatione tractaui, & iis vicinos ad Eurum Halizonas feci, lubet Homeri versus, quos de his populis cecinit, recitare:

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεω λάσιον κῆρ
Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων,
Οἳ ῥα κύτωρον ἔχον, καὶ Σήσαμον ἀμφινέμοντο,
Ἀμφί τε Παρθένιον ποταμὸν καὶ δώματα Ἔναιον
Κρομνάν τ', Αἰγιαλόν τε καὶ ὑψηλὰς Ἐρυθίνους.
Αὐτὰρ Ἀλιζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον
Τηλόθεν ἐξ Ἀλίβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Quos ad verbum ferè sic vertere licebit:

Paphlagonas ducit crinitum Pylemenis cor
E Venetis, agreste genus, quibus est mularum,
Qui Cytoron habent & Sesamon vndique cingunt,
Partheniumque amnem clara qui sede frequentant,

Qui

Quiáque habitant Cromnam Ægialon celsosque Erythinos.
Dux at Halizonon Hodius sibi Epistrophon addens,
Longinqua ex Aliba Lunaris matre metalli.

In his, vt modò expositi, plurimi se cruciarunt, præsertim in Halizonibus, quibus scrupulos omnes me credo exemisse. Debent Homero plurimùm cùm alibi, tum hoc loco Cimmerij, eò quòd diligenter prisca nomina ab obliuione seruarit, quorum explicatus clara antiquitatis eorum vestigia commonstrat. Sesamum enim & Cromna apertam nobis habent significationem. Cytorus verò, quæ Sinopensium fuit emporium, quid nomine suo sibi velit, non potuissem fortasse coniectare, nisi Ephorus monuisset, à Cytoro Phryxi filio cõditam fuisse, quem Stephanus Cydtorum vocauit, similiter & opidum appellans; quamuis fateatur Cytorũ etiam nonnunquã vocari. Phryxum autem prædiuitem gregum fuisse, vellus eius indicare videtur, quos verisimile est eũ in Gadylonetica vicina regione habuisse, quæ mollis delicatæque lanæ velleribus, teste Strabone, abundabat; quam μαλακὴν καὶ ἁβροδίφθεσον vocauit, quo loco corruptum exemplar habet, ἀπροδίφθερον vocem, rei, quam auctor describebat, minimè conuenientem. Cudt autẽ gregẽ apud nos significat, Koier custodẽ. Cudtoier ergo, & contractè Cudtor, per o magnum, gregis custodem notabit. Quod cùm ita sit, crediderim equidẽ vel à gregis custodia Phryxum filio nomen dedisse, vel opidum hoc in agro Sinopensium ab vpilione Phryxi conditum nominatumque fuisse. Hęc itaque vocabula anquissimæ Cimbricæ loquelæ monumenta, maiorem in modum nos Homero obligant; &, ni fallor, arctiùs Poëtæ deuinciunt, quàm ipsos Amastrianos, qui hæc tria opida vna ciuitate comprehenderunt, eò quòd illorum nominum, quæ nobis vernacula sunt, non Amastrios fecerit mentionem. Hi tamen, quò Poëtæ de vetustissima memoria grati essent, numum excuderunt; in cuius altera parte Homeri effigies est barbata, & capillos diademate, siue tenui vittula obuinctos habens, cum inscriptione ΟΜΗΡΟC: altera Meles fluuius vrnæ innixus, & dextra Lyram super genu erectam tenens, cum inscriptione subtus ΜΕΛΗC; in circuitu ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. Quanta ambitione Græci homines laudẽ sibi ex Homeri carminibus quæsiuerint, si variis diuersarũ gentiũ exemplis docere velim, & superuacaneam & odiosam operam suscepero. Amastris cùm è tribus opidis, quorũ Homerus clarã famam ex opere suo per omnium eruditorum aures sparsit, fuerit constituta; ingrati animi notam effugere non potuit, nisi publico signo gratias egisset. Nec est quicquam magis idoneum ad nominis beneficijque celebritatem latè propagandam,

quàm ſi numus in memoriam eius excudatur; quoniam is per omnium manus volitat, & omnium oculis obuerſatur. Qua de cauſa Smyrnæi melius de Homero meriti videntur, dum numum ei ſub proprio ipſius nomine dedicarunt, quàm dum templum vel ſtatuam ei erexerunt, propterea quòd ille quouis gentium tranſportaretur; hæc verò quo loco ſemel ſunt poſita & conſecrata, eodem ſemper cogantur hærere, illis ſolis ad recordandum vtilia, qui præſentes coram ea intuentur. Qualis verò hic Smyrnęorum numus fuerit, quem Homerum vocabant, quando Strabo non adſcripſit, coniicere potiùs poſſum, quàm exiſtimare, quamuis opiner vtraque facie ſimilem Amaſtriano fuiſſe, cum inſcriptione Smyrnæorum. Lyra verò quam dextra Meles tenet, non ſeptem eſt vel nouem, ſed trium duntaxat chordarum, eadem, ni fallor, ratione, qua Eumelus Corinthius atque Ephorus tres tàtùm Muſas eſſe dixêre, fortaſſe quia tres toni, Dorius, Phrygius & Lydius, in Muſica numerarentur. Cromna itaque Seſamum & Cytorus Amazonicam ſiue Cimmeriam habent interpretationem; è qua licet certam habere notitiam, Henetos Paphlagoniæ ex eadem ſtirpe genus duxiſſe; cui opinioni, quia Ioſepi auctoritas accedit, aſſerentis Paphlagones antiquitus à Comeri filio propagatos, non video quid obſtare queat, quo minùs teneam pro veriſsimo, non alia eſſe Henetæ gentis, quàm Amazonum primordia. Quò tamen idem clariùs & luculentioribus argumentis doceatur, inueſtiganda Heneti nominis ratio, in qua Latinos cogar Græcis anteferre. Quotquot de Henetis quicquã litteris mandauerũt, vno ore confitentur omnes, Henetos Latinis Venetos dici, in quorũ numero primas tenet Herodotus, qui Henetorum in Illyrijs libro primo fecit mentionem, vbi de Venetis Adriaticis ſe loqui in Terpſichore declarauit, Henetos eoſdem ad Adriam ponens. Idem aſſerit Titus Liuius, cuius verba videntur adſcribenda, non huic tantùm propoſito, ſed aliis etiam pòſt exponendis vtilia futura. Iam primum, inquit, omniũ ſatis conſtat, Troia capta, in ceteros ſæuitum eſſe Troianos, duobus, Ænea Antenoreque, & vetuſti iure hoſpitij, & quia pacis, reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abſtinuiſſe. Caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes & ducem Rege Pylemene ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Adriatici ſinum; Euganeiſque, qui inter mare Alpeſq; incolebant, pulſis, Henetos Troianoſque eas tenuiſſe terras; & in quem primum egreſsi ſunt locum, Troia vocatur: pagoq; inde Troia nomen eſt, gens vniuerſa Veneti appellati. Hæc Romanæ hiſtoriæ prin-

princeps. Strabo nonnihil ambigit, Gallis ne Venetis ad Oceanum habitantibus, an Henetis Paphlagoniæ, Venetiæ Adriaticæ primordia adscribat, ea tamen sua dubitatione clarè ostendens, eos, quos Græci Henetos vocant, Latinis Venetos dici; quoniam frustra alioqui de Henetis Paphlagoniæ in Venetorum origine quæreretur. Relictis igitur ceteris auctoribus, citra hæsitationē pronunciemus, Latinorum Venetos à Græcis Henetos nominari: cui addamus nominis originem apud Latinos integram; apud Græcos mansisse corruptam: quod quamuis aliunde docere nequirē, inde tamen coniectari posset, quòd pluribus locis Venetorū quàm Henetorū nomē extet. Sunt enim Veneti in Gallia, Veneti ad Adriam, Venedi ad mare Sarmaticū, lacus Venetus sub Alpibus: cùm nusquam Heneti quàm in Paphlagonia nominentur, & id quidem vel à Græcis, vel ab iis qui Græcos imitantur. Quæ verò causa fuerit, vt Græci Henetos, non Venetos dixerint, vt mihi non est necessariò declarandum, ita non erit fortassis iniucundum, si adiecero. E prima lingua, aliter aliæ nationes nomina retinuerūt, & Græcis peculiare fuit, vt V consonantem non admitterent, sed eius loco vel Beta, vel Ypsilon collocarent. Æoles tamen inter vetustissimos Græciæ populos numerandi, hac in re à communi consuetudine recedentes, huius consonantis potestatem non putauerunt reiiciendam, quamuis figuram aliter pingerent, & talem facerent, vt Gamma, alteri Gamma impositum videretur; ita vt à figura, nō à potestate & sono, Digamma vocaretur. Hi igitur Fenetos eos nominabant, quos Græci Henetos dixēre, sicut Felenam quam ceteri Helenam; quod Priscianus ab Astyage multis versibus probatum dicit. Huius verò Digamma sonum eundem esse cum V consonante Latinorum docet, dum Veneris nomen à sono Digamma incipere tradit. Hinc nunc videre licet, qua consuetudinis ratione Græci Henetos dixerint, non Venetos; quia nimirum Digamma reiecto, aspirationem loco semiuocalis in principio ponerent, quòd aspirationis quædam vis in Digamma audiretur. Magna certè est aspirationis & Digamma affinitas, tum præsertim, cùm & figuram & sonum suum peculiarem & diuersum ab V consonante sortitur. Hispani enim similiter atque Græci Digamma in aspirationem frequenter vertunt, vt dum pro femina Hembra, pro filio Hiio, pro foco Hogo, pro folio Hoio, & similia pro similibus dicunt; in quibus Lusitani digamma diligenter perinde atque Latini cōseruare consueuerūt. Hinc & aliqua, quæ in prima lingua aspirationem non Digamma habent, per Digamma Latini transtulerunt, vt ex ἕηλος vocali longa, quod est, occulto, fecerunt

velo. Atque hæc ſatis ſint ad cognationem Digamma & aſpirationis docendā; quam nuſquam gentiū clariùs eſt videre, quàm apud Hiſpanos & Luſitanos, quorum hi Digamma cuſtodiūt, illi eius loco adſpirationē ſubſtituere malunt. Quæ præter hæc de Digamma diſputantur, ea non ſunt huius loci. Græci igitur non aliter atque Hiſpani pro Digamma aſpirationem in Venetorum nomine protulerūt: quo fit, vt etymologia apud ipſos non ſit quærēda, ſed apud eos qui è prima lingua Digamma retinuerunt, in quibus Æoles, inter Græcos ſoli fuiſſe dicuntur, qui huic litteræ figuram dederunt non è Gamma, quamuis Græcorum & Latinorum Grammatici ita videantur exiſtimaſſe, ſed è nota adſpirationis, quæ recta linea perpendiculari conſtabat, ad dextram partem è medio ſui ad angulos rectos paruam lineam rectam emittēte, qualis hactenus in maiuſculis litteris ſeruatur. Huic itaque Æoles ſuprema parte alteram lineam rectam eodem protēſam cùm addidiſſent, indicare viſi ſunt eam figuram eius eſſe litteræ, quæ paulo plus quàm aſpiratio valeret, ſic vt non figura magis quàm poteſtate diſtaret. Hæc cùm Græcis viſa eſſet duplex Gamma referre, Digamma eſt vocata, meliùs fortè dicenda Didaſea. Sed hæc Grammaticis relinquātur. Nos ad Veneti nominis rationem perueſtigandam ea loca conſideremus, quæ nomine hoc ſunt inſignita, in quibus à lacu Veneto placet exordiri, de quo Pomponius Mela audiendus. Rhenus, inquit, ab Alpibus decidens prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acromum, Hic Vadianus mirè ſe torſit, & tandem in hanc venit ſententiam, non Acromum, ſed Acronium legendum. Nec eo contentus, Melam in hac re ſingularem & vnicum ſuum magiſtrum peruerſi ordinis accuſat, nullius ſcriptoris idonei auctoritate nixus, ſed ſola fretus neſcio qua cōiectura, frigidiore ſanè ipſis aquis, de quibus tractatur. Exiſtimat ſcilicet Venetum à colore Veneto nominari, atque eum eſſe non priorem, vt Mela vult, ſed ſecundum, quamuis rationem nominis vtrique fateatur conuenire. Acronium verò dici priorem & maiorem, ab eo quòd frigore Saturnino non congelaſcat. Cronium enim mare apud Dionyſium vocari, quòd pigro & gelido Croni frigore conſtringatur. Atque hanc rurſus rationem vtrique communem quoque eſſe non diſsimulauit. Sua igitur ipſius confeſsione clarum fecit in neutra nominis ratione quicquam inueniri, quod alteriùs proprium dici queat & peculiare: quod tamen oportebat feciſſe, ſi de nominum vi Pomponij teſtificationem, falſi ex ipſius arbitrio conuincere voluiſſet. Ego profectò, ſi voces ad rationes ſuas eſſent reducendæ, priorem Venetum, poſteriorem Acronium nominandum iudicaſſem; cō quòd prior de colore maris ob magni-

magnitudinem potiùs Venetus, quàm minor diceretur: posterior verò ob impetum aquę velocioręˉ, quo gelu magis impeditur, Acronius potiùs quàm prior nominaretur. Verùm latet fortasis aliquid subtilitatis in Ioachimi dictis, quod equidē homo obesę naris nequeo subodorari. Sentiat ergo cum ipso qui volet, ego Pomponium de diligētia & fide laudo, aduersario, vt futili, reiecto. Quid enim audacius quàm grauem grauissimi auctoris sententiam citra rationem & auctoritatem contemnere; & non contemnere modò, sed falsam etiam, quia sic visum est pronunciare? Deinde quid magis ridiculum quàm voces Lacuum vel Gallicorum, vel Germanorum, vel saltem eorum qui citra controuersiam, ante Melæ ętatem, à Romanis nomenclaturam non accepissent, ad Latinos fontes referre? Quid quòd alteram vocem Latinam faciat, alteram Græcam: & illam quidem Græcā, qua Lacus Romanis vicinior; Latinam verò, qua is, qui à Romana lingua loquentibus longius distat, significaretur. Nescio quid hic alij cogitent, mihi nihil possit esse magis absurdum. Homines videlicet rudes & inhospitales, & exterorum sic hostes, vt ne infantibus quidem & grauidis mulieribus inter latrocinandum parcerent, vti Strabo scripsit, à Romanis nomina mutuati sunt, quibus præcipua regionis suæ ornamenta nuncuparēt. Verùm satius est, ex eodem auctore docere, Germaniam ad Alpes vsque pertigisse, quod in ipsius statim descriptione primum est. Idem mox subdit: Montium altissimi Taunus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium Danubius & Rhodanus in Rhenum; Mœnus & Lupia in Oceanum; Amisius, Visurgis & Albis clarissimi. Hîc cernere licet capite Germaniæ, non solùm lacus duos, quorum nomina quæruntur, sed Rhodani etiam & Rheni fontes contineri. A Germanis igitur, nō à Latinis, non à Græcis, appellationis ratio petenda. Et ne Rhætica nomina credamus, Strabo audiendus, qui Rhætos ad Italiam supra Comum & Veronam spectare, & altera parte extendi ad loca ea, per quæ Rhenus defertur, asserens, Vennones iis proximos facit, atque eos Vindelicis adscribit, cū Licatiis & Clautenaciis, summa eis tributa feritate. Brigantium item Vindelicis annumerat, à quo opido lacus Brigantinus postea vocatus est. Strabonis igitur tempore non solùm inferior, sed superior etiam Lacus pars à Vindelicis habitabatur. Vocabantur autem hi Vindelici Vennones, quorum Brigantini partem vnam faciebant. Verùm tempore Plinij, quo Rhætiæ præfectura latiùs pateret, Vennones Rhætis sunt attributi, loco tamen prisco non mutato. Sicut enim antea proximi à Rhætis erant, & ad ortus Rheni accolebant; ita pòst etiam à Plinio ad

Rhe-

Rheni ortus habitare dicuntur. Hic tamẽ Vennonetes pro Vennonibus ſcribit, atque id bis; ſemel de ſuo, ſemel ex Trophęo gentium in Alpibus deuictarum. Hermolaus in ſuo exemplari habuit Vennonenſes, quam vocem è Strabone & Ptolemæo caſtigat. Parui noſtra refert, quo fine nomẽ hoc Plinius terminarit, cùm ſignificatio & origo eadem eſſe cernatur. Cauſa autem, ob quam docui Vennones priùs Vindelicis fuiſſe attributos quàm Rhętis, ea eſt, vt intelligatur homines ad lacum & ſuperiorem & inferiorem, Strabonis ætate, Rhæticam linguam non ſuſcepiſſe, atque idcirco vetuſta eorum nomina non ad Rhætos aut Thuſcos referenda, ſed ad Vindelicos. Iam ſi propiùs examinemus, quod hominum genus ad lacum vtrunque olim habitarit, inueniemus Cimbrici eos generis fuiſſe. Poſidonius enim apud Strabonem Geographiæ lib. ſeptimo ait, Cimbros ad paludem vſque Mæotim latrociniis vagis exercitũ duxiſſe. Ab eis enim Cimmerium Boſphorum appellatum, quaſi Cimbricus diceretur; eò quòd Cimbros Græci Cimmerios appellẽt: Boios verò Herciniam priùs ſiluam habitaſſe, quorum loca inuadentes Cimbros à Boiis ad Iſtrum repulſos eſſe, atque inde ad Scordiſcos Gallos deſcendiſſe, hinc ad Teuriſtas & Tauriſcos, & hos item natione Gallos: pòſt ad Heluetios homines auri prædiuites illos quidem, ſed pacis ſtudioſos. Hos tamen, cùm opes latrociniis conuectas ſuperiores ſuis viderent, animos extuliſſe, & præcipuè inter eos Tigurinos & Tougeneas, adeò vt cum ipſis quoque in militiam excurrerint. Omnes autem tum Cimbros, tum ſocios expeditionũ à Romanis fuiſſe deletos; alios quidẽ, poſtquam Alpes ſuperaſſent, alios extra Alpeis. Addit Strabo proditum eſſe, vxores Cimbrorum vnà militaſſe; quibus ſacrificæ quædam vates cano capillo, albo veſtitu, paludamento ſuperiùs fibulis cõnexo humeros tegente, zona ahena, pedibus nudis, comites adhærebant. In his laudanda quidem Poſidonij diligentia, ſed adiuuandus eſt temporum correctione ex aliis petita. Scimus Cæſarem à Rhemis didiciſſe, longè aliud iter Cimbros eos tenuiſſe, qui pòſt à Romanis vel penitus ſunt deleti, vt ipſi ſcribunt; vel quod alij ſuſpicantur, cæſi fugatiqúe ſunt ad Alpes. Dicendum igitur, hanc Cimbrorum expeditionem, cuius notitia ad Poſidonium venit, multo vetuſtiorem eſſe ea, qua Rheno ad Oceanum traiecto Galliam inuaſerunt. Hoc enim de itinere à Poſidonio deſcripto perſpicuum cuiuis eſſe poteſt, Cimbros ad Boios recta è primis ad Euxinum locis veniſſe, atque ab illis repulſos, ad Iſtrum per Morauiam nunc vocatam declinaſſe, atque inde per alias gentes ad Alpes contendiſſe, dum ad Heluetios peruentum eſſet. At illi qui per Neruiorum Eburonumque fines Gal-

liam

Galliam irruperunt, priùs ad Venedicum ſinum, hinc ad Cherroneſſum Oceani Germanici, inde per litora ad Rhenum vſque ſedes ſibi quæſiuerunt, vt mox docebo. Nequaquam igitur antiquiſſima illa Cimbrorum profectio confundenda eſt cum poſteriore, cùm itinerum ratio ex diametro pugnet. Hoc mihi hic fuit annotandum, ad lucem cùm huic loco, tum hiſtoriis etiam aliorum inferendam. Accipiamus ergo hinc, quod de priſcis Poſidonius eruit, Cimbros antiquitus proximas Tigurinis ſedes ſibi Germaniam verſus occupaſſe, atque tandem cum iis ſocietate inita Galliam inuaſiſſe, atque illic non antea conſtitiſſe, vt de coniectura colligo, quàm Oceani obiectu compeſcerentur, ad quem Venetos Galliæ multo anteà quàm Atuaticos ad Scaldim condiderunt: immo antè, ni fallor, quàm Cimbricam Cherroneſſum in Germania habitarint. Quamobrem ſi ex Vindelicia proximi Tigurinis fuerunt, apertum eſt, ad Lacum vtrinque ſuperum & inferum conſediſſe, idque tam latè quàm ratio multitudinis exigebat. Neque enim hoc ſuſpicandum, ſtatim vbi aduenerunt citra moram vllam vel amicitiam cum Tigurinis, vel ſocietatem contraxiſſe, verùm paulatim de mutuis commerciis notitiam, hinc cetera pro eo atque fieri ſolet ſucceſſiſſe. De Cimbrorum igitur vel Gallorum vel Germanorum antiqua lingua lacus vtriuſque nomina vetuſta, quibus Pomponio noti fuerunt, ſunt explicanda. Altera enim ripa Germanorum, altera Gallorum extra cõtrouerſiam fuit Rhœtis couſque necdum extenſis, vt de Strabone feci clarum. Deinde Cimbri vtramque habitarunt, vt neceſſariò conſequatur alicui horum nomina deberi. Sed cui populo potiùs Veneti lacus nomen attribuemus, quàm ei qui Venetus dictus eſt, in Paphlagonia ante Homeri ætatem atque ex Aſia nomen idem in Europam ad ſinum Adriaticum importauit? Non igitur à colore lacus maior nomen habet, non magis quàm Veneti ad Adriam vel ad Euxinum ita nominati: ſed à voce Cimbrica Wey, quo generatim omnis lacus, & omne ſtagnum vocatur. Maior igitur lacus per excellentiæ rationem Wey nominatur, non aliter, quàm dum Poëtam audimus, Virgilium apud Latinos, Homerum apud Græcos iutelligere neceſſe. Eadem ratione omnes illi qui ad Lacum habitabant, Vennones dicti ſunt, quaſi Wenſſoners, id eſt, habitatores ad Lacum; ex quo Vennones perinde Latini fecerunt, atque ex Hermitſſoners Hermiones, & ex Weſtſſoners Eſteuones, & ſimiles ex ſimilibus vocibus formarunt. Optimè igitur ratio nominis cum Strabonis & Plinij aſſertione quadrat, qui Vennones ad ortus Rheni locarunt. Quocirca temeraria & peruerſa fuit Auentini audacia, qui pro Vennonibus Sennones dedit le-

gendos: nec magis probandus Schudus, qui quo ſuas coniecturas Plinio & Straboni aduerſarias confirmaret, pro Vennonibus populo noto, Bennones, neſcio quos, ſomniauit. Multo huic facilius fuiſſet, & ſimilius iis quæ paſsim contingere videmus, dicere, Vennones primùm in hac regione ad Lacum habitaſſe; verùm inde ſedes paulatim Italiam verſus promouiſſe ad Atheſis exordia, ad quæ Vallem venuſtam inuenit & Vinſgoiam à Vennonibus, vt putat, dictas; & diuerſa etiã nonnihil via ad Eni principiũ ditionem ſuam extẽdiſſe, ad quod Winſtermuntz ab eiſdem nomen videtur duxiſſe. Certè ea ſemper fuit Cimbrorum conſuetudo, vt non ferè vicinorum terminis parcerent, niſi maiore vi arcerentur. Quo fit, vt nihil mirum ſit, ſi à lacu Veneto proxima Alpium occuparint, nominibus quoq; de ſuo eò tranſlatis. Multæ fiunt gentium commigrationes; quas qui non animaduertit, eum neceſſe eſt frequenter offendi, dum apud auctores in ſpeciem quædam pugnare inter ſe videntur. Omnia itaque priùs diligentiſsimè expendenda, quàm in bonis ſcriptoribus quicquam immutemus. Porrò Acromi etymon facilè inuenietur, ſi vetus lectio ſeruetur, cui Vadianus ſe diu fatetur adhæſiſſe, idque tantiſper, dum in mentẽ veniret de Cronio mari nomẽ lacui comminiſci. Ex hac igitur confeſsione ipſius id mihi ſumo, Acromum triſſyllabicôs, non Acronium adiecta ſyllaba, in antiquis exemplaribus ſcriptum fuiſſe: quo magis miror contra veterũ codicum fidem, nouum nomẽ accerſitum: niſi id Vadianus quæſiuerit: quod ſanè credo, vt in Saturni frigore, geluque à lacu ſuo amoliendo, Hercules quiſpiam Alexicacos fuiſſe videretur. Sed hæc vana ingenij oſtentatio contra vetuſtam lectionem quæſita, vel in Grammatico ſit infamis; tantum abeſt, vt tolerari debeat in hiſtorica grauitate. Acromum igitur lacum cum Pomponio vocamus nomine tribus ſyllabis abſoluto, atque eum ſecundum, non priorem eſſe cum eodem affirmamus. Ratio autem nominis gemina videri poteſt. Vel enim ab Αχῆ fluuiolo ſinus hic incuruus nomen accepit, vt ſit Αχῆκρωμ, & concisè Ακρωμ reiecta aſpiratione, & altera litterę duplicatę parte: quo ſignificaretur ad verbum, Incuruum Achi fluuioli. Κρωμ enim incuruum ſignificat; Αχῆ verò fluuiolus eſt, ſiue torrens, ortus ad Αχῆopidulum eiuſdem nominis ſub montibus iis, in quibus eſt Furſtenberg, imminens Danubij exordio. Hic ſecundi lacus ſinum incuruum facere videtur, vt ei iure bono nomen dare mereatur. Κρωμ verò, dum de lacubus, ſtagnis, mari, aut fluminibus dicitur, proprium eſt ſinuum reductorum, vnde Cromna ab Amazonibus ſiue Cimmeriis Henetorum & Paphlagonum parentibus opidum vocatum, ad ſinum recuruum peninſulæ ſitum;

eius, inquam, in qua Amaſtris neptis Darij ab Alexandro deuicti, vrbem de nomine ſuo cõdidit, vt paulò antè declaraui, quatuor opidis in vnam ciuitatem redactis, quorum Teium non multo pòſt ſeſe à communione exemit. Vel igitur ab Achi fluuioli incuruo ſinu lacus nomen habebit, vel Achus & ſinus ab eadem origine deducentur. Ac enim, vt Flandri quidam, vel ſac, vt Antwerpiani atq; vicini, vncum ſignificat. Influit autem hic riuus in Rhenum ad eum modum, vt cum eo vncum conſtituat contrario nimirum meatu. Si enim à Conſtantia Rhenũ conſideres, vnà cum lacu & riuo, vncini formam adamuſſim videbis. Deinde lacus ſecundus vnà cum fluuiolo ſic ſe habet ad maiorem, vt dextram eius ripam vncinatam quoque reddat, relicto cornu quodam oblongo ab vltimo Veneti lacus receſſu Conſtantiam verſus reflexo; quod cũ dextra Veneti lacus ripa vncini formã præ ſe fert, quæ forma non eſſet, niſi ſecundus lacus in eam ſinus curuitatẽ reflecteretur. Hac ratione Acrony diceretur lacus, quod geminã vncini curuitatẽ efficiat, alteram cũ Rheno, alterã cum ripa lacus maioris. Atque hinc fortè fluuiolo nomẽ, & à fluuiolo ipſi opido ad fontes eius conſtituto. Elegans certè vocis inuentio, qua ſimul multa indicarentur, quæ plurimum facerent ad locorum viuam deſcriptionem. Antiquiſſimum ad hunc fluuium eſt opidulum Hach ab eodem nomen adeptum, à Danubio vix vno miliari Heluetico remotum; ita vt ſuſpicer hac merces à Rheno ad Danubium ſolere tranſportari. Quòd verò cum aſpiratione in fine Germani ſuperiores pronuncient, id fit more gentis illius, cui ſibilus & aſpiratio ad virilem ſonum facere videntur. Optimè ergo Pomponius Mela lacus antiquis ſuis nominibus diſtinxit, quæ Vadianus & eius ſententiæ pedanei corruperunt; & quo id facerent inſignius, quod poſterioris lacus proprium eſt, priori; & contrà, quod maioris, minori tribuerunt. Quo verò facilius credi poſsit, Lacum à Cimbris Veneti nomẽ accepiſſe; addemus & illud, Cimbros dũ è Sarmatia ad Iſtrum & circũ vicinas gentes vagabũdi diſcurrerent, ad Triballos etiã Myſię populos veniſſe, atq; illic ad ſtagna quędã ſiue lacus, qui illic plurimi ſunt, Venetos quoq; reliquiſſe; quorũ Gentiũ ſcriptor meminit, Henetos quoſdã Triballorũ populũ eſſe dicens: quod cùm ex ipſo Euſtathius tradiderit, nec in noſtro Stephani exẽplari reperiatur, mutilũ hoc noſtrum Gentium opus confiteri neceſſe eſt. Valde igitur olim Cimbri ex his locis ſuperius ſecundum Draui & Saui ripas ad Alpes aſcenderunt, apud Triballos Venetis relictis expeditionis ſuæ monumẽto. Hinc alij ad Adriã, alij verſus Heluetios per Alpium radices videntur profecti, ſed maior potiorq; pars ſinum Adriaticum petiuit.

Cumque illi iam proximi Tigurinis diu consediſſent, finibus ad Alpeis è diuersa parte non parum promotis, tandem quietis pertæsa numerosior iam iuuentus, vocatis in societatem proximis Heluetiorum, in Galliam, vt opinor, transierunt, auctæ soboli nouas prædas, nouasque sedes quæsituri. Hic credo secundum Ligeris amœniſſimi fluminis ripas ad Oceanum peruenisse, atque illic, quo tuti essent, vrbes condidisse, quæ restagnantibus Oceani aquis ita munirentur, vt neque nauibus maioribus, neque pedibus tutum haberent accessum, quibus opima spolia, quæ in itinere Gallis eripuissent, conseruarent & augerent. Multum sanè hæc Veneti nominis consideratio lucis attulit tum historiæ antiquæ, tum Cimbrorum genti, quæ tam variis locis Venetos videtur condidisse. Vennones igitur à Veneto lacu nomen ducere quis dubitabit, qui nominis rationem de nostra interpretatione peruidebit? Nihil igitur huic de Venetis ad lacũ sermoni amplius adiecissem, nisi Vennones illi, quos Schudus ad Eni initium posuit, opem meam imploràssent, quò maculam veteri suæ & germanæ linguæ inustam, in transcursu abluerem limpida puraq; veritatis vnda. Schudus Engadin vallem duplicem agnouit, alteram superiorem, alteram inferiorem; quarum vtramque Vennones olim habitarint. Duplex autem est à duplici fluminis exortu, altero superiore, altero inferiore nominato. Hic Schudus Engadin corruptam vocem esse censet, à vetusta Rhætorum, quæ est En code Ino, significans In capite Eni. Hoc verò adeò ridiculum est apud eum, qui Cimbrici sermonis sit peritus, vt id quod maximè. Nam Engadin nullo prorsus apice, nedum littera mutata, significat Enus incipit, siue accipiendo Gadin pro nomine Eni, exordiũ. Gadin autem idem nobis est quod incipit. Enus autem olim citra diphthongum dicebatur, non Ænus aut Inus, quamuis e longum esset. Germani verò superiores in multis vocibus, quas à Cimbris accipiũt, secundam Latinorum vocalem in tertiam commutant: vt enim ex Kerc Kirc faciunt, atque de more suo spiritu adiecto Kirch; ita ex Ey faciunt Jn. Cùm igitur Rhæti Enum Ino dicant; clarum est, Rhætos non à Cimbris nomé suum traxisse, sed posterius à Germanis superioribus accepisse. alioquin enim Eno, non Ino, dixissent. Credo certè tum ex hoc Rhætorum nomine, tum ex aliis quamplurimis linguam Rhæticam minimè Tuscam esse, sed à Latino sermone perinde atque Hispanicam & Gallicam corruptam. Sic Benacum, non Benaco vocant, sed *Laco de garda*: vbi perspicuum est nomen *Garda* Tuscum non esse, sed Germanicum, eo modo corruptum, quo illa, quibus duplex W Germani adscribunt. Datum est enim recentius

hoc

hoc lacui nomen à Gotis, ni fallor, qui quò Italiam hac parte à Francis, Boiis, Auaris, & aliis tuerentur, diligentem hic cuſtodiam poſuerunt, quam Wart lingua ſua nominarunt, quo nomine ſuper lacu hactenus opidum eſt ad eum, vt videtur, finem conſtructum, vt præſidiarios contineret, quod toti huic amœniſsimo mari impertitur appellationem. Fruſtra igitur Schudus de vetuſta Tuſcorum lingua ſibi ſomnia fingit, dum vocem purè puteque Germanam de Tuſco ſermone corruptam eſſe credit. Sed ne ſolus Schudus in eiuſmodi vocibus priſcis, quarum origines apud nos integræ incorruptæque ex prima lingua manſerunt, lapſus eſſe videatur, cogitandum multo anteà Latinos quoque & Græcos ſimili errore ductos, ridiculas originationes attuliſſe. Quis enim Plinio credat Euganeos, quos Titus Liuius ab Henetis, duce Antenore pulſos ad Alpes fuiſſe tradit; ab origine Græca dici; quaſi εὐγενεῖς, id eſt, vt ipſe vertit, genere præſtantes eſſent? Quis Lepontios à verbo Græco λείπω, quod ſignificat relinquo, dictos fuiſſe, quòd præuſtis niue membris Herculem reliquiſſent, ſedibus ſibi in Alpibus poſitis? Graias item Alpes Græci ſcilicet de gente ſua nominarunt, quaſi vnquam hac iter fictitius eorum Hercules habuiſſet. Euganei certè dicuntur, quòd ea loca habitant, in quibus ſic eunduin eſt, vt ad læuam mundi partem corpus inclinetur. Cùm enim decliuia in meridiem Alpium latera habitarent, videbantur ſemper corpus verſus planiciem ſubiectam propenſum habere, pede nimirum illo, qui Italiam ſpectaret inferius ſolùm, quàm altero premente, vt in omni decliuitate greſſus eſt inæqualis. Siniſtrum autem mundi latus Auſtrale dici à vetuſtiſsimis Poëtarum ab Apollinis decurſu, aliter quàm à Peripateticis, qui aliter poſitum cæli cõminiſcũtur, ex Ouidij metamorphoſi apertum.

Vtque duæ dextra cælum, totidemque ſiniſtra
Parte premunt Zonæ, quinta eſt ardentior illis.

Item ex illo Lucani:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Euganei igitur illi dicebantur à Venetis, qui ſic in Alpibus habitabant, vt inter eundum ad ſiniſtrum mundi latus propendêre viderentur. Eus enim anteà dixi ſiniſtrum notare, dum Terei nomen ad primogenia vocarem. Say verò, idem eſſe quod Latinorum ire, in Iani nominis explicatu memini docere. Lepontij verò qui dicantur, ex illo Strabonis colligas, quo dicit, per tota Alpium montana

quoſdam terrarum extare tumulos, qui ad colendum ſint accommodati, & inter eos valles quoque non paucas frugiferas interiacere: verùm vertices, ad quos latrones conſiſterent, infrugiferos eſſe, tum quia metu illorũ nõ colerentur; tum quia aſperitas locorum omnem culturam excluderet. Lepontij igitur dicti ſunt, qui ſub ſummis Alpium verticibus eiuſmodi colles colunt. Nam Λεπ humile deiectumque ſignat, contrarium ei quod contrario ordine ſcriptum Πελ pronunciatur, quo altum denotamus; à quo Πιλ mons eſt nominatus. Ποντ verò acumen notat, quod alij punt efferunt, ad vertices ſignificandos idoneum. Humiles igitur colles Λεποντεγ dicentur, & ij, qui illos habitãt, Lepontij. Cùm ergo humile ad altum comparetur, illi propriè dicentur humiles vertices habitare, qui inter ſuprema præcipitia & ſumma Alpium faſtigia colles inferiores incolebant; quæ vox non æquè conuenit iis, qui in lateribus & radicibus Alpium vel Italiam, vel Germaniam, vel Galliam verſus habitabant; eò quòd illorum loca ſubiectis potiùs campis comparanda viderentur, quorum collatione non humiles vertices, ſed altos habitare dicerentur. Maximè igitur illis nomen conuenit, qui ad ſummas Alpes tumulos inferiores colunt. Hos Cato à Tauriſcis oriundos arbitratur antiquiſsima Galliæ gente, cuius reliquias & hic eſt, & in Norico videre. Galli igitur, vti proximi, meditullia hæc Alpium occuparunt pro diuerſitate locorum & gentium, & eorum quæ ab illis ſpectabantur, varia nomina ſortiti. Graias Alpes à Γραυ dictas opinor, ea ratione, quam in Caucaſo ad Plinij intelligẽtiam adduxi. Penninas à πιννις, quaſi Pinninas, ſi quis vocari arbitretur, meo quidem iudicio non ſentiet abſurdè. Πιν enim nobis omne id ſignificat, quod in mucronem exit, & ipſam etiam mucronis extremitatem, è qua voce Latinorum pinna manauit. Pinninæ igitur Alpes eſſent à multis rupium mucronibus in acutum exeuntibus dictæ, ſicut Tridentum à Τρι quod eſt tres, & Τεντ, id eſt, dens, nominatur; eò quòd rupes illi altiſsima imminet tribus dentibus inſignis. Sunt autem dentes in ſummo cacumine tres verrucæ totæ ſaxeæ, veluti dentes quidam eminentes; quarum vnam, quæ *L'ort d'Abraham* vocatur, non ſine periculo conſcendi anno poſt milleſimum quingenteſimum quadrageſimo octauo. Eodem modo ad iuga Rhætica, è quorum maximo Vitreto duobus fontibus Mintius, vt ipſe vidi, exoritur; cacumen quoddam Septentrionem verſus conſpicitur, Τονατ nominatum, propterea quòd montis ille vertex tam excelſus ſit, vt omnia oſtendat. Τοη enim idem eſt quod oſtendo, Αι verò omne. Τονατ igitur

igitur mons omnia oculis subiiciens siue demonstrans. Nam Penninæ non à Pœnis illac transgressis dici queunt, eò quòd Hannibal illac iter fecerit, qua ad Taurinos venitur, è loco in quo Lugdunum conspicitur, ad Druentiam profectus; atque hinc per montem Geneuam nominatum descẽdens in Italiam, rectiore via, sed fortè difficiliore per Gabellam montem, atque inde per Alpes Cinesias iturus, qua ego pedes Lugduno Taurinum petiui: quod addo propterea, quoniam Polybium video grauissimum historiæ scriptorem, iis quæ de hoc Alpium transitu scribit addidisse, se hoc solo nomine ad Alpes profectum fuisse, vt eas conspicaretur. Certè iis qui vel Gallicam planiciem, vel Germanicam habitant, nihil crediderim admirabilius posse contingere, quàm si ad canos illos vertices glacie sempiterna rigentes, & montes crystallinos deducantur. Cùm igitur de Hannibalis & Pœnorum itinere è Polybio & Tito Liuio constet, eos non per Pennina cacumina, per quæ ad Libuos Gallos, non ad Taurinos descenditur, perrepsisse; clarum est, Penninas Alpes à Pœnis dictas non esse, atque neque Pœninas quidem vocandas, sed Penninas, vti apud Liuium in correctioribus codicibus inuenimus; quæ vox cum nostra quadrat interpretione. Possem equidem ex antiqua Gallorum lingua, siue nostra huius ætatis, quamplurima gentium & regionum nomina in toto Alpium tractu ad natales suos reducere, nisi à Græcis & Latinis ita corrupta essent, vt germani primique soni crebrò vix tenue vestigium conspici possit. In quibusdam tamen integritas quædam est conseruata, quæ originem adhuc linguæ primæ non imperitis suggerit: vt in his quæ exposui; & aliis nonnullis, in quibus sunt Medualli, è quorum montibus Druentiam Strabo deriuat: ita vt hos necesse sit inter præcipuos Allobroges fuisse, qui Hannibalem afflixerunt, quamuis nec Polybius, nec Liuius peculiarem eorum fecerint mentionem. Dicuntur Medualli, quasi Mitwalti, id est, medium saltum habitantes. Mit enim medium, & Walt saltum notat. Sunt hactenus populi eodem quidem nomine, sed loco Alpium valde diuerso, quorum montes inter Halam sunt & Swatzam super Eno sitas & Bauariæ planiciem. Horum Alpes nobilissimus ille salis mons contingit, qui Halæ imminet, quò nos visendi quoque studium pertraxit. Hala enim & Swatza opida duo sunt, quorum alterum ob salis ingentem copiam è monte cæsam, atque deinde aqua per salis montem deriuata recoctam, partim ad molem augendam, partim ad saporis suauitatem; alterum ob æris metalla infinita in primis est visu dignum. E Swatza per montem Meduallicum, vt sic cum Strabone dicam, iter nobis fuit, in cuius

iugo

iugo lacus eſt, longiſſimo ponte è rupe dependente, tranſeundus; poſt quem exiguus pagus carbonibus faciendis victitans. In hoc tenuiter pranſi, & equis à laſſitudine ſumma, quam tum de aſcenſu superarduo, tum de lucta contra niuem & ventum contraxerant, nonnihil refectis, ſub noctem per ſiluam deſcendere cœpimus, ſuaſu & ductu neſcio cuius mercatoris, vt hoc hominum genus omnia pericula lucri cauſa contemnit. Vix ergo hora prima poſt mediam noctem natalis Chriſti, è niue ad villam quandam eluctati ſumus, in qua via generoſiſsimum equum niui immerſum vix tandem extraximus. Fecit hæc itineris per ſummum frigus difficultas, vt Meduallorum, quos ad Tricorios Strabo collocauit, non potuerim obliuiſci, cùm ſaltus hic, per quem frigidiſsima nocte deſcendi, Witwaſt vocaretur. Sed hinc planicies nos conſolata eſt ſpectaculo ceruorum, quorum armenta maxima & numeroſiſsima nobis inter equitandum offerebat, quibus frequentiora vix crediderim vſquam gentium inueniri. Poſtera deinde dies omne itineris tædium generoſiſsimis vinis eluit, quæ Monachum elegantiſsimum Germaniæ opidum è variis & longinquis locis apportata ſuppeditabat. Witwaſt igitur tum ſaltus, tum ad ſaltum opidulum Vindelicorum, rationem nominis antiqui Meduallorum apud Allobroges nobis aperuit. Ceterùm dum de linguæ noſtræ veſtigiis veterem hiſtoriam illuſtrare molimur, & quæ ab aliis ob ſermonis noſtri imperitiam perperam ſunt intellecta & ſcriptis tradita, cogimur à Vennonibus & lacu Veneto ad Vindelicos tranſire, quos equidem non minus Cimbrorum eſſe ſobolem, quàm Vennones ipſos & Venetos arbitramur. Horatius poſt Virgilium diligentiſsimus antiquitatis perſcrutator, quarta quartirlibri Ode, hæc carmina lyræ ſuæ præiuit:

Videre Rhæti, bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici: quibus
Mos vnde deductus, per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli,
Nec ſcire fas eſt omnia: ſed diu
Latæque victrices cateruæ
Conſiliis iuuenis reuictæ.

Diſtulit Horatius quærere, qua cauſa Vindelici, Amazonũ more, armati eſſent, ſed ſic diſtulit, vt differendo indicarit. Seruius enim in hos Virgilij verſus ſcribens:

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis

Illyri-

Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui.

dicit Rhetos Vindelicos ab Amazonibus genus duxisse, in eo tamen, quorundam iudicio, errans, quòd Rhetos Vindelicos citra coniunctionis notulam sic nominarit; vti si quis diceret, Volcas Tectosages, cuius Horatius auctor ei fuisse videtur, apud quem eodem modo priùs legebatur, quàm Mancinellus interposuisset inter Rhetos & Vindelicos coniunctionem, qua distinguerentur; quæ necessaria videbatur, si Vindelici & Rheti de Geographorum sententia diuersi populi sint nominandi. Sed quando Seruius sic legit, & eidē Acron, & Porphyrio, quorum commentaria, quæ in Horatium habemus, feruntur, adstipulantur; suspicor Poëtam hîc aliquid vidisse, quod ceteri ignorarent. Cùm enim ab omnibus Rheti à Vindelicis distinguantur, tanquam diuersæ gentes, hic solus inter antiquos eos coniunxit, quasi Rheti quidam Vindelici essent. Nisi Catonis auctoritatem vererer, facilè in hanc descenderem sententiam, Rhetos non à Duce aliquo, sed à locis, quæ habitarent, nomen sibi dedisse. Rhetey enim lingua Amazonica siue Cimbrica, significat rupturas & rimas; quæ vox terris attributa, eas maximè notat cauitates, quas aquæ vi sua rumpunt, vt antea quoque declaraui. Hac ergo interpretatione Rheti dicerentur ij populi, qui canales Alpium vi torrentium & fluminum excauatos tenerent. Si quis enim Alpes rectè consideret, vnum esse montem dicet, multis aquarum lapsibus in varias partes disruptum. Iam ipsas pylas, vt Græci; siue portas, vt Latini; siue Clusas, vt Itali vocant, introeuntes, quid aliud sibi videntur intrare, quàm hiatum disrupti montis? Qui ergo intra has voragines commorabantur, non malè lingua vernacula Rhetingey, siue Rheti nominabantur. Huius etymologiæ Horatius à quopiam fortè certior factus, Rhetos Vindelicos dixit eos, qui Rhetas, id est, rupturas, vnde rupes etiam nominantur, Vindelicas habitarent: quasi diceret, non solos primos & Italiæ proximos Rhetos victos fuisse, sed illos etiam, qui Germaniam contingerent, priuato nomine Vindelici vocandi. Porphyrio, vt aliquid ad hunc locum commentaretur, finxit Vindelicos è Thracia ab Amazonibus pulsos fuisse, atque idcirco, quòd victoriam eam armorum potiùs generi, quàm Amazonum virtuti adscriberent, ab eo tempore armis vsos esse Amazonicis: quod quia falsum, satius fuisset tacuisse, & cum Horatio cōfiteri, fas esse quædam ignorare. Meliùs Seruius, & sententiæ nostræ de Vindelicis planè conuenienter, Rhetos Vindelicos ab Amazonibus deduxit. Vindelici igitur Vennones ad Lycum priùs habi-

tantes, pòst in Alpium rimas siue Rhetas penetrarunt, ex quo Rheti Vindelici sunt nominati. Hac ratione omnes illi, qui Alpium ruptas valles tenerẽt, Rheti; qui montium vertices inferiores, Lepontij, qui medios saltus, Medualli dicerentur. Essent itaque hæc nomina locorum potiùs quàm gentium propria, si origines significatorũ spectarentur. Rheti igitur Vindelici erant, qui inter rupes Vindelicas habitabant, qua Alpes Germanię campos canis suis pinnis longè lateq; salutant. Vocantur autem Vindelici nomine composito ex Wey & lec: quorum illud quid signaret, antè dixi: hoc fluminis è Penninis montibus in Danubium delabentis nomen est; ad cuius vtrinque ripas Veneti siue Vennones cùm ditionem protulissent, accolas Vennonas Lecios nominarunt, quod Cimbricè diceretur Wenning des Lecs, & syncôptos more nobis vsitatissimo ad breuitatem conciliandam, Wendesslecs. Verùm superiores Germani siue Alemani & Sueui, E in I mutant; vti de Eno dictum est. Ex Wey igitur prima syllaba Wiy; & ex Lec, Lic fecerunt. Articulus tamen genitiui casus, qui est inter has syllabas medius, huius mutationis non est capax. Nam & Alemanus & Cimber Des in secundo casu effert. Vindelicus igitur dictus est Venetus ille qui ad vtramq; Leci ripam primùm habitauit, ac deinde sedes latiùs promouit. Paulo superiùs ostendi Cimbros ad lacũ Venetum habitasse, atq; inde Vennonum nomen accepisse: quod quãuis longiùs inde domicilia paulatim promouissent, custodiuerũt ad primarũ sedium memoriã posteris relinquendã. Rectè igitur Seruius docuit, Vindelicos originẽ ab Amazonibus habere: q; non aliud est, quàm si dixisset, Vindelicos à Cimbris oriundos esse. Auentinus sic Seruium testem producit, quasi scripsisset Vindelicos Amazonũ Cimbrorumque sobolem fuisse: quod quidem verbotenus nõ dixit, sed ex eo deducitur necessaria collectione. Bene quidẽ & optimè Auentinus Amazonas & Cimbros coniunxit; sed in eo falsus est, quòd vxores duntaxat hoc nomine intellexerit, & vtriusque vocis originem perperam explicarit. Neque meliùs in Vindelicorum nomine versatus est: quod tamen condonandum viro Cimbrici sermonis imperito, ceteroquin omnium Germaniæ scriptorum diligentissimo, & in plurimis proximè veritatem assecuto, in quibus reliqui longissimè aberrarunt. Neque porrò ad Lecum tantùm, & vlteriora Veneti rerum potiebantur, sed ad Rauracos etiam ditionis limites extenderunt, vbi ad Rusam fluuium Vindonissam nominis sui monumentum reliquerunt. Dicitur autem Vindenissa, quasi Wendes nest, id est Venetorum nidus, mutato E in I, perinde atque in Vindelicis diximus contigisse, articulo interim

terim litteram ſuam non mutante. Eius vrbis quondam nobilis loco hactenus vicus extat, quem Windiſch vocant. Volunt quidam hîc olim Epiſcopi ſedem fuiſſe, quę poſt Hunnicam deuaſtationem Conſtantiam ſit tranſlata. Media autem fuit Itinerarij auctori inter Rauracos & Vitodurum, quod Winter-thur eſt, quaſi dicas turrim ſiue arcem hibernorum. Verùm enimuerò videntur Cimbri non ſolùm hæc loca ad Septentrionem & Ortum occupaſſe, ſed per Illyricos in Italiam prorupiſſe multo antè quàm Antenor eò veniret. Seruius enim Virgilij illud, *Illyricos penetrare ſinus*, exponens, ſic habet: Antenor non Illyricum, non Liburniam, ſed Venetiam tenuit. Ideò autem Virgilius dicit Illyricos, quòd inde venit quidam Henetus Rex, qui Venetiam tenuit, à cuius nomine Henetiam dictam poſteri Venetiam nominarunt. Hæc ille: è quibus colligeretur Cimbros terreſtri itinere ad ſinum Adriaticum multo Antenoris appulſu priùs veniſſe, & regionem Venetiam nominaſſe. Probabile hinc fit, Venetos, qui ad Troiam militarunt, ad hos veniſſe cum Antenore, non vt hoſtes, ſed vt cognatos. Vt enim veri ſimilitudinem è diuerſis diuerſorum ſuper hac re commentationibus eliciam, ſic mihi ſtatuendum videtur: Cimbros cùm apud Triballos, Scordiſcos, Vindelicos, aliaſq; gentes, colonias relinquerent, Alpes etiam tranſgreſſos Venetiam condidiſſe, de loci natura nomine formato. Nec mirum id videri debet, ſi vera ſunt, quæ ab Amazonibus in Græcia ante bellum Troianum geſta legimus. Conſentiunt & illa huic aſſertioni, quæ de Vindelicis à nobis ſunt relata. Iam Seruius apertè confitetur Antenorem in Venetiam penetraſſe: quam ſic ab Heneto neſcio quo duce dictam aſſerit, adeò vt Venetia antea ea regio vocata ſit, quàm Heneti Paphlagones in eam venirent. Proprium verò vnius alicuius nomen fuiſſe Heneti vocabulum, quod veteres putarint id adſcribendum iis, quæ faciunt, vt ferè in maiorum tenebras incidentes, gentis auctori nomen de regione vel opido confingere conſuerint. Si Veneti in Triballis Venetos condiderunt; quis non videt, ſurſum ad Draui & Saui fontes, ac inde ad ſinũ Adriaticum potuiſſe penetrare, tametſi in Vindelicis nunquã Cimbri fuiſſent? Ante ergo Troianũ excidium & Antenoris aduentum Venetia ad Adriam, & incolas, & appellationem de natura loci accepit, in quam Antenor pòſt appulit, eadẽ fortè, qua priores illi, via: quod vt credam, illorum facit auctoritas, quos Strabo dicit, putaſſe Venetos duce amiſſo, per Thraciam errabundos ad Adriam veniſſe, Antenore cum filiis vnà profecto. Veneti ergo qui ad Troiam militarunt, ſecundi fuerunt Venetiæ incolæ, è Venetia Paphlagoniæ in Venetiam Adriaticam

tranſgreſsi; non aliter atque Franci ſecundi Cimbricæ ſtirpis homines, Antwerpiam habitarunt, ita vt duplici nomine & Antwerpia & Venetia Cimbricam referat nobilitatem. Pylęmenis autem Henetorum ducis ingens robur, Homerus hirſuto corde ſignificauit: quod mirabilius ſanè, quàm id quod Achillem dixit pectore hirſuto fuiſſe: vtrumque tamen & allegoricôs & phyſicôs intelligi poteſt. Achilles enim cùm animoſus eſſet, atque calidis præcordiis, hiſpidus fuit circa pectus. Hirtum enim pectus caloris indicium eſt; qui ſi immoderatior fuerit, temerarios facit & inſanos, vti Galenus teſtatur. Sed quia variis curis cruciabatur, tum cùm Homerus illud epitheton ei conuenire putauit, poteſt etiam ad illas referri, quæ tanquam ſentes & inuiæ ſiluæ hirtos faciunt & impeditos mentis diſcurſus. Hæc autem cogitationum obſtacula, & hiſpidæ tricæ, non aliunde quàm è corde, in quo iræ timoriſque domicilium eſt, proficiſcuntur. Pylęmenes igitur non ſolùm inter animoſos, ſed inter eos qui impotentis iræ ſunt, poteſt numerari, eò quòd non thoracem, ſed ipſum etiam cor hirſutum habuiſſe dicatur. Quia autē nihil magis victorię frequenter obſtat quàm furioſus hic animi impetus; non mirum eſt, Pylæmenem ad Troiam trucidatum fuiſſe. Lyſis Pythagoricus apud Iamblichum, vt Euſtathius refert, eiuſmodi cor mentis ſinceras intelligendi vires impedire aſſerit, nec malè quidem, mea ſententia, niſi diſciplinis manſueſcat, atque frangatur. Euſtathius contrà interpretatur, eius cor hirſutum, qui denſas habet cogitationes variis conſiliis contextas; quod an ita ſit, ipſe viderit: nobis potiùs ad imperterritum animum refertur, qui cùm longo vſu fuerit aſſuefactus, vt prudentiæ præceptis obtemperet, atque iis ſubſeruiat, hominem reddit inuictum. Dignum eſt annotatu quod Plinius prodidit, cuius hæc ſunt verba: Hirto corde gigni quoſdam homines produnt, nec alios fortiores eſſe induſtria: ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios, ipſe conuulneratus & captus, ſemel per cauernam latomiarum euaſit, anguſtos vulpium aditus ſecutus; iterum captus, ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem aduolutus, lora cum corpore exuſſit: tertiò capto Lacedæmonij corpus diſſecuere cauſa videndi, hirſutumq; cor repertum. De eodem multa Pauſanias: ſed an bene Plinius induſtriæ ſignum id fuiſſe credat, non auſim affirmare. Caloris certè maximi, maximæque audaciæ fuit indicium; qua factum eſt, vt talis tantuſque euaſerit. Audaces enim, vt Poëta cecinit, Fortuna iuuat, cùm induſtriis frequenter opem ſuam neget. In militia certè audacia ad periclitanda omnia incitat, & robur ad vincendum ſuppeditat.

Ex

Ex hoc sæpius repetito, vsus nascitur & industria quædam, experimentis crebris confirmata. Audacia igitur in re militari, non minimum pondus habet ad Imperatorium munus explēdum, si Fortuna modò sæpius fauerit. Timidi enim & temperati non tam frequenter se periculis obiiciunt; & si obiiciant, sæpè superantur: quocirca ad hanc laudem non ferè adspirant, ad quam crebris experimentis sunt iacienda rudimenta. Hanc meam interpretationem, tametsi Eustathio non sim fortasse probaturus, Nonnus tamen laudabit, qui libro Dionysiacôn vicesimo sexto hos scripsit versus:

Φρικτὰ δασυςέρνων ἐκορύσσετο φῦλα Σαβείρων,
Τοῖσιν ἐνὶ κραδίῃ λάσιαι τρίχες, ὧν χάριν αἰεὶ
Ψυχῆς θάρσος ἔχουσι, καὶ οὐ πτώσσουσιν ἐνυώ.

Id est, & ad verbum & ad versum:

Dira Sabirorum gens hirti pectoris arma
Sumit, ijs in corde pili, silua hispida, quare
Audax est animus nunquam veriturus Enyo.

Videtur sanè hîc causam expressisse, non hirsuti modò pectoris, quod ingentem præcordiorum calorem & consequitur, & indicat; sed illius etiam, quare Homerus Pylæmenis cor λάσιον dicat. Conuenienter igitur, tum naturali philosophiæ, tum Nonno, λάσιον sic expono, vt nihil à propria significatione detorqueatur. Pylęmenes ergo Dux Venetus similis fuit Aristomeni Messenio, crines in corde habens; & frequenter victor cùm fuisset, tandem tamen, non aliter atque Aristomenes, audaciæ pœnas dedit. Idem de thorace Achillis hirto iudicandum, fortem eum imperterritumque fuisse, atque idcirco crebris victoriis potitum, ad extremum tamen occubuisse; quandoquidem qui amant pericula, in illis demum pereunt: quod de natandi, scandendi, pugnandique audacia prouerbio apud nos iactatur, peritissimos videlicet & optimos quosque in hoc genere exercitationum artibus ferè suis tandem perire. Troia igitur capta, & Pylæmene mortuo, Veneti sine duce relicti, dum consultant quid optimum factu videretur, occasio sese non contemnenda obtulit. Antenor enim Græcorum beneficio saluus euasit, rebus omnibus integris, & fortassis etiam accessione aliqua cumulatis, tum de propinquorū cognatorumque, qui vel fugerāt vel ceciderant bonis relictis, tum etiam de Græcorum donis, præsertim Menelai, quem hospitio acceperat, cùm Helenam repetitum venisset; tum postremò, si sic suspicari fas est, de precio proditæ vrbis. Homerus Antenorem in-

duxit, Helenæ de hoſpitio loquentem, Priamo præſente, ad hunc modum:

Τὴν δ' αὖτ' Ἀντήνωρ πεπνυμένος ἄντιον ηὔδα·
Ὦ γύναι ἦ μάλα τοῦτο ἔπος νημερτὲς ἔειπες,
Ἠδὴ γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος ὀδυσσεύς,
Σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης, σὺν ἀρηιφίλῳ Μενελάῳ,
Τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα, καί ἐν μεγάροισι φίλησα,
Ἀμφοτέρων δὲ φυὴν ἐδάην καὶ μήδεα πυκνά.

Id eſt, vt nos ex tempore ad verbum effundebamus:

Huic contrà prudens Antenor talia fatur:
O mulier certè veriſſima verba locuta es,
Huc etenim quondam venit quoque diuus Vlyſſes,
Legatus ratione tui truce cum Menelao,
Hoſpitio quos exceptos tractaui ego amicè,
Hinc naturam vtriuſque ſcio mentisque vigorem.

Menelaus ergo & Vlyſſes, hoſpitij iure obſtricti Antenori, non dubium eſt, quin grati quoque fuerint, cùm hoc nomine, tum quia vti vir prudens, qualem Homerus depingit, auctor ſemper fuiſſet, ne vxor alterius contra mariti voluntatem, & citra repudij libellum è ſacroſancto & inuiolabili hoſpitio rapta, atque optimo iure repetita, retineretur. Nec crediderim equidem citra remunerationem hoc beneficium Græcis præſtitiſſe, vt vrbe tot annis fruſtra oppugnata, ſine ſuorum ſanguine potirentur. Quamobrẽ Heneti longæ militiæ ſumptibus exhauſti, facilè adduci in eam ſententiam potuerunt, vt hunc ſibi caperent Imperatorẽ, cuius pecuniis veluti ſoldurij quidam ditarentur. Qua verò ratione Titus Liuius domo pulſos dicat, cùm ſponte ſua cum Rege ad Troianis auxiliandum veniſſent, fateor me ignorare; niſi quis ita ſuſpicetur, Rege mortuo, domo excluſos ab aliis fuiſſe, qui fortaſſe quempiam in regnum ſurrogarint, cui qui ad Troiam militauerant, ſuffragia ſua daturi non viderentur. Et ſunt alioquin ingenia eorum, qui militari aliquot annorum licentia ab vrbana quiete & diſciplina degenerarunt, plerunque turbulenta & Reipub. tranquillitati in primis noxia, eò quòd ceteros præ ſe contemnant, & æquabile ius deſpiciant, totam ex illis priuilegiis iuſtitiam metientes, quæ Iuuenalis Satyra vltima perſtrinxit. Verùm potuit & illa cauſa eſſe, ob quam domum non redirent, quòd turpe videretur diu emanſiſſe, ac deinde, Rege amiſſo, & vrbe,

cui

cui ſuppetias ferebant, capta, ipſos nudos & omnium rerum egenos in patriam venire, iuxta illud Vlyſsis, Αἰχρόν τοι δ'ηρόντε μένειν κενεόντε νέεσθαι. Sed quicquid ſit, illud ſaltem apertum eſt, ducem ſibi Antenorem delegiſſe, nec illud quidem citra ſummam prudentiam & conſilia rebus omnibus bene rectéque perpenſis confirmata. Nam ſi quem ſuorum ad hoc faſtigium euehere ſtuduiſſent, verendum erat, ne diuerſitas ſententiarum ſeditionem pareret, atque hac diuiſione infirmiores ad reſiſtendum, ſi neceſſitas ita poſtularet, redderentur. Externus igitur vt eligeretur, cùm omnibus viſum eſſet, exterorum nemo tot rationibus idoneus, quot Antenor, occurrit. Huic enim ad ſedes nouas quærendas, quia patrias perdidiſſet, exercitu opus erat, & ad eum alendum abundè pecuniarum, tum ſua ipſius propria, tum Græcorum dona ſuppeditabant, quorum etiam permiſſu Henetos tutò erat abducturus, id minimè fortaſſis ab hoſtibus conſecuturos, niſi Antenori ſe ſacramento obligaſſent. Eligitur ergo hic Imperator, cùm ob has quas dico cauſas, tum ob ſingularem iuſtitiæ & æquitatis opinionem. Nec contra quicquam poterat Antenoris rebus magis conducere, quàm hunc exercitum habere; non ea ſolùm ratione, quòd Regi ſuo, vt ferè fit, ſimiles eſſent; ſed quoniam cognatos etiam haberent in Europa quamplurimos, quorum auxiliis in itinere faciendo, & in ſedibus ſibi figendis vti poſſent. Traiecerunt enim primùm in Thraciam, vbi Treras ſibi antiquo ſanguine & linguæ communione iunctos habebant. Hinc par eſt credere, paulatim huc illuc errantes, à diuerſis agros ſibi petiuiſſe, donec tandem audirent Venetos ad Adriam lubenter locum daturos, quo ſubſidio hoc cognatorum contra Euganeos & vicinas gentes, quarum loca occupauerant, tutiores eſſent. Nec Antenor item ceterique Troiani, alio ſermone, quàm Cimbrico, vtebantur, cùm Phryges omnes à Togorma Cimmeri filio deſcendiſſent: qui quoniam eiuſdem ferè eſſent cum Thracibus loquelæ, putauerunt plerique è Thracia Phryges antiquitus in Aſiam traieciſſe, ac illic priùs Briges, vt Strabo ſcripſit, fuiſſe nuncupatos. Quamobrem non difficilis fuit hæc Venetorum Troianorumque conſociatio: quandoquidem locutione ferè radicali conueniebant; cuius integra diſſonantia mirum eſt quàm hominum inter ſe animos ſoleat diſgregare. Quod verò indicaui, Troiam ab Antenore Græcis proditam fuiſſe, ac inde probabile reddi, non minimas eum ſibi diuitias comparaſſe, non eſt ſic interpretandum, quaſi id ad ignominiam referrem. Qui à ſuis iniuſtam cauſam tuentibus, & in ea obſtinatis & peruicacibus animis perſiſtentibus tandem deſciſcit, dum nihil ſpei reliquum

in

in eis videt, ad ſaniora conſilia recipienda; is iuſtitiæ potiùs laude, quàm proditionis dedecore celebrandus eſt. Sed quia non admodum lubenter hoc Veneti ſunt audituri, meliùs fortaſſe tacitus rem omnẽ præteriuiſſem, quod quidẽ omnino feciſſem, niſi veritas, quam profeſſus ſum loqui, compuliſſet. Vnde verò in hanc opinionem venerim, vt Antenorem proditionis accuſem, diligenter eſt explicandum. Seruius, cùm idem aſſeruiſſet, Liuium teſtem aduocauit, apud quem, ſi Hiſtoriæ ſcriptorẽ nominet, nihil me tale memini legiſſe; ſed Achiuos ob id Æneæ & Antenoris bonis abſtinuiſſe, quia reddendæ Helenæ, & pacis auctores ſemper fuiſſent. Siſenna ſolùm Antenorẽ huius criminis reum fecit, cuius ſententiæ Sophoclem habet probatorẽ, qui in Ilij captiuitate dixit, Pardalis exuuiũ ante fores Antenoris ſuſpenſum fuiſſe; quo indicio Græci monebant, domũ ipſius nõ eſſe diripiendam. Aliis placuit, Æneam vnà cum Antenore patriam prodidiſſe, coniectura inde ſumpta, quòd Priami odio quodam teneretur, quoniam ab eo non eſſet, perinde ac merebatur, honoratus. Homerus enim Iliados libro decimo tertio, Deiphobum inducit, auxilium contra Idomeneum quærentem, qui Æneam in poſtremis poſt principia ſtantem inuenit; non timore aliquo, ſed quia Priamo indignaretur.

Ὧδε δὲ οἱ φρονέοντι, δοάσσατο κέρδιον εἶναι
Βῆναι ἐπ' αἰνείαν, τὸν δ' ὕστατον εὗρεν ὁμίλου.
Ἐσάοτ', αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ,
Οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν.
Sic animo voluens, ſatius ſibi credidit eſſe,
Progredi ad Æneam, poſtrema parte repertum,
Quòd Priamo iratus ſemper foret, haud ſine cauſa,
Nam quamuis eſſet fortis, ſine honore manebat.

Fieri potuit, vt Priamus è vaticinio aliquo, aut genethliaco ſchemate didicerit, Æneam ad ſummos honores, & maximũ imperiũ euehẽdum, ac idcirco ſuſpectũ haberet, perinde atq; Valens eos odio proſequebatur, quos metuebat, ne ſucceſſores haberet. Admirandũ enim illud eſt oraculum, quod Homerus de Æneæ poſteris multo antè cecinit, quàm vlla adhuc eſſet Romani nominis claritudo, immò priùs longè, quàm Roma à Romulo conderetur. Nam Neptunũ ad hunc modum loquentem induxit, de Ænea contra Achillem ſeruando:

Ἀλλ' ἄγεθ' ἡμεῖς πέρ μιν ὑπ' ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν,
Μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἴκεν Ἀχιλλεὺς
Τὸν δὲ κατακτείνῃ, μορ' μὸν δὲ οἱ ἐς ἀλέασθαι

Ὀφρα

Οφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ καὶ ἄφαντος ὄλητο
Δαρδάνου, ὃν κρονίδης περὶ πάντων φίλατο παίδων,
Οἳ ἔθεν ἐξεγένοντο γυναικῶν τε θνητάων·
Ηδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε κρονίων,
Νῦν δὴ Αινείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοίκεν μετόπισθε γένωνται.

Quos versus sic vertebam:

Verùm agite, hunc subitò præsenti è morte trahamus,
Ne Cronides ira flammet, si fortis Achilles
Hunc mactet, fati quem lex euadere iussit,
Ne genus intereat deleto semine totum
Dardani, ab excelso præ cunctis prolibus olim
Dilecti, quas è mortali matre creauit.
Nunc etenim Priami stirpem Saturnius odit,
Troiugenûm posthac Æneas sceptra tenebit,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Non dubito quin Spiritus diuinus hæc Homero dictarit, prædicens immensam Romanorum potentiam, quam Æneadæ longa plurimorum sæculorum serie essent habituri. Quamobrem, si vates hæc tanto ante vrbis, Imperijque Romani claritatem cecinit; quid ni liceat cogitare, fuisse & ipsi Priamo aliquam de Æneæ successione è vaticinio quopiam ortam suspicionem, ac idcirco virtutē eius & res præclarè gestas, iniquo animo tulisse? Hinc item non absurdè quis coniectet, Æneam parū rebus Priami fauisse, tum quòd ab ipso, nō vt par erat, honoraretur, tum quòd viro cordato placere non posset, ob vnius adulteriū tot millia hominū trucidari: & hac de causa cū Antenore cōsilia de Troia Græcis certis cōditionibus & pactis prodenda contulisse; quò ad id, quod genesis & fata pollicebantur, tandem perueniret. Daretis Phrygij & Dictyos Cretensis libris quantum sit tribuendum, aliis iudicandum relinquo: mihi certè non videntur ea ætate conscripti, quam interpretes prodiderunt. Neque mihi persuadere possum, Cornelij Nepotis eam esse epistolā, quæ Dareti præfigitur, propterea quòd parum illius ętatis candorem redolere videatur; vt interim taceam à Darete Argonautarum scriptorē citari, quasi omnes illi errassent, qui Homero nullum auctorem nouerunt antiquiorē. Miror Iosepo, & Clementi, & Eusebio diligētissimis antiquitatis inquisitoribus, hos tam vetustos scriptores ignotos fuisse; quandoquidem Neronis ætate alter in Creta è sepulcro est effossus, alter antè etiam tempore Iulij Cæsaris Romana lingua à Septimio, nescio

quo,ornatus. Nec video, quo hoſtium amore Dares Phrygius adductus ſit, vt Græco ſermone Troianum excidium deſcriberet, cùm nihil iis eſſe poſſet gratius & acceptius, quàm laudes ipſorum & triumphos ab hoſte cantari. Deerat ſcilicet Græcus quiſpiam, qui meliùs res Græcorum geſtas, quàm Barbarus in Phrygia natus, litteris mandaret. Aliis ſeſe venditent, mihi profectò nunquam ſe probabunt, tametſi aſſertionem meam, de Antenoris & Æneæ proditione, nemo clariùs, quàm ipſi exponant. Quiſquis tamen fictitiorum & nominũ & librorum fuit fabricator, id ſaltem ex eo conſtat, plurimos olim ad illud inclinaſſe, vt Æneam & Antenorem Troiæ proditores fuiſſe arbitrarentur; adeò, vt id, quod de his prodiderunt, de recepta vulgò ſententia tradidiſſe videantur, quæ mihi ſatis habet momenti ad id, quod volo, probandum; quia communi prouerbio, Vox populi vox Dei, dici conſueuerit. Horatius Æneam excuſare voluit, ſed eo ipſo magis accuſauit; eò quòd purgatio, vel noxam, vel maximam eius arguat opinionem: quod Seruius quoque annotauit.

Cui per ardentem ſine fraude Troiam,
Caſtus Æneas patriæ ſuperſtes
Liberum muniuit iter, daturus
Plura relictis.

Sine fraude arſiſſe dicit Troiam, quaſi nulla Æneæ & Antenoris fraude expugnata fuiſſet; quem locum Lambinus aliter interpretatur, vt ſine fraude, ſine damno reddat; quàm bene ipſe cum Seruio diſceptet. Virgilius callidè omnem culpam in Antenorem deriuat, ſi quis verſus hos, quos adſcribam, diligenter expendat; quibus Venus Antenorem Æneæ ſic comparat, vt ingens diſcrimen eorum indicetur:

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui,
Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.
Hic tamen ille vrbem Pataui ſedesque locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.

Indignabatur Venus, quòd illi tantum fauoris cælitus contigiſſet, qui patriam ſuam prodidiſſet: quod equidẽ ex eo intelligendum puto, dum dixit, *Hic tamen ille*; Ille, videlicet proditor, tantum conſecutus eſt felicitatis? Quo loco, dum Seruius & Donatus voculam Hic aduerbium faciunt, ſententiæ vim prorſus eneruant. Elegans enim horum

horum pronominum est coniunctio ad vehementiã locutioni adden dam, nõ Poëtis modò, sed Oratoribus etiam eleganter vsurpanda, si Ciceronis quidem cõstructionẽ recipiamus. Verùm, quod de Pardalis pelle, quam Pardaleam Strabo è Sophocle vocauit, pro Antenoris foribus suspensa dixi, elegantem omnino & apertam habet significationem. Græci enim duo hoc signo denotarunt; alterum pro arbitrio, quo domus Antenoris non spolianda notaretur; alterum de natura animalis, & maculis exuuij plurimis nigris notis distincti, petitum. Aliud signum ędibus Græci homines ponere potuissent, & illud quidem promptius & facilius acquisitu, sed non alio signo meliùs & conuenientiùs proditoris animum denotassent, quàm si Pardaleam variis maculis insignem suspendissent. Sicut enim Leonte magnanimum, fortem, constantem; ita Pardalea ad insidias, & fraudulenta & captiosa consilia procliuem significat, si Adamãtio & rationi credendum, qualẽ proditorem esse oportet. Egregium verò symbolũ, & dignum patella operculũ, quo & promissis Græci satisfecerunt, & insuper amaro sarcasmo proditori atras animi maculas exprobrarunt. Quamuis enim prudẽtissimè, iustissimeq; Antenor pacem cõponendam esse, reddendamque Helenam suaderet, non tamen ea recta via erat, qua sese à cõmuni Troianorũ iniquitate & publico scelere purgaret, si patriam hostibus tradidisset. Honestius enim fuisset omnibus suis relictis ad Græcorũ castra transire, aut si id turpe iudicasset, quouis potiùs gentium transfugere, quàm iniquam causam tueri: sed nulla officij ratio admittit patrię proditionem, præsertim tam crudelem, vt ea & ciuium internecinam cladem, & vrbis totius incendium adducat. Scio equidẽ auaro homini, qui priuatã domesticamq; vtilitatẽ publicæ saluti præfert, satius videri quauis ratione, quantumuis turpi, pecuniam supellectilemq; conseruasse, quàm saluo honore & illibata innocentia perdidisse. Esset illa quidẽ magna apud ætatis nostræ centuriones & duces excusatio, qui vno solius lucri in omnibus ferè desiderio tenentur; sed apud probos iudices, qui vtile ab honesto disiungi posse non confiterentur, prorsus foret repudiãda. Græci itaq; quamuis proditionem amarent, talem tamen tesseram ad Antenoris domũ seruandã suis dederunt, vt ex ea quiuis posset intelligere, quid de Antenoris facto iudicarẽt. Quæ enim bellua in alia animalia Pardali crudelior; quæ fera catulorum suorum & priuatæ commoditatis amantior; quæ bestia pilum habet maculosiorem, animumque magis fraudulentum? Quocirca non malè huius exuuium pro Antenoris foribus suspenderunt, non solùm domus non violandę symbolum, sed indicium etiam omnibus futurum, quid Achiuorum duces

de proditore ſentirent. Modeſtiùs tamen & Dio fidio gratiùs Græci Antenorem tractarunt, dum omnibus perſolutis, quæ promiſerant, amara tantùm irriſione animum eius notauerunt, quam Aurelianus Heraclammonẽ, quem Thyana eius proditione potitus, occidit: de qua re Vopiſcus hanc adiecit epiſtolam. Aurelianus Auguſtus Mallio Chiloni: Occidi paſſus ſum, cuius quaſi beneficio Thyanam recepi. Ego verò proditorẽ amare non potui: & libenter tuli quòd eum milites occiderunt. Neque enim mihi fidem ſeruare potuiſſet, qui patrię non pepercit. Solũ denique ex omnibus, qui oppugnabantur, campus accepit. Diuitem hominem negare non poſſum, ſed cuius bona eius liberis reddidi, ne quis me cauſa pecuniæ locupletem hominem occidi paſſum eſſe criminaretur. Hæc ille. Ciuiliùs igitur Græci, quàm Auguſtus, cùm ſalſius ſit & vrbanius ridere quàm mactare. Sed ſatis iam de Antenore, & cauſis diuitiarum, quibus Henetos ſibi conciliauit, quibus potiùs viſum eſt cum locuplete homine militare, quàm vacuos ſe domum redire. Qua verò via ad Adriam venerint, & regionem patriæ ſuæ homonymam, quamuis nõ omnino eſt perſpicuum, mihi tamen placet, ſi per Thraciam & Triballos eò dicantur profecti; eò quòd Strabo ita non vno loco ſenſiſſe videatur, qui eos è Thracia in eam regionem dicit veniſſe, quæ ad Adriam Henetica vocabatur; & Stephanus aſſerat Henetos quoſdam apud Triballos habitaſſe: ita vt ex horũ collatione exiſtimem per Triballos ad Sauum & Drauum ſurſum aſcendiſſe, ac inde aduerſo fluminum ductu in Liburniam veniſſe, id eſt, vt Seruius interpretatur, Rhetiam Vindelicam; ex hac mox Timauo ſuperato Venetiam antiquiſſimam Cimbrorum regionem intraſſe, cognatis hominibus lubenter hoſpitem nouum ſuſcipientibus, quo vires ſuas augerent, & Imperij fines proferrent. Nihil ergo miri eos ſinus Illyricos, id eſt, ſinuoſas montium Illyricorum vias, ac regna Liburnorum penetraſſe, citra iniuriam cuiuſquam proficiſcentes, cùm pecuniæ ſatis eſſet ad neceſſaria comparanda. Porrò nunc ad priſca monumenta accedendum, quæ omnium antiquiſſima in antiquiſſimarum vrbium nominibus extare, nemo mihi negabit, in quibus omnibus Cimbricæ quidem ſiue Henetæ linguæ veſtigia agnoſco; verùm Antenoris nullam memoriam potui comperire, adeò vt ego omnem Venetiæ nobilitatem Cimmeriis, non Antenori, adſcribam, qui vt dux fuerit Henetorum, pecunia tamen magis quàm armis, vel conſiliis, vel officio principali eos adiuuit. Nihil igitur refert Venetorum, quid Antenor contra laudem geſſerit, ſi non ipſi, ſed Cimbris & Amazonibus originem ſuam debeant acceptam ferre, genti omnium in Aſia clariſſimæ; quæ quòd ad oſtia magnorum fluminum

minum in Euxinum se exonerantium, & sinus, & stagna habitaret, Venetorum nomen accepit. Liuius, qui plurimum Antenori tribuit, Troiam pagum vnum ab ipso deriuat, exiguum sanè ad totam Venetiam & antiquissimam gentis nobilitatem momentum. Fixerit igitur hic arma, Troia nomen pago dederit, ac in eo cum suis Troianis habitarit; quid tamen hoc ad Venetorum vel nomenclaturam vel priscam claritatem, in quarum neutra Troiæ mentionem audimus? Nihil est quo Troianos in auxilium Veneti vocent, ad genus suum illustrandum, cùm illud à Cimmeriis duxerint, multo antea quàm Troia conderetur, in Italia commoratis; vt in Romanorum antiquitate, hactenus à nemine explicata, latiùs, si Deus adspiret, exponam. Quoniam verò dixi Venetos à stagnis nomen apud Cimmerios habere, eam primũ vrbem in medium ad antiquitatis testimonium vocabo, quæ olim tota in paludibus & stagnis veluti pensilis ædificata fuit. Eam vt olim, ita nunc quoque Rauennam vocamus; quod nomen Strabo per Beta ob defectum V consonantis scribit, quamuis Hermippus Berytius per diphthongum V vocali ferè sono respondentem scripserit, vt & alia multa Latina nomina apud Græcos diphthongũ hanc pro V cõsonante accipere passim videntur. Antiquitas huius vrbis tanta est, vt alij ad Armenos, qui huc nauibus appulerint, & nomen, & primordia referant, velintque primũ à nauibus Nauennam, deinde corruptè Rauennam nominatam; alij mille septingentis & pluribus annis ante Romam structam fuisse dicant. Strabo à Thessalis huc appulsis ædificatam scribit: quod inde profectũ credo, quòd Deucalion Thessalus fuerit, quasi qui sic senserunt, dixissent tam vetustam esse, vt à Deucalionis vel filiis, vel nepotibus fuerit cõstructa. His aiunt Vmbros quosdam accessisse, quos equidem veros ipsius conditores opinor, si hoc quidem mihi detur, Vmbros pro Combris lapsu temporum corrupta voce dictos apud Latinos fuisse. Hac enim via Combri, Commeri, & Cimmerij iidem essent, & antiquissimi Italiæ incolæ dicendi; de quibus alibi plura. Nos antiquissimam confitemur, & argumento nominis certissimò à Cimmeriis conditam, sed quanto ante Troiam tempore non liquère. Curiam vernaculus nobis sermo Rathuis vocat, id est, consilij domum; eò quòd Rat consilium siue senatum significet. Rauenna igitur senatus erit stagnorum & paludum, quæ Venney vocantur, extra compositionem integrè dicenda Rat der Venney: è quo si articulum & Tau demas, iuxta regulam nobis in componendis vocibus obseruatam, Rauenney existet, quod vocabulum Latinæ formæ accommodatum Rauenna euadit. Nulla vox meliùs & naturam loci, & vrbis princi-

patum posset indicare, quoniam, vt Strabo scribit, tota lignis super stagnis & paludibus fuit compacta, tota nauibus aut pontibus permeanda. Huc Sillius Italicus allusit, sic canens.

Quique graui remo limosis segniter vndis
Lenta paludosæ proscindunt stagna Rauennæ.

Martialis item.

Quum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat Crocodilus angusta,
Meliusque ranæ garriunt Rauennates.

Idem alibi Rauennam hac de causa æquoream vocauit, eò quòd æquoris aquis pensilis insideret. Quamuis ergo paludes frequentibus olim ruinis oppletæ sint, & deinde industria hominũ per varios elices & canales exhaustæ ac desiccatæ, ea tamen olim vrbis facies fuit; quam & Strabo eleganter depinxit, & alij auctores indicarunt: quod monere mihi necesse fuit, quo nominis artificium magis eluceret. Omnium itaque Venetorum principatum & curiam hæc olim ciuitas habebat, vt nomenclatura sua testificatur, quæ partim cum Venetiæ etymo consentit, partim illud addit, quo summum senatum regionis totius hic fuisse, Cimmeriæ linguæ peritus agnoscit. Hæc demum est vera ratio originum inuestigandarum, quæ nos recta ad primos conditores deduxit, longè Troiano excidio vetustiores; quorum posteris, licet pòst accesserint alterius nationis homines, iis tamen primaria gentis nobilitas minimè est adscribenda. Venetos quidem Paphlagoniæ, quoniam & eiusdem nominis erant, & eorundem parentum, nec non eiusdem virturis, in nobilitatis admitto communionẽ: at Antenorem, qui famam suam Pardalis notis commaculauit, prorsus excludo, nihil vel laudem eius priorem, vel posterius crimen moratus, cùm nihil nobilitatis Venetæ referat, quid externus homo vel commiserit scelerate, vel gesserit præclarè. Plurima possem commemorare ad Rauennæ decus spectantia; sed quia antiquissima tantùm & Becceselana quærimus, ea aliis adornanda permitto. Post Rauennam in qua supremus Venetię magistratus & curia fuit, Patauium considerandum, quod mercatu & opibus inter ceteras vrbes maximè excelluit. Strabo enim sua ętate quingentos equestris ordinis viros ibi censos fuisse scribit, & antiquitus duodecim myriadas armatorũ emisisse. Industriam autem ciuitatis & ingentes opes ea declarabãt, quæ Romam inde venum portabantur; inter quæ omnis generis telæ, vestesq; non parum precij referebant. Habuit hæc vrbs maximum portum ad Medoaci ostium, eiusdem

dem cum flumine nomenclaturæ, à quo Patauium vsque per Medoacum, nunc Brentam vocatum, merces importabantur spacio paulo plus triginta milliarium Italicorũ, quem Veneti, ne stagna oppleret, ad dextram diuerterunt, fossa à flumine deducta, & portis occlusa, è qua per aggerem cimbæ in stagnum trahuntur. Qui Troianis nihil antiquius nouerunt, primum conditorem Antenorẽ putarunt; quos Virgilius, & Pomponius Mela sequũtur. Nos perinde huius atq; Rauennæ antiquitatem & primordia ad Cimmerios referimus, qui vrbem hanc ita nuncuparunt, propterea quòd eam eo loco constituissent, qui & commoditatis lucrique plurimum è portu acciperet, & tamẽ esset collibus Euganeis proximus, ac ob id plurimũ inde haberet amœnitatis. Haue nobis portum notat; Bat, siue per tenuem litteram Pat, lucrum, commodum, & omne adiumentum notat; à Paien, quod est contentum reddere. Pataue igitur, aspiratione compositionis ratione exempta, ipsum portus lucrum significat, eò quòd hæc vrbs prima à portu extra paludes posita, præcipuam portus illius maximi, in quo Venetiæ nunc spectantur, vtilitatem perceptura esset. Quàm, bone Mercuri, significanter mercatum maximum, & opes summas è portu vicino acquirendas, hac voce diuinarunt: quas qui æstimare velit, ea consideret, quæ ex Strabone anteà recitaui. Addam porrò ad hanc interpretationem confirmandam Petrarchæ testimonium, qui Patauum trisyllabicon, non Patauium admittit: ita vt in Patauo Latinorum, & Pataue Cimbrorum vocabulo, idem syllabarum numero seruetur, ac Virgilius integrè dixerit, *Vrbem Pataui*, tametsi contrà Grammatici arbitrentur. Quid nunc amplius dubitandum, quæ gens Patauium condiderit, si clarissimè cernatur è Cimmeria lingua nomenclaturam eius sumptam esse? Scio equidem antiquam Phrygum loquelam Cimbricam item fuisse; sed an illa ad Antenoris vsque ætatem durarit, scire non possum: quamquam coniecto, vel maiorem in modum corruptam, vel fuisse penitus immutatam; quoniam Homerus alias voces diuinas, id est, primæ linguæ vernaculas, alias humanas nominarit; quasi sermo quidam posterior fuisset inuectus. Rauennam omnes antiquissimam esse vrbem confitentur ab ipsis vsque Deucalioneis principio petito: cuius nomen cùm Cimbricam habeat originem, & eam Troiano excidio longè vetustiorem, quid ni ad eiusdem generis conditores Patauium referatur, è cuius loquela nomenclaturam est adeptum? Batauia & portubus & portuum luculenta vtilitate non dissimilis antiquo Venetiæ situi est; & ea

de

de cauſa eiuſdem originationis habet nomenclaturam, tametſi hîc media in Patauia tenuis littera pronuncietur. Duæ itaque vetuſtiſſimæ vrbes, Venetiæ fuerunt; altera mercatu opulentiſſima, altera ſummo magiſtratu ſiue curia ſuprema inſignis: quarum nomina ab iis poſita ſunt, à quibus ipſa Venetia ante Troianorum aduentum ſortita eſt appellationem: quam Seruius, à neſcio quo Heneto duce, antè nuncupatam putauit, quàm eò Antenor appuliſſet. Nec aliunde Timauus antiquam habet nomenclaturam, altera compoſitionis parte cum Pataui appellatione concordante. In Amazonicis docui, Taw, Tew, & Tiw dici, pro eo quod decet Latini dicunt. Timauus igitur è Cimbrico *Timaue* nominatus, idem eſt quod decorus portus diceretur. Quid verò pulcritudinis aut decentiæ hic portus præ ceteris habeat, vt hoc nomen mereatur, vel vnus Strabo ſatis explicabit; cuius verba, vt Græca habent exemplaria, adſcribam. Ἐν αὐτῷ τε τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου ἐστὶν ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐξὶν ἄξιον μνήμης τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος εὐπρεπὲς καὶ πηγὰς ζ. ποταμίου ὕδατος εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος, πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ. *id eſt*, Et in ipſo ſinu Adriæ Diomedis templum eſt memoratu dignum ad ipſum Timauum. Portum enim habet & lucum perquam pulcrum & plenum decoris, & fontes ſeptem fluuiali aqua ſtatim lato & profundo amne in mare collabente. Hæc ille. In quibus Græcum codicem corrigẽdum exiſtimo, ita vt pro τὸ Τίμαυον, legatur, πρὸς τὸν Τίμαυον, niſi quis arbitretur ipſum etiã fanum Timauũ nominatũ fuiſſe, quod equidem non memini me legiſſe. Poſidonius fluuium Timauum è montibus in barathrum ſiue profundam ſpecum dicit præcipitare, ac inde ſub terra delatum ad centum & triginta ſpacia erumpere in mare. Polybius vno excepto, fontes eius omnes ſalſas aquas habere ſcripſit, & locum ipſum maris fontem, mariſque matrem ab accolis vocari. Pomponius Mela poſt Natizonem qui Aquileiam alluit, Timauum Tergeſtam verſus collocauit, nouem capitibus eum exſurgere acvno oſtio in mare effluere dicens. Eiuſdem opinionis eſt Virgilius, qui ora nouem, nouem fontes nominauit:

——Et fontem ſuperare Timaui,
Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Verùm videtur ad Poſidonij etiam opinionem reſpexiſſe, qui Timauum fluuium ex vno fonte deduxit, ac inde in ſpecum ſubterraneam præcipitauit, pòſt in mare delabi è ſubterraneo barathro aſſerens. Fons ergo hic primus fons intelligendus eſſet, ac ora nouem vocanda,

canda, per quæ veluti per canales quosdam vi ruptos non sine indignatione & murmure montis in vnum latum alueum, quem pelagus appellat, coit, ac inde mare prorumpit, & vi sua proturbat, quasi ipso mari potentior. Mirum est quàm frigidè & ineptè Poëtam hic Seruius & Donatus interpretentur, quamque eius sententiam non assequantur. Virgilius enim post Liburnos Carnos montes & saltus superandos sciens, vt ex Illyrico in Venetiam veniatur; eos mirabilis fontis & fluminis indicio depinxit. Nam primus & verus Timaui fons è montibus Carnis, quibus Iapodes quoque comprehẽdo, iuxta Posidonij assertionem oritur, cui Sabellicus suffragatur: ita vt qui hunc fontem sit superaturus, eum necesse sit Alpes hac parte transire. Recta enim à Triballis & Istro, ad Saui exordium adscendenti, hi montes occurrunt: quos vbi superauerit, inter Tergestũ & Aquileiam descendet, vbi Venetorum primus limes olim erat constitutus. Timauus igitur è regione Saui in Carnis Alpibus exoritur, vno illic quidem fonte; at deindè à terra absorptus ad sedecim milliaria latens, magna vi nouem sibi ora per montem molitur, è quibus in vnum alueum corriuatus pelagi instar habet, quò mox mare intrat atque protrudit. Quod autẽ alij nouem, alij septem ora, per quæ erumpat, enumerant, ad multitudinem scaturiginum, aut potiùs canalium spectat, quam vel septenarius numerus vel nouenarius potest significare, eò quòd ille ternarium & quaternarium contineat, hic tribus ternariis absoluatur. Sunt enim in hoc sinu multi canales, per quos aqua cum murmure sub terra in mare decurrit, quorum omnium vnum fontem in montibus Carnis Posidonius esse dixit. Hac ætate ad arcem Tiuein nomine, & vicum Sancti Ioannis scaturigines plurimæ spectantur, quæ in vnum coeuntes ostium, in sinum Tergestanum euoluuntur. Sunt circa & calidæ aquę, ad quas canalis plumbeus superiore ætate inuentus inscriptionem Aquæ Dei & vitę præferebat. Sunt hic cancelli quoque è montis cauernis per aquas in mare delati, qui lubenter in latentibus rupium scaturiginibus viuunt, è quibus à me aliquando sunt protracti. Sunt & tessulati operis particulæ ex imo fundo erutæ, vt Georgius Amazeus, diligens huius oræ perscrutator, prodidit. Templum autem Diui Ioannis *de la tromba* nominatur, fortasse quòd aquæ subterraneæ, tubæ sonum edant, tum maximè cùm copiosiùs fluunt. Accolarũ vulgus persuasum habet, ad extremum Dei iudicium hoc loco vnam è quatuor tubis signum resurrectionis daturam; qua de causa multi hîc cupiunt sepeliri, quòd faciliùs ita se ad sonum experrecturos credant. Facit hæc loci religio, vt certò mihi persuadeam, Diomedis hîc olim fanum fuisse, atque ea

de re Timauum quoque non alibi quærendum. Quia tamen Aquileia non longè hinc distat; factum est, vt ei ob vrbis claritatem Martialis Timauum adscripserit:

Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,
Hic vbi septenas Cyllarus hausit aquas.

Blondus Brentam, contra veterum auctorum sententiam, Timauum vocauit, quem nos Medoacum esse ostendimus, persuasus Lucani versibus:

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris vbi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur vnda Timaui.

Quos si veros esse volumus, sic exponere cogemur, vt valde longè petita, & propè non ferenda descriptione, pro collibus Euganeis totam Euganeorum regionem, quæ Timauo terminatur, comprehendant. Doctiùs Martialis Ledæum Timauum vocauit, eò quòd Diomedis templum Castori & Polluci quoque fuerit consecratum, Ledæ ex quo filiis; quorum inter equos Cyllarus maximè celebratur, quem vt optimum formę caballinæ exemplar Virgilius in Georgicis produxit:

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.——

Sed hîc accuratiùs inquirendum, quis hic fuerit Diomedes, cui candidum equum Veneti immolabant; & cui Diomedeæ insulæ erant nuncupatæ; & quid huic cum Castore & Polluce fuerit affinitatis aut communionis, ob quam fano eodem ad Timauum colerentur. Veneti sibi, cùm alia de Diomede comminiscuntur, tum apotheosin eius, siue in deorum numerum cooptationem apud se factam fabulantur. Coluerunt eundem Metapontij, & Thurij statuam ei veluti Deo dedicarunt. Argyrippa siue Hippion Argos Dauniæ opidum, eundem conditorem suum iactabat: tum Arpi quoque & Beneuentum, si Martiano Capellæ fides habenda, principium sui ei acceptum ferebant, tanta fuit Diomedis per Italiam gloria, atque ea quidem illius, qui Palladium Ilio sustulit, quod sanè non caret admiratione. Fertur Minerua, Tydeo vulnerato, à Melanippo Thebano heroë immortalitatem largita. Verùm cùm Amphiaraum orasset, vt Melanippum in vltionem læthalis sui vulneris occideret, & caput eius recisum ad se portaret, idque Amphiaraus fecisset, dicitur præ ira mordicus caput arripuisse, ac carnes eius deuorasse: quod Eurypides in Meleagro indicaui t:

Εἰς ἀνδροβρώτους ἡδονὰς ἀφίξεται
Κάρηνα Τυδεὺς γένυσι Μελανίππου φάσας.

Id est,

Tydeus ad humanæ voluptatem cadet
Carnis vorandæ, cùm caput Melanippicum
Discerpet atrox dentibus fœdissimis.

Hoc ergo esu abominãdo inquinatus, diuinitate promissa se reddidit indignum; quocirca Palladem, orat vt munus in filium suum transferret, quod à Dea impetrauit, atque hinc Diomedes, de cuius morte nihil apud auctores proditum, Deus euasit, & apotheoseos suæ memoriam apud Venetos reliquit, maximis honoribus ornandam. Ibycus vetus Poëta, auctor est, Diomedem Hermione vxore ducta, in Deorum numerum esse relatum, ac apud eos cum Castore & Polluce perpetuò versari. Pindarus in Nemeis à Pallade Deũ immortalem esse factũ cantauit, adeò, vt omnes Diomedi Tydei filio honores diuinos tribuisse videantur. Mihi de prisca equi immolandi consuetudine aliud in mentem venit, illud nimirum in hoc nomine accidisse, quod in Castore & Polluce alibi annotaui. Græcorum enim Poëtarum adulatio, Deorum siue diuinarum potestatum nomina ad illos detorsit, quos inter maiores præ ceteris fabulis suis exornare vellent. Quis enim dubitet, ante Argonautarum fabulosam nauigationem, & ante Ledæ ætatẽ, Castoris & Pollucis & nomina & mysteria fuisse inter Theologos celebrata, si secum expẽdat, quæ ipsis ab auctoribus tribuantur, à nobis in Croniis satis examinata? Fuit ergo Diomedis antè honos & celebre nomẽ, quàm Tydei filius nasceretur; tametsi idem nomẽ sit adeptus, quo diuina priùs potestas vocabatur. Quoniam verò Ibycus eum cũ Castore & Polluce versari scribit, necesse est aliquid inuenire, quod commune horum fuisse dicatur. Diximus, quis Castor, quis Pollux, quos Diomedes; id est, Iouis consilij interpres, necessariò comitatur. Spiritus enim sanctus Iouis consilium humanis mentibus infundens, an non Castorem in vtero adhuc latentem docuit, generis humani saluatorem adesse? An non idem super Pollucis capite se Castori commonstrauit, consilium ei Iouis exponens, dum illud auditum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Quid? an non perpetuò ab ipso vtero vtrique hic spiritus adfuit, in omnibus Iouis consilium, & voluntatem iis aperiens & infundens, et per eos illud cæteris mortalibus annuncians? Sacrũ igitur hoc nomen ab Orphicis Græci acceperunt; cuius vim cùm non intelligerent, Diomedi Tydei filio, & nescio

cui Thracio Tyranno attribuerunt. Nec mirum plus honoris venerationisque huic consiliorum Iouis interpreti, quàm Castori & Polluci à priscis Cimmeriis tributum fuisse, propterea quòd Spiritus sanctus eo intelligeretur. Templum etenim non Castori & Polluci, sed Diomedi à Venetis priscis fuit nuncupatum, quamuis Castori & Polluci in eodem fano honores etiam exhiberentur; ad quos respiciens Martialis, Ledæum Timauum vocauit, quia ad eum Ledæ pueris sacra fiebant. Hinc coniicere licet, priscum hunc ritum fuisse, vt Diomedi Castorē & Pollucem pontifices adderent, atque inde illud esse quod Ibycus dixit, Diomedem semper cũ Castore & Polluce versari, vel Græcè, vt ipse dixit, συνδιαιτᾶσθαι. Verùm illud in primis arduum & difficile ad explicandum videtur, quæ causa sit, vt equus Diomedi immoletur, & quare Castori eius animalis domandi ratio & disciplina tribuatur, si vera illa sunt, quę in Croniis à me de hoc & eius fratre adferuntur; cùm Castor ille domini præcursor nunquam equum adscenderit, tantum abest, vt artem tradiderit domandi. Proposueram hanc difficultatem non antè mouere, quàm ad Cimbricam Theologiam per singulos deos & sacrosancta eorum nomina examinanda peruenissem: verùm quia cerno nimis hæc nostra commenta absurda visum iri, nisi vel obiter saltem & perfunctiora opella hic scrupulus auferatur, breuiter fontes mysteriorum indicabo; è quibus tot errorum & superstitionum vanissimarum flumina ad Græcos & Latinos puræ sanctæque veritatis ignaros defluxerunt. Equos frenis domari cùm nemo ignoret, videndum cuius rei tesseram in sacris litteris ea soleant habere: quam si intelligamus, eueſtigio videbimus, qui sint equi, quos Castor & Pollux frenis suis domare dicuntur. Iob de Deo loquens, Pharetram enim, inquit, suam aperuit, & afflixit me, & frenum posuit in os meum. In Ecclesiastici capite vicesimo octauo legimus, Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos. Esaias capite tricesimo septimo, freni aperuit vtilitatem, dum Deum sic facit loquentem: Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me; cùm fureres aduersum me, superbia tua adscendit in aures meas: ponam ergo circulũ in naribus tuis, & frenum in labiis tuis. Eodem modo Deus Pharaonem apud Ezechielem alloquitur, Ponam frenum in maxillis tuis; cuius rei causam assignat, quia Rex suis viribus fideret, & creatorē suum ignoraret. Quid multis? tam frequens hæc est & tam accepta priscis vatibus loquendi cõsuetudo, vt frustra eam sim pluribus ostensurus. Deus enim nos freno suo circumagit, haud aliter atque sessor equum; è quo perspicuum fit, quis

quis sit equus freno domandus. Dauid oden Deo canens ad intellectum sibi impetrandum, hæc verba audire desiderabat: Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Deinde subdit, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Ex his itaque quis non videt, quid sit frenum, qui sint equi, & quis domitor equorum? Et quoniam Deus equos frenis moderatur, videndum cui inter homines hãc tradiderit potestatem. Cui? nisi illi qui de seipso dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. An verò illi soli data est? Data est sanè, sed huic etiam Deus dedit, qui præcurrens equorum viam præpararet, ac clamaret in deserto, Præparate viam Domini, rectas facite semitas eius. Hic igitur est Castor, qui prima equis dedit rudimenta, & carceres, & impedimenta recti cursus ex hirtis & senticetosis hominum animis remouit, & ipsum illum ostendit, qui quod deesset perficeret, atque omnem equorum naturam ab omni prauitate purgaret, reddereteque faciles promptosque ad obtemperandum. Castor itaque atque Pollux equorum sunt domitores, sed Pollux aliud sibi habet peculiare, quod pugil etiam sit fortissimus. Cùm enim Christo omnem potestatem in cælo & in terra Deus dederit, sitque Dominus veluti quidam pugnator, vt est in Exodi cap. decimo quinto, pugnandi etiam illi dedit potestatem. At contra quem? Nempe contra Draconem, quem agnus pedibus suis subiecit. Vterque ergo equorum moderator, sed Pollux pugil etiam robustissimus Argonauticorum auctore sub Orphei falso titulo sic id attestato:

Κάστορα δ' ἱππόδαμον, καὶ πύξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα.

Sed qua de causa tantopere placuit vetustis vatibus hominem equo comparare? Illa sanè, quòd homo animal sit ad hoc factum, vt Deum semper suauiter in animo ferret, ac eius voluntati semper & vbique obtemperaret. Ceterùm fraude Draconis sic est superbia intoxicatum, vt Deum sessorem deiecerit, quasi sua se sapientia gubernare posset. Quamobrem misericors Deus volens efferum animal ad sanitatem reducere, frenum iniecit, ac tandem venenum Draconis expurgare volens, Castorem & Pollucem æterna sua bonitate & sapientia in terras misit, optimos equorum domitores, quibus Diomedem consilij diuini perpetuum interpretem adiunxit, quo frenum & moderationem ad Iouæ voluntatem accommodarent. Equini item pulli cũ lacte se exsaturarũt, matribus recalcitrãt: quod homines cùm primùm ab æterna Dei potestate ex nihilo in lucem veniissent, multo

insignius fecerunt, dum sic præcepto eius recalcitrarunt, vt ei, à quo creati erant, similes esse vellent. Pindarus in Olympiis Xenophontem Corinthium celebrans, Pegasum equum alatum & indomitum è Gorgonis serpentini monstri à Perseo occisi sanguine natum dicit, fabula ad Draconem generis humani hostem alludente, quem Deus occidit morte æterna: de cuius sanguine, siue peccato, sic animi nostri sunt infecti, vt veluti equi indomiti semper ad recalcitrandum sint præcipites. Bellerophontes igitur apud Pyrenen, scientiarum inquisitionis fontem, ab experimentis nomen habentem, diu multumque laborauit, vt hunc equum alatum & indomitum subiugaret, ac eo commodo & mansueto vteretur, suo hoc labore cuiusuis hominis ad virtutem enitentis imaginem gerens. Pallas itaque vani conatus miserta, frenum ei dedit; quo vsus, equum suum rebellem & contumacem domuit, atque eo deinde difficillima quæque certamina felice successu perfecit. Quæ verò hæc est Pallas, quæ frenandi animi tradidit disciplinam, nisi ea, quæ è cerebro Iouis nata, omnem nobis tribuit sapientiam, qua peruersas & obstinatas & Gigantæas animi cupiditates superemus, ac rationi subesse doceamus? Hæc igitur Iouis filia siue matre nata Spiritum ad nos sanctum mittit, quem Diomedem prisci vocauerunt, quia Iouis consilium & voluntatem mentibus nostris exponeret, quem veritas ipsa germana Pallas caro facta, & in cælum reuersa, ignearum specie linguarum, in capita discipulorũ misit. Hic Diomedes Orpheo inspirauit, tum cùm Argonautæ horrenda in tempestate de salure desperarent, vt vota Samothraciis diis faceret, quibus ritè peractis procellæ cessarunt, duabus stellis super capita Castoris & Pollucis delapsis, vt Diodorus Siculus refert, tametsi Diomedis non faciat mentionem. Sed quò clarius paulo quod dico intelligatur, è Platonicis, aut potiùs ex ipso Palladis peplo addẽdum, eadem nomina à primis fontibus ad intelligentias secundas, hinc ad tertias, inde ad quartas, atque ita deinceps ad vltimas vsque descendere, donec ad animum humanum perueniatur; in quem dum imaginem intelligentia impressit, homo vt imaginis, ita nominis quoque accipit communionem. Hac via à summo Hercule Iouis filio ad Noachum, & similitudo & nomen descendit, vt alibi declaraui. Eadem catena à primo Diomede ad secundum, & hinc ad tertium, & deinceps ad inferiores vsque ad vltimum, & imago & nomen transit, semper superioris fine se connectente principio inferioris, vt est à Dionysio rectissimè perscriptum. Quamuis verò apud homines Theologiæ peritos hæc nominum cõmunicatio non solùm non offendat, aut errorem indu-

cat,

cat, sed sit etiam necessaria, eò quòd rerum similium cognatio eadem nomina per analogiam postulet, quia rerum copia vocabulorum numerum immani interuallo excedit; apud indoctos tamen & plebeios animos ingentem & abominandam induxit impietatem. Quibus enim hominibus diuinæ alicuius gratiæ lumen affulsit, eos, quia de similitudine ad primam ideam nominabantur, pro primo fonte bonitatis coluerunt & adorarũt. Hinc factũ, vt homines diuinos honores sortirentur, & Diomedes Tydei filius pro primo & vero Diomede, tãquam Deus coleretur; tum etiam Castor & Pollux Tyndari filij, si qui tamen fuerunt, pro vero Castore & vero Polluce haberentur, atque ita omnia Orphicæ poëseos mysteria ad inanes nugas & ineptissimas fabulas, & ad impiam & despuendam traherẽtur superstitionem. Cùm itaquè Diomedem audiuissent consilia mortalibus dare, vt equos suos, id est, effrenes animos, Castori & Polluci traderent domandos, quibus ipse flammas suas copiosè affudisset, mysteriis neglectis crasso modo ad nuda verba respexerunt, credentes homines hos aliquos apud Græcos fuisse, quos in numerum suum Dij cooptassent. Cùm item audissent à Theologis equum album Diomedi esse offerendum, id est, purum animum consilio Iouis debere obtemperare, stultè sibi persuaserunt, equum esse album Diomedi mactandum, quasi eam sibi hostiam, non animum purum, Spiritus Sanctus, diuinæ voluntatis interpres, postularet. Ex hac fœda, crassaque mentis caligine, omnes tum superstitiones, tum Poëtarum insanæ fabulæ emanarunt, quibus primas illas fabulas Orphicas inquinarunt, & ferè omnino corruperunt, vt nisi quis Lynceus sit, vix quicquam in iis videat veritatis. Quis non cernit certissimum hoc esse vesaniæ illorum argumentum, quod totam ferè Deorum suorum & Heroum generationem tribus ferè aut quatuor ætatibus includant, quasi anteà neque Hercules, neque Castor, neque Pollux, neque Diomedes vllus fuisset? Fateor equidem nullam ætatem tam diuinæ gratiæ sterilem fuisse, quin aliquis Hercules, quin aliquis Castor, quin aliquis Diomedes fuerit, sed eos nego pro Diis colendos esse, sed ita duntaxat nominandos, quia imaginem aliquam diuinæ potestatis in sese ostenderunt. Leda semper oua duo parit, nec vllo sæculo parere cessabit; è quorum altero, semper duo excludentur immortales, Pollux nimirum & Helena; ille ad æternam felicitatem, hæc ad æternam miseriam destinata: duo verò mortales, quorum alter Castor nominatus ad beatitudinem, altera Clytemnestra, ad perpetuam infelicitatem animum nostrum præparabit. Diomedes porrò perpetuus hortator aderit, consilij

diuini

diuini memoriam in omnibus cogitatis, dictis, factisque ſuggerens, vt Caſtori & Polluci equum noſtrum ſubiugemus: vitemus verò Helenam & Clytemneſtram, quarum hæc gloriæ mundanæ procam notat, illa ipſum vnũ celat, & à capite nos ſegregat in æternum. Hæc autem diuiſio felicitatis & infelicitatis in hominibus orta eſt è Leda, quæ primi peccati, ſiue ipſius Euæ habet ſignificationem. Sed nimis procul in Orphicorum adyta profanos pedes priùs infero, quàm expiationibus neceſſariis ſint abluti. Oportunius de his in Diuinarum poteſtatum nominibus, ſi cogitatis meis affulgeant, tractabo; quæ priùs intelligi non poterũt, quàm Hermathena noſtra primã linguã fuerit interpretata. Reuertamur nunc ad id, quod quærebatur; qua de cauſa apud Venetos Diomedes diuinos honores ſit conſecutus. Primi Veneti cùm origine Cimmerij eſſent, Theologiam eorum imitati, Diomedi, Caſtori, & Polluci honores exhibuerunt: poſteriores in veræ myſteriorum intelligentiæ obliuionem lapſi, nec intelligentes, de quibus equis ea agerent, pro animo puro & candido brutum animal Diomedi obtulerunt, & craſſam hanc ignorantiam ad poſteros tranſmiſerunt, quæ tanto ab iis & faciliùs accepta, & pertinaciùs retenta, quòd Diomedem crederent equeſtris, cuius ipſi erant ſtudioſiſsimi, diſciplinæ, & curam & præſidium habere. Quamobrem cùm Græci ſcriptores priſcæ illius ſapientiæ nominibus Cimbricis conſignatæ ignari, Diomedis honores apud Venetos inuenirent, eos ad Diomedem Homericum retulerunt, quaſi ante Tydidæ ætatem nulla Theologia myſtica fuiſſet. Non eo inficias, doctè ab Homero, & conuenienter Scythiſmo fictum eſſe, Palladem Diomedi ſemper adfuiſſe, quia nimirum ab ea Dea, quæ veritas eſt, gratia Spiritus ſancti animis humanis conceſſa eſt, tanquam ab ea, cui omnis poteſtas data eſt in cælis & in terra. Nemo itaque Martem meliùs ſuperabit, quàm is qui Iouialis conſilij, & diuinæ voluntatis impreſſam ſibi gerit imaginem, quam ſecutus, facilè omnes aduerſarij ſuperabit inſultus. Nec malè Caſtori & Polluci vim tribuerunt præſentiſsimam, ad homines in maris tempeſtate ſeruandos, Soterum nomine inde tributo: quandoquidem totus hic mundus pleniſſimus procellarum, aptiſsimè pelago periculoſo comparatur, in quo nemo ſeruari poteſt, niſi eius adſit poteſtas, qui malum diſturbat & propellit, & eius item vis ſuccedat, qui homines à malo liberatos vera impleat felicitate; quorum prior Caſtor, poſterior Pollux nominatur. Quòd ſi quis Chriſtophorum pingeret Chriſtum humeris ferentem, quid aliud indicaret quàm equum Chriſtophorum, id eſt, hominis animum Chriſto ſubiugatum: quem ſi in mari tem-

tempeſtatibus & monſtris horrẽdo collocaret, num aliud daret coniiciendum quàm hominẽ, qui Chriſti iugũ fert in hoc mundo, veluti in Oceano quodam turbulento, neque vnquam ſecuro verſari? Huic ſi Caſtor & Pollux non ſuccurrat, & Diomedis lucerna viam & Iouis voluntatem non præmonſtret, certiſsimum imminet exitium, nullis humanis viribus euitandum. Quemadmodũ igitur Neptunus equis & mari præſidere fingitur; ita Caſtor & Pollux equi ſimiliter & maris gubernacula ſortiuntur. Veneti ergo errore à veris principiis per collectionem pluſquam ſophiſticam ducto, duplicem habuerunt cauſam Diomedis & Caſtorum colendorum, tum quia equitij apud ipſos ingens ſtudium vigeret, tum quia è nauigatione diuitias maximas ſibi compararent. De nauigationis vtilitate Patauium duxit appellationem, ſatis conteſtatam, quantum lucri ea ciuibus adferret: de diligenti equorum educatione Strabo ſuam nobis commodabit auctoritatem, qui duplicem dicit de Venetorum origine ſermonem in ore hominum verſari; alterum, qui habeat eos Gallorum eiuſdem appellationis colonos eſſe; alterum, qui doceat eos, è Paphlagoniæ Venetis deſcendere, qui Antenore duce ad Adriam venerint; ad quod poſterius probandum, argumentum ab equis alendis ducitur, qui ad Adriam æquè atque ad Pontum Euxinum ſtudioſiſſimè olim enutriebantur; quamuis Strabo ſuo tempore hoc ſtudium prorſus defeciſſe fateatur. Addit Dionyſium hinc ſibi genus ad equeſtre certamen petiuiſſe, & tota Græcia equinæ ſobolis claritatem apud Venetos præcipuam fuiſſe. Noſtra ætate apud Mantuanos generoſa equorum proles magna cura educatur; qui cùm loca colant lacubus & paludibus plena, non multum à Venetorum natura & priſca conſuetudine recedunt. Geographus enim Venetiæ eam naturam quaſi propriam facit, vt tota ſit paludibus & fluminibus plena, quæ ei cum Mantuanorum agro prorſus eſt communis. Videtur itaque hæc vrbs in lacu ſita, & generoſiſsima equorũ ſobole nobiliſſima, vetuſtam hanc Venetorum in equis alendis laudem vindicaſſe; de qua Strabo credidit in eam ventum opinionem fuiſſe, vt Veneti Adriatici è Paphlagonia commigraſſe dicerentur, cùm ipſi tamen magis veriſimile videatur à Gallis procreatos. Nos geminam gentis nobilitatem admittimus; priorem & præcipuam ab antiquiſsimis Cimmeriis, à quibus Galli etiam deſcenderunt, vt in iis docebo, quæ in aduerſariis de Gallorum & Francorum originibus habemus: alteram ab Henetis Paphlagoniæ, qui pòſt multo vetuſtis ſeſe adiunxerunt; quorum quia Antenor dux fuit, Cato putauit Troianorum Venetos colonos fuiſſe, quòd non vltra ve-

rum eſt,quàm Titus Liuius indicauit, tantum pagum vnum in vniuerſa Venetorum regione Troiam nomine Antenoridis adſcribens. Quauis tamen harum originum mihi conceſſa, probabile non eſt, Diomedis illius templum & honores diuinos apud Venetos fuiſſe, qui Troiæ Palladium ſcribitur abſtuliſſe : Si enim, vt Strabo ſuſpicatur, à Gallis Oceani accolis genus duxiſſent, nunquam erant peregrino Heroi & ignoto ſacrificaturi, ſi Druidum diſciplinæ credendum;quam in Gallorum antiquitatibus latiùs,& aliter quàm hactenus quiſquam, enucleabo. At ſi quis ipſos vel Troianos vel Henetos Paphlagoniæ Troianorum auxiliares, vel Cimmerios iis antiquiores, vt ego arbitror, fuiſſe putabit, ei abſurdè ratio ſuccedet, ſi Diomedi Troianorum & Paphlagonum acerrimo hoſti honores & ſacrificia adſcribet, niſi tam contra omnem opinionem ſibi ſoli ſapere velit, vt Manes inimiciſsimorum hominum, qui vel patriam expugnarint & exuſſerint,vel regem occiderint, pro Diis cenſeat habendos colendoſque . Iam ſi Cimmeriorum, qui Italiam priùs multo quàm vel Troia conderetur, vel Dardanus in Phrygiam commigraret, habitauerunt, poſteri dicantur; nullo modo veriſimile reddetur,Diomedem, qui longè poſteriùs quàm Veneti ad Adriam cõderentur, natus eſſet,ab ipſis pro Deo fuiſſe honoratum. Quamobrem, quò eiuſmodi abſurdarum opinionum concluſionem euitemus, dicamus Venetis duplici origine nobiliſsimis Diomedem non Græcum, ſed illum, quem nos oſtendimus, in honore fuiſſe; nõ vero illo quidem,ſed tali, qualem è myſteriis malè intellectis ſibi conceperunt. Quod verò de Troia obiici poſſet argumentũ, quo Cato deceptus Venetos è Troianis oriundos eſſe ſibi perſuaſit, facile poteſt repelli. Primùm enim non negamus Troianos aliquot vnà cum Venetis Paphlagoniæ ad veteres Venetos acceſsiſſe, de quibus pagus vnus nominaretur; ſed ex eo non conſequitur totam gentem, aut maiorem eius partem à Troianis habere generis claritatem; ſed contrà potiùs hoc neceſſariò efficitur, vt quemadmodum vniuerſim gens Veneta eſt appellata, ita Venetos præcipuam & primariam in hac colonia & multitudinem & nobilitatem habuiſſe, ſit confitendum : quandoquidem ab iis tota regio nomen, vt T. Liuius teſtatur, haberet . Paruiigitur refert Venetorum qualis fuerit Antenor, cùm eius non tam virtute, quàm pecuniis ad iter & expeditionem neceſſariis ipſorum parentes, cùm in patriam vacuos redire puderet, niterentur : quod non plus habet in generis claritate maculæ, quàm ſi Rex quiſquam fœneratorum numis, vel ad hoſtes propellendos,vel ad iniurias vlciſcendas vteretur.

tur. Vellem itaque de Antenore patriæ proditore, quamuis graui cauſa & maxima neceſsitate compulſo, tacerent ij, qui à maioribus gloriam ſibi quærunt, & eius loco ad vetuſtiſsimos Cimmerios, qui vnà cum Iano auo ſuo in Heſperiam necdum Italis cognitam nauigarunt, ſtemmata ſua & natales antiquiſsimos reducant, quorum reliquias Homerus agnouit, dum apud eos Vlyſſem ad inferos deſcendiſſe fingit, eo loco, qui apud Baias & Cumas plurimum habet barathrorum & ignearum exhalationum: qua de re in nobiliſsima Romanorum antiquitate pluribus agam, vbi Sibyllę antrum & eius oracula diligenter ſunt excutienda, ratioque reddenda, ob quam huic loco Poëta Necyomantiam ſuam adſcripſerit. Neque enim Romana claritas Æneę velut primo conditori eſt attribuenda, cùm multis antè ætatibus vrbs & condita ſit à Cimmeriis, & Romano nomine æternitati nuncupata. Nec ante Æneæ tantùm aduentum hoc nomen eſt ſortita, ſed ante aduentum etiam Italorum, qui Cimbricam in Latio linguam primi corruperunt, vt ſuo loco clariſsimis argumentis, ſi fauor neceſſarius accedat, oſtendam. Ab eadem igitur ſtirpe Veneti & Romani antiquiſsimis temporibus ſunt propagati, quibus pòſt à Troianis eiuſdem etiam generis, licet fortaſſe peregrinitate aliqua nonnihil infecti, aliquantulum acceſsit claritatis, ſed non plus quàm modò de Antenore declaraui. Atque hac quidem ratione Troia pagus in Venetia potuit nomen ab antiquiore Troia accepiſſe: potuit etiam fieri, vt antè à Cimbris opidum aliquod ita fuerit dictum de pari ratione, qua in Phrygia vrbs eſt hoc nomine vocata. Cùm enim Terræ porca facere ſoleant, quo ſe non minùs benignam cultoribus, quàm ſus nutricantibus præberet, bonis auſpiciis, bonoque omine vrbem Cimmerij Troiam dicere potuiſſent; eò quòd Troia ſiue Truia, vt nunc pronunciamus, ſus vocetur; quæ vox & nobis & Gallis hactenus eſt in vſu, inde animali huic data, quòd Trou fidum nobis ſignet; eò quòd nullum animal fidelius beneficium reponat, quàm ſus, quæ pro ſtercore viliſsimaque farragine carnem reddat & copioſiſsimam, & ſuauiſsimam, & humanæ carni ſimillimam temperamento, ſi Galeno & experimentis conſentiamus. Deinde ſemen commiſſum nulla quadrupes maiore cum fœnore reſtituit, vtero aliquando triginta fœtus vno partu largiente. Quocirca qui Terram precatur, vt pro ſtercore & ſemine porcæ copioſam vberemque meſſem reddant, & vniuerſim totum rus auaris agricolarum votis reſpondeat, ſuem ſolent immolare, quo fœcunditatis Deam monerent. Quæ verò fuerit in ſacrificiis ratio priſcis hominibus obſeruata, ad hoſtias Diis ſingulis deligendas, alibi ex-

plicabo; contrà quàm Ouidius & plerique alij ſcriptores memoriæ prodiderunt. Hîc ſatis hoc eſto, Troiam à ſue, & hanc à fideli reſtitutione eorum, quæ ab hominibus recepit, nomen habere, quo Terra talem ſe præberet, qualis vt eſſet & nomine & ſymbolo animalis ſupplicabant. Ex hac myſteriorum ſcaturigine Virgilius Heleni oraculum hauſit, quo vrbem eo loco condendam Æneæ vaticinabatur; vbi ſus alba triginta porcellos enixa inueniretur, ad hunc modum canens libro Æneidos tertio:

Signa tibi dicam, tu condita mente teneto,
Cùm tibi ſollicito ſecreti ad fluminis vndam
Litoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit
Alba ſolo recubans, albi circa vbera nati,
Hîc locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Idem libro octauo Tiberinum Aeneæ per ſomnum ſic loquentem inducit.

Jamque tibi, ne vana putes, hæc fingere ſomnum,
Litoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit
Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati:
Hîc locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Placuit nimirũ Poetæ doctiſsimum hoc commentum; quod ex intimis Theologiæ Cimmeriæ penetralibus petitũ, non ſemel tantùm commemorauit, ſed bis eiſdem verbis repetiuit, & tertiò quod prædictum erat eodem libro canit contigiſſe.

Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſiluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridiqne in litore procubuit ſus,
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno,
Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.

Maiorem in modum diuinus hic vates ritualium librorũ arcanis, & abſtruſis à communi cognitione præceptis & inſtitutis delectatus eſt, propterea quòd ſciret ea non ſine maximis cauſis & admirabili rerum cognatione, à priſcis hominibus ad poſteros fuiſſe tranſmiſſa. Neſcio equidem, vnde is, qui ſe falsò Meſſalæ Coruino titulo ornauit, quò faciliùs ſua lectori probaret, reſciuerit Troiam antiquitus ſuem apud Latinos ſignificaſſe: hoc ſaltem ſcio, vndecunq; deprompſerit, ab homine antiquitatis occultioris perito id profectum eſſe. Lubenter ſanè huius auctoritate ſententiam meam confirmaſſem, niſi

ſtylus

ſtylus & dicendi ratio, Meſſalæ Coruini ætatem minimè ſapere videretur. Laudo tamen eum, quiſquis fuerit, de hac inſigni diligentia, quòd ſuem Troiano nomine non veritus fuerit honorare, tametſi cauſam fortaſſe neſciret. Sed de his iterum nobis in Romanis antiquitatibus, & ſacrificiorum ritibus erit agendum: quamobrem ne eadem odiosè repetita nauſeam pariant, & ſtomachum euertant, latiore eorum hoc loco explicatu ſuperſedebo, quamuis ſciam à nemine eorum, quorum ſcripta ad manus meas peruenerunt, quicquam ſani de iis proditum eſſe, quo magis illum miror, qui ſub Meſſalæ larua tantum aſſecutus eſt veritatis. Non eſt ergo neceſſaria concluſio, ſi Troia in Venetia inueniatur, Troianos eò ex Phrygia commigraſſe, quoniam vtrobique eadem ratione vrbs potuerit nominari, præſertim cùm eandem ferè linguam, & eoſdem ritus à maioribus eiſdem accipi ſolere nemo ſit negaturus. Potuerunt igitur Veneti antiquiſſimi Rauennæ & Patauij conditores, opidum aliquod Troiam bene precando ominandoque nominare, tametſi de Phrygiæ vrbe nihil cogitarent. Verùm hac in re non digladiemur, ſed potiùs geminam nobilitatem Venetis Adriaticis admittamus; priorem vetuſtiſſimam à Cimmeriis cum Iano auo in Heſperiam delatis; poſteriorem à Venetis & Troianis aliquot, multis pòſt ætatibus adiectam: adeò vt Venetia, Rauenna, & Patauium cum vetuſtiſsimis in Europa ciuitatibus de antiquitate certare poſsint, ipſa etiam, ni fallor, Phrygia Troia priores. Virgilio lubenter condonamus, quòd à Troianis apud omnes Poëtas certatim celebratis, duxerit originem, in eo falſam vulgi opinionem ſecutus, propterea quòd & carmen magis ornaret Antenor ab Homero decantatus, & quòd Æneæ cum eo cõparatio Romanorum antiquitatem redderet illuſtriorem, præſertim cùm faceret longè præſtantiorem prudentiſsimo apud Troianos viro, quamdiu res ipſorum floruerunt, & tam illuſtri, vt Menelaus & Vlyſſes eius hoſpitio, dum Helenam repetitum venirent, exciperentur. Deinde Maro maiorem laudem ex antiquorum Poëtarum imitatione, quàm ex nouo & inaudito argumento ſibi dandam exiſtimauit; adeò vt vix quicquam apud eum inuenias, quod non ex aliquo vel Græcorum vel Latinorum deprompſerit, & ſic ſuum fecerit, vt non aliunde petitum, ſed domi ſuæ natum in lucem proferre videretur. Non mirum igitur Patauij conſtructionem Antenori adſcriptam; ſemel, quia vulgo ſic eſſet perſuaſum; iterum, quo plus ſanguinis Troiani in Italiam transferret, ac haberet, cuius comparatione prudentiſsimum, præſtantiſsimumque faceret Æneam, exemplo ex ipſo vatum principe ſibi ſumpto: poſtremò, quia vetuſtiora ignoraret, eo carens indicio,

cuius adiumento ego hanc primus erui antiquitatem. Seruius Patauium dictum putat, vel à Padi vicinitate, quasi Padauium, vel ἀπὸ τῆς πτήσεως, id est, à volando, quòd captato augurio dicitur conditum, vel quòd auem telo petisse Antenor dicitur, atque eo loco condidisse ciuitatem. Horum duo posteriora, ineptiora mihi videntur, quàm ad ea confutanda operæ aliquid sit insumendum: primum aliquid rationis videtur habere; quam ego non difficulter admitterem, nisi scirem vel à Medoaco, vel ab Athesi potius nomen dandum fuisse, quàm à Pado longiùs omnino distante. Medoacus sanè, qui vrbem alluit, & naues è portu sursum vehit, multo æquius sibi nomenclaturæ ius postularet, cùm ipse portus, è quo ciuitatis præcipua vtilitas & celebritas pendebat, ab eo nomen sibi sumere non dedignaretur. Equidem mihi mea coniectura necdum displicet, quæ suadet, vt credam loco huic, in quo vrbs condita est, principio Midoacum fuisse nominatũ, à Cimbrica voce Middac, id est, mediis excubiis, in qua quarta vocalis loco eius litteræ, qua Latini carent, fuerit substituta. Est enim Patauiũ in medio Rauennę & Aquileiæ siue Timaui, ita vt mediæ regionis Venetæ meritò custodia potuerit nominari. Sunt apud Gallos antiqua hactenus nomina ab eadem radice propagata, quibus ciuitates & pagi nuncupantur, vt Bellouacum, Duacum, Bauacum, Leuacum. Flumini igitur & portui, & ipsi etiam loco à media Venetiæ custodia nomen datum videtur: quod tam diu credo opido mansisse, dum mercatu nobile redderetur; qui postquam ipsum ditasset, & indies magis atque magis augeret, Patauij nomen videtur indidisse, priore in flumine duntaxat & portu relicto. Mirum est, quàm Cimbrica hæc vocabula, regionis & situm & naturam, & quod cuiusque partis proprium est, exprimant; & quasi ob oculos ponant. Nec mirũ, Medoacum mediam custodiam dici, cùm Strabo testetur, olim centum & viginti militum millia è Patauina ciuitate educi potuisse, quæ sibi iure custodiæ nomen poterant arrogare, & eius quidem mediæ, quòd veluti cor in medio regionis consisterent. Non est itaque Seruio credendum, à Pado Padauium dici, immo quærendum potiùs, vnde Pado nomen antiquitus sit tributum. Plinius, quem aliquando, si fides eius dicto adhibenda, pudet à Græcis Italiæ rationem mutuari; hoc loco tamen, cùm nihil domi suæ melius inueniret, Metrodorum Scepsium ad sententiam de hac re dicendam in tribunal admisit, cui placuit ab arbore picea, quæ Pades Gallis diceretur, nomen deriuari; eò quòd circa fontem eius plurima nasceretur. Quid sit Padus apud Theophrastum, nec ego scio, nec ab alio me rectè doctum iri spero, propterea quòd vna sola vm-

broso-

broſorum locorum, quibus naſci gaudeat, nota deſcribatur, niſi hoc aliquid iuuet, vt è genere picearum credatur, quòd Taxo foliis Piceas imitanti adnumeretur. Quando verò Pades Gallis olim Piceam ſignificarit, æquè atque priùs ignoro; nunquam tamen tam temerarius & excors futurus, vt quod neſcio, id fuiſſe, velim negare. Nam quod apud Latinos fieri Horatius dixit, id ſuum etiam locum apud Cimbros habet, & tanto latiùs patentem, quanto Cimmerius ſermo Latino eſt copioſior, tum vocabulis, tum dialectis:

Multa renaſcentur quæ nunc cecidére, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi velit vſus.

Verùm quò Metrodorũ iuuemus, confitemur Padum à Picea dici, ſed negamus Pades Piceam Gallis notare. Audiuerat ſcilicet Græcus homo à Gallo quopiam flumen hoc à picea materia nuncupari; vnde coniectauit, Pades apud Gallos piceam ſignificare, eo ad id credendum procliuior, quòd Pados apud Græcos eiuſmodi fortaſſis arboris genus vocaretur. Qua ergo ratione à picea dictus ſit, exponam. Pat, dum vocali breui pronunciatur, viam nobis notat, diuerſo admodum ſignificatu, quàm ſi longo tempore ſonetur. Dey verò omne genus arborum vocamus, quod picẽ effundit odoratam, niſi folio cernatur diſſidere; quod addo, quia ex Betula quoq; pix excoqui poſſit. Pat-dey igitur ad verbum redditum, ſiue è Gallica lingua antiqua, ſiue Cimbrica, viam piceæ materiæ ſignificabit. Non inelegans ſanè maximi fluminis, & inter Alpes & Apenninum maximos montes fluentis, vnde plurimum fluuiorum recipit, appellatio, eò quòd inter alias eius commoditates ea præcipua videatur & maxima: qua fit, vt plurimum ferat piceæ materiæ, id eſt, plurimas ferat naues & cymbas è picea materia factas; & plurimæ etiam piceæ arbores è montibus cæſæ, per ipſum deuchantur in rates colligatæ. Neque aliud flumen inuenias, per quod tantum piceæ materiæ, tam breui terrarum tractu deſcendat; cùm vtrinque hinc ex Alpibus, hinc ex Apennino quamplurimos amnes ſuſcipiat, & præter fluuios eosque plurimos nauigabiles, lacus etiam ingentes in mare deducat. Meritò igitur via piceæ materiæ per excellentiam nominatur, quandoquidem & rates plurimæ, & plurimæ naues per ipſum iter faciunt, maximo commodo accolarum.

Bene ergo quiſquis ille fuit Gallus, quẽ Metrodorus interrogauit, à picea materia nomen datum dixit: ſed gemini erroris homini Græco Gallici ſermonis imperito dedit occaſionem; alterius quòd Padey

è quo

è quo Tau more Cimbricæ compoſitionis eſt ablatũ, piceam dici putaret; alterius quòd ex eo hanc flumini appellationem crederet conuenire, quia ad eius fontem plurimæ piceæ naſcerentur. Hoc enim poſterius ſi verum eſſet, ab illis maximè, qui fonti proximi ſunt, Padi nomine flumen vocaretur, eò quòd illis nomenclaturæ ratio eſſet notiſsima. At idem Scepſius tradit à Liguribus fonti proximis, non Padum, ſed Bodincum vocari; atque hinc dici Bodincomagum opidũ, quod pòſt Induſtria cœperit vocari, eiuſq́ appellationis rationem eſſe in fluminis profunditate, quoniam Bodincum fundo carentem dicat notare. Quamobrem dicendum duo nomina flumen hoc habuiſſe; alterum ab vtilitate vecturæ inferioribus magis cognitum; alterum à profunditate, quę Liguribus vadandi vltro citroq́; præcluderet facultatẽ. Bodincus ergo, ſi integrè ſcriberetur, id omnino Gallis ſignificaret, qd Plinius è Scepſio annotauit. Corruptè enim Bodincus pro Bodmincus dicitur, qui lapſus Græcis & Latinis hominibus Gallicæ linguę ignaris fuit procliuis. Βόδμιος fundũ ſignificare, & Minc idẽ eſſe quod careo, ſiue re aliqua mutilor, nemo Cimbrorũ neſcit; adeò vt Bodmincus bene is fluuius dicatur, qui fundi ad vadandũ caret cõmoditate. Iá quia vado flumẽ tranſitũ non admittebat, nõ malè via piceæ materiæ nominabatur, vtpote per quod non eſſet iter, niſi per rates, vel per pontones, & cymbas è picea materia conſtructas; ita vt duo diuerſa vocabula Padus et Bodmincus eandẽ fluminis naturã, diuerſo tamen modo, denotare intelligantur. Atque hac quidẽ ratione Metrodorum & Plinium adiuuimus in Gallicis nominibus interpretandis; qui hoc mihi è diuerſo argumentum ſubminiſtrarunt; è quo cuiuis non iniquo iudici liquẽre poſsit, antiquiſsimas huius regionis nomenclaturas à Cimbris, non ab aliis petendas eſſe, eò quòd & ipſi Galli, teſte Ioſepho, ab iis originem non minùs quàm Veneti ducant, vti ſuo loco clariùs latiusq́ue aperiemus. Poſſem plura de Venetorum antiquitate commentari: ſed quia illa ſolùm ſector & inueſtigo, quæ à nemine hactenus memoriæ prodita ſunt, ne actum, vt plerique ſcriptores ſolent, agam, apud alios alia monumenta cognoſcantur, quorum primas M. Antonius Coccius Sabellicus ferre videtur, qui & prorſa & verſa oratione res Venetorũ plurimum illuſtrauit. Bernardinus Scardonius Patauiũ magno volumine tres libros, & ſingulorũ plurimas claſſes complexo, celebrauit: cui tamẽ minimè credendum in iis, quæ de Antenoris ſepulcro ſcribit, quod Patauij monſtratur. Si cui tamen nugæ placent indoctorum hominum credulitate confirmatæ, ipſius verba adſcribam; quibus quæ ad ſepulcrũ pertinent, prodit. Huius inquit (de Antenore loquens) ſepulcrum

diu

diu latuit, verùm post multa tempora, dum apud Xenodochium domus Dei sub terra altiùs foderetur, casu repertum est, & in eo ensis auratus inuentus, quem habuit Albertus Scaliger, qui tunc Patauio imperabat, his inscriptum; quæ essent posteris nota futurorum præsagia malorum. Quam rem ne quis commentitiam, aut temerè domi natam putet, Albertinus Musatus magnæ auctoritatis historicus, qui interfuit, pro vero tradit: versus hi sunt respondentibus rhythmis, ob ipsam antiquitatem venerabiles:

Cùm super A sumes, primum sibi Dardane gramma,
Auxilium à superis subito tibi numine clama,
Heu Patauum, qui te profugus construxit ab igne,
Multoties tali pesti subiecta malignæ
Mors cita, vita breuis, Patauos in pace volentes
Viuere, non passa est, genus hoc fatale ferentes,
Admonet & punit nullo discrimine ciues.

Obseruatum enim est à multis sæculis, atque rerum exitu comprobatum, Rectores & Principes ab hac vocali A denominatos, infaustis casibus luctuosos huic ciuitati aliquando fuisse. Huius rei opinio primùm firmata est post Atilam Hunnorũ Regem, Agilulphum Gotorum principem, & Acciolinum Tyrannum, atque Ansedisium, eius crudelitatis ministrum; Albertum quoque Scaligerum, & Andream denique Nerium prætorem Carrariensium. Suspicor quidem hanc arcam & hos versus ibi post multa sæcula à morte Antenoris fuisse appositos, eosque mutilatos esse; quos idcirco hîc lubens apponendos duxi, vt si quis fortè integros emendatosque rectiùs habeat, in lucem proferat. Hæc autem arca ingens, quatuor columnis pro foribus Basilicæ D. Martyris Laurentij, anno milleſimo ducenteſimo, nonageſimo octauo, publicè collocata est, in qua insculptum fuit hoc carmen Louati Poetæ, ea ætate clarissimi:

Inclytus Antenor patriæ vox nisa quietem,
Transtulit huc Henetum Dardanidumque fugas.
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem,
Quem tenet hic humili marmore cæsa domus.

Hæc Canonicus Patauinus non satis è canonica veritate: quæ idcirco adieci, quò liqueret, quàm omnes ferè ciuitates in originibus suis asserendis fabularum figmentorumq; sint studiosi, quamque aliqui sumptibus non pepercerint, vt posteros falsa aliqua imbuerent vanitate: quod in hoc Antenoris sepulcro video contigisse, tam pa-

rum tamen artificiosè, vt qui vel semel adspexerit, mox sit intellecturus, ad quã à Christi natali diẽ arca ea sit excisa; qua de re derisui mihi fuêre, qui Patauij mihi hoc sepulcrũ, veluti Antenoris id fuisset, cõmonstrarunt. Missis ergo his nugis, & ceteris etiam omnibus, quæ ab aliis diligenter sunt excussa & litteris mandata, finem Venetorum ad Adriam habitantium antiquitatibus eram impositurus, nisi Padus reuocasset, mecum expostulans nobilissimum me ipsius nomen non commemorasse, nec ad priscos suos natales reduxisse, cùm tamẽ apud Poëtas non alio libentiùs vocetur. Reuerso igitur mihi ad fluminis considerationem, succurrit Eridani vocabulum in omnibus diatribis decantatissimum, quod opem meam desiderare videbatur non minùs, immo magis, quàm duo priùs explicata; propterea quòd non in terra modò, sed in cęlo etiam, atque præterea in Elysiis quoque cãpis celebretur. Maximam profectò difficultatem in hoc onere subeundo mihi allatum iri prospiciebam, tum ob veterum vel obscuritatem vel ignorantiam, dum eius meminerunt; tum ob fabulas de Phaethonte & eius sororibus confictas, à quibus Electrum effundi magna consonantia vates cecinêre. Placuit tamen vires experiri, & id tanto magis, quanto quæ difficilia sunt & ardua, pulcriora censentur. Iam itaque ab ipso principio commodùm mihi hanc quęstionem oblatam fuisse animaduertebam, eò quòd eminus cernerẽ plurimum hinc iis, quæ de Venetis scripsi, firmamenti accessurum. Simulatque enim de Electro cogitabam, in mentem veniebat ad alios me Veneti nominis homines orationis filo deductum iri; è quibus ad priores collatis, perspicuum euaderet, quàm veram assignarim eorum nomenclaturæ originationem. Vt igitur ab optimo Poëtarum bono omine auspicemur, Virgilij è Georgicorum primo versus, principio adscribemus:

Proluit insano contorquens vortice siluas,
Fluuiorum Rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit.

Et alibi:

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta,
In mare purpureum violentior influit amnis.

Quo loco Aristæus ad prima fluminum omnium sub terra exordia deducit, quæ libro sexto videtur ad campos Elysios collocare:

Conspicit ecce alios dextra læuaque per herbam
Vescentes, lætumque choro Pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus: vnde supernè
Plurimus Eridani per siluam labitur amnis.

Quo-

Quoniam igitur Eridanus per fortunatiſsimos beatorum campos fluere dicitur, vel per excellentiam cuiuſuis fluminis loco hic nominatur, vel indicatur Eridanum per eos campos volui, qui Elyſiis pratis ſint quam proximi camporum amœnitate: quod ita eſſe, ipſemet didici, non citra voluptatem, cùm ſecundum eius ripas Taurino Mediolanum viſendæ eius regionis cauſa iter haberem, ac deinde è Ticino limpidiſsimo maximoq; fluuio & cognomini opido per Padum Ferrariam deueherer, medio tractu Placētia & Cremona claris & vetuſtis opidis perluſtratis. Cùm Taurini curiosè de Padi fonte percontarer, monſtratum eſt altiſsimum Alpium cacumen, qua parte Apenninus extremo cum iis coire receſſu videtur, ſi ſiniſtros Liguriæ montes huic, illis dextros deputemus; quod tanto ceteris canorum capitum verticibus altiùs ſe effert, vt Cineſius eius comparatione videatur depreſſus, quamuis & pinnas in cælum porrigat celſiſsimas, & ſub ipſa etiam Canicula vina ſic congelet, vt mihi bibenti dentes obſtupeſcerent, veluti glaciem, non vinum, hauſiſſem. Admiranti mihi tum è tam paruo interſtitio tantum aquarum in Padum corriuari, vt eā, quam ibi habet, colligeret latitudinē & profunditatem, reſponſum eſt: Quid ſi totus huc fluxiſſet? Quid, inquam ego, an hic totus non eſt, an fortè bifidus è fonte manat? ad quod redditum; nō habere alium quidem ramum, aut alueum, qui cernatur, ſed plurimam eius partem terra abſorberi, in profundum barathrum precipitatam. Intelligebam itaque non ſolùm ſe cuniculo, vt Plinius annotauit, condere; & rurſus in Forouibienſium agro exoriri, ſed partem eius magnam occulto meatu aliò deferri. Quamobrem plurimum gaudebam, me tandem reſciuiſſe, quæ cauſa eſſet, vt Virgilius Eridanum potiùs dixerit per Elyſios campos fluere, quàm Iſtrum, aut Nilum, aut Tiberim etiam, Heſperidum regnatorem aquarum, & tot Diuorum parentem. Cùm enim Æneas ad inferos deſcendiſſet, ac illic ſub terra flumen inueniret, appoſitè admodum Poëta illud è Veſulo monte ſummo deduxit, vbi acceperat non paruam Eridani partem in terræ viſcera penetrare: quæ cùm nuſquam rurſus erumpere deprehendatur, bene finxit ad Elyſios campos deſcendere, ad accolarum ſimul opinionem, & ad amœnitatem camporum alludens, quoniam nuſquam gentium vberior, & lætior, & maior planicies, quàm ea, quæ inter Alpes & Apenninum ad Adriam vſque protenditur, queat inueniri. Ineptit hîc Seruius, dum ab infero ad ſuperum mare fluxum eius computat, ac inde Poëtæ ſubtilitatem extollit, in quo illud magis placet, quod de fluminum ab inferis origine, è Georgicis adduxit; at id commune eſt omnium, non Padi proprium.

Illud igitur (vnde ſuperne) ſic intelligo, vt mox paulo à prima ſcaturigine plurimus Eridani amnis, id eſt, plurimum eius, ad Elyſium deſcendat. Facilè enim fieri poteſt, dum ſe cuniculo condit, vt non totus rurſum emergat; quod ex eo quis facilè ſuſpicetur, ſi anguſtior & exilior exeat, quàm anteà deſcenderat. Similem quandam voraginem in quadã Rheni parte eſſe accepi, & apud Emeritam Hiſpaniæ vetuſta illic Romanorum monumenta luſtrans, audiui partem Anæ ſubtus terram rapi, nec rurſus cum reliquo flumine exoriri. Mirum eſt, quàm hic noſter vates perpetuo Grammaticorum acumen fallat, dum ſemper plus habet in receſſu, quàm prima fronte pollicetur. Nec ferendum in Seruio, quòd flumen hoc ex Apennino deriuet, cùm è Veſulo excelſiſsimo Alpium vertice, Apenninum non paulo inferiùs deſpiciente, omnium doctorum confeſsione exoriatur. Polybius Megalopolita, ſermone Hiſtoriæ ſuæ ſecundo, ad hanc ferè loquitur ſententiam: Padus verò fluuius, qui à Poëtis Eridani nomine celebratur, fontes habet ex Alpibus ad ipſum ferè eius figuræ triangularis, quam Italiæ adſcripſi, verticem. Defertur autem in campos, fluxu priùs quaſi ad meridiem, deinde dum in plana venerit, ad Orientem reflexo. Effertur in Adriæ ſinum oſtio gemino, planiciei maximam partem ad Alpes, & intimum Adriatici maris receſſum reſcindens. Aquarũ copia nulli Italiæ fluminum cedit, propterea quòd vndique ex Apennino & Alpibus omnes aquarum defluxus in eum cadant, & maximus quidem & pulcerrimus ad Caniculæ ortum fertur, liquata in dictis montibus niue adauctus. A mari per illud oſtium quod Holana vocatur, ferè ad duo millia ſtadiorum ſurſum nauigatur. Nam primum è fontibus defluxum ſimplicem habet; circa verò eos, quos Trigabolos vocant, bipartito ſcinditur; altero oſtio Padoa vocato, altero Holana; ſuper quo portus iacet, nullo altero in ſecuritate nauium ſtationi præſtanda, per totum Adriæ tractum inferior. Vocatur autem fluuius ab eius regionis hominibus Bodencus. Aliis, quæ de hoc à Græcis narrantur, hoc loco ſuperſedebimus; illis, inquam, quæ de Phaethonte & eius caſu dicuntur; tum & ea, quæ de lacrimis Populorum arborum, & de atratis fluuij accolis, feruntur; quos hactenus aiunt eiuſmodi veſtes gerere, propter Phaëthontis luctum. Hæc, inquam, & omnem Tragicam & huic conuenientem materiam in præſentia differemus, eò quòd ad hoc præparationis hiſtoricæ genus, non multum pertineat accuratam de his facere inquiſitionem. Hæc Polybius; quibus multa de priſcis Padi accolis adiecit; & inter alia Venetos, quos in principio per diphthongum Græcam ſcribit, ita vt ſyllabæ quatuor fiant, alia lingua, quàm

Gallos

Gallos vſos dicit: quod ſi ad antiquiſsima Cimmeriorum tempora referat, fallitur; vt ex his, quas interpretatus ſum, vocibus eluxit. Quod autem oſtium Padoan dixit, Plinius & ceteri Latini vocant Paduſam. Bodincum nominauit Bodencum, nec malè, quòd citra diſcrimen *Bodincus* & *Bodencus* apud priſcos tum Venetos, tum Gallos diceretur, vti quotidiana hactenus loquendi conſuetudo teſtatur. Excellentiam huius fluminis Lucanus item depinxit lib. Pharſaliæ ſecundo ſic exorſus:

Quóque magis nullum tellus ſe ſoluit in amnem,
Eridanus fractas deuoluit in æquora ſiluas.

Sed hæc modò ſufficiant ad fluminis naturam cognoſcendam, cui nullum tam exiguo decurſu plus amnium recipit, adeò vt præter ingentes lacus, triginta in mare fluuios deuoluat. Meritò igitur Rex fluuiorum à Virgilio vocatus, quo cognomento apertè mihi ſignificauit, qua cauſa Eridanus à priſcis vel Gallis, vel Venetis vocaretur. Frequéter monui, aſpirationem in compoſitione crebrò perire, quod hic rurſus contigiſſe cerno. Heridan enim nobis plenè conueniensterque origini dicendus eſſet, è quo Græci, Latiniq; Eridanum fecerunt; quamuis non negem Eridano etiam ſuam eſſe ſignificationem, flumini non minùs quàm illam conuenientem, ſi æquè Virgilianam ſaperet interpretationem. Seruius ad Solis filium nomen reiecit, Eridanum aiens priùs, deinde Phaëthontem ab incẽdio currus malè gubernati excitato, dictum fuiſſe. Heſiodus dicit Phaëthontem, Solis e Clymene filium, cùm altiùs patris currum adſcendiſſet, in Eridanum fluuium, qui & Padus dicitur, præcipitatũ fuiſſe, Iouis fulmine percuſſum; & cùm omnia eo caſu ardere cœpiſſent, omnes amnes immiſſos eſſe ad incendiũ extinguendũ. Sorores interim Phaëthontis Heliades nominatæ, Merope, Helie, Ægle, Ægiale, Petre, Phœbe, Chærie, & Dioſippe in Populos arbores verſæ, lacrimas emiſerunt in Electrum durandas: quam rem latiùs Germanici Cæſaris commentator in Phænomenis ſcripſit. Aratus eius ad hunc modum fecit mentionem.

Οἷον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται
Λείψανον Ηριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο. *id eſt,*

Nam quales illæ ſubter veſtigia Diuùm
Relliquiæ Eridani lacrimis vndantis aguntur.

Verùm ex his omnibus, quæ de cęleſti Eridano feruntur, nihil poteſt haberi, quod vel minimum faciat ad nominis ratione explicandam. Nec poteſt quidem Græcorum etymologia voci Gallicæ con-

uenire, idque eo minùs, quòd antè hoc nomine fluuius sit vocatus, quàm Græcis bene fuerit notus. Herodotus in suspicionem me vocauit, alij quoque flumini hoc idem nomẽ olim fuisse, in quo quantum fallar, mox exponam. Hic tamen Eridanum & eius nomen, quod Græcum facit, merum esse Poëtarum figmentum, in Thalia sua indicauit, de sua ignorantia rei dimensus veritatem. De fabula tamen mox nunc Cimbricam vocis originem exponam. Heridanus cum aspiratione dominum aquarum per canales citò delabentium significat. Her enim sic pronunciatum, vt duplex vocalis audiatur, dominum significat. Eit verò aquam notat, quæ terram cursu suo radit atq; rumpit, vel ipsos etiam canales ruptos, vt in Aruaticis declaraui. Ay motionem ad anteriora, & adhortationem ad accelerandum exprimit. Herritay igitur, & altera littera canina ad suauitatem exempta Heritay, idem est ac si dicas, dominum aquarum citò per canales sibi ruptos defluentium. Eodem modo Rodanus dicitur, quasi Eaday, id est, celeriter properas, voce fluminis naturam exprimente; cui cõtrarius est Arar gemina tarditatis significatione, vt in nominibus priscis Gallorum latiùs explicabo. Heridanus ergo tenui littera in mediam mutata, vt in compositione frequens nobis est ad lenitatem conciliandam, dominus vocatur & rex fluuiorum; ita vt suspicer, Virgilium à quopiam Gallicæ linguæ perito, hanc originationem accepisse, vt fuit curiosissimus in occultioribus perueſtigandis. Iam si aspirationem ademptam velis, ab hac significatione nonnihil discedes, sed minimo interuallo: propterea quod Er per duplicem sonũ enunciatum, honorem notet; quæ vox in compositionem recepta, doceret, Eridanum esse fluuiorum honorem; quod vix aliud est, quàm si dominum vel regem vocaremus, cùm dominus ab honore etiam nobis dicatur, sitque Heer is, cui habetur honos. Het eer enim idem est, ac si dicatur, habet honorem; quod phrasi nostra significat quempiam dignum esse, vt honoretur, siue iure suo sibi honorem postulare. Quis hic non admiretur Virgilij diligentiam, quis non videat, qua causa Eridanus potiùs in Elysio sit, quàm quiuis alius amnis, denique cui non clarum sit, si flumen in cælo reperiatur, id Eridanum potiùs, quàm alio quouis nomine dicendum? Quàm, bone Deus, multas quæstionum difficultates, simplex hęc vocis interpretatio remouit; quantum lucis Poetis cùm omnibus, tum Maroni intulit, quantum eidem dedit ornamenti, commonstrans qua de causa fluuiorum eum Regem nuncuparit! Omnium itaque fluminum decus Eridani vox significat, & ideirco in cælo meritò collocatur, si vllum omnino flumen in

eò collocandum: nec minore iure in beatiſſimis beatorum campis locum ſuum ſortitur: denique ſi ratio nominis, non loquendi vſus, ſpectetur, quiuis fluuius, qui eius, per quam fluit, regionis decus eſt præcipuum, Eridanus poteſt vocari: qua quidem ratione ſi illi ducti fuerunt, qui cęleſtem Eridanum Nilũ ſiue Gyon putarunt, non longè à veritate receſſerunt; quandoquidem & hic maximum regionis ſuæ ſit ornamentum. Cauſa enim, quam Germanici commentator, quiſquis ille fuit, expoſuit, ob id Eridanum cæleſtem Padum eſſe, quia à meridianis partibus fluat, prorſus eſt falſa; vt omnium experimento, & Polybij, & ceterorum auctoritate conſtat. Eſt & Eridanus, teſte Pauſania, in Græcia. Amnes, inquit, in Attica nobiles ſunt, Iliſſus, & in eum cadens Eridanus, eiuſdẽ cum Gallico Eridano nominis. Is an ab Amazonibus, qui Athenas primi condiderunt, hoc nomen ſit ſortitus, an verò Græcam habeat nomenclaturã, equidem me fateor ignorare, cùm vtrumuis horum ſuam probabilitatẽ poſsit tueri. Quanquam enim abſurdum eſt, vt quod maximè dicere, primogeniam Gallici Eridani nomenclaturam de Græco ſermone petitam eſſe, non tamen inficias eo, Eridani Attici vocabulum non incommodè poſſe ad Græcam originem referri, cùm vna eademq; vox aliud apud alias gentes ſignificare deprehendatur, quod Cicero in vocula Bini annotauit, quæ Latinis æquè eſt atque Græcis in vſu, ſed diuerſo admodum ſignificatu. Si Etymologici Græci ſcriptor Eridani explicatum reliquiſſet, nihil mihi opus fuiſſet meum adferre in peregrina lingua commentum. Facta eſt hæc vox, ni fallor, ex ἦρι & Δάνος, quorum illud ab ἦρ ſiue ἔαρ eſt, quo, ſi ad annũ integrum applicetur, vernum; ſi ad diem vnum, tempus matutinum notatur. Δάνος verò fœnus & munus accumulatum deſignat: quo fit, vt Eridanus verni temporis munus exponatur. Quocirca ſi fluuius Græco nomine in Attica ſic fuerit appellatus, videtur eius naturæ fuiſſe, vt verno tempore cãpos alioqui ſteriles futuros irrigaret: quod ſi fecit, non Græcã tantùm, ſed Cimbricam etiam Eridani nomenclaturã merebatur, eò quòd ſicut ceterarũ rerum, ita amniũ quoq; honores homines ferè vtilitate metiantur. Inuenimus itaque duos modò fluuios hoc nomine nũcupatos, & eam interpretationẽ, vt pluribus in vtraq; lingua amnibus poſſit conuenire. Videndũ itaq;, an nullus alius Eridanus vſquam gentium fuerit, qui pari ratione venerit in nominis Cimbrici cõmunionẽ: quod vt ſciri poſsit, veterũ de Eridano opiniones examinẽtur, inter quos Pauſanias, quia modò ſententiã ſuam dixit, non eſt reuocandus: nec Strabo item, qui ei adſtipulatur, quos Latini magno conſenſu ſequuntur. Herodotus antiquiſsimis proximus,

mus, & eorum, qui extant, primus de finibus Europæ tractans, sic in Thalia sua scripsit, vt apertè cernatur, alium longè Eridanum priscorum fuisse, quàm eum, qui in Gallia & Venetia celebratur. Sed quia quod hîc additurus sum, id nullorum scriptis, quæ quidem extant, proditum est, ipsius auctoris verba adiungam:

Οὔτε γὰρ ἐγώγε ἐνδέχομαι Ηριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὸν πρὸς βορέην ἄνεμον ἀπό τευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστὶ· οὔτε νήσους οἶδα κασσιτερίδας ἐούσας ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. τοῦτο μὲν γὰρ ὁ Ηριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ οὔνομα, ὡς ἔστι ἑλληνικὸν καὶ οὔτι βαρβαρικὸν, ὑπὸ ποιητοῦ δέ τινος ποιηθέν. id est, Neque enim ego admitto fluuium aliquem esse Eridanum à Barbaris vocatum, qui in mare ad Boream ventum situm sese euoluat, à quo electrum aiunt venire. neque insulas noui Cassiteridas siue Stannarias vllas esse, è quibus stannum nobis adferatur. Ipsum enim Eridani nomen contrà arguit, quippe quod Græcum sit, non Barbaricum, à Poeta quopiam fictum. Hæc ille. è quibus quiuis conijcere poterit, Herodotum ab antiquis audiuisse, Eridanum in mare illud effluere, quod Boream spectat, atque inde electrum adferri; cùm tamen Adriam nouerit, quò Phocenses nauigasse tradit, cùm illud Boreale vltra supra Europam mare se ignorare fateatur, quamuis diligenter de eo inquisiuisset. Diodorus Siculus electrum è Basilia insula in Oceano iacente in continentis litus tempestatibus eiici tradit, ac falsas esse fabulas, quas veteres de Phaethonte cõmenti fuissent, dicentes, eum Solis filium fuisse, & petiuisse à patre, vt vno die sideris currum gubernaret; quo impetrato, equos aurigam contemnentes deuios aberrasse, ac cælum incendisse, ea parte flamarum reliquiis adhuc extantibus, qua Galaxiam videmus. Qua re Iouem indignatũ, fulmine cõtra Phaethontem sæuiisse, atque hũc ictum in Padum, qui Eridanus olim dictus fuerit, incidisse. Deinde mortẽ eius sorores defleuisse, ac in Populos fuisse mutatas; è quarũ lacrimis quotannis fiat electrum. Diodorus itaque Eridanũ in mare mediterraneũ deducit, existimans vana esse omnia, quæ apud priscos de electro feruntur. Nos contrà nullas veterum fabulas tam vanas existimamus, quin aliquam veritatis imaginem repręsentent; sed eas de antiquissimis auctoribus, in quibus Poetæ primas tenent, interpretandas arbitramur. Apollonius in quarto Argonauticôn, duplex Eridani ostium facit; alterũ in Oceanum, alterum in Ionium sinũ effundens, cui interpres quoque assentitur: qui error inde natus videtur, quòd in vetustis Poetarũ monumentis inuenisset Eridanum in Oceanum

Septen-

Septentrionalem euolui,& apud posteriores didicisset, Eridanum in Adriam multis ostiis exire ; quos conciliare volens, ex vno flumine duo brachia in diuersas orbis partes diduxit. Ex hoc igitur Poëta & Herodoto,qui Eridanum Gallicum ignorãs, vnicum legerat, & eum quidem in Boreale mare effluentem; colligendum censeo, alium Eridanum priscorum hominum carminibus celebratum fuisse, quàm eum,quem è celsissimo Vesuli vertice, partim in Adriam, partim ad Elysios campos defluere dixi. Quis autem,& vbi gentium terrarumve hic fuerit, Electrum nobis apertissimo & necessario indicio demonstrabit ; quod in Europa, vno duntaxat loco, inueniri fatentur omnes. Cùm igitur in Goticis docuerim, quis fluuius omnium sit ea mundi parte maximus & nobilissimus ; dubitari amplius non potest, quis apud Ogygios illos Poëtas Eridanus fuerit decantatus. Vistula enim in vltimo Germanorum limite, non solùm fluminum omnium in illa plaga tenet principatum, sed ad ostia etiam Electrum fossile ex ipsis suppeditat arenis. Diodorus Siculus Electrum ex insula Basilia Scythiæ, quæ supra Galatiam est opposita, in litus è regione situm eiici dixit,nec alio loco inueniri; per Galatiam, Germaniam intelligens : quàm bene, in Gallicis docebo. Verùm hoc loco Eridanum nullum posuit,credens Gallico flumini Phaëthontis casum è fabulis esse tribuendum. Herodotus rectiùs è vetustioribus didicerat, Eridanum in Oceanum Boreum deuolui; quem prisci putabant à Sarmatia exorsum insulas magnas continere ; è quibus Ptolemæus Hadriani tempore non alias quàm Scandias quasdam, quarum maxima Gotlandia nunc vocatur, agnouit. Apollonius Rhodius, nec vetustissimis, nec recentioribus fidem prorsus abrogandam arbitratus, fecit Eridani brachia; alterum in Oceanum, alterum in Adriam euolutum ; quibus de suo tertium adiecit in Sardoum mare descendens. Ex horum omnium collatione liquet, Vistulam olim Eridanum fuisse nominatum, non Græco quidem de fonte, sed de eius gentis vernaculo sermone, per quam longo tractu & ingentibus gyris in Boreum mare sese exonerat. Est enim dominus & summum decus omnium eorum amnium, qui Boream versus per Sarmatiam feruntur, multos maximosque amnes alueo suo velut dominus suscipiens. Nec mirum est, ab hoc Eridano ad alterum,qui in Adriam fluit, fabulam à posterioribus,quibus Sarmatia minùs quàm priscis nota esset,fuisse translatam : propterea quòd & Vistula & Padus in sinum Veneticum exoneretur. Cùm enim alium sinum Veneticum ignorarent, quàm eum, qui ad intimam Adriatici maris partem inueniretur; crediderunt, quæcunque de Electro & Eridano dicerentur, ad Padum esse

referenda. Ptolemæus antiquitatum Ogeniarum diligentiſſimus ſcrutator, hunc, de quo priſci locuti ſunt, maris Borei ſinum, Venedicum vocauit, tenui littera in mediam tranſgreſſa. Quamobrem & Gallicus & Sarmaticus Eridanus in Venetorum ſinum defluit, ſed ad alterius duntaxat oſtia, Electri hiſtoria & Heliadum lacrimæ pertinebant; quas dum imperitè poſteriores ad Padum transferrent, in eos, quos videmus, errores inciderunt. Procliuis igitur lapſus hic fuit, tum ob homonymiam Eridani, tum ob ſinum Venetorum, tum maximè ob Geographiæ ignorantiam; cuius quàm Græcorum antiquiſſimi, quàm poſteriores, fuerint doctiores, non vno loco declaraui. Vera itaque hiſtoria fuit, Electrum ad Eridanum inueniri, non illum quidem Gallicum, ſed Sarmaticum, ſiue Germanicum; ad cuius oſtia hactenus effoditur electrum, vt in Gedanicis latiùs oſtendi. Videat nunc æquus lector, quantum lucis ex hac mea inueſtigatione veritati affulſerit; quamque omnia, in quibus Herodotus, & Diodorus, & ceteri laborarunt, facilia ſint ad intelligendum. Quamobrem Gedanum & Viſtula poſt omnium ſcriptorum memoriam, hoc mihi ſoli perpetuò debebunt, quòd primus hoc iis retulerim ornamentum, à priſcis illud quidem tributũ, ſed ab Herodoto ceterisque detractum, nec vnquam reddendũ, niſi meus mihi Hermes omnẽ veritatem enucleaſſet. Quantũ verò hoc ſit munus, & quanti apud homines generoſos æſtimandum, quiuis poteſt iudicare; niſi tam plumbeus ſit aut corneus, vt vetuſtiſsimam gentis claritatem contemnat, ac pro nihilo ducat. Amaſtriani tanti fecerunt, quòd ipſorum maiores in Iliade ſua Vates celebraſſet, vt ei numum excuderint, grati generoſique animi perpetuum monumẽtum, de memoria apud eum ſui, non minùs quàm Smyrnæi de patria ipſius gloriantes. Sed ne odioſus ſim in beneficio meo extollendo, apud eos præſertim, quorum in magiſtratu & tota ciuitate quamplurimi ſunt, omni liberalium artium cultu inſignes; inter quos & ego nonnullos noui, non in poſtremis habendos: ſatius erit ipſorum iudicio expendendum relinquere, quanti ſit hoc, quod hîc præſtiti, nobiliſſimis doctiſſimisque viris faciendum, quàm ei trutinando diutius immorari. Quò tamen hoc munus meum cumulatius reddam, iis potiſsimùm, qui Poëtarum altiùs examinandorum ſunt ſtudioſi, acceſsionem dabo minimè contemnendam; qua perſpicuum faciam, vnde Phaethontis fabula ad Electrum ſit detorta. Seruius, neſcio cuius auctoritate ductus, Phaethontem priùs Eridanum vocatum tradit, nec antè Phaethontis nomen adeptum, quàm incendio ſuo nouam mundo lucem intuliſſet; ac inde, poſtquam fulmine

mine percuſſus, in Padum incidiſſet, flumen priùs ipſius nomen accepiſſe. Apollonius priſcorum & recentiorum & fabulas & hiſtoriam miſcens, admirabile monſtrum quarti libri verſibus ingeſsit, aiens, Argonautas vltimum Eridani fluxum ſubiuiſſe; quem recepto Rhodano, non in Oceanum modò, & Ionium ſinum fluere dixit, ſed in mare etiam Sardoum ſeptem oſtiis euolui: quod vt antè indicaui, ita nunc repetitum dico, magnam habere imperitiæ notam, & in laudato Poëta vix ferendam. Duo oſtia condonanda viderentur, quæ de duobus Eridanis, & duobus Venetorum ſinibus poterant in mentem venire; ſed tertium nimis ineptè finxit ex Hercinio ſaltu; è quo Iuno Eridanum nauigantibus acclamauit, in Sardoum iis mare curſum tenendum eſſe dicens; quo tamen ſuo errore turpiſsimo hoc nobis ſuggeſsit, lectum apud quenquam veterum fuiſſe, Eridanum ſecundùm Herciniam ſiluam in mare deferri; quod Viſtulæ optimè videmus conuenire. Hic item duas fabulas diuerſas de Electro adduxit; alteram de lacrimis Heliadum ſuper Phaethonte, in Eridanum delapſo fuſis; alteram de Apollinis lacrimis, ad Hyperboreos iuſſu Iouis proficiſcentis, petitam: quarum hæc, quæ electrum ex Apollinis lacrimis generat, quas in itinere ad Hyperboreos faciendo ſuper Æſculapio fulmine icto effuderat, planè monſtrat, vbi veterum Eridanus ſit quærendus. Viſtula enim rectum iter ad Hyperboreos fluxu ſuo oſtendit, cùm in Boreum mare effundatur, & hoc tempore Boruſsiam terminet regionem, nomine ſuo, neſcio quid Boreum præ ſe ferentem, quamuis inde fortaſſe nomen minimè ducat. Et hanc quidem de Apollinis lacrimis in electrum duratis fabulam, Rhodius Poëta de Celtarum opinione recitauit: verùm id quod Seruius tradidit, Phaethontem priùs Eridanum dictum fuiſſe, nec ipſe, nec alius quiſquam, cuius nunc quidem recorder, ſcriptum reliquit. Apollodorus Phaethontem Tithoni filium fecit; contrà quàm Heſiodus cantat; apud quem Aurora ex Tithono Memnonem & Emathionem parit, Phaethontem è Cephalo concipit:

Τιθωνῷ δ' ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ημαθίωνα ἄνακτα·
Αὐτὰρ τοι Κεφάλῳ φυλήϊδι Φαίδιμον υἱὸν
Ιφθιμον Φαεθόντα θεοῖς ἐπιείκελον ἄνδρα.

Id eſt,

Tithono Æthiopum galeatum Memnona Regem,
Aurora in lucem produxit & Emathiona:

At Cephalo illuſtrem peperit Phaethonta, gerendis
In rebus validum, & Diis immortalibus æquum.

Hunc ait nocturnum Veneris ædituum ab ipſa Dea delectum fuiſſe; quod, è qua Theologia deprompſerit, equidem neſcio; hoc ſcio parum cum Orphica conuenire, quam plurimis locis turpiter perturbauit atque corrupit. Homerus Soli Phaethontis nomen tribuit:

Εὖτε γὰρ Ἠέλιος Φαέθων ὑπερέχεθε γαίης. *id eſt,*
Poſtquam Sol Phaethon ſuperadſcendiſſet in agros.

Nos igitur Phaethontem, cuius Heliades fuerunt ſorores, ex Apolline procreatum dicemus, & ab eo ſicut genus, ita nomen quoque duxiſſe; non verò, vt Seruius dixit, ab ardore, quem pòſt excitauit. Ariſtoteles, ſi verus eſt titulus, in libello De mundo, Iouis quoque ſtellam Phaethontem dici ſolere prodit. quod ſi ita eſt, ad lætum Iouis ſplendorem referendum iudicamus. Nobis Homeri potior eſt auctoritas, qui Soli hoc nomen tribuit, à quo ad filium tranſiuit, vtrique conueniens; illud quidem, ſed priùs patri quàm filio, eò quòd lux patris fons ſit & origo luminis, quod per filium denotatur. Explicemus ergo fabulam de naturæ imagine, à qua ad ipſum primum primæ philoſophiæ exemplar facilis eſt adſcenſus. Sol parens omnis luminis, inter ceteros ſuos filios gratiſſimum nobis protulit eũ ſplendorem, qui verno tẽpore mortalibus lætiſsimus arridet; quem Phaethonta, vel, vt ego malim, Phaetonta, citra adſpirationem in tertia ſyllaba, Poetæ nominarunt; eò quòd Veris lumen per excellentiam ſplendor, atq; nitor totius anni videatur. Phaeton enim φάος τοῦ ἔτους erit, à lumine anni nomen ſortitus, niſi quis malit φάος ἐτεὸν, id eſt, lumen verum Phaetontis nomine ſignificari: quorum vtrumuis acceperis, ad vernum tempus referetur; quoniam illud & verum lumen, & totius anni præcipuum nitorem habere cernatur. Naſcitur autem Phaeton è Clymene Oceani & Tethyos filia, id eſt, leni humore & vligine terræ, quæ ex Oceano, qui pater eſt omnis humoris, ſiue pluuius ſit, ſiue fontanus, & è Terra matre generatur. Clymene enim à κλύζω, ordinaria forma deſcendit, quo irrigare & humectare ſignificatur: ita vt Clymene dicatur Natura irrigata. Ex hac Sol radiis ſuis vernum nitorem, ſiue Phaetontem gignit, tantiſper duraturum, dum ad ſummum Zodiaci punctum adſcenderit; à quo mox eſt ingenti calore præcipitandus & à ſororibus deflendus, nec alibi inueniendus, quàm ad flumina, quorum Eridanus habet principatum. Phaeton igitur, ſiue Sol vernus, ſiue nitor Solis verni dicatur, tum perit; cùm prin-

principium Cancri attigerit; ac pòst nuſquam amœnitas & temperies verna, quàm ſub Populis & Alnis ad amnes quærẽda. Præterea & alia cauſa finxêre in Eridanum incidiſſe; propterea quòd, quo tempore vltimum Eridani Orionis plantam contingens occidit, quod fit Sole medium Tauri tranſgreſſo, verna amœnitas incipiat aduri. Phaetontis ergo incendium, id eſt, gratiſſimus verni ſmaragdiniq́ue viroris adſpectus quotannis naſcitur ex Apolline & Clymene, & quotannis currus regit, & quotannis extremo Eridani fundo abſorbetur. Huius ſorores ab Ouidio duæ nominantur, Phaetuſa & Lampetie; quarum prioris nomen eandem cum Phaetonte habet originem; poſterior ab anni ſplendore, alia voce ſignificato, nuncupatur. Phænomenon interpres Germanici titulo gaudens, octo nominibus ſuis enumerauit: Meropen videlicet, Helien, Æglen, Ægialen, Petren, Phœben, Chærien & Dioſippen: quarum prima nomine ſuo varias auium voces, & hominum quoque modulationes Veris ſiue comites, ſiue ſorores pollicetur: altera terrã vi Solis temperatè calefacit, & homines ad apricandum inuitat: tertia ſplendore omnia illuſtrat: quarta omnia litora & ripas floribus & herbis exornat, nomine ſuo indicans fructus in litoribus copioſiùs longè quàm in remotis à mari locis prouenire; quod in Circæo deſcribendo alibi declarabo: quinta ad antra & rupes ducit, quo in iis occulti amores peragantur: Sexta omnia luſtrat, & purgat, omni immunditie ſublata: Septima gaudium & lætitiam adfert: cui octaua ſuccedit, tantum felicitatis importans, vt ipſum Iouem vehere videatur, id eſt, omnibus numeris abſolutam vigoris perfectionem. Hæ ſorores, fratre ad Eridani vndas abſorpto, lacrimantur, nec ab illo cæleſti flumine diſcedunt; propterea quòd eius ſtellæ potiſsimam Veris partem occupent. Habet autem Eridanus eam Græcis ſignificationẽ, vt cũ tempore optimè quadret: quia nomine ſuo Veris munus ac fœnus notat. Quæ enim verni temporis munera ſunt alia, quàm quæ ſororum nominibus indicantur? Quod verò de Electro adiecerunt, id partim de Electoris voce, quo Sol ſignificatur, eſt profectum; partim de Eridano, qui & in cæli parte verna, & in Scythia, in qua Electrum naſcitur, inuenitur. Deinde ſororum fletus è ſuperſtitione acceſsit, quam è fabula perperam intellecta, ſacrifici hominibus ſtolidis tradiderunt; quod in Adonidis quoque fabula ſcimus eueniſſe; vt ſimili omnino de cauſa conficta, ita lamentis etiam ſuperſtitioſis contaminata; quibus nihil aliud notabatur, quàm homines tum dolere, cùm Solem vident à nobis recedentẽ: quoniam, Ariſtotele teſte, acceſſus generationem, receſſus corruptionem inducat. Iam quemadmodum Phaeton Solis ex hu-

mida natura filius est; ita electrum quoque ab eodem ex liquore terræ generatur, atque inde nomenclaturam apud Græcos adeptum videtur. Sol enim Elector, siue Doricè Alector vocatur, eò quòd homines è lectis vocet, eadem prorsus ratione, qua Gallus gallinaceus Græcis Alectryon & Alector nominatur; quòd nos moneat, quando è lecto sit surgendum. Homerus de Achillis armati splendore agens, hanc fecit comparationem.

Τεύχεσι παμφαίνων ὥς τ' ἠλέκτωρ Ὑπερίων, *id est,*
Armis effulgens velut Alector Hyperion.

Ab hoc itaque Solis nomine Electrum apud Græcos vocatur, occasione fortè sumpta è Cimbrico sermone, in quo Sel-echt dicebatur, voce ad Electrum vna littera è principio sublata alludente. Nec alia causa videtur fuisse, ob quam metallum auri colore splendens Electrum vocetur, quia nimirum Solis fulgorem imitetur, cùm quatuor auri, vna argenti partibus constet. Homerus quarto Odysseæ Menelai aulam auro, electro, argento, & ebore exornat, quæ eum scribit è variis orbis partibus comportasse. A Sole itaque Electrum nomen habet, ob similitudinẽ splendoris, à quo Electrę quoque appellatio ad splendidas mulieres est traducta. Latè igitur Electri nomen patet ad omnia illa transiturum, quæ vel aurum Solare metallum colore imitantur, vel in quibus vis solaris præ ceteris dominatur: quo posteriore modo Alectryon & Alector gallus gallinaceus dicitur; quamuis & hoc nomen mereatur, quòd è lectis homines appellet. Hac etiam ratione florum Populi nigræ lacrima, Veris vel soror, vel comes, vel nuncia, Electrum non malè dici potest; eò quòd aurum colore suo, siquid aliud; egregiè exprimat, & odore cum fumo veri Electri siue Succini certet, & prætereà eas Alectoris, id est, Solis dotes habeat, vt vix quicquam in medicorũ myrotheciis & præstantius, & vsu vario ditius inueniatur. Aëtius in hac resina siue lacrima calorem tertij gradus agnouit, & ad siccandi humectandique ferè medium dixit venire, vt & hac parte Soli verno optimè respondeat, qui ad finem Geminorum tertium caloris gradum attingit, è quo ad quartum, id est supremum æstiuus Sol non multo pòst est peruenturus, Phaëtonte iam in Eridano summerso. Hinc fabula de Heliadibus in Ægiros siue Populos nigras conuersis, & Electrum lacrimantibus, apud Poëtas naturæ peritos originem duxit; quam alij, imperitè homonymia decepti, ad Succini historiam retulerunt. Græcorum itaque figmentum de Græco sermone voces omnes interpretando, ad naturæ secreta pertinebat, de Magica cælestis

Erida-

Eridani & verni muneris octo ſecum ſorores trahẽtis, & lacrimarum Populi nigræ cognatione profectum. Submerſio verò Phaëtontis in Eridano, ſignificat ad huius fluminis cæleſtis poſtremũ oſtium Orionis pedem contingens, Veris delicias perire; quia ad medium Geminorum tum Sol procedat: à quo dum paulo altiùs adſcendit, incendium Phaetontęum conſequitur, nec vernus auriga vſquam ampliùs apparet. Heſiodus igitur non malè Phaetontem nocturnum Veneris æditimũ fecit; eò quòd nõ alio tempore animantium concubitus copioſior & vberior fiat. Eadem omnia ad primam Philoſophiam applicata, profundiſsimos habent explicatus, & hominis ad felicitatis apicem progreſſum, ab ipſis carceribus primis vſq; ad vltimam metam comprehendunt: quem is videbit, qui vernum nouumq́ue hominis lumen per ſingulas ſorores deducet, ac primo è multitudine opinionum Meropidis auxilio emerget; deinde multitudini exemptus, ſe Soli omnium reuelatori exponet, vt ab eo ſplendorem ſuſcipiat, poſt Oceanum ſuum, ſiue cogitationũ perturbatam vaſtitatem certis litoribus & limitibus includat; quos, ne rurſus perturbationũ fluctus rumpant, petris muniat atque firmet. Hoc gradu quiſquis potiri potuerit, totam beatæ vitæ paraſceuen, & veram hominis expiationem à Pythagoricis etiam cognitam fuerit aſſecutus; etiam paratus, vt Phœben, id eſt, animi mentiſq́ue puritatem omnimodo luſtratam ſuſcipiat, limpidum diuinarum impreſsionum ſpeculum; in quo, dũ mens noſtra diuinas rerũ imagines intuebitur, extemplò Chærien amplectetur, & eius præſentia tantum gaudij concipiet, vt omni pondere leuata ad primos orbes exiliat, & alis receptis ad Iouis thronum euolet, ac ei totam ſeſe gubernandam deinde permittat, ita vt meritò Dioſippe tum poſsit vocari, eò quòd non amplius ſuo, ſed Iouis freno regatur, quod illo nectaris & ambroſię philtro Deus illeuit, vt nunquam ex ore ſuo mens noſtra id reiicere poſsit. Sit hæc Orphica fabulæ ratio ſic obiter expoſita: quam qui cum Arriani Epictetica diſciplina, aut Hieroclis Pythagorico ſilentio conferet, non parum ſentiet oblectamenti, ac deinde conſueſcet abdita figmentorum ſenſa altiùs expiſcari. Habemus nunc à Græcis Phaetonti nomen à patre datum, non ſecus atq; ipſi quoque Electro. Nec priſcis tantùm Poetis Phaeton pro Sole ponitur, ſed poſterioribus etiam, inter quos Nonnus eſt Dionyſiacõn ſcriptor, qui præter alios hos habet verſus:

Μὴ Φαέθων ςρέψειε πυραυγέας ἐς δύσιν ἵππους
Πρὶν Σατύρους ϗ βάκχον ἀλυκτοπέδῃσι κομίσσω
Σφιγγόμενον.—— *id eſt,*

Non

Non Phaëthon conuertet equos ~~seri~~ prius Hesperi ad oram,
Quàm Satyros pedicis & Bacchum haud effugiendis
Adstringam.——

In eodem significatu Phaethonta vocat πανεόψιον, quòd omnia Sol intueatur. Idem Phaethontis filij fabulam libro tricesimo octauo depinxit; & præter cetera illud addidit, Phaethontem non minùs quàm Eridanum in cælo à Ioue fuisse collocatum, ac illic nomen Heniochi siue Aurigæ retinuisse, quod sanè egregiè cum reliquis quadrat: quandoquidem Heniochus super Geminorum signo ad Veris finem simul cum Sole ad meridianum circulum pertingat, vt non inconcinnè ea parte locetur, qua Solis currum desinit gubernare. Eius verba hæc sunt:

Ζεὺς δὲ πατὴρ Φαεθόντα κατεστήριξεν Ολύμπῳ
Εἴκελον Ἡνιόχῳ καὶ ἐπώνυμον οὐράνιον δὲ
Πήχεϊ μαρμαίροντι Σελασφόρον ἅρμα τιταίνων
Εἰς δρόμον αἴσσοντος ἔχει τύπον Ἡνιοχῆος,
Οἷα πάλιν ποθέων ἐν ἄστρασιν ἅρμα τοκῆος·
Καὶ ποταμὸς πυρίκαυτος ἀνήλυθεν εἰς πόλον ἄστρων
Ζῆνος ἐπαινήσαντος· ἐν ἀστρόεντι δὲ κύκλῳ
Ηριδανοῦ πυρόεντος ἐλίσσετο ἄγκυλον ὕδωρ
Γνωταὶ δ' ὠκυμόροιο δεδουπότος Ἡνιοχῆος
Εἰς φυτὸν εἶδος ἄμειψαν· ὀδυρομένων δ' ἀπὸ δένδρων
Αφνείην πετάλοισι κατασταλάουσιν ἐέρσην.

Quæ nos ex tempore sic ad verbum & ad versuum numerum Latinè vertebamus:

Jupiter at Phaëthonta suo defixit Olympo,
Aurigæ similem cognomentumque ferentem:
Luciferi hic carri cubito splendente quadrigis
Intentus speciem gerit ad cursum accelerantis,
Sic velut hic rursum cuperet currum sibi patris.
Vstum flumen item conscendit ad astra probante
Id Ioue, quocirca circumuoluuntur & vndæ
Eridani ardentis clara vertigine cæli:
At breuis aurigæ vita, lapsique sorores
In plantas formam mutant, & ab arbore flente
Destillant folijs rorem ditemque liquorem.

Doctiùs profectò & Orphicis conuenientiùs Phaethontem ex Heniocho Nonnus fecit, quàm Eratosthenes in iis, quæ Hygini nomine

nomine circumferuntur; & is, qui Germanici Cæsaris se titulo iactat, Erichthonium; eò quòd Tauri cornua & Geminos supernè calcet, ac cum iis Solis radios accipiat. Quamobrem libro Dionysiacôn primo Tauri syndromum, id est, vnà currentem, Heniochum appellat; vbi paulo antè Heniochi mentionem faciens, patrem eius Phaethontem vocauit, quoniam illi priùs, quàm filio, conueniret:

Ζεὺς πόσις ἀντέλλων ἢ ὦρα σφυρὸν ἡνιοχῆος
Νύμφιος ἀστερόεις ἀμαρύσσετο Ταῦρος Ολύμπου.
Εἰαρινῷ Φαέθοντι φιλόδροσα νῶτα φυλάσσων.

Quæ sic in totidem versus Latinos cogantur:

Jupiter aurigæ sub plantis exoriturus,
Sidereus sponsus Taurus resplendet Olympo,
Roris amans tergum vernum ad Phaëthonta reseruat.

Quis hîc non videt, verni luminis & aurigæ cognationem diligenter à Poëta conseruatam, & eisdem Taurum roscidum sidus adiectum, quo illa pars cæli exprimeretur, in qua Sol verus Phaethon & alterius Phaethontis, id est, verni luminis calorisque pater eo tempore versatur, quo ros plurimus abundat, & populi lacrimas suas caloris verni symbolum, & optimum doloris amuletum, atque idcirco preciosissimum Apollinis Electrum ad ipsum Eridanum, id est, quo tempore Eridanus cum Sole exoritur, effundunt. Hæc est itaque Græcorum fabula, Græcis vocibus de naturæ & eorum, quæ supra naturam in mentis orbe versantur, conuenientia, ab Orphicis conficta. Quoniam verò homonymiam Eridani & Electri posteriores non intellexerunt, ad Eridanum terrestrem & succinum eam applicare voluerunt; atque ita fabulam & historiam permiscentes, & hanc & illam perturbarunt. Eridani enim vocabulum cùm Cimbricum est, illi primùm flumini datum videtur, quod Sarmatiam & Germaniam longo terrarum tractu diuidens, in Balthicum mare, quod Græci Oceanum esse putauerunt, sese effundit; quod ex Herodoti auctoritate clarum feci. Ad huius ostia Electri illud genus, quod Succinum vocatur, reperitur; sed minimè vel è Populis, vel ex aliis arboribus exsudat, quod è fabula Poëtæ imperitè addiderunt. Iam quia posterioribus temporibus res Cimbrorum ad eam Balthici maris partem minùs notæ Græcis hominibus essent, per homonymiam ad Padum & fabulam & historiam detorserunt, non minùs in hac, quàm in illa, decepti. Nec defuit

huius erroris ingens occaſio ex alia rurſus homonymia enaſcens. Priſci enim Eridanum, ad cuius oſtia Electrum inuenitur, in ſinum Venedicum exonerari tradiderunt: poſteriores inde nullum alium Venetorum ſinum, quàm eum, qui in Adria eſt, cognoſcentes, ad hunc hiſtoriam retulerunt; ad quem cùm nullum Electrum reperiatur, locorum ad Padum periti, nihil aliud, quàm vanum Poëtarũ figmentum id, quod de Eridano & Electro ferretur, putauerũt: in quorum numero inter ceteros Diodorus fuit & Lucianus. Plinius diligenter eos enumerat, qui in Electri hiſtoria aberrarunt: ſed nihil addit, quod faciat ad tanti omnium erroris occaſionem. Æſchylus quo Eridanum in Oceanum ex vetuſtiorum ſententia effunderet, in Iberia eum collocauit: Cteſias Indico eum nomine Hypobarum vocans, in Oceanũ quoque, ſed Indicum, exonerari prodidit; ex Indico fortaſſis Animi, quo nomine nunc gummi Electro noſtro colore ſimillimum illud quidem, ſed odoris ſuauitate pręſtantius vocamus, in hanc opinionem deductus. Nos itaque tandem omnibus veterum ſcriptis diligẽter examinatis, deprehendimus ab antiquiſſimis illis veriſſimè dictum eſſe, Electrum ad Eridani oſtia legi; qua parte in Veneticum ſinum effunditur: ſed id à poſterioribus perperam intellectum, ad Eridanum & Venetos Italiæ eſſe tranſlatum; & non hîc tantùm erratum fuiſſe, ſed in eo quoque, quòd Populorum Electrum non minùs quàm alterum precioſum, ad Eridanum Italiæ, non ad Eridanum cæleſtem retulerunt; quaſi illic magis, quàm alibi, lacrymæ hæ effunderentur. Nuſquam certè deſtillant, niſi ad Eridanum; ſed eum minimè terreſtrem, ſed cæleſtem, id eſt, ad illud tempus, quo Sol cum Eridano exoritur, non ad ea loca, quę Eridanus Gallicus vel Gedanicus alluit. Verùm enimuerò id clariùs exponendum, quod dixi, non duplicem modò Eridanum eſſe in Cimbrico ſermone, ſed duplicem etiam in eo ſinum Veneticum inueniri: in quorum vtrumque nominis ratio æquè quadrat. Neque enim ſinus ille, in quem Viſtula exoneratur, minus cauſę habet, ob quam Veneticus vocetur, quàm ille in quem Padus effertur. Sunt enim ad maris Baltici eam partem Veneti non reapſe modò, ſed priſca etiam appellatione, à paucis illa quidem cognita, ſed à Ptolemæo minimè neglecta. Venedas enim inter Viſtulam & Chronon fluuios ponit, & ab illis mare adiacens ſinum Venedicum, & montes, qui Moſouiam hodie vocatam ad Orientem claudunt, & Pruſsiæ ad Auſtrum vergunt, Venedicos appellat. Quamobrem Pruſsi Venedæ olim nominabantur, idcirco nimirum, quia loca paludibus, & ſtagnis, & ſinubus incuruo & profundo receſſu infuſis plena colerent, perinde atque Veneti illi,

qui

qui ad Adriam habitabant. Certè vtrobique paludum, lacuumque magnus numerus vtrobique mare intra terram multis ſtagnis infunditur, adeò vt vix ſtatui queat, vtri genti Venetorum nomen rectiùs applicetur. Venet enim is dicitur, qui habitat terram paludibus & lacubus plenam; nec is ſolus, ſed ille etiam, qui loca tenet ſtagnantia, ſiue id perpetuum ſit, ſiue ab æſtu & maris affluxu fiat. Quod vt apertiùs cognoſcatur, Venetorum loca, qui in Gallia ad Oceanum habitant, Iulij Cæſaris verbis deſcribemus: è quibus & illud perſpicuum fiet, quare & illi Venetorum nomen mererentur. D. Brutum, inquit, adoleſcentem claſsi, Gallicisque nauibus, quas ex Pictonibus, & Santonis, reliquisque pacatis regionibus conuenire iuſſerat, præfecit; & cùm primùm poſſet, in Venetos proficiſci iubet: ipſe eò pedeſtribus copiis contendit. Erant eiuſmodi ferè ſitus opidorum, vt poſita in extremis lingulis promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, cùm ex alto ſe æſtus incitauiſſet; quod his ſemper accidit horarum duodecim ſpacio, neque nauibus, quòd rurſus minuente æſtu naues in vadis afflictarentur. Ita vtraque re opidorum oppugnatio impediebatur, ac, ſi quando magnitudine operis fortè ſuperati, extruſo mari aggere ac molibus, atque iis fermè mœnibus adæquatis, ſuis fortunis deſperare cœperant, magno numero nauium appulſo, cuius rei ſummam facultatem habebant, ſua omnia deportabant, ſeque in proxima opida recipiebant; ibi ſe rurſus iiſdem opportunitatibus defendebant. Hæc ille. Venetos hos Oceani accolas Ptolemæus circa ea loca poſuit, quæ Britanniæ nomen à nouis incolis iam poſsident, olim à lacubus, & paludibus, & æſtuariis, & fluuiorum exundantium vligine nominata. Hos Nannetes ab Occidente claudunt, vt ex Cæſare colligo; quamuis Ptolemæus Samnitas peculiari eos vocabulo vocet, qui Ligeri ſunt propinquiores. Cæſar Venetorum nomen generalius videtur feciſſe, vt omnes, qui inter Ligerim & Sequanam ad mare habitarent, complecteretur: inter quos Veneti peculiari nomine à Ptolemæo ſunt ad ipſum litus notati; quo loco hactenus Vanes opidum extat, ad priſcum nomen alludens; & ſuperiùs ad Boream Veneli ab eodem annumerantur ad Tetum amnem, qui ſinum Sancti Michaelis facit, habitantes; qui inde videntur coloniam emiſiſſe ad interiora, quorum opidum Veneliocaſium nomine ad fluuij Olinæ exordium videtur fuiſſe, quo loco Veneliocaſsiorum populi exordium à Ptolemæo collocatur, ſub quibus Lexouij habitabant. Verùm quò beneficij aliquid ciues

Caeni ex antiquaria mea perſcrutatione accepiſſe videantur, addam integram nominum interpretationem ex vetuſta lingua Gallica, de qua plura in Gallorum & Francorum originibus tradam, ſincerè pureque depromptam. Wey quid notet, ſæpiùs dictum. Lo id quod altum in terra eſt, & in dorſum elatũ ſignificare, in Atuaticis oſtendi, adiecto illo etiam, conuerſionem eius contrariam è Cimbricæ linguæ primogenia vocabulorũ formatura, cõtrariæ ſignificationis eſſe. Wey ey ſo igitur nihil aliud notat, quàm locum, in quo paludes ſunt, & loca in dorſum elata. Ey enim, quod inter duas voces in cõpoſitione interiectum videmus, idem eſt quod Latinis Et coniunctio. Palus ergo & altum terræ dorſum Weneto ſignificabit; è quo ſi tollas coniunctionem, Wento exiſtit, opidi in Geldria, vt antè dixi, nomen: quod ſi in compoſitione ſolum Ni conſonantem lenioris ſoni cauſa ſubticeas, Weneto fiet. Ex Weneto Ptolemæus & ceteri Græci Venelos in recto fecerunt, quo formæ ſermonis Græci reſponderet, è quo deinde Latini Venelus ſuo more dixerunt. Sunt itaque Veneli dicti, qui partim paludes, partim alta terræ dorſa poſsidebant. Hinc intelligitur, eos, qui vltimi eſſent Venetorum ſtagnantia litora habitantium, & primi eorum qui alta loca tenerent, Venelos rectiſſimè dictos fuiſſe. Hoc enim in locorum poſitu inter Venetos Adriaticos, & inter Venetos hinc Ligerim, hinc Sequanam attingentes, quòd illorum paludes ſecundum Padum nulla alta dorſa excipiant, ſed planicies humillima & crebrò reſtagnans longiſſimè poſt paludes interiùs porrigatur; apud hos verò mox à paludoſis campis intra vnam, duas, aut tres, aut paulò plures leucas loca alta ſint adſcendenda; quæ deinde longiſſimo terrarum tractu extenduntur. Meritò igitur apud hos Venetos poſtremi Veneli nominantur, quòd & paludoſa & alta loca habitare cernantur. Huius rei exemplum eſt in Veneliocaſsiis, quorum opidum primarium Caen eſſe dixi. Eius enim is ſitus eſt, vt ad viuum eiuſmodi, quæ dico, locorũ naturam ob oculos ponat: quandoquidem vtraque Oliuę ripa ex vliginoſis campis dextrorſum & ſiniſtrorſum quaſi geminum opidum ſurſum attollitur, flumine in duas partes diſtinctum; quarum in Occiduæ vltimo cornu arx in tophea ſiue pumicoſa rupe paludoſos deſpicit campos. Dextra vrbis pars, quæ minor eſt, ab ipſis item ripis aſſurgit, è qua ſatis arduo adſcenſu in altam planiciem ad interiorem Galliam longè lateque expanſam peruenitur. In hac maximi mercatus, qui hîc olim fuerit, clara adhuc extant monumenta in reliquiis ingentium horreorum, quorum immanis capacitas & amplitudo demõſtrat, emporium hic olim fuiſſe prædiues; quod, vt nihil eſt perpetuum, pòſt Rotomagum tranſ-

latum

latum, triſtem vrbi ſolitudinem reliquit: cui, vt ex parte aliqua remedium adferretur, pro Plutoniis mancipiis ſacros Muſarum & Palladis miniſtros recepit, liberaliũ artium Vniuerſitate, loco mercatus, inſtituta. Mirum eſt, quàm aptè & Genius, & Fortuna, & nomen huius vrbis antiquum cum Louanio quadret. Eſt enim & huius talis ſitus, vt & alta dorſa habeat, & inter ea paludoſos campos interiectos, qui flumine exundante non rarò ſub aquis deliteſcunt. Huic præterea ſic Fortuna aliquandiu arriſit, vt inter omnia Brabantiæ opida ditiſsimum potentiſsimumque haberetur, vti mœnia & publica eius ætatis ædificia magnificentia ſua ſatis declarant. Inter hæc vnum eſt immani amplitudine à maioribus, cùm Plutus illic adhuc rerum potiretur, lanceæ merci dedicatum, eodem nomine, quo horrea ſua Caëni hactenus appellant, dum Halles dicunt, quæ vox ab vſu indita eſt, eò quòd ἅλας nihil aliud ſit, vt antè docui, quàm id quod rem quampiam, qualis qualis ea ſit, conſeruat: quod vocabulum Galli vel è priſca ſua lingua, vel è Francica, aut Normannica, quarum vtraque Germana fuit: dum in Galliam vterque populus primùm veniret, retinuerunt. Hæc itaque vt mercatus, & horreorum, & nominis, quo ea vocantur, duabus vrbibus fuit communio; ita & illud accidit, quamuis diuerſo & caſu & tempore, vt ingens maximi lucri faciendi ratio, & immanium horreorum vſus ambabus periret. Acceſsit deinde idem quoque ſolitudinis ſolatium, quod vtriuſque loci Genius neſcio quo fauore à Minerua & Camœnis feliciter impetrauit. Præterea & in eo vtriuſque vrbis conditores conſpiraſſe mihi videntur, vt à paludibus & altis locis vterque ſuam nominaret. Lo-uen enim altum eſt & palus, cùm Veneto palus ſit & altum; in quorum illo Lo, id eſt, altum, præcedit, quia loca alta latiùs patent quàm paludoſa: in hoc ſequitur, quia apud extremos Venetorum prior paludum, quàm altorum, ratio haberetur. Adde & illud, ſi placet, vtrobique circa paludes Abbatiam D. Benedicti iacere ea parte, qua è campis ad altiora tranſitur. Sed ne ad minuta deſcendatur, hæc à nobis de duarum liberalium diatribarum in locorum natura, & fato, & nomine conuenientia, obiter citra moleſtiam luſa ſunto. A Caeno ad mare vſque vliginoſi priùs campi, deinde infidæ & inuiæ paludes extenduntur, adeò vt Venetorum hac parte poſtremi fuiſſe cernantur, atque idcirco mixtum nomen accepiſſe. Sed quid, dices, hæc ad Veneliocaſsios, quorum Caenum ſtatuis metropolim olim fuiſſe? Permultum ſanè. Quare Veneli dicerentur, modò explicatum: qua verò cauſa Ocaſsij nominarentur, breuiter addendum. Hoch Cimbricè altum notat; Caiſſei viam ſilicatam, Cai ſilicem, Sei idem quod, ſero, ſignante:

nante: quia viæ olim paruo ſilice ad duriciem ſererentur potiùs quàm artificiosè maioribus ſilicibus ſternerentur, quod poſteriùs Romani tanta magnificentia in Italia præſtiterunt, vt neſcias vtrum ſumptum, an immenſam duriſsimi & vbique vnicoloris ſaxi copiam magis admireris: cui & illud accedit, quînam equites per lubricam duritiem citra periculum iter facere potuerint, cùm exiguæ illæ & breues inter Formias & Fundos reliquiæ plurimum hodie metum equitantibus incutiant, & id quidem non citra iuſtam cauſam; cùm ipſe coràm viderim venerabilem quendam & canum ſenem, collapſo illic equo, tibiam ſuam fregiſſe. Infinito profectò commodiores ſunt eæ viæ, quæ ſatis, ſiue temerè iactis paruis petris ab antiquis maioribus noſtris fieri conſueuerũt, quas è ſtructurę modo Caiſſeias vocabant. Hoch-caſſei ergo idem Cimbris exprimit, quod Latinè diceretur alta via ſilicata: qua de recolligo ex hac vrbe viam ſilicatã incepiſſe, quæ ex Venelis per altam planiciem ad interiores Galliæ ciuitates digitis huc illuc emiſſis pertineret. Eſt nobis hactenus in Brabantiæ parte ſuperiore via, quæ Hochcaſſei vocatur; quod addo ne quis me inuſitatas & nouas nominum compoſitiones fingere arbitretur. Quamobrem vrbs Venelorum ad huius viæ ſilicatæ initium poſita, Veneti Caiſſei eſt nominata, aſpirationibus in compoſitione de conſuetudine Cimbrica ablatis, & pro duabus eiuſdem & figuræ & ſoni conſonantibus, vna relicta; quod in componendis vocibus frequens eſſe ſæpiùs monitum, quàm vt ſit repetendum. Plures in Gallia ciuitates, quibus à Caiſſei nomen datum eſt, inuenimus, vt ſunt Trecaſſes, Vidugaſſes, Vadicaſſes. Sed hîc minimè omittendum, eos, quos Ptolemæus Veneliocaſſios nominauit, à Plinio Vellocaſſes, à Cæſare Velliocaſſos dici: Cæſaris ſcriptura propiùs ad veram Ptolemaicam integritatem accedente, neutra tamen pura. Eoſdem autem eſſe Veneliocaſsios & Vellocaſſes, ex eo perſpicuum, quòd eos Plinius Lexouiis perinde atque Ptolemęus in eodem tractu proximos ponat. Vellocaſſes erga Veneliocaſsios dixiſſet, ſi germanam vocis originem, quàm ſoni ſuauitatem breuitatemque, potiorem habuiſſet. Nec Cæſar obſcurè indicauit quo loco Velliocaſsi quęrendi, cùm poſt Caletes eos enumeraret, nõ illos quidem, quos hoc tẽpore longè illinc ſitos Caletes vocamus; ſed eos, qui Caulx hodie ad exitum Sequanæ tenere cernuntur. Extergenda hîc è Cęſaris libris inſignis & fœda macula, quæ Vnellos nobis p Venelis induxit; cùm Vnellos in nullis auctoribus inuenerim; & Plinius & Ptolemæus loco Vnellorũ Venelos ponãt eodẽ in tractu, in quo Cæſaris codex Vnellos locauit: quod adductis auctorũ verbis nihil opus

eſt

est confirmare, cùm eorũ exemplaria nullis studiosis debeant deesse. Operæ tamen precium fuit hoc admonere, propterea quòd hæc menda tam altè radices egisset, vt is, qui gentium descriptiones Cæsaris commentariis adiecit, Vnellorum nomen pro genuino germanoque sit interpretatus. Venelos autẽ, non Vnellos, esse dicendos, cùm Ptolemæi & Plinij vnanimi consensui credere oportet, tum de vera vocis ratione regionis naturam optimè exprimente satis patefeci. Effectum nunc hoc nobis est, vt & Venetorum, & Venelorum, & Veneliocassiorum sedes apertè cognoscantur, & Caena ciuitas habeat, quo de antiquitate sua glorietur, cùm modò clarum sit, ab vrbe ipsa totam gentem, vsque ad Lexouios, nomen esse sortitam. Porrò ex his quiuis, nisi sit omnino obstinatus, facilè videbit verisimum illud esse, quod de Venetorum nominis originatione dixi; cùm vbicunque gentium ipsum inuenitur, illic & paludes & restagnantes aquæ apertè cernantur. Veneti itaque Paphlagoniæ ad ipsa eius regionis litora ponendi, in quæ mare recessibus multis insinuatur, & fluuij complures restagnantibus aquis, maritimam planiciem frequenter opplent. Quacunque terrarum parte Veneti nominis vestigia extant, ea vel stagna, vel paludes fuisse, citra hæsitationem asserendum; vt modò plurimis exemplis, & ipsa nominis ratione satis ostendi. Wenso, vti in Atuaticis dixi, paludem vicinam habet, tribus nostratibus milliaribus extensam, quam hactenus Wey ab omnibus accolis audimus nominari, vt dubitari non possit, vel quid Wey significet, vel vnde Wenso dicatur. Apud Ambiuaritos plurima stagna cernuntur, quæ omnia generatim Weney ab indigenis vocantur, & apud Hollandos paludosa cænosaq; loca, è quibus cespites ad ignes alendos effodiuntur, non alio nomine frequentiùs appellant. Sed quid multis? nulla regio est, quæ clariùs oculis subiiciat regiones paludosas stagnorumque plenas à Venetis perpetuò habitatas fuisse, quàm Venetia Adriatica, & Venetia ad dextrum Vistulæ latus, compluribus lacubus, sinubus, & paludibus insignis. Sed dicet quis, quãobrem qui Prussiam habitabant, Venedę non Veneti à Ptolemęo, & Venedi à Plinio, vocantur? Breuiter id expediam, non citra aliorum, quæ alibi dixi, confirmationem. Danos hanc olim regionem habitasse tũ indicaui, cùm docui Suedaniam à Sueuis & Danis vltra Sarmaticũ mare conditam fuisse. Quemadmodum igitur Sue-dey nobis vocatur is qui Suedaniam habitat, ita Wene-dey Danus is diceretur, qui ad stagna & paludes commoratur. Græci itaque ex Wene-dey Venedas fecere, ac inde mare Venedicum, & montes Venedicos appellarunt. Quamobrem inter Venetos & Venedos hoc est discriminis

minis, quòd Veneti generatim omnes ad lacus & paludes habitantes; Venedi verò nõ omnes, ſed Dani duntaxat eiuſmodi loca incolentes, cõpoſita voce perinde atq; Suedani nuncupentur. Quamobrẽ Dani eiuſdem cum Alanis & originis & linguę, eam regionem, quam nunc Boruſſiam quidam, vulgus Bruſſiam vocat, incoluerunt; quorum monumentum æternum in ſinu illo manſit, in quem Viſtulæ ſiniſtrũ oſtium exoneratur, quem Danorum ſinum quondam vocarunt. Wic enim loca illa ſiue in mari, ſiue in terra deſignat; ad quæ quis periculis vel maris vel terræ cedere conſueuit. In mari igitur reducti in portum ſinus, hac voce nominantur, & in ciuitatibus ſingulæ portiones, in quibus ordinariæ vigiliæ habẽtur. In tumultu enim ad vicos ſuos cuique haud aliter quàm in procellis ad ſinus reductos fugiendum. Olim enim cùm Germani militari conſuetudine viuerent, loca multitudini & ſtationes per campos diuidebantur, ad quæ ſi quis hoſtis ingruiſſet, cuique cedendum fuit, vt quiſque hanc vel illam ſtationem ſortitus eſſet. Nam Wic idem eſt quod cedo: ita vt voce hac monuiſſe videantur, non temere hoſtem ſoli cuiquam expectandum, ſed mox in periculis ad ſocios confugiendũ, quò ab illis & auxilium & teſſeram militarem accipiant. Quia verò hæc in caſtris per campos viuendi ratio apud maiores fuit obſeruata; factum eſt, vt cùm militarem vitam agunt, in campis ſe eſſe Germani dicant; quaſi tum ad priſcum in campis viuendi ritum rediiſſent. In his cuique ad tentoria ducis ſui, ſtationemq; ordinatam, ſi quid ingruat, eſt cedendum; vt quo ipſi opus facto eſt, id à duce ſuo diſcat. Hinc Wic ad ciuitates tranſiit, eas per partes & vicinias diſtinguens. Latini vetus Cimbricum nomen retinuerunt, eiuſmodi ciuitatis partem vicum vocantes; quo in ſignificatu apud omnes Germanos eſt in vſu, quamuis ad ſinum, in quo ſecura nauibus ſtatio eſt, ſignificandum, Auſtris ad Balthicum mare ſit vſurpatum. Danorum igitur ſiue vicus, ſiue ſinus, Danſwic fecit; qua voce nobiliſimum Venetorum opidum nuncupatur; quam Latinizantes in Dantiſcum corruperunt. Alij Gedanum, vt dixi, nominarunt; à Getis & Danis priſcis eius ante Sclauorum irruptionem conditoribus ſumpta appellatione. Venedi ergo, Veneti Dani vocentur, ad diſcrimen aliorum, qui à paludibus quoque & ſtagnis ſeſe nuncuparunt. Hæc modõ de gemino Cimbrorum Eridano, altero in ſinum Venedicum, altero in ſinum Veneticũ influente, & tertio cæleſti, qui Græcam habet nomenclaturam & interpretationem, dicta; ſufficere mihi videntur ad omnem tum hiſtoriam, tum fabulam de Electro intelligendam; quarum confuſionem homonymia peperit monſtrum ab Ariſtotele ſtatim in Dialecticorũ elemen-

clementis proſcriptũ. Quamobrem Ogygiis his & Begſelanis Venetorũ antiquitatibus, quas nemo hactenus mortaliũ ſcriptis prodidit, finem imponam; quibus magnã appendicẽ de Veneris nomine, quod eandem habet cum Venetorũ nomenclatura originẽ, addidiſſem, niſi veritus fuiſſem, ne paradoxa hæc mea, ſi prolixiùs extenderẽtur, nauſeabundis ſtomachis fierẽt odioſa. In Deorũ nominibus ſuum Venus locũ habebit; quam pro facultatis meæ tenuitate exornatam ad Venetos ſuos mittam, vt tandem intelligant plus rationis ritum eum habere, quo mare quotannis annulo iniecto ſibi deſpõſant, quàm quiſquam hactenus cogitarit. Credo equidem huius inſtituti auctores ne per ſomnium quidem vnquam de Veneris & Venetorum cognatione quicquam fuiſſe imaginatos, cùm nominis ſui æquè atq; ipſius Deæ veram rationem ignorarent. Verùm hominum conſilia à Geniis frequenter reguntur, qui nõnunquam facienda quædam ſuggerunt; quorum tamen veras cauſas aperire nolunt, ne ſacroſancta rerum diuinarũ myſteria plebeis hominibus, veluti roſæ porcis, obiiciantur, & ab iis contempta proterantur. Admirabilem itaque artem in Veneris nomine obſeruatam, & eius cum aquis, humidiſque omnibus cognationem in Aphrodyſiorum libello enucleabo; doceboque Venetos veriſsimam optimamque rationem, qua perpetuò ſibi Venerem habere propitiam poſsint, multoque, quàm vllo annulo fieri queat, deuinctiorem. Potuiſſem quidem hæc his meis Veneticis, veluti corollam quandam venuſtiſsimam apponere; ſed Apollo ad Hyperboreos me vocans, id minimè permiſit. Cùm enim de priſcorum Eridano agens, huius Dei ad Hyperboreos ex litore Venedorum, in quo Electrum legitur, profectionem quandam commemorarim; non videor priſcæ memoriæ ſtudioſorũ votis ſatisfacturus, niſi clariùs eam exponam: quo & certius conſtet, Viſtulam Eridanum priſcis nominatum fuiſſe, & quidnam ego de Hyperboreis ſentiam, intelligatur. Eſt enim hæc vna difficillimarum, quæ apud Hiſtoriographos & Poetarum commentatores tractantur, quæſtionum, ab omnibus ferè attacta illa quidem & diſcuſſa, ſed à nemine hactenus ad veritatis normam ſolidamque terræ deſcriptionem applicata. Quò verò minus lucis à veteribus accepit, quoque omnia in ea Cimmeriis tenebris ſunt magis inuoluta, eò pulcriùs mihi exiſtimaui in hac caligine verſari, vt ſi poſſem, luminis aliquid inferrem: quod me eò faciliùs ſpero conſecuturum, quòd Apollinem mihi habeam ducem, Deum, inquam, omnis luminis & claritatis datorem, qui nomine ſuo Cimbris pollicetur ſe omnia reuelaturum. Exordiamur igitur ab Apollonio auctore, nomenclaturam fauſto omine ab Apolline ſortito, cui

Rhodij cognomen accedens, vatem Deo reddit tanto gratiorẽ, quanto ceteris vrbibus Rhodus eum cum ceteris rebus, tum Coloſſo vno orbis miraculo diligentiùs colebat. Hic cùm communem de Phaëthonte, & ſororibus, & earum lacrimis in Electra induratis opinionem recitaſſet, alteram ſubiunxit, quam apud Celtas ait iactatam fuiſſe:

——Κελτοὶ δ' ἐπὶ βάξιν ἔθεντο,
Ὡς ἀρ' Ἀπόλλωνος τάδε δάκρυα λητοίδαο
Ἐμφερὲ' δίναις, ἅτε μυρία χεύατο πάροιθεν,
Ἣμος ὑπερβορέων ἱερὸν γένος εἰςαφίκανεν,
Οὕνεκα οἱ γλήνεα λιπὼν ἐκ πατρὸς ἐνιπῆς,
Χωόμενος περὶ παιδὶ, τὸν ἐν λιπαρῇ λακερείῃ
Δῖα Κορωνὶς ἔτικτεν ἐπὶ προχοῇς ἀμύνοιο·
Καὶ τὰ μὲν ὡς κείνοισι μετ' ἀνδράσι κεκλήισται.

Id eſt, vt verba verbis reponam, ordine eorum, quò clarior ſit, permutato:

——*Celtæ tamen hoc ſparſere per ora,*
Iſtas Latoo lacrimas ab Apolline fuſas,
Fluctibus aduolui, quas hic ſtillaſſe refertur,
Ter quater innumeras; prolem cruciatus ob illam,
Quam pingui in Lacerea enixa eſt Dia Coronis
Oſtia circa Amyni; quas, aiunt, depluit antè
Quàm ad ſacram gentem tranſiret Hyperboreorum,
Ex patris iuſſu cælo ſplendente relicto,
Hæc vt apud populos illos rumore feruntur.

Clariora hæc Apollonij verba Apollodorus faciet, qui Coronidem Æſculapij matrem, filiam Phlegyæ Theſſali fuiſſe narrat, quamuis alij Atſinoës filiæ Leucippi prolem dicant. Hic à Chirone Apollinis iuſſu educatus, & medicinam edoctus, ſanguine Gorgonis è dextra parte educto, quem à Minerua acceperat, homines non ſolùm à morbis curabat, ſed aliquot etiam mortuos ad vitam reuocauit; inter quos alij alios enumerarunt. Naupacticorum ſcriptor Tyndareum, Steſichorus Eryphilem & Hippolytum, Paniaſis Hymenæum, Mneſagoras ex Orphicorum, vt ait, ſententia Glaucum Minois filium vitæ ab eo reſtitutum ſcribit. Hanc artem ne ceteros mortales doceret, ac efficeret, vt ſuis viribus nixi, conſequerentur immortalitatem, fulmine eum Iupiter percuſsit; quod ægrè ferens Apollo, Cyclopas fulminis fabros occidit; quamobrem à Ioue cælo expulſus eſt. Atque hactenus quidem

quidem Apollodorus & Apollonius in Apollinis exilio consentire videntur, sed in eo quod sequitur, discordare; cùm ille Admeto coactum seruire dicat, hic ad Hyperboreos eum ableget, multis antè lacrimas ad Eridani ostia ab eo fusas, ac in Electra conuersas esse, de Celtarum opinione narrans. Lacerea autem vrbs fuit Magnesię, Hellanico in primo Deucalioneæ libro apud Stephanum ita testificato, ad quam Anymus fluuius ex Ossa defluens, videtur fuisse. Ex his iam collatis cum iis, qui Eridanum in Oceanum Septentrionalem exonerari scripserunt, perspicuum fit, Hyperboreos vltra Vistulæ ostia ponendos esse; quos Cimmerios quoque genere fuisse, non dubito, quin quiuis, qui hæc mea legere dignabitur, sit iudicaturus. Cùm enim posteritatis latitudinem Iapeto promissam Cimmer præcipuè perfecerit, vt ipso nomine indicatur, semper diligentissimè eius filij nepotesque procurarunt, vt patris sui votum adimplerent, ac quàm latissimè sobolem suam extenderent. Id verò, quò minùs in Austrina Asiæ parte facere possent, Assyriorum potétia obstabat, quæ ex Nembrodica tyrannide profecta, longè lateque vicinos vexabat. Tandem igitur Cimmeriorum primas sedes à Noacho & Iapeto acceptas inuadere etiam paulatim & carpere cœperunt, donec Ninus ad immensum viribus auctis, Bactrianos maiores nostros, quibus tum Zoroaster imperabat, omnibus viribus vel auito solo expellere, vel subiugare niteretur. Hunc primo impetu, partim locorum asperitate, partim Bactrianorum virtute victum, innumerabilem pæne exercitum aiunt collegisse, cuius numerum Ctesias ad peditum decies septies centena, equitum ducenta millia adscendisse tradit: quem quamuis incredibilem, Diodorus tamen excusare contendit, collata Dionysij Siculi ciuis sui potentia, cui peditum centum & viginti, equitum duodecim millia fuerunt, si de Tyranno Siculo, auctori Siculo credendum. Huic tanto Nini exercitui Zoroaster quadringenta millia opponens, primo insultu centum hostium millia cecîdit; at deinde multitudine coactus, in Bactra confugit; quibus dolo expugnatis, fortiter pro patria & diademate pugnans, occubuit mortis genere clarissimo, & omnibus fortibus viris imitando, ex infortunio & miseria sublatus. De hoc Rege in Magiæ origine plura mihi dicenda; quæ, ne me hîc demorentur, omitto; hoc vno indicato, nomen eius Cimbricam habere interpretationem, qua admonemur, ad caput illud, vnde omnium originum origo est, celeriter esse animum subleuandum, si in Magia versari velimus. Cimmerij itaque Assyriorum vitabundi, Septentrionem versus ferè colonias suas emiserunt, ac totam eam

plagam admirabili gentium multitudine repleuere. Apud Ezechielem legimus', Gomeri agmina, quibus latera Septentrionis adiecta, Togormanni filij minimi natu inter tres Gomeri siue Cimmerii filios sedes fuisse dicuntur. Cùm igitur Cimmeri filiis Septentrio in sacrosanctis Prophetarum oraculis attribuatur, constetque Hyperboreos ex ipsa nomenclatura ad Septentrionem pertinere; magna causa ducor, dum Hyperboreorum origines è Cimbrica lingua inuestigo. Fateor tamen Hyperboreorum nomen Græcum esse, generatim illis dandum, qui vltra Boream commorantur, si vocis significationem sequamur. Herodotus, cùm ab Homero in Epigonis, & ab Hesiodo, nescio quo loco, eorum mentionem factam esse dixisset, & Deliorum narrationem de Apollinis sacris in stipula per varias gentes ad Delum delatis, addidisset, & Abaris etiam Hyperborei meminisset; postremò adiecit sibi videri, nullos omnino vsquam gentium Hyperboreos inueniri; in eo non minùs quàm in Eridano temerarius iudex. Si enim, inquit, Hyperborei sunt, id est, vltra Boream habitantes, erunt & Hypernotij, id est, vltra Austrum habitantes. Elegans sanè scitaque ab eius, quod absurdum cunctis videtur, illatione demonstrãdi forma. Sed quid? absurdum ne est aliquos vltra Notium polum habitare? Cogitandum hîc erat, quorũ Hyperboreorum nomen vernaculum esset; quod cùm sit Græcorũ, Hyperborei non quibusuis, sed Græcis vltra Boream habitabant. Eodem itaque modo illis, qui versus polum Antarcticum, tantundem quantum Græci ad Arcticum ab Æquinoctiali declinant, aliqui etiam erunt Hypernotij; sed eo vocabulo nominandi,, quòd illorum linguæ proprium esset, ad quos relati, Hypernotij dicerentur. Hæc enim designandæ gentis ratio, nunquam illos habet appellationis auctores, qui tales aliorum respectu sunt, vt iis vel Hyperborei, vel Hypernotij possint nominari. Non mirum igitur, Hyperboreorum nomen Cimbricum non esse, sed Græcorum vernaculum, cùm illi, qui Hyperborei vocabantur, non sibi, sed Græcis Hyperborei essent. Immò si illi lingua sua aliquos fuissent Hyperboreos vocaturi, Græcos ita nominassent, eò quòd hi vltra Boream iis habitarẽt, necessario & reciproco respectu: quemadmodum si nos Flandris sumus Transcaldiani, sunt & illi nobis Transcaldiani; & vt Italis Lugdunenses sunt Transalpini, ita Lugdunensibus Itali quoque Transalpini. Sicut igitur ipsi nobis nec sumus nec vocamur Transcaldiani, nec Lugdunenses sibi sunt Transalpini, sed Cisalpini; ita Hyperborei nec sibi Hyperborei erant, nec à se Hyperborei vocandi. Quocirca mirandum, cùm tam multa de Hyperboreis & dubitarentur & dicerentur,

rentur, neminẽ vnquam fuiſſe, qui propriam gentis appellationem inueſtigaret. Profectò nimium hæc eſt ſupina & craſſa negligentia, cetera curioſe de natione quapiam in quæſtionem vocare, & nihil prorſus ſolicitudinis adhibere, quò nomẽ eorum, de quibus quæritur, cognoſcatur. Aliter in Dialecticorum ſcholis doceri ſolemus, apud quos prima nobis quæſtio eſt, quo nomine res in diſputationẽ accerſenda, nuncupetur; & an eius nomen ſit aliis quoq; commune; vt ſi id deprehendatur, principio vox ad vnum ſignificatum determinetur, ne cùm alter de paſcenda capella quærit, alter de eius occaſu Achronycho reſpondens, dicat ad Oceani eam prata paſtum abiuiſſe. Cùm enim res in diſputationẽ non adferantur; ſed nomina pro rebus ſupponantur, non vocum ſignificata tantùm diſtinguenda, ſed modi etiam ſignificandi diligenter animaduertendi, vt in progymnaſmatis ſuis Dialecticorum pueri accuratè docentur, nec immeritò, vt quidam nimis delicati & elegantes, ſi Palladi placuit, coram me non rarò iudicarunt, quandoquidem hac in cautione ſit quaſi fundamentum veritatis inueniendæ. Herodoto itaque hoc in primis curandum fuiſſet, quo proprio & gentis vernaculo nomine Hyperborei vocarentur: quod cùm nec ipſe, nec alius quiſquam fecerit, mirum non eſt, ſi alius in alium errorem ſit prolapſus, & ipſe Herodotus Hyperboreos nullos vſquam inueniri affirmarit. Eſt ita ſanè, nulli vſquam homines ſunt qui ſe vocent Hyperboreos, cùm omnes quotquot ad hunc mundi cardinem reſpiciunt, citra eum ſe eſſe cernant, ſolis illis exceptis quibus directus incumbit, qui nec ipſi quoque Hyperborei, ſed Hypoborei ſibi ſunt vocandi. Nec minùs illud ridiculum, quod addidit, Scythas nihil ſcire de Hyperboreis; quaſi id firmum argumentum eſſet, eos nuſquam reperiri. Credo equidem, Scythis Hyperboreos nomine hoc cognitos non fuiſſe, cùm abſurdum ſit vltra Aquilonem homines quærere, qui Græcum ſibi nomen indidiſſent. Non negat tamen Iſſedones quædam de illis referre, ſed talia ea eſſe, nihil vt dixiſſe videantur. Non reprehendenda profectò in re tam obſcura Herodoti ad credendum difficultas, ſed hanc alibi meliùs adhibuiſſet. Miſſo igitur hoc, vt futilibus & vanis rationibus Hyperboreos tollente, alios rogemus, ecquid melius ad propoſitam quæſtionem queant adferre. Eſſe gentem ſupra Aquilonem, qui Hyperborei dicantur, primus Olen Lycius verſibus ſuis prodidit, in Hymno in Achæian compoſito, eorum faciens mentionem. Poſt hũc Melampus Cumæus in Opin & Hecaergen honorificam cantilenam modulatus, ait inter cetera eas ab Hyperboreis veniſſe. Ariſtæus Proconeſius mentionem illorum quidem facit, ſed mentionem tantùm,

cùm tamen plura quàm ceteri ab Issedonibus proximis discere potuisset, ad quos se aliquando profectum fuisse versibus suis cantat. Iam fuerunt, teste Pausania, qui dicerent Herculem ab Hyperboreis Oleastrum reportasse. Ælianus tempe Thessalica depingens ab Hyperboreis Apollini sacra deferri in Græciam solere magna cum veneratione & honore eorum, qui portarent, obiter indicauit: quod Celtarum de Apollinis ad Hyperboreos peregrinatione opinionem confirmat. Et hæc quidem de eo an sint Hyperborei, deinde vbi sint, quærendum, in quo Græcos rursus consulamus. Protarchus Alpes tradit alio nomine Rhipæos montes vocari, & eos qui sub Alpibus habitarent Hyperboreos dici, meliùs & compositioni vocis conuenientiùs dicturus, si eos ita vocasset, qui vltra Alpes essent. Antimachus propiùs ad veritatem accessit, dum eosdem eos facit cum Arimaspis, vt mox docebo. Damastes omniũ verissimè, nescio cuius vel auctoritate vel narratione, non regionem tantùm eorum, sed iter quoque ad illam delineauit. In iis enim quæ de gentibus litteris mandauit, hunc ordinem pertexuit, vt Scythis vlteriores faceret Issedones, Issedonibus superiores Arimaspos, vltra hos Rhipæos montes esse, trans montes Rhipæos Hyperboreos habitare, quorum fines ad alterum vsque mare pertingant. Stephanus quoque Rhipæos montes Hyperboreis attribuit, de communi, vt videtur, omnium consensu, qui habebat Hyperboreos vltra Rhipæos montes habitare: sed qui, & vbi montes illi essent, ab aliis aliter traditum. Ptolemæus Hyperboreos montes alios facit à Rhipæis, & Hyperboreos quidem à sexagesimo quinto longitudinis gradu in Orientem sub eadem ferè latitudine extendit vsque ad longitudinem nonaginta quinq; partium in parallelis sexaginta duorum & sexaginta trium graduum computatarũ. Rhipæos verò ab Hyperboreis versus Occidentem & Meridiem deducit, secundum Mæotim paludem ad latitudinem quinquaginta & vnius meridiani partium à Septentrione descendens. Verùm hac in re nomina priscorum hominum secutus, rebus significatis prorsus ignoratis, illud quæsiuisse videtur, vt haberet, vnde duo maxima flumina Tanaim & Rha deriuaret, credens fieri non posse, vt tanta vis aquarum aliunde quàm ex altissimis montibus nasceretur. Qua in re aperte illi regionum illarum facies, in quibus hi amnes oriuntur, aduersatur, in quibus certissimum est, montibus nullis eorum originem debere, sed lacubus & paludibus in vasta planicie immensis siluis plena iacentibus deberi. Quamobrem æquè Ptolemæus hic, atque plerique alij, erravit, quod non è planicie modò, quæ Tanaim & Rha, & plurima alia flumina in diuersas orbis partes fundit, hinc

Ocea-

Oceanum, hinc ſinum Liuonicum, hinc Mæotim, illinc mare Caſpium ingenti aquarum mole perennans, apertum eſt; ſed ex ipſo etiam Hyperboreorum nomine demonſtratur; è quo ſcimus non alios Græcis Hyperboreos dicendos, quàm eos qui vltra Boream degunt. Nihil itaque opis ab hoc auctore allatum, qui non minùs nomini, quàm locorum naturæ contraria ſcripſit, illic magnas & immanes montium catenas ponens, vbi ingentia camporum ſpacia Oceano, ſinu Liuonico, Caſpio mari, & Mæotide finiuntur, nullis omnino montibus inſignita. Ad alios igitur confugiendum, videndumque ecquid illi meliùs dicant. Pomponius Mela Ptolemæo multo vetuſtior, ſic ſcriptum reliquit. Hyperborei, inquit, ſuper Aquilonem Rhipæoſque montes ſub ipſo ſiderum cardine iacent, vbi Sol non quotidie, vt nobis, ſed primùm Verno æquinoctio exortus, Autumnali demum occidit, & ideo ſex menſibus dies, & totidem aliis nox vſque continua eſt. Terra anguſta, aprica, per ſe fertilis, cultores iuſtiſſimi, & diutiùs quàm vlli mortaliũ, & beatiùs viuunt. Quippe feſto ſemper ocio læti, non bella nouere, non iurgia, ſacris operati maximè Apollinis; quorum primitias Delon miſiſſe initio per virgines ſuas, deinde per populos, ſubinde tradentes vlterioribus moremque eum diu, & donec vitio gentium temperatus eſt, ſeruaſſe referuntur. Habitant lucos, ſiluasque, & vbi eos viuendi ſatietas magiſque tædium cepit, hilares redimiti ſertis ſemetipſos in pelagus ex certa rupe præcipites dant: id eis funus eximiũ eſt. Hæc Mela: quem Plinius in ceteris ſecutus, hoc vnum imperitiæ attribuit, quòd Solem Verno demum æquinoctio exoriri dixerit, & Autumnali occidere; cùm integrum ſemeſtre diei ſit annumerandum. Sed vt Mela in exortu ridiculus, ita in occaſu non aberrauit. Plinius alterius errorem carpens, incidit in longè turpiorem, dum iis qui ſub mundi cardine ſunt, ſemel duntaxat Solem in Solſtitio exoriri, & Bruma ſemel occidere dixit; quo nihil poteſt abſurdius cogitari, ab illis præſertim, qui vel à limine ſaltem ſphærica elementa ſalutarunt. Fruſtra in hiſtoria verſantur, qui certa terræ cælique poſitus euenta è ſolidis demonſtrationibus non ſunt aſſecuti; & non ſe modò, ſed alios etiam veræ dimenſionis terrarum, ex aſtrorum motione pendentis indoctos in fœdos errores inducunt. Nec ſunt hæc duntaxat nobis principia fundamentaque ad hiſtoriam vel ſcribendam, vel legendam adferenda, ſed ex his frigoris etiam & caloris cauſæ diligenter ad naturalis ſcientiæ regulas applicandæ, ne perinde atque Plinius, & ante eum Mela, & poſt vtrumque Solinus, qui in illius verba iurauit, & horum pediſſequus Martianus Capel-

Capella,turpiter in clariſsima luce ceſpitemus. Nullus vnquam Poëtarum tam malè fabulas ſuas contexuit,vt non meliùs quàm hoc figmentum ſibi conſtarent. Sub ipſo Arctico polo ſummam nobis aëris temperiem fingunt. Solis ortum & occaſum contra certiſsimas Aſtronomiæ regulas perperam & indoctiſsimè aſsignant, & iis ſcilicet erit fides adhibenda, iis hiſtoria vel gentium, vel naturæ committenda. Ridere ſæpe ſoleo elatum quorundam litteratorum ſupercilium; qui de Cicerone,Liuio,Salluſtio, aliiſque puræ Latinæque dictionis ſcriptoribus loquacitatem quandam, quam eloquentiam ipſi putant, mutuati, ſe ſolos dignos exiſtimant,quibus Hiſtoriæ ſcribendæ mandentur, cùm tamen nihil vel Philoſophiæ, vel Geographiæ ex fundamentis ipſis habeant perceptum. Confiteor itaque,me acerbiorem iniquioremque in eiuſmodi elegantis linguæ nitidique ſermonis oſtẽtatores fuiſſe, quàm fortaſſis oporteret; propterea quòd videam eorum vitium, veterum primæ claſſis auctorum prætextu poſſe vel defendi,vel eleuari. Præter enim Melam,Pliniũ, Solinũ,alij etiam præclari viri in ſimiles errores inciderũt, nõ alia de cauſa,quàm quòd nõ ſatis à naturalis ſciẽtię cognitione priùs inſtructi eſſent, quàm animũ ad ſcribendum appellerent. Hecatæus his longè antiquior, & vnus eorum, qui vetuſtas fabulas ſcriptis tradiderunt, multo cautiùs de Hyperboreis eſt locutus, quos ita nominatos ait,quòd vltra Boream ventum habitarent. Cùm enim vltrà habitare dicti nullo certo termino concludantur,& omnes illi intelligi horũ appellatione queant, qui vltra Boream ad Æquinoctiorum vſque circulum pertingunt, ſiue intra Tropicos, ſiue extra eos commorentur, ea quæ de regionis ipſorum felicitate ſubiunxit,non poſſunt vel eadem, vel pari ratione repelli,qua Melam & Plinium reieci. Dicit verò eos è regione Celticæ collocatos eſſe, quo loco more Græco Celtarum nomine vltimos etiam Germanorum comprehendit; meliùs id quidem quàm Diodorus, eos Galatarũ appellatione ſæpe complexus, cùm hæc ſtrictiùs quàm illa ſit vſurpanda, vt in Gallorum originibus oſtendam. Habitare autem inſulam Silicia non minorem, quæ & glebæ bonitate & omnium fructuum vbertate ſit inſignis; præterea tam benigno cęli temperamento præditam, vt bis quotannis fructum ferat. Iactari item fabulis,Latonam in hac natam eſſe,ideoque Apollinem præ ceteris Diis maximè apud eos honorari, ac hinc eos videri velut quoſdam Apollinis ſacerdotes; propterea quòd quotidie cantionibus ad laudem compoſitis eum celebrent; & id quidem perpetuò ſingulari quadam & eximia adiuncta veneratione. Iam nec inſulæ lucum Apollinis inſignem deeſſe,& fanum commemoratu dignum ob ingen-

tem

tem donariorum ornatum, quæ ſupplices & voti rei in eo conſecrarunt, & eſſe quidem formam eius rotundam. Vrbem etiam in ea habitari Deo dedicatam, cuius incolarum plurimos eſſe Citharistas continuò in fano pſallentes, carminibus Dei acta celebrando. Habere porrò Hyperboreos peculiarem ſibi loquelam, & Græcorum maximè Athenienſium & Deliorum peramantes eſſe ab antiquis temporibus hac beneuolétia imbutos. Fabulantur quoq; Græcos quoſdam ad Hyperboreos appuliſſe, & magni precij donaria reliquiſſe Græcis litteris inſcripta; atque hinc ſimiliter Abarin ab Hyperboreis in Græciam profectum conſeruaſſe hanc erga Delios beneuolentiam, veluti cognationis quandam neceſsitudinem. Aiunt porrò & Lunam ex hac inſula minimo à terra interuallo videri, & in ea apertè terrenos quoſdam tumulos apparere; cui addunt, Deum quoque ipſum decimo nono quoq; anno ad inſulam venire, quo temporis ſpacio ſiderum conuerſiones in priſtinum ſtatum reſtituuntur, atque idcirco vndeuiginti annorum tempus, Magnum annum à Græcis vocari. Quo verò tempore Deus apparet, continuò eum dicunt noctu & citharæ & choreis indulgere, ab ipſo vſque Verno Æquinoctio ad Pleiadis ortum, ſua ipſius ſecunda proſperitate gaudentem. Imperium autem huius vrbis, & templi præfecturam penes Boreadas eſſe, ſic nominatos, quòd à Borea genus ducant, iuxta quod ex alio in alium perpetua ſucceſsione tranſeat principatus. Hæc ex Hecatæo Diodorus nobis communicauit; è quibus coniicere licet, Hyperboreos non vltra Boream modò habitare, ſed hoc etiam ad illos olim è Germania iter per Oceanum fuiſſe, quo illi alluſerunt, qui Apollinem eò proficiſcentem lacrimas ad oſtium Eridani effudiſſe fingunt. Quòd addidit Deum ab Æquinoctio verno vſque ad Pleiados exortum cantibus & tripudiis gaudere ob proſperum curſus ſui progreſſum; nihil aliud ſibi vult, quàm id quod de Phaethonte dixi, quem ſorores cùm à vertice Zodiaci delabi incipit, flere dicuntur. Verùm quod de aëris temperie dixit, mox explicabo, vbi priùs illud expoſuero, quod Mela & Plinius mihi confirmant. Hi enim non vltra Boream, ſed ſub ipſo mundi cardine Hyperboreos ponũt; quo faciunt, vt clarè cernatur eadem de his, quę de Cimmeriis, dicenda eſſe. Cimmerios enim quidam ſub Polo quoque locarunt, Cimmerias tenebras à longis noctibus fortaſſe deriuantes. Euſtathius in Necyomantiam ſcribens, teſtem ſuppreſſo nomine denunciat, qui Cimmerios Vrſæ cæleſti ſubiectos fuiſſe prodit, & ab his Treras genus duxiſſe, cuius hæc ſunt verba, ſi Latina fiant: Vera autem, inquit, narratio ſic habet, vt Cimmerios Scythicam gentem eſſe tradat, & pecore paſcendo

ſcendo victitantem, Vrſæ cæleſti ſubiectam, cuius pars quædam, quos Treras vocatos fuiſſe aiunt, feratur quondam vel paulo ante Homerum, vel ipſius etiam ætate è Boſphoro Cimmerio bonam Aſiæ partem præcipiti & procelloſo impetu incurſaſſe, atque eo Sardes cepiſſe, nec paruam partem Magnetum ad Mæandrum habitantium deleuiſſe. Inuaſiſſe etiam Paphlagonas atque Phrygas, qua cauſa Midas dicatur, perinde ac multo pòſt Themiſtocles ſanguine taurino epoto, mortem ſibi conſciuiſſe. Aiunt porrò regionis ipſorum tractum ex parte Orientis & Occidentis montium iugis ſeptum eſſe, ita vt ſex menſium caliginem habeat, iuxta illud, *Præcipitat cælo nox*: atque inde fiat, vt Sol adſpiciat eos quidem, ſed quemadmodũ Poëta dicit, non ſic luceat, vt caliginis denſitatem diſcutiat, & hilarem clarumque eis diem adducat: reliquis verò ſex menſibus Solem purũ ipſis ſplendere, ſiue id è meridianis partibus, ſiue aliunde contingat. Hic quiſquis Euſtathio hoc teſtimonium, paulo pòſt etiam nobis, dum de Sileno agemus, profuturum, mutuatus eſt, Cimmerios ſub ipſo Polo collocat; ſed Aſtronomiæ imperitia turpiter montibus adſcribit; quod Horizonti Zodiacum in duas æquas portiones ſecanti, tribuendum fuiſſet. Colligo ex hac eorum, quæ de Cimmeriis & Hyperboreis communiter dicũtur, collatione apud veteres pro certo habitum fuiſſe, Hyperboreos genere Cimmerios eſſe, & cùm quidam Cimmerios ſub Polo conſtituerent, putauiſſe non alios Cimmerios, quàm illos, inueniri; atque idcirco, quæ de Hyperboreorum felicitate ferebantur, ei tribuiſſe regioni, quæ ſub Arctico mundi cardine eſſet ſita, ac diem vnum ſex menſium, & noctem item ſemeſtrem haberet. Eiuſmodi errores lubenter inter ſe ſoleo comparare, propterea quòd homini non omnino obtuſo, cauſam ſui ſoleant indicare, quæ deinde iter monſtrat ad ipſam veritatem. Dico itaque, Hyperboreos Cimmerios eſſe, de communi ambobus tributa nota, & permitto Cimmerios quoſdam ferè ſub ipſo Polo vel circà habitare: at eos Hyperboreos eſſe pernego; tum quia Hecatæus, & ipſum eorum nomen vltra Boream, non ſub Boreæ cardine eos ponat; tum quia beata aëris temperies huic plagæ non poteſt conuenire. Verùm quia poſteriores Græci veros Hyperboreos de nomine quidem à maioribus acceperant, & nullos vlteriores Cimmerios nouerant, quàm eos, qui Septentrioni ad perpendiculum eſſent ſubiecti, illis putarunt Hyperboreorum felicitatem eſſe adſcribendam, frigidiſſimæ regioni illam vbertatem & temperiem tribuentes, quæ ex diametro ei repugnaret. Quis enim duas meſſes ſub Polo exſpectet, cùm vix vni meſſi ſatis temporis niues diuturnæ relinquant, vbi & ipſum mare

ſolos

ſolos tres aut quatuor menſes aperit nauigationi; tota reliqua anni parte congelatum? Dicitur Hercules primus Oleaſtri ſtirpem ex Hyperboreis in Elidem importaſſe, atque inde coronarum ex eius foliis vſum exordium ſumpſiſſe. Dicuntur & ſacra Apollinis in ſtipula triticea ab Hyperboreis ad Delios ferri ſolere: quæ duo abſurdè de illa regione fingerentur, in qua neque Oleaſter, neque triticum proueniret. Quamobrem nihil poteſt eſſe alienius & improbabilius ad audiendum, quàm hæc quæ de Hyperboreis dicuntur, iis attribuere velle, qui, tantum abeſt, vt triticum habeant, vt ne ſecalem quidem aut panicum vnquam viderint; immò, qui ſic omni frumentorum genere carent, vt è piſcibus Borea deſiccatis & induratis, ac deinde molitis, panem ſibi faciant. Veræ itaque Hyperboreorum patriæ dotes imperitè admodum & pudenda rerum naturalium inſcitia, illis tributæ ſunt, quorum minimè gentium eſſent: propterea quòd qui reuera hac cæli terræque benignitate fruerétur, iam tum olim cognoſci deſiiſſent, quamuis à priſcis Græcorum maioribus cogniti fuiſſent. Porrò, quò certiùs queam ad veros Hyperboreos peruenire, diligenter excutienda ſunt omnia, quæ vetuſtiſſimi de ipſorum regione ſcripſerunt, quò tandem certi aliquid & recti ex dubiis & curuis opinionibus eliciam. Præter hæc itaque, quę modò recitaui, fabulam quandam de vera, vt opinor, hiſtoria natam, explicabo; quam Ælianus in varia ſua hiſtoria ex Theopompo in medium produxit. Loquatur ergo de me Latinis verbis, quibus eum ante viginti annos Tridenti in gratiam amici cuiuſdam donaui. Deſcribit Theopompus congreſſum quendam Midæ Phrygis & Sileni. Erat autem Silenus hic Nymphæ filius, diuina ille quidem natura ignobilior; humana verò mortalique excellentior. Multa igitur & alia inter ſe ſunt collocuti, tum & hoc ampliùs ſermoni ad Midam Silenus adiecit, Europam quidem, & Aſiam, & Libyam inſulas eſſe, quas Oceanus in orbem circumfluat. eam verò ſolam eſſe continentem, quæ extra hunc orbem eſt ſita; huiusque magnitudinem exponebat immenſam. alere autem præter alia animalia grandia, homines quoque ad eos, qui hîc ſunt, dupla magnitudine. nec eis vitæ tempus æquale eſſe nobiſcum, ſed & illud duplo excedere. vrbes etiam eſſe & multas, & magnas, & viuendi rationes diuerſas. leges præterea præſcriptas, quæ contrariè poſitæ ſunt iis, quæ apud nos ſanciuntur. Addidit verò duas eſſe vrbes multo maximas, neo illis inter ſe quicquam ſimilitudinis; & hanc quidem à bello, illam verò à pietate nomen habere. Pios quidem in pace degere, & profundis diuitiis,

& fructus è terra percipere ſine aratris & bobus : colere autem agros, & ſementé facere nihil iis opus eſſe. Ad hęc, vt ille ait, ſine morbis perpetuò agunt, & vitæ ſuæ finem imponũt cũ profuſo riſu & voluptate. Adeò verò extra omnem controuerſiam iuſti ſunt, vt neque Dij indignum ſeſe putent ſæpiùs ad eos ventitare. Verùm ciues eius vrbis, quæ bellicoſæ nomen habet, bellicoſiſſimi ſunt, & ſemper in armis verſantur, ac bella gerunt, & finitimos ſub iugum mittunt, compluriumque gentium dominio vna hæc ciuitas potitur. Sunt autem habitatores non pauciores ducentis myriadibus. Porrò moriuntur aliquando è morbis, id tamen rariùs, quandoquidem vt plurimum in prœliis aut lapidibus, aut lignis percuſſi excedunt; nam ferro non vulnerantur. Auro & argento adeò abundant, vt minoris ipſis aurum quàm ferrum nobis æſtimetur. Narrabat itidem hoſce quondam attentaſſe in has noſtri orbis inſulas tranſire, enauigatoque Oceano cum mille hominum myriadibus ad Hyperboreos vſque peruenisſe; cùmque reſciuiſſent iſtos apud nos eſſe omnium beatiſſimos, contemptui nos eis fuiſſe, vti qui vilem & ſordidam vitam ageremus; atque idcirco non operæ pretium exiſtimaſſe vltrà progredi. Adiecit verò & iſtud admirabilius etiam, Meropas, quoſdam homines ita nominatos, opida multa & magna habitare. Ad vltimos autem regionis fines locum eſſe nomine Irremeabilem, atque ſimilem eſſe voragini. Obduci verò neque tenebris, neque lumine; ſed aërem inſidere turbido rubore mixtum. Decurrere autem per eum locum duo flumina, atque hunc quidem voluptatis, illum verò doloris nominari. & ad vtrumque horum arbores ſtare magnitudine ingentis Platani. Proferre autem fructus, illas quidem quæ ad doloris fluuium ſunt, ea natura præditos, vt ſi quis ipſos deguſtarit, tantum lacrimarum emittat, vt tota reliqua ætate lamentis contabeſcat, & ita vitam finiat. Alteras verò ad voluptatis flumen enatas fructus producere contrarios. Hos enim ſi quis guſtauerit, priores in eo cupiditates ſedantur; adeò, vt ſi quem adamarit, eius obliuione capiatur; atque ita anteactas & iam præteritas ætates reſumit præpoſterè. Senio enim abiecto, ad ſtatum vigorem reuertitur, deinde ad ætatem adoleſcentium redit; deinceps fit puer, mox infans, atque eo circuitu abſumptus eſt. Et hæc quidem credantur, ſi cui Chius, qui eorum auctor eſt, fide dignus erit: mihi ſanè tum in his, tum in aliis eximius videtur fabulator. Egregia coronide Theopompi narrationem Ælianus clauſit, dum non hîc ſolùm, ſed alibi etiam egregium facit fabulatorem. Nos tamen, quia fabula de Sileno eſt profecta, non vanam eam omnino eſſe exiſtimamus. Tertullianus in eo, quem contra

Hermo-

Hermogenem ſcripſit libro, ſalua tanti viri pace, non rectè narrationem hanc Sileni apud Theopompum ad alium orbem retuliſſe mihi videtur; quaſi dixiſſet, non vnum terræ globum, ſed alium præter hunc, quem habitamus, eſſe: quod minimè hæc, ſiue hiſtoria, ſiue fabula oſtendit, cùm clarè pronunciet eiuſdem terræ Aſiam, Europam & Libyam eſſe, cum ea, quam deſcribit, continente; ſed illas inſularum, hanc continentis rationem habere. Quî enim alioquin ex hac regione per Oceanum tot millia hominum ad Hyperboreos veniſſe dicerentur? An ſit ſcilicet Oceanus media quædam via inter duos diuerſos geminæ terræ orbes; quorum vterque ſua circulari facie claudatur, ita vt duorum duo diuerſa centra ponantur? Abſurditas huius intelligentiæ tanta eſt, vt ſeipſa ſtatim prodat, citra cuiuſpiam confutationem. Accidit illud piis in prima Eccleſia viris, vt dum Philoſophos, quos Tertullianus Hæreticorum Patriarchas vocat, acriter inſectantur; ſeipſos ſæpe præcipites dent in errores, non fidei illos quidem, ſed eius quam contemnere & oppugnare ſtatuerant ſapientiæ, quæ in rerum naturalium inſpectione verſatur. Sic Auguſtinus, ſic ante eum Lactantius, Antipodas, ridiculis argumentis, & à Phyſicorum pueris deridendis, iugulaſſe ſibi videtur. Sunt enim Antipodes: neque vt illi ſtolidam in cælum oppoſitum ruinam verentur, non magis quàm nos aſcenſum. Verſus horum igitur plagam, terram eam iacêre dico, in eodem nobiſcum terræ globo, quam Silenus fabulis ſuis indicauit. Nihil verò mirandi nobis accidit, Silenum hunc hiſtoriam fabulis inuoluiſſe, cùm apud omnes ſit extra controuerſiam, hunc Bacchici chori auctoris veracium fabularum magiſtrum eſſe, atque id quidem cana & promiſſa barba verendum. Huius item Sileni & Midæ congreſſus Maximus Tyrius fecit mentionem, ſed ſtolidum duntaxat Regis votum, vt omnia aurea Dæmon faceret, adiecit; reliquis, quæ ad ſapientiam pertinerent, omiſsis, hoc ipſo magis, quàm Tertullianus, reprehẽdendus; quippe qui Philoſophiam profeſſus, medullã eius in hoc colloquio neglexit, ad plebeiam opinionem, & ſtulta vota figmentum detorquens. Tertullianus etiam libro De pallio, eundem congreſſum confirmat; ſed eodem, in quem modò lapſum dixi, errore adiecto. Nam de mundo hoc, in quo agimus, loquens: Viderit, inquit, Anaximander, ſi plures putat: viderit ſi quis vſpiam alius ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blatit, aptas ſanè grandioribus fabulis. Alibi rurſus, libro nempe De anima, clariùs hunc Midæ magiſtrum facit, de Philoſophia ſic aiens: Viſa eſt quidem ſibi, & ex ſacris, quas putant, litteris hauſiſſe, quia pleroſque auctores

etiam Deos existimauit antiquitas, nedum Diuos: vt Mercurium Ægyptium, cui præcipuè Plato assueuit: vt Silenum Phrygem, cui à pastoribus perducto, ingentes aures suas Midas tradidit: vt Hermippum, cui Clazomenij mortuo templum contulerunt; vt Orpheum; vt Musæum; vt Pherecydem Pythagoræ magistrum. Hîc apertè Midas diligens discipulus Sileni fuisse significatur; cui ob id longæ aures datæ sunt, quòd magna cura vndique conquireret, à quibus, quæ ceteri ignorarent, audire posset. Præclarum profectò & dignum Rege studium; & tale, vt Plato ab hoc diuinum illud dictum mutuatus esse videatur, tum beatas Respublicas fore, cùm vel Philosophus regnat, vel Rex philosophatur. « Osi omnes Principes « nostri, qui nunc ad clauum in his procellis sedent, aures eiusmodi « ab adolescentia habuissent, quæ diuinos potiùs viros in beata quie- « te viuentes, quàm rerum bene constitutarum perturbatores, legum « violatores, nouarum constitutionum suasores, assentatores, mimos, « histriones, citharistas, calumniatores, lænas, & id genus alios tur- « pissimarum libidinum ministros audirent: & illa sibi potiùs recitari « ab anagnostis iussissent, quæ ad cognitionem sapientiæ animos eue- « herent, quàm de Amadiso, Primaleone, Orlando, & eius generis « fictitiis nominibus stultissimas & despuendas nugas. Sunt quidem « longæ eorum aures hac etiam ætate, sed non sunt sursum arrectæ ad « cælestia, verùm depressæ & dependentes ad terrenas sordes; quas ita « sedulò cohors aulicorum suggerit, & illi tam auidè hauriunt, vt vix « credere queam, vel minimum loci in animis eorum hac spurcitie « inquinatorum relinqui, quo sani aliquid consilij recipi possit; tan- « tum abest, vt sperem his gubernatoribus tutam nauigationem. Ha- « buit igitur Midas longas aures, illas quidem, sed arrectas, quibus nõ solùm illa per exploratores rescisceret, quæ ad regni salutem pertinerent; sed ista etiam Philosophorum de naturæ rebus differentium, pulcerrima ornamenta attentus audiret. Hos enim non è suo tantùm imperio conuocauit, sed ab externis etiam nationibus accersiuit, & inter ceteros hunc Silenum à Cimmeriis; quem, quia Cimmerios Nomades à pastione Græci vocant, à pastoribus aiunt adductum esse, & id quidem vino victum; eò quòd Cimmerij vini sunt amantissimi, vtpote ab illis maioribus nati, qui Margianam diutissimè tenuerunt, regionem optimi vini feraciſsimam. Ouidius, & alij, qui fabulam ad asininum stuporem torserunt, confecto crasso inter Marsyam & Apollinem cantu certantes iudicio longissimè aberrarunt ab Orphica & Ogygia illa fabularum officina. Neque saniora illi somniarunt, pace Maximi Tyrij, qui ad stolidum ipsius vo-

tum

tum retulerunt ingentem illam auri vim, quo abundabat. Habuit certè ſummas opes, & regnum copia rerum omnium florentiſsimũ: ſed qui ſummam Reip. felicitatem è vecordi ſtultorum hominum, & aſinis ſimilium adminiſtratione proficiſci arbitrantur, eos equidem non aſini modò auriculas, ſed aſini quoque cerebrum habere exiſtimo. Longè doctiùs duo Poëtarum lumina Virgilius & Horatius de Sileno, & longis auribus iudicarunt; quorum hic Satyrorum aures, qui Bacchi ſunt diſcipuli, ob id longas facit & arrectas, quò attentiùs Bacchica myſteria & audiant & intelligant: quod Ode eius in Bacchum elegantiſsimè, & plùs quàm Pindaricôs ſcripta, demonſtrat, iis præſertim, quibus aures non ſunt obtuſæ.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem: credite poſteri
Nymphaſque diſcentes, & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.

Ille verò Silenum inducit, mundi creationem concinentem; & illa deinde, quæ ad vetuſtam hiſtoriam fabulis inuolutam, & ad laudes Poëtarum pertinent: & quid multis?

Omnia quæ Phœbo quondam meditante, beatus
Audijt Eurotas, iuſſitque ediſcere Lauros.

Horatius in Poëtica ſua, cuſtodem famulumque Bacchi Silenum appellat: quod ſic accipiendum, vt Bacchus furor ſit diuinus, quo ebrij cæleſtium contemplationi inhæremus, longè rapti à terrenis impedimentis. Hunc furorem Deus illi cuſtodiendum dat, quem idoneum facit ad docendum; quod munus per barbam promiſſam ſignificatur, vt alibi dicetur. Quocirca non vnus eſt Silenus, ſed tot, quot veritatis diuinæ Doctores. Quandoquidem verò Noë verus Bacchus inter homines Silenos ſuos, ſiue obſeruatores ſapientiæ ſuæ primùm in Nyſa docuit, vt priùs eſt dictum, rectiſsimè Catullus cecinit:

Cum Thiaſo Satyrorum & Nyſigenis Silenis.

Illinc enim orta eſt omnis humana doctrina, quæ deinde per Silenos & Satyros eſt ad poſteros propagata. Si igitur Sileni Nyſigenæ ſunt, & ad Nyſam antiquiſsima lingua ea fuerit, qua noſtrates hactenus vtuntur; confitendum erit, omnem Poëſim vetuſtam, omnis priſcæ eruditionis matricem, noſtra primùm lingua traditam fuiſſe. Huic verò non repugnat, quòd Silenus Midæ magiſter Phryx dicatur, cùm appellationem eam adeptus ſit à loco, in quo docuit; eodem modo quo Platonem diceres Academicũ. Cimmerij verè

Nyſige-

Nyſigenæ ſunt, vt oſtendi; quamuis paulatim aliò commigrarint, & colonias deduxerint. Bene ergo dicitur à paſtoribus adductus eſſe Silenus, quòd Cimmerij paſtores dicerentur, dum Nomades dicuntur: quo nihil aliud volunt, quàm Phrygiam diſciplinam primam non eſſe: verùm à Nomadibus, qui iidem, vt modò teſtimonium ab Euſtathio productum oſtendit, Cimmerij ſunt, & Scythæ, & Nyſigenæ, acceptam fuiſſe. Et nihil ſanè eſt abſurdi ab illis, Phrygas omnem ſcientiam habere, à quibus & linguam ipſam acceperũt, & geminam natalium originem; alteram ab Aſcanio, alteram à Togorma ſiue Tigrammano, vt interim de Dardano taceam, qui tertius potuit Phrygiæ conditor videri, vt in Romanis antiquitatibus docebo. Quæ quòd ita reuera, vt à me dicuntur, ſint intelligenda, ipſa nos nomenclatura Sileni docet. Eſt enim Silenus gemina ratione ſic vocatus; altera, quòd ſolus videat; altera, quòd videndi facultatem aliis quoque commodet atque concedat. Nam Ει ſiue Εἰ, idem eſt quod video, Iota tenui & exili ſono in longum producta. Δεῦ autem, longa item vocali, ſi nomen ſit, ſolum notat; ſi verbum, idem eſt quod commodo. Quocirca cùm omnia, quæ à Deo accipimus, quaſi commodato accipiamus, dicimus, Θεὸς δέδωκεν, id eſt, Deus concedit; vel propriè, Deus dat commodato: quo indicamus, non ægrè ferendum eſſe, ſi quæ nobis conceſsit vtenda; ea, cùm vult, repetat, tanquam rem ſuam, non noſtram. Cùm enim Δεῦ commune ſit ad omnem vel commodato, vel mutuo dantem; voluere maiores noſtri compoſitam dictionem facere, quæ ſoli Deo accommodaretur, ſyllaba quadam præpoſita, quæ ipſa per ſe nihil quidem ſignificat, ſed alteri dictioni præfixa, nonnihil mutat ſignificatum. Sic Θεσδεῦ Dei eſt, Δεῦ hominum commodato vel mutuo dantium. Declaratur autem hoc loquendi vſu, Deum ita dare, vt nihil alienet, ſed ſemper maneat in eorum poſſeſsione, quæ donat iuxta illum minutis litteratoribus tritum verſiculum:

Omnia dat Dominus, non habet ergo minus.

In quo, præter eundem totius & pentemimeris finem, hoc etiam placuit, quòd Dominus idem videatur eſſe, quod Minus do, & qui minus dat, minus non retinet; ſed hæc ridicula ſunt, veræ ſententiæ condimenta. Dat ergo Dominus, ſimiliter illis qui dant, commodato, vtpote manentes in eius, quod dederunt, poſſeſsione. Priore igitur modo indicatur, ſolos illos videre, qui perinde atque Silenus doctrinam ſuam à Nyſæo Baccho acceperunt, non alia loquendi formula, quàm qua ab Homero dictũ eſt, ſolùm Tireſiam apud Manes ſapere,

ſapere, reliquos tanquam vmbras volitare. Nemo enim Patrem videt, niſi cui hic diuinus furor indiderit videndi poteſtatem. Omnes itaque Apoſtoli cùm Spiritum ſanctum accepiſſent, inceperunt veri Sileni eſſe, accepto illo furore diuinitus, quo Bacchari de muſti potatione videbantur. Sicut enim Noachus Bacchus eſt typicus, & Chriſtus verus Bacchus; ita Sileni Nyſigenæ typici ſunt, & Apoſtoli veri Sileni, ebrij nectare diuino. Soli autem illi, qui eiuſmodi furore correpti ſunt, omnia myſteria peruidere poſſunt, illius præſentia, de quo dictum erat: Ille vobis oſtendet omnia. Rectè igitur poſitum eſt vocabulum ſapientiæ magiſtris, non quibuſuis illis quidem, ſed qui diuino furore ad docendum inſtruuntur, quibus ſolis Deus conceſsit videre. Atque hæc vna eſt ſignificationis cauſa. Altera, quæ à Ῥεῦ verbo pendet, duo rurſus aperit; vnum, quòd is qui videt, videndi poteſtatem commodato habet, non de ſuo; à Deo videlicet acceptam. Tollit igitur hæc ratio omnem arrogantiam ab iis, qui docent veritatem: quippe quæ ipſo ſtatim nomine indicet, eos non à ſe quippiam, ſed omnia quæ vident, Dei beneficio videre. Alterum; quòd Doctores diſcipulis tribuant videndi facultatem; quod eodem verbo ſignificatur; ſed ſic, ne arbitrentur, quod tribuitur poſſeſſionem eſſe iure meritóve noſtro quæſitam; ſed ſic nobis dari commodato à diuina gratia, vti illis datum eſt, à quibus docemur. Fruſtra enim doceant magiſtri noſtri, niſi Deus ſpiritum ſuum, & eius dona nobis commodarit: quo intelligimus, omnis veræ ſolidæque doctrinæ nos perceptionem Deo magis quàm hominibus acceptam ferre debere, quamuis illis monitoribus vtatur. Præterea monſtratur, eadem voce præceptores ſic nobis videndi facultatẽ communicare, vt quamuis eam dent, non tamen amittant, ſed perinde atque Deus ſemper in eorum maneant poſſeſſione, quæ diſcipulis tradiderunt; qui modus dandi vt commodantium eſt proprius, ita prorſus eſt diuinus, omnibus obuium & quotidianum habens exemplum in Sole; qui quamuis omnibus lumen infundat, quæ luminis ſunt capacia, nihil tamen de ſuo aut imminuit, aut perdit. Silenus igitur is eſt, cui Deus videndæ veritatis dedit poteſtatem, vt eam rurſus aliis communicaret. Deinde monemur, illum verè videre, qui mente videt; quòd corporis viſum nemo alteri queat commodare. Neſcio ſanè, vnde Maro illud acceperit, quod Sileno attribuit, *Satis eſt potuiſſe videri*. Satis enim eſt, Silenum videri, non oculis quidem corporis, ſed oculis mentis. Nam qui illum peruidet, qui facultatem nobis commodat videndi, iam ſatis eſt eruditus, omnium nimirum particeps, quæ ab illo videntur,

in quo Deus veras rerum pinxit imagines. Doctiſsimè certè ad Etymologiam alluſit, & vnà expreſsit, in quo diſcipulorum perfectio conſiſtat, de ritualibus fortaſſe vel Pontificiis doctus commentariis. Eximium igitur Midas ſortitus eſt doctorem, cui meritò aures longas & acutas præbuit ad illa haurienda, quæ Sileni ſoli vident furore Bacchico pleni, & ſoli docere poſſunt. Hanc interpretationem alij loco deſtinaueram, in quo de Satyris ſum dicturus; ſed quia Tertullianus grauiſsimus ſcriptor, Silenum & Midam, & eam, quam Theopompus ſcripſit, narrationem, de regione vltra Hyperboreos remota, deriſit; non potui ſatis opinionem meam tueri, niſi Sileni etiam tuerer auctoritatem; ac deinde, quia docui eadem de Cimmeriis & Hyperboreis à Græcis prodi, volui hoc etiam addere, ipſum quoque Silenum Cimmerium fuiſſe, à quo Midas hæc accepit; qua de cauſa fides ei ſit habenda, vtpote ea narranti, quæ de ſua ipſius gente didiciſſet. Quis verò hic fuerit Midas, cui hæc ſint narrata, quamuis ambigi non videam; eſt tamen accuratiùs conſiderandum. Quicunque Midæ fabulam produnt, Gordij eum filium aſſerunt, inter quos Herodotus, eum ait ſellam regiam, ſiue tribunal Delphico Apollini obtuliſſe; cum quo minimè conuenit id quod ab aliis proditur, Apollinem iratum de ſtolido iudicio, aures aſininas ei affixiſſe; Ei ſcilicet tribunal ſuum & ſolium offerat, in quo ius dixit, à quo de peruerſo iudicio ſit condemnatus, & maxima & immortali ignominia multatus. Deinde hic Gordij filius centum paulò plùs minùs annis poſt Troiæ excidium vixit, eo tempore, quo Cimmerij Aſiam vaſtarunt; ſi illa quidem vera ſunt, quæ modò ex Euſtathio, de ſanguine taurino epoto, recitaui, & tempus huius depopulationis rectè ſit ab Euſebio ſupputatum. Quod ſi ita eſt; quid habet loci fabula de Apollinis certamine cum Marſya, qui fuit tempore Argonautarum, ſi Apollonio Rhodio credendum? ſin aliis, prius etiam fuit: cùm primus ſit tibiarum inuentor, Olympi vetuſtiſsimi pater; à quo Olympus ille deſcenderit, qui Enarmonium cantus genus poſt Diatona & Chromatica Græcis primus inuexit, vt Plutarchus annotauit. Apollodorus Marſyam, de neſcio cuius auctoritate, Olympi filium facit, contrà atque Chæronæus, quem dicit tibias eas inueniſſe, quas Minerua, quòd vultus deformitatem inducere videret, abiecerat; & iſtis Apollinem prouocaſſe. Quamobrem iudicium Midæ non poteſt ad illum Midam referri, qui Gordij filius fuit, multo poſt Ilij excidium natus, quem ferunt mortem ſibi præ deſperatione conſciuiſſe,

uisse, de Cimmeriorum incursione concepta. Alius igitur Midas fuerit Troiana euersione superior, qui fabulandi dedit occasionem, Cimmerios adeò nec metuens nec exosus, vt inde sibi Silenum accersiuerit, quo præceptore vteretur. Primus tamen Midas, quandoquidem plures in Phrygia fuêre, tam fuit antiquus, vt Dionysij fuerit temporibus æqualis; de qua re nata est illorum fabula, qui asininas eius aures Baccho acceptas ferunt, non Apollini; quod nescio quid in Baccho reprehendisset. Sed falluntur & isti, qui tam supinè & oscitanter hîc sunt versati, vt non intellexerint, Satyris quoque omnibus longas & acutas aures affingi; quibus tamen non sunt datæ ad vituperium aut ignominiam, sed ad laudem, vt Horatius sapienter indicauit. Si ergo Midas inter Bacchicos fuit, aures quoque acutas eum habere fuit necesse, si quæ canerentur mysteria, erat bene percepturus.

Fuit igitur Midas antiquissimus Phrygiæ Rex; qui, quòd rara & insigni rerum diuinarum humanarumque scientia præditus esset, dictus est Bacchum hospitio accepisse, Deum nimirum omnis eruditionis principem. Et fuit fortassis hic primis illis post diluuium temporibus, ab Ascanio vel Tigrammano genitus, & Rex constitutus; ad quem Noachus, Episcopi totius orbis munere fungens, diuerterit. Verùm, quia ante Olympiades omnis Græcorum historia manca est, & nullis temporum interuallis distincta; nolumus quicquam de primo illo Mida quærere, cõtenti posteriorem aliquem vel fuisse, vel confictum esse nominis eiusdem, cui Silenus quispiam posteriorum historiam narrarit. Sicut enim in Ægypto multi Pharaones; Romæ multi Cæsares fuerunt; ita in Phrygia multos Midas fuisse, nihil absurdi; atque id eò minùs, quòd nomen illud in Phrygia adeò fuerit frequens, vt Græci seruos inde allatos, Midas crebrò vocarint, vt ex Strabone antè monstraui. Nec mirum, si placuit, cùm rationem contineat apprimè vtilem ad vnumquemque omnium officiorum capitis in quauis re gerenda cõmonendũ. Cùm enim omnis virtus & actio laudabilis in eo cõsistat, si perturbationes animi sic moderemur, ne ab illis abripiamur, optimè monet, qui suadet, Caue, ne quid prẽcipitãter agas. Iactatur apud nos vernaculo prouerbio, nunquã festinũ opus, bonũ opus esse; propterea quòd maiores nostri putarent, in festinatione nos animi motiones potiùs, quàm cõsilia moderata sequi: quod cũ omnibus hominibus qui errare nolint, magnoperè sit vitãdum, tũ nemini magis quàm Regi, cuius prẽceps & incõsultus sermo, nedum sententia vel factum, totam Remp. labefactare, atq; euertere nonnunquam videtur. Est autẽ Midas ad verbũ, Caue ne præcipites

vel feſtines. Μιτ͡ enim vocali longa, quam nos ferè duplici figura ſcribimus, ad hunc modum, Μιjτ͡, quo productio ſignificetur, idē eſt quod Latinis, Caue ſiue Vita; Ἁαſτ͡ verò feſtinatio ſiue præcipitatio: Μιδας igitur idem eſt, ac ſi dicas, Caue feſtinationem; vbi aſpiratio in compoſitione euaneſcit, vt apud Græcos etiam fieri frequenter videmus; ſed ſic tamen, vt è tenui fiat media, quæ leui diſcrimine ab aſpirata diſtat: deinde Tau in fine eſt ademptum, vti apud nos vſitatum eſſe frequentiùs monui, quàm ſit ſæpiùs iterandum. Egregia, ita me Mercurius iuuet, & digna Regibus appellatio, quæ fontem omnium officiorum & rerum cum laude gerendarum duabus ſyllabis commonſtrat. Non malè longæ aures illi dabuntur, qui hoc nomine dignus iudicatur. Nam priùs multa audienda ſunt, & diligenter, & acutè audienda, quàm quicquam ſit ſtatuendum ei, qui cauere debet, ne quid feſtinatione peccet. Vbique quidem cauendum omnibus, ne animi perturbationibus rapti, vel opinionibus anticipati feſtinent priùs, aut ad dicendū, aut agendum, quàm omnibus auditis atque perceptis clarè liqueat, quo ſit opus facto. Verùm in Rep. & iudiciis, quibus Reges præſident, multo maximè neceſſariū eſt habere optimos Silenos, & eorum dicta acutis auribus diligenter audire, & omnia priùs conſiderare, quàm quicquam omnino eorum, quæ ad communitatis ſalutem pertinent, mandetur exequendum. Iam, quamuis quæuis perturbatio negocia poſsit antè præcipitare, quàm matura deliberatione ſit perſpectum, quid ſit agendum; nihil tamen eſt ira impotentius & difficilius ad refrenandum. Quocirca cùm noſtrates ſimpliciter quempiam dicūt Ἁaſτικ͡, id eſt, feſtinum; eum ſignificare volunt, qui facilis eſt & præceps in iram. Quis eſt enim animi motus, cuius impetu celeriùs feramur ad illa perpetranda, quorum ſera frequenter pœnitentia nos angit? Nolo hîc exemplis vti, quorum maximam copiam non eſt neceſſe de Plutarcho vel Seneca petere, cùm quotidianus vſus nimis multa vel inuitis obtrudat: quorum vtinam nulla hodie in Regibus & Principibus veſtigia cum ſera pœnitentia exſtarent. Eſt verò ira tanto grauior & exitioſior, quanto is qui eius raptu auehitur, pluribus poteſt nocere. Quamobrem, vt eſt fugienda omnibus hæc phreneſis, ita maximè vitanda Regibus, & iis, quibus cura Reip. & iudiciorum onus incumbit, quibus horrendas ſolet inuehere clades. Quamobrem monet Midas nomine ſuo, cùm omnem feſtinationē, tum iram, quæ feſtinationis apud nos vocabulo per excellentiæ figūram notatur, ſummopere debere vitari. Neque illud omittendum, communiter omnibus auditoribus nihil magis nocere, quàm

præpro-

" præproperè arbitrari, se omnia intelligere; atque idcirco se ferulæ antea subducere, quàm diu multumque præceptori aures acutas com
" modarit. Notum est quinquennium Harpocrati à Pythagora dedicatum, sed illud singularius, Aristotelem, cuius ingenio vix inuenias
" acumen quod possis comparare, diutiùs quàm per tria quinquennia Platoni acutas aures præbuisse. Magnum est & rarum Dei munus,
" Silenum vel Platonem habere magistrum; sed parum profuturum, nisi discipulus velit esse Midas, non nomine tantùm, sed reapse.
" Quis non admiretur hoc par animorum in Midæ & Sileni conuictu tam aptè coniugatum; in quo alter omnia nomine suo promittit,
" quæ sunt præceptoris excellentissimi; alter, quæ auditoris eius propria, cuius profectus & maximus sit, & quamplurimis vtilis futu-
" rus? Nam quanquam omnes generatim bonis & liberalibus artibus operam diligentem impendere, Reipub. commodo sit & ornamen-
" to; præcipuè tamen Regem id facere decet præ ceteris omnibus, non ob id tantùm, vt officio suo dignus euadat, sed quò exem-
" plo suo omnes impellat, ad honesta studia sectanda. Rex enim id in regno suo esse debet, quod Sol in cælo, omnibus prælucens vir-
" tutum radiis, & subditis, perinde atque ille Planetis, lumen affundens. Sed heu miseros mortales, quò venimus rerum! Hac mea æ-
" tate plerique, qui principē locum apud Reges tenent, ita se comparant, vt cum infimo quoque plebeiorum certare possint ignorantia,
" & omni mentis cæcitate; quos tota cohors nobilitatis studiosè æmulatur, quasi nihil pulcrius sit, & magis Regio comitatu dignum,
" quàm nihil scire. Horum consortio & quotidiano victu nihil Regibus exitiosius, eò quòd nobilitatis prætextu eum sibi ab ignoran-
" tia sumunt fastum, vt Silenis & prudentibus viris fores præcludant, quo ipsi flatu suo glorioso nauis eius, in qua omnes vehimur, vela
" tendant; quæ vtinam melioribus ventis & spiritu generi humano benigniore ille summus Æolus implere dignetur: quo ex his pro-
" cellis, quibus nunc nos iactant buccæ concionatorum nihil ferè præter tempestates & naufragia exhalantes, tandem euehamur ad
" portum aliquem tranquillitatis Christianæ. Sed valeant lamenta nihil profutura: reuertamur ad Silenum, & eum cum Mida longis & acutis auribus attentè audiamus. Nō indoctè nec insulsè Theopompus cognitionem veteris Geographiæ Sileno affinxit, vti magistro; & Midæ, vti auditori; eò quòd omnes illi Sileni sint, qui nobis raram aliquam, & in vulgus ignotam doctrinam impertiuntur; & omnes item Midæ, qui citra importunam festinationem tantisper auscultant, dum Silenum totum queant peruidere. Examinemus igitur

diligenter Phrygiam hanc fabellam. Vetuſtiſsima eſt traditio, Aſiam, Africam, & Europam, limitibus illis circumſcriptas, quibus includi ſolent, inſulas eſſe alterius cuiuſdam terræ comparatione. Audiuerat hoc Plato, audiuerat Theopompus; hic à Phrygiis, ille ab Ægyptiis, ſed hi narrationem ſuam falſa appendice inquinarunt; addentes, totam illam Atlanticam continentem eſſe ſubmerſam: quod Ariſtotelem etiam video credidiſſe; licet is, qui admirandarum auditionum auctor fuit, videatur aliter ſenſiſſe, à Carthaginenſibus veriora doctus. Sed quò fiat collatio, iuxta veterum deſcriptionem conſideranda, videndus eſt Herodotus, qui in Melpomene ſua Hyperboreos prorſus ab orbe toto excludens, Aſiam vltra Indiam deſertis & incognitis locis, Europam ad Septentrionem & Orientem à nemine certis terminis definitam eſſe dicit, atque adeò ipſe non magis Boriſthenis, quàm Nili fontes nouit. Deinde Africam vndique mari claudi, excepta ea parte, quæ inter Arabicum ſinum, & mare Ægyptium eam Aſiæ iungit, vix credit, quamuis referat Neconi Regi Ægyptiorum curæ fuiſſe, vt res ea à Phœnicibus exploraretur, quos narrat mari Erythræo tertio anno per columnas Herculis in Ægyptum reuectos. His trium harum partium magnitudinibus non multum Strabo adiecit; quocirca ad poſtremum ferè Græcorum Geographum Ptolemæum accedemus, qui vti vltimus fuit, ita omnium certiſſimus. Is Aſiam, quæ maxima eſt partium, centeſimo & octageſimo longitudinis gradu finiuit, latitudine ad ſexageſimum tertium promota. Saiticus autem Sacerdos duas præcipuas partes totius orbis, Africam & Europam ſimul ſumptas, minores facit continente illa, quæ extra Herculis columnas olim ſit ſummerſa. Moderatior eſt Theopompi oratio, cui illa quidem continens ſit, hæ verò tres nominatæ partes rationem habeant inſularum. Quamobrem immeritò fabulator hoc loco Chius ſcriptor vocatur, quum bis Platone ipſo ſit verior, tum in magnitudine, tum in eo, quòd cõtinentem ſuam non ſubmerſerit. Vocatur autem hæc ampliſsima orbis pars à Platone Atlantis, quòd Atlanti Africano è regione iaceret, à cuius promontorio, vel inſulis à promontorio non longè remotis, hactenus etiam in illam nauigatur. Nunc varia nomina pro gentium diuerſitate ſortitur, alia etiam atque ea quamplurima, præſertim in litoribus ab Hiſpanis & Luſitanis aſſumpſit. Deprehenſum autem eſt Magellani nauigatione, & aliorum deinde, vtrimque mari claudi inter Orientem & Occidentem; ab Antarctico verò Polo, freto, quod Magellanicum ab inuentore nominatur. Diſtat hoc ab Æquinoctiorum circulo Antarcticum verſus, ad tres paulo plus

plus minus & quinquaginta gradus; si veræ sint nauclerorum supputationes. A Septentrione longa & tenui Isthmo terminatur, ab ostiis Darieni fluminis incipiente; quorum ad Vrsas est quatuor ferè graduum latitudo. Quo fit, vt tota hæc regio sit quasi quædam ingens Chersonesus. Antiquissimi verò illi, de quorum relatu hæc orbis pars cognita primùm fuit, fretum illud angustum non inuenerunt; & idcirco crediderunt, immensis spaciis terrarum hunc orbem extendi ab Occidente versus Orientem. Neque enim poterant scire ex altera parte ingentem Oceanum, quem nunc mare Magellanicum, siue mare Sur nominamus, opponi. Condonandum itaque, si tota Africa & Asia hunc orbem maiorem crediderunt. Nam si coniungas quicquid vltra fretum ad oppositum verticem terrarum iacet, quæ vltra Capricorni circulum vix decem partibus inferius Æquinoctiali vltra Polum Notium ascendunt, ea parte, qua nouam Guineam inuenerunt, atque totum Magellanicum mare continentem terram fingas, vti illi prisci sunt opinati, parum defuerit creditæ magnitudini. Præterea credo quicquid vltra Isthmum Darienam versus Polum Austrinum porrigitur, Atlantidi connumerandum; quo quidem modo Asiam & Africam longè hæc terra superaret, si totum mare Surium ad Moluccas vsque continens terra cogitaretur, vt veteres videntur existimasse, Magellanicum & fretum & mare ignorantes. Atque hæc quidem de Platonis Atlantide, ad Darienam vsque Isthmum extensa; quam in Timæo & Critia, de Sacerdotibus Saiticis accepta narratione, descripsit. Silenus accuratiùs & hunc orbem posuit, & ab eo Hyperboreos Oceano disiunxit, quamuis Isthmi nullam fecerit mentionem. Hyperboreos item non aliter atque ceteri, omnium qui Europam habitant, beatissimos dixit. Non igitur sunt sub Polo collocandi, sed tãto vlteriùs, vt satis sit ad optimũ regionis tẽperamentũ ab obliquo signorum circulo impetrandũ. Neque enim quæ de felicitate regionis ab antiquissimis accepimus, ea vaniora quisquam credat, quàm quæ de maxima insula Plato prodidit. Nã nihil ferè est apud Cimmerios vetustos fabularũ, quod nõ originẽ habeat ex aliqua saltem veritate. Græci Asiam terrestri itinere vltra Imaum non longè cognorũt; & si, quod sentio, dicere licet, vereor, ne priores tãtùm, sed Ptolemęus etiam plurimùm hîc aberrarit. Quis Abios Scythas tam longè terrarum remouerit, vt ferè Asianorum extrema tangant? cùm ab Homero, à quo ceteri omnes eos acceperunt, non in Asia, sed in Thracia, ad quam Iupiter oculos à fœdis Troianorũ & Græcorũ cladibus auertit, collocentur. Iam Issedonas, quos Herodotus in Scythia Europęa com-

commemorauit, quis credat apud Seras, apud quos à Ptolemæo ponuntur, habitare ? Opinor equidem vetuſtiſsimos illos, qui Hyperboreos vltra Arimaſpos; Arimaſpos vltra Iſſedones; Iſſedones vltra Scythas; Scythas vltra Cimmerios poſuerunt, vt Herodotus enumerauit, totam deſcriptionem hanc ad Scythas Europæos, quos vno nomine Græci Thraces, à gente ſibi proxima, vocarunt, referre. Ptolemæum verò ad Scythas Aſiaticos id torſiſſe, quòd eorum, quorum nomina inueniebat, ſedes ignoraret. Eodem modo Galactophagi, qui ab Homero in eadem Thracia ponuntur, ſi quidem hoc nomen gentis apud eum eſt, Europæ ſunt, non Aſiæ, adſcribendi. Nos igitur, Homero duce et auſpice, has gentes digeremus paulo aliter, quàm Ptolemæus, priſcorum ſententiæ innixi. Primos igitur ponemus Scythas, longè lateque vltra Mæotim habitantes, quorum regiones extremas Liuoni, Nouigardi, & Moſcouitæ tenent. Europam autem Phaſi, iuxta vetuſtiorum ſententiam, quorum Herodotus meminit, terminabo; & nihil vetat, quo minùs illi deinde adſcribam omnia, quæ limites Ptolemaicos extra Imaum egrediuntur, quò ceteris partibus non ſit impar. Qui enim Herodoto ſuperiores fuerunt, Europam Aſiæ prorſus æquarunt: quod idem auctor, licet non omnino probet, tamen fatetur. Sed cùm Aſia ab Europa hac parte nec fluminibus, nec montibus diſtinctè poſſit ſeparari; nolumus hîc agere contentiosè. Huius certè tempeſtatis homines, qui loca illa tenent, propagines Imai montis cingulum orbis, ſiue terræ nominant; quaſi eius interſtitio orbis illic diſtingueretur; atque hac ratione Tangut, Cambalu, Ania, Mangi, & vicina, ad Europam pertinerent. Quod ſi verum eſt, fretum inter Aniam eſſe, & Quiuir regionem, poſſet Europa ingens videri, ſi quod vltra fretum illud eſt, ad Iſthmum vſque Panamanum ſiue Darienum ei tribueretur, inſigni illa quidem acceſsione, ſed non aliena, vt videtur, à vetuſtiſsimorum opinione. Vltra igitur Scythas hos Europæos Iſſedones ſunt, quo nomine omnes illi intelliguntur, qui vndique proximi ſunt mari glaciali. Hos ſequuntur Arimaſpi; poſt quos, quia vaſta ſunt & incognita loca, & omnis generis ferarum plena, dicti ſunt Gryphes eſſe; ij qui aurum aſſeruant, Gryphis nomine omne genus rapacium, ſiue quadrupedum, ſiue auium ſignificant: quod de corporis fictitia compoſitione clarum eſt. Deinde Hyperborei nominantur, quotquot vltra habitant, ad illum vſque orbem, quem inſulæ rationem habere exiſtimarunt, qui Platoni admirabilis ſuæ hiſtoriæ, & ex ea falſiſsima colligendi dedit occaſionem. Videntur itaque priſci illi credidiſſe, immanibus terrarum interuallis Europam

vltra

vltra Boream extendi, atque inde Oceanum esse, vltra quem Atlanticus orbis iaceret, quem illi indicarunt, qui Hyperboreos ad alterum vsque mare dixerunt pertinere. Huius interponendi maris causam videtur dedisse sinus ille maximus, in quo Hispaniola & Isabella, quàm Hibernia vel tota Anglia longè maiores sitæ sunt, plurimis insulis minoribus adiacentibus, tanquam ipsarum pedissequis. Cùm enim eius penetrandi, & ad intima vsque litora perscrutandi occasio fortè defuisset, iudicarunt sinum hunc Oceanum esse, Hyperboreis & Atlantico orbi interiectum. Per hunc ergo Silenus narrat, tot millia ad Hyperboreos ex illa magna continente transportata, & rebus ipsorum contemptis, ad patriam renauigasse. Ingens hac subducta ratione, Hyperboreorum non angusta, vti Mela scripsit, esset regio, vtpote quæ vltima sua cauda Atlantico orbi continens esset, quamuis id prisci ignorarint. Cauda quidem hæc id habet, quod Hyperboreis inter cetera est tributum, duas nimirum æstates: propterea quòd non plus multo quàm sex circuli partibus ab Æquinoctiali Septentrionem versus recedat, & ad hanc quidem id, quod Pomponius scripsit, applicari potest, terram nimirum Hyperboreorum angustam esse. Talis autem positus duas æstates, duas hiemes nouit, vt ex Cosmographiæ elementis demonstratur: æstates quidem circa Æquinoctia; hiemes verò ad Capricorni & Cancri exordia. Hyperboreorum igitur fertilem rerum ad vitam commodarum vbertatem qui nescit, is plurimos habet, quos vel legat, vel roget: mihi in tanta illorum copia superuacaneum sit prolixiùs de illis tractare. Hac enim nostra ætate vrbs Themistitana, in lacu sita, tam est nobilis, & omnium sermone trita, vt nemo vel in tonstrinis sit, qui non plurima de illa fabuletur. Venerunt igitur ex Atlantica regione illi, quos Silenus commemorat, ad Hyperboreos mari potiùs quàm terra, quod facillimum fuisset, plurimis paucos ad Isthmum resistere, & incursionem prohibere. Quo fit, vt beatissima Hyperboreorum regione potiti non sint, sed rectà ad Nouam Franciam, vel Floridam per Oceanum nauigarint; vnde mox cursum suum sint remensi, propterea quòd longè beatiùs domi, quàm apud illos Hyperboreos agere possent. Verumetiam illud est in orbe Atlantico, homines esse ingentis magnitudinis, in ea nimirum regione, quam Hispani à Gigantibus nominarunt. Aurum autem in tanta esse abundantia, vt pluris ferrum, quàm aurum, faciant; quis hodie viuit Antwerpiæ, qui nesciat? Nemo ferè prudentiorum est, qui sibi non persuadeat, auro hoc Atlantico non Hispaniam modò,

sed totam etiam Europæam Christianitatē proximis hisce temporibus corruptam fuisse. Deinde quòd duæ maximæ ciuitates præter ceteras esse dicantur, quarum alteri bellicosæ, alteri piæ nomen sit, totum id allegoriam sapit, nec Sileno magistro, nec Mida discipulo indignam. Sic enim inter mortales omnes est comparatum, vt inter solos pios viros pax sit & tranquillitas, quæ verè pax & tranquillitas dici queat. Inter bellicosos verò & homines iracundos, & qui motionibus animorum subitis aguntur, nulla quies, nulla pax, nulla denique felicitas esse potest. Quamuis enim illi pugnaces homines tantum auri possideant, vt minoris eis sit, quàm nobis ferrum; nunquam tamen in eis sopitur desiderium plura possidendi, atque idcirco alios semper student subiugare, nullam nec sibi nec aliis permittentes tranquillitatem. Nec verò Atlanticus tantùm orbis ita est bipartitò diuisus, sed quicquid vsquam est terrarum. Sicut enim primis parentibus, antequam impij fierent, omnia tellus citra laborem copiosè effundebat; ita post peccatum improbo opus fuit labore. Ceterùm post etiam Adæ lapsum hactenus ita res habet, vt piis omnia Deus vltrò suppeditet, citra curas & solicitudines. Nam quanquam opus est plurimo corporis labore, is tamen ei labor non est, qui se intelligit animum, non corpus, esse. Quamdiu enim pij id quod dicuntur, manent; nullam animi molestiam persentiscunt, tametsi in equuleo torqueantur, cùm vera pietas perpetuam custodiat animi tranquillitatem. Iam & illud verissimum est, regnum Dei seriò & ante omnia quærentibus, nihil vnquam decesse; & Dei singulari gratia, quæ ad corpus sunt necessaria, citra laborem suppeditari. Quòd autem adiectum est, bellatores hos rarò morte sua perire; quid aliud sibi vult, quàm illud, quod Petro dictum est, Qui gladio percutit, gladio peribit? Optima hæc est doctrina, & quam maximè deceat occinere Regibus & Principibus populorum: quos passim videmus leuissima de causa bella suscipere, & suscepta tanta crudelitate gerere, vt bonos viros & cordatos pudeat audire eos, qui tam immania & belluina sub hominum laruis designant, Christianos: atque eò res venit, vt vulgari iactetur prouerbio, Aliud principibus, aliud plebi cælum paratum. Sed audire deberent & illi hanc sententiam, qui vili stipe & minuto ære corpus & animum ad eiusmodi bella vendunt. Verùm quanti eiusmodi sint, ipsi docent, qui tam pusillo precio se sinunt ad cædes & mortes conduci, vt viliores mihi videantur, quàm reiiculæ pecudes, vel abiectissima mancipia sale empta. Maiore certè honore persequendi carnifices, qui gladium

nun-

nunquam ſtringunt, niſi crimine pro eo ac decet diſcuſſo & examinato, reus ſententiis iudicũ morti fuerit addictus. Porrò quod ſequitur, eos ferro non interire, ad hiſtoriam & naturam regionis refertur. Vtuntur enim hactenus loco gladiorũ ligneis telis, quæ grauius et lethalius vulnerãt homines inermes, quales ipſi ſunt, quàm maximi & longiſsimi enſes, quod genus Antwerpiam magna copia adfertur. Cùm enim ferro careant duriſsimo, ad id ligno vtuntur, & ſagittas arundinea acie infuſo veneno ita armant, vt ictum certa mors ſequatur. Lapides habent pro aſciis & cultris; quos tam acutos faciunt, vt ipſe mihi vngues marmoreo eius regionis ſcalpello amputarim. Iam quòd de Meropibus adiecit, pura puta eſt allegoria, quod arbores doloris & voluptatis clarè oſtendunt, clariſsimè verò, quòd de reſumptis præpoſtero ordine ætatibus addit: quam explicarem, niſi mihi vitandam exiſtimarem delicatiorũ ſatietatem, eorum præſertim, quibus omnia frigent, quæ de priſcis fabulis ad mores corrigẽdos, & curuos animos ad amuſsim vocandos trahuntur. Habet tamen hæc pulcerrimam vitæ inſtructionem, qua ad ipſum vſque perfectiſsimũ hominis ſtatum deducetur, qui accuratiùs diſcuſſa caligine omnia cõſiderabit. Homerus Silenum videtur audiuiſſe, quandoquidem in clypeo ſuo admirabili duas vrbes depinxit; alteram bella gerentem; alteram pacatam, eadem prorſus, qua Silenus, ratione; vt nimirum oſtenderet, bifariam Meropas eſſe diſtinctos: quam vocem hominum illo in loco cognomen à diuiſione fecit. Sed iam ſatis fabularum; è quibus tamen non parum lucis hiſtoriæ acceſsit, dum clarè ex iis cognouimus, vetuſtiſsimis Græcorum Atlanticum orbem & Hyperboreorum regionem, quæ ad Panamanum vſque extenditur, notam fuiſſe, nec ſinum illum maximum latuiſſe, quamuis peruium illac mare eſſe arbitrarentur. Nunc deinde illi examinandi, qui iter ad Hyperboreos ſic deſcripſerunt, vt à Scythis ad Iſſedones; ab Iſſedonibus ad Arimaſpos; ab Arimaſpis ad montes Rhipæos & Gryphes, & inde ad Hyperboreos, eundum eſſe, memoriæ mandarint; qua in re Cimbrica nominibus interpretatio quærenda, ſi verum eſt, Cimmerios vltima Septentrionis latera primos habitaſſe. Redeamus ad iter illud quò venimus, ad Hyperboreorum regionem: in quo videndum, an nomina queant lucis aliquid afferre, ſi ad cauſas ſuas reſoluantur. De Scytharũ nomine in Amazonicis dixi: nunc de Iſſedonibus & Arimaſpis, quid meus Silenus ſentiat, exponã. Ἰσσηδόνες, ſingulis litteris ſeruatis, eum ſignificat, qui glaciali mari proximus eſt. Nam Δόνυ proximum ſignificat, ſiue valde propinquum;

Is glaciem, Se mare. Ergo Is-se, glaciale mare, Is-se-don glaciali mari proximus. Omnes igitur, qui ad mare glaciale habitant, siue in Lappia, siue in Biarmia, siue in Iugoria, siue alia quauis parte, Issedones dicentur. Post hos sunt Arimaspi, quod Herodotus ridiculè interpretatur, deceptus fortassis à Scytha quopiam. Arima dicit vnum significare, & Spu oculum. Ego Harimaspos voco, licet aspirationem in principio compositorum, & in medio item frequentissimè tolli sciam, vt in Atuatico Athana, & aliis quamplurimis indicaui. Arimaspu ad singulas syllabas & litteras, notat vrentis frigoris & pruinæ subitaneam cataractam. Har enim frigus vrens, ita vt faciem vel cetera membra vulneret. Rim vocali longa, vt duplex Iota sonet, pruinam significat. Hast præceps, festinum & subitum; de cuius in compositione natura, communi tamen ipsi cum ceteris vocabulis, modò dixi. Aspiratio enim & Tau finale, more nostro, plerumque in compositis non pronunciantur. Spu cataracta est, siue porta pensilis, aquæ vel emittendæ vel retinendæ parata. Hinc Spuit Siphonum illud genus, è quibus aqua per angustum foramen magna vi expellitur; & Spou, saliuam spiritu quodam eijcio, quòd ad hoc faciendum, os sit ad rationem Siphonum componendum. Hinc Spuo Latinorum emanat; cùm apud nos, non apud illos, ratio constet. Illi igitur Arimaspi dicendi erunt, qui ad ipsam frigoris vrentis & pruinarum cataractam habitant. Sed vbinam hanc inuenias? Illic nempe, vnde omnium consensu frigidissimus ventus & vrentissimus spirat. Hunc Latini Aquilonem vocant; quòd inter ventos idem sit, quod aquila inter volucres; nisi magis placeat à colore nomen habere, eò quòd cælum aquilum reddat, id est tale, quale est, cùm est omnino sudum. Flat autem hic ab ea cæli plaga, quæ est Septentrionis & Ortus Solstitialis media. Hac igitur parte Arimaspi collocandi vltra Issedonas, versus Aniam & ceteras eiusdem tractus regiones. Dicti autem sunt vnoculi, quòd pellibus toti videantur insuti, vnico duntaxat foramine faciem monstrante. Nostrates enim omne foramen Og siue Oog vocant, ab oculorũ in homine similitudine: vt foramẽ acus dicimus oculũ acus, & in ceteris eodẽ modo. Strabo ex Arimaspio Aristæi Proconesij carmine, credit Homero ab Arimaspis occasionẽ datã, Cyclopas cõfingẽdi: quod sit ne ita an non, nihil nostra hoc loco; alibi, de Cyclopibus quid sentiam, indicaui. Mõstratur verò iter ab antiquis ad Hyperboreos per has gentes, quòd rectũ iter mare glaciale impediat; & si Moscouitæ cũ Tartaris eam partẽ terrarũ occupãtibus, pax & libera vltrò

citro-

citroque commeandi potestas intercederet, non est dubium, quin illac ad Hyperboreos peruenirętur: sed vt olim, ita nunc quoque Grypes Arimaspos deterrent, quò minùs frequenter ad Hyperboreos proficiscantur. Fuit enim semper hæc pars à fetis hominibus & immanissimis Barbaris habitata, quos à rapacitate Scythæ Grypes nominarunt. Nam Γρυπες nostra lingua idem est quod Rapere. Hinc Ὄρνεον Γρυπ auis rapax, quam eadem voce Græci & Latini appellãt; propterea quòd non alibi quàm ad Septentrionem apud Scythas reperiri putaretur, ea de causa Scythicum, non Græcum, nomen sortita; quia res peregrinas par est peregrino quoq; nomine vocare. Γριπ enim vocali longa Scythica vox, idem notat quod Rapio. Plinius hanc auem fabulosam esse credit: quem nos ea conditione sequimur, si tali corpore, quali pingitur, dicatur esse. Parisiis in sacello Palatino vidi pedem ingentem suspensum, qui nisi omnino ater esset, aquilæ vel vulturis pedem referret, sed tanta magnitudine exsuperat, vt si animal pro ratione eius fingeretur, facilè posset credi, quod dici solet, vel maximum equum ab eo sublimem rapi. Quòd autem quadrupedem pingunt corpore postico leonino, id nec cum hoc pede, nec cum rerum natura consentit. Regina Hungariæ hera mea (cuius non possum miserabili hoc rerum statu citra suspiria meminisse, dum Heroicas eius virtutes animo voluo, quibus Reip. habenas tenebat) inter pocula sua habebat cornu quoddam nigredine splendens, dodrante longius, quod aiebant vnguem esse Grypis; quamuis ego ex aliquo cornu fictitium esse contenderem. Temerarium est iudicare in rerum natura non esse, quod ætas nostra non vidit. Monoceros veterum scriptis iactatur, & cornu quod eius esse fertur, precio venditur ingenti, quale nunc Antwerpiæ vltra septem pedes longum, venale prostat; tam integrum, vt ne illa quidem pars desit, quæ fronti fuit infixa, citra tamen spongiosam coronam, qua ad duos palmos & eo amplius cinctum fuisse videtur: dubitatur tamen, an fera eiusmodi inueniatur, qualem pictores nobis ostendunt. Illud equidem ex hoc, cuius mentionem facio, cornu didici, perperam ab eis cornu fronti adfigi. Nam cuiuscunque animalis cornu est, hoc saltem cerno, sic capiti fuisse infixum, vt radix inferius, summitas in altum spectaret, secundum frontem dorsum versus nonnihil tota longitudine declinante; ita vt si currendũ esset, capite arrecto dorso incumberet, vti in ceruis videmus: contrà. si pugnandum, caput ad pedes priores esset inclinandum, perinde vt in omnibus ferè cornupetis natura comparauit. De hoc ego senten-

tiam à mercatoribus rogatus, respondi tale esse, quale pro Monocerotis cornu apud principes habetur; verùm displicere, quòd Ælianus nigrum colorem tribuerit, cùm huius subalbidus esset; atque illud præterea, quod Ctesias Artarxerxis medicus asinos suos feros ita descripserit, vt cornu dederit cubitale duntaxat, & illud supernè puniceum & valde rubrum, ceteroqui in medio nigrum; quæ notæ nostro huic minimè quadrant. Suspicatus aliquando sum cornu hoc piscis alicuius esse, quòd in eo genere admiranda plurima reperiantur; & hoc cornu quod Antwerpiæ est, ex Islandia sit allatum. Verùm rursus in mentem venit, hanc insulam non longè abesse ab illis locis, quæ ad Hyperboreos spectant, in quibus ferarum plurimum esse ob hominum solitudinem, non est absurdum suspicari. Est enim Islandia insula Issedonum, nomen habens ab Jé, id est, glacie; & Lant, quod significat regionem. Est igitur Jslant glacialis regio, vt Jſ-ſe, glaciale mare. Ex hac, tria, mea ætate, allata memini, quorum maximum modò indicaui. Incertum tamen est, an post glaciale hoc mare, ad quod insula hæc iacet, continens sit ad Polum vsque, ac deinde ad Aquilonem, an verò Gronlandia, id est, viridis regio, butyri copia, maioribus nostris nobilis, mari ab Arimaspis secludatur. Hæc itaque, tum de regionis situ, tum de animalibus, dubia posteritatis diligentiæ relinquo, ipse exploraturus, si ætas & commoditas tulisset. Ad idem tribunal Grypes quoque relego, contentus monstrasse, cuius gentis vocabulum esset. Audiui equidem, sed auctoribus iis, qui accipitrinam professi, auium leuitatem imitantur, in Norwegiæ finibus alitem esse aquila maiorem; quæ vitulum, æquè atque aquila, leporem rapiat: quod si ita est, de hac crediderim fabulam de Grypibus esse ortam. Ctesias, vti me de Monocerote suo asino dubium fecit, ita de Grypibus quoque scrupulum iniecit, ne dicam tragulam, quod dicere potuissem. Grypes enim ait aues esse quadrupedes, magnitudine lupi, pedibus & vnguibus ad formam leonis, pennis in pectore rubris, cetero corpore nigris, hos auri in montibus custodes esse. Ælianus negat ab Indis auri custodes dici, sed quòd pullis suis maiorem in modum metuant, idcirco in auri fossores inuolare. Idem auctor est, eos, qui ad aurum sunt profecti, tertio demum vel quarto anno reuerti. Equidem ex hac controuersia, qua ab aliis, Indis; ab aliis, Arimaspis Grypes adscribuntur, hoc colligo ex Indis ad Catauim, quod circa Arimasporum est fines, & hinc ad Arimaspos, & inde ad eas noui orbis regiones, quas Hyperborei habitarent, profectionem institui solere; atque hinc fieri,

fieri, vt tertio tandem vel quarto anno reuerterentur. Ab Arimaſpis igitur fabula tranſit ad Indos viciniores. Arimaſpi verò more Cimmeriorum fabulis eruditis gaudentes, Grypes nominauerunt Barbaros homines, qui cùm chlamydes & palliola ex auium plumis induti eſſent, non homines, ſed aues videbantur. Eiuſmodi autem ornatus hactenus in orbe nouo, vt vocant, in vſu eſt; atque tam non eſt rarus, vt ipſe vnum palliolum domi meæ ſumma arte confectum, ſeruem; quod tamen non ab illa parte Hyperboreis vicina eſt allatũ, ſed è Breſilia, vbi hactenus homines tam efferi ſunt, vt meritò Grypes dici poſsint. Fingebant autem corpore leonino eſſe, quòd haud ſecus atque leones homines deuorarent; de quibus vltimi Scytharum Anthropophagi falſum nomen coacti ſunt ferre, apud ſcriptores remotiorum ignaros. Durat enim hactenus etiam leoninus hic mos homines deuorandi, quamuis apud eos, qui Chriſtianis ritibus aſſuefcunt, ſit ſublatus. Præterea non ob plumeum modò veſtitum alites dicti ſunt; ſed ob celeritatem etiam, qua tanta etiamnum pollent, vt quaſuis alias gentes longè ſuperent curſu. Iam quòd nullos peregrinos admittant, quod hactenus etiam in religione eſt, ſed viſos mox rapiant ad immolandum & deuorandum, meritò ſunt à rapacitate nominati, & animalium rapaciſsimorum notis inſigniti. Hi ergo Grypes ſunt, qui, quamuis aurum in precio non habeant, metu tamen prolis, quam verentur, ne exteri, perinde atque ipſi exteros, voratum veniant, omni conatu acceſſum prohibet. Atque hinc illud eſt, quòd non ferè pauciores, quàm bis mille, armis bene inſtructi, illuc, vt Ælianus addit, proficiſcerentur. Et quia apud hos Grypes nulla eſt ferri copia, cogebantur omne inſtrumentum ad fodiendum neceſſarium vnà ferre. Quocirca mirum non eſt, triennium vel quadriennium ad iter hoc requiri. Arimaſpi igitur, quò ceteros mortales ab hac profectione deterrerent, hanc, vt opinor, de Hyperboreis & altero orbe fabulam confinxerunt. Vnde nationes aliæ, figmenti huius ignari, Grypes ſomniarunt tanta vi præditos, vt equos etiam & boues raperent in ſublime. Equidem cùm Struthiocameli magnitudinem frequenter viderim, ſciamque ob pondus alas illi, non ad volandum, ſed ad currendi celeritatem datas; non poſſum mihi perſuadere, auis aliquod genus maius pondus implere, quia alioquin æquè ac Struthiocamelus ſua ipſius grauitate impediretur. Deinde diſſenſio Cteſiæ & poſteriorũ totá hiſtoriam ſuſpectam reddit. Quî enim, ſi lupi duntaxat ſint magnitudine, equos rapiant, quod ab aliis eſt tributũ, tanto cõſenſu, vt in adagiũ abiuerit, Iungẽtur iã Grypes equis?

Scythas

Scythas autem allegorici ſermonis & ſymbolorum perquàm ſtudioſos fuiſſe, niſi mihi de iis, quæ attuli, exemplis credas, Herodotum interroga; qui cùm Scythiæ vltima propter pennas adiri non poſſe, didiciſſet; per pennas niuem credidit ſignificari: quo commonſtrat, Scythis eiuſmodi loquendi figuram non eſſe infrequentem. Quod rurſus clarum fecit, dum munera eorum ad Darium miſſa enumerat, auem, murem, ranam, & quinque ſagittas, quibus Gobryas ſignificari dixit, niſi Perſæ, vti aues, in cælum ſubuolent; vel, vti mures, in terra lateant; vel, velut ranæ, per paludes natent, fore vt omnes ſagittis configantur. Quod an rectè Gobryas fuerit interpretatus, non refert: interpretatione ſaltem ſua illum Dario metum iniecit, quo ſolo ſeruatus eſt. At pennas niuem eſſe, mihi non fit veriſimile; quoniam ſciam, nullum iu Scythia locum ob niues inhabitabilem inueniri, niſi fortè in ſummis Imai montibus, vel Lappiæ, & Scricfiniæ vicinarumque regionum rupibus. Credo enim Scythas de vltimis Scytharum interrogatos, reſpondiſſe, ad eos veniri non poſſe ob pennas, id eſt, homines pennis & plumeo veſtitu ornatos, quos Grypes alij nominabant. Effecimus ergo ex hac hiſtoriarum collatione, vt exiſtimandum ſit, Scythas regionis ſuæ terminos ad Atlanticum vſque Platonis orbem extendiſſe; verùm ob locorum intercapedinem, & efferam quorundam barbariem, paucas gentes nominibus propriis nuncupaſſe. Omnes quidem ad Aquilonem habitantes Arimaſpos; poſt hos Hyperboreos, quotquot vltra Boreæ cardinem & Arcticum frigus ad Cancri circulum & Æquinoctialem vergerent, nominabāt. Poſt hos à Dariena Iſthmo quicquid eſſet terrarum, ad ipſum vſque Polum Antarcticum, & vltrà vſque ad Æquinoctialem redeundo, alterum vocabant orbem; quaſi circulus, qui primum motum medius ſecat, maximè ſit idoneus, vt corpus etiam illud immobile medium diuidat, circa quod tanquam centrum per prius & poſterius in omnia ſecula perennat. Quo tamen nomine vernaculo Hyperboreos nominarint, & eos qui ſunt vlteriores, non eſt memoriæ proditum. Theopompus Meropas quoſdam illic de Sileni fabula ponit, ſed incertum eſt, an Græcam vocem, an Scythicam, ſiue alterius orbis vernaculam eſſe voluerit. Græca certè optimè conuenit allegoriæ, eò quòd diuiſionis quandam habeat ſignificationem. Si Scythica ſit, indicat plures illic eſſe hominum cœtus, quàm in hoc orbe. Mer enim ſic pronunciatum, vt duplicem vocalem audiiſſe videaris, Plus ſignificat. Ops vocali item producta, ſi ad homines applicetur, multitudines & magnos cœtus deſignat. Mer-ops igitur alterius orbis

bis incola diceretur; quòd orbem coleret, in quo multitudo hominum maior, quàm in nostro esse videretur; ingenti Oceano Magellanico, & altero Atlantico, necdum à Scythis vltra Æquinoctialem explorato. Quòd si hæc igitur appellatio à Sileno sit profecta, vti Theopompus videtur velle, eò quòd proprium nomen faciat, aliter erit, quàm Merops Græcorum, scribenda, nimirum per e longum, & o longum; quod Græcos propter simile nomen domi suæ natum, credo vel neglexisse, vel ignorasse. Dionysius in Orbis descriptione Arimaspos ad mare glaciale posuit, non malè ille quidem, nisi proximos intellexerit:

——Αὐτὰρ ὕπερθεν
Πρὸς βορέην, ἵνα παῖδες ἀριμανέων Αριμασπῶν,
Πόντον μιν καλέουσι πεπηγότά τε κρόνιόν τε,
Αλλοι δ' αὖ ἐς νεκρὸν ἐφήμισαν, ὕνεκ' ἀφαυρὸς
Ἡελίου. βράδιον γὰρ ὑπεὶρ ἅλα τήν δε φαείνει,
Αἰεὶ δὲ σκιερῇσι παχύνεται ἐν νεφέλῃσιν.

Quod reddo:

——Sed parte superna
Ad Boream, proles habitat quam sæui Arimaspi:
Concretum glacie Saturninumque vocarunt
Oceanum: sunt qui nomen de morte dederunt,
Solis ob exiguas vires, quòd luce minuta
Hoc mare collustret, densis se nubibus abdens.

Quòd ad Boream Arimaspos collocet, optimè; sed vereor, ne generatim vocem vsurpans, Aparctian sic vocarit. Verùm parum in hac re momenti est; eò quòd Poëtæ non semper à proximis loca describant. Sunt enim Arimaspi non proximi, sed proximi secundum Issedones, & reuera habitant ad Boream, non ad Aparctiam, siue Septentrionem. Boreas quidem omnem ventum, à frigida plaga spirantem, significat; sed eum propriè, quem Aquilonem vocaui. Illud tamen de nubibus densis, quibus illic Solem semper abscondit, non rectè dixit. Homerus enim Boream Αἰθρηγενέτην appellat, quòd serenitatem inducat, Odysseæ libro quinto:

Συνδ' εὖρος τ' ἔπεσε ζέφυρός τε νοτός τε δυσάης,
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Id est,

Vnà Eurus Zephyrusque ruunt, & turbidus Auster,
Et Boreas fluctus voluens, cælumqae serenans.

Hos verſus Virgilius eo, quo recitaui, modo legit, & imitando correxit. Neque enim Boreas ſerenitatis auctor, huic loco videtur conuenire, quem idcirco Maro omiſit, loco verò Noti Africum poſuit, non minùs intempeſtum:

Unà Eurus Zephyrusque ruunt, creberque procellis
Africus, & denſos voluunt ad litora fluctus.

Minùs abſurdè Homerus dixiſſe videretur, ſi Αἰθριηγενέτην frigoris auctorem interpretemur, quòd αἶθρον frigus matutinum vocetur, vel potiùs frigus vrens, quod nos Aar nominamus. Sic Vlyſſem in rate ſua decima nocte terræ appulſum dicit:

Αἴθρῃ καὶ καμάτῳ δεδμημένον ἦγεν ἐς οἶκον.

Id eſt,

Frigore & ærumnis domitum deduxit in ædes.

Sed hæc ſint Grammaticorum bellaria, inter quos Euſtathius hos verſus ita legit, vt Zephyrum tertio loco ponat, aliter quàm Maro & Gellius; & contra, ſi quid video, Zephyri naturam, cuius flatus grauis eſſe non ſolet, quod δυσάης ſignat. Euſtathius, quò ſe tueatur, δυσάης ab Occidente ſpirantem interpretatur: ſed ego plus vni tribuo Maroni, quàm toti Grammaticorum cohorti, qui δυσάης eleganter vertit *Crebrum procellis*. Sed horum ſatis. Mihi placet Boream a Latino Poëta omiſſum eſſe, quòd ſciret in maximis tempeſtatibus hunc ſerenitatem inducere, quod in diluuio eſt annotatum: & idcirco fortè ab Homero vltimo loco ponitur, vt indicet, poſt procellas hunc ferè ſuperuenire, quò cælum nubilum purget. Quid igitur cauſæ erit, vt Arimaſporum aër perpetuò ſit nubilus & obſcurus, ſi hic ventus, qui ab illis ſpirat, cælum purget, adeò, vt eum cæli ſcopas à quibuſdam ſciam nominari? Deinde cùm frigidiſſimus ſit, non poteſt tantum, quantum ceteri venti, inducere nebularum. An non omnes ad pueros vſque vident, in acerrimo frigore dies eſſe clariſſimos? Sed de tota Septentrionalis oræ temperie, alibi latiùs; vbi nõ Dionyſium modò, ſed alios etiam, naturæ cognitionem profeſſos, inſigniter falli, labiſque monſtrabo. Breuiter ergo & ſummatim antiquiſsimi illi Solonis ætate longè priores, eum, quem nunc nouum orbem vocamus, cognouerunt; altera quidem parte nauigationibus per Oceanum Atlanticum; altera verò per Scythiam & Indiam ei connexam, itinere terreſtri exploratum, quod ad aurum reportandum ſuſcipi conſuetum; alij propter pennas omnem aditum

& vi-

& visum excludentes; alij propter Grypes aurum asseruantes, periculosum esse dictitabant. In Europa igitur omnes hi collocabantur, Scythæ, Issedones, Arimaspi, Grypes, Hyperborei; in quibus nominibus vnicum solum est vernaculum Græcorum, quo vetusti omnes eos significabant, qui vltra Boream ferè ad ipsum vsq; Æquinoctialem habitarent. Dicebantur autem Hyperborei potiùs, quàm Hyperarctij, siue Hyperaparctij, duabus potissimùm de causis; altera, quòd Boreæ vocabulum pro duobus ventis vsurpetur, Septentrionali & Aquilone; quamuis propriè de Aquilone dicatur; altera, quòd iter terrestre ad Hyperboreos, non per Aparctiæ cardinem institui posset, propter mare Saturninum siue congelatum; sed per eam regionem, vnde Boreas propriè dictus, spirat. Quo nomine Scythæ eos olim nominarint, non memini vsquam proditum: non dubito tamen, Græcam vocem Scythicæ alicuius esse interpretationem, quam difficile fuisset Græcis & scribere & pronunciare, propter plures syllabas, & earum asperitatem. Hyperborei enim nobis ad verbum sunt, Ouernort-nortoosteŋ; quæ vox homini alterius linguæ non longa tantùm, sed aspera, & ad pronuntiandum molesta, non malo iure videatur. Causa autem longitudinis & prolixitatis est ex eo, quòd Cimbri ventos triginta duos enumerantes, ab extremis duobus ventis medio nomen componere cogantur. Inuenimus igitur rectam viam ab Istro ad Hyperboreos, & ab illis ad alterum orbem. Alter autem orbis, vt dixi, totum id vocabatur, quod ab Æquinoctiali versus alterum Polum vergebat; in quo, quia maria nesciebant, credebant nihil aliud, quàm perpetuam & continuam esse continentem, quam Asia & Libya simul sumptis Plato maiorem fecit de relatu Saiticorum, qui à maioribus, quæ acceperant, ea fabulis inquinarunt. Nec mirum est vltra Æquinoctiorum circulum nõ ferè ausos fuisse progredi, cùm cursum suum ad stellas circa Polum insigniores gubernarent. Nam Phœnices, quorum antiquissima est apud Græcos nauigandi peritia, Vrsam minorem; Græci post hos maris pererrandi libertate potiti, maiorem obseruarunt. Vtrisque ergo periculosum fuisset, ad Æquinoctialem vsque, nedũ vltra, cursum tenere, & Græcis magis quàm Phœnicibus, quòd altiùs Vrsa maior, & propiore ab orbe nostro interuallo, se sub Horizontem, quàm Vrsa minor, demergat. Cecinit & Ouidius in suis Fastis:

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidonijs, Helicen Graia carina notet.

Idem Cicero ex Arato, ad ornamentum Academicarum quæstionum accersiuit, dicens se Græco more Vrsam maiorem in disputationum directione secuturum, quòd circuitus eius videret laxiores: cuius verba, quia in primis sunt elegantia, & totum hunc locum illustrant, adscribam: Ego verò, inquit, ipse & magnus quidem sum opinator (non enim sum sapiens) & meas cogitationes sic dirigo, non ad illam paruulam Cynosuram,

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

vt ait Aratus; eoque directiùs gubernant, quod eam tenent,

Quæ cursu interiore breui conuertitur orbe;

sed ad Helicen & clarissimos Septentriones, id est, rationes has latiore specie, non ad tenue elimatas. Eò fit, vt errem & vager latiùs. Phœnices igitur & horum coloni, Carthaginenses ad partes quasdam noui orbis attigerunt: sed quòd Helicen illis in locis, si vltrà pergerēt, essent amissuri; consuluerunt saluti potiùs quàm curiositati. Huius auctor mirabilium auditionum meminit, sed sic, vt dicat ad insulam duntaxat desertam appulisse, felicissimam tamen, adeò vt quidam eius dulcedine capti, ibi manerent. Qua etiam causa inter cetera Carthaginenses vetuisse, ne quis illuc ampliùs nauigaret. Hanc equidē opinor vnam ex illis fuisse, quæ sunt in sinu illo, qui est inter Hyperboreos & orbē Atlanticum, immensis spatiis extensus, & plurimis insulis refertus. Credo tamen primos Phœnices antiquissimis temporibus Neconis fortasse, vel alterius cuiuspiam Ægyptiorum Regis iussu, extra columnas Herculis, terras quæsiuisse, & ab illis Atlantici orbis narrationem quandam è veris atque falsis permistam Saïticos retinuisse. Sed dices vltra etiam Æquinoctialem, immò vltra Capricorni circulum longa terrarum spatia Phœnices circumuectos fuisse, tum nimirū cùm Erythræo egressi, per columnas Herculis ad Ægyptum remeauerunt; atque ita falsum esse, quod post Cynosuræ occasum nauigare eos non ausos fuisse scribo. Fateor vltra Æquinoctiorum metas progressos, sed nō per apertum pelagus, verùm circum litora, quorum ductu vel quò volebant, erāt peruenturi, vel redituri quà venissent. Aliud enim est, litus legere, & promontoria, & sinus notare; aliud, in aperto pelago de solis stellis cursum gubernare. Si Cimmeriorum artem tenuissent, idem, quod auorum memoria præstitum est, præstitissent, & amplius forsan, vt fuit illorum veterum indefatigatum studium, in rebus nouis inquirendis: artem dico, quæ Magnetis occultam vim normam fecit claui tenendi; quam ad maiores nostros, vt primos inuentores, referri debere, alibi ostendam, dum de Ventorū nominibus agetur.

ꝛgetur. Poſſem his ex Diodoro non pauca attexere, ſed quia fabulis ſunt inutilibus & abſurdis implicata, breuitatis cauſa ſuperſedebo. Iam igitur, quia Scythiæ gentes eas enumeraui, quas in Europa antiquiſsimi, Herodotus in Scythia Europęa locauit; fit, vt Europa latiſſimè pateat, & meritò dici Europa poſsit; non à femina, quod eſt abſurdum, & ab Herodoto confutatū, hac ratione, quòd Europa Phœniſſa, non in eam regionem, quam ſic vocamus, ſed primùm in Cretam, deinde in Africam commigrarit; verùm à latitudine videndi; quoniā videlicet non Aſiam modò ad Orientē, & Meridiem; Libyam ad Meridiem & Occidentē, ſed oppoſitum etiam orbem vltra Hyperboreos ſitum intueatur. Verùm mihi nemo perſuadebit, Europam Gręcam habere nomenclaturam, cùm priùs à Cimmeriis ſit habitata, quàm à Græcis. Diphthongus nobis eſt, quintā Latinorū vocalem ſecundæ præponens; quam neque Græci neq; Latini receperunt, ſed ſi quando vertere voces vellēt, in quibus ea eſſet, Eu ſuppoſuerūt ordine inuerſo. Ϝερωπ itaque, non Ευρωπ, noſtri dixerunt, quo excellentem præſtantemque hominū multitudinē denotabant; eò quòd Ϝερ monoſyllabū per diphthongū elatum, magnū, excellens, & id quod in quaque re præſtantiſsimum eſt, ſignificet: quod alij Vr, citra diphthongū, vocali tamen longa, ſcribūt. Ex Ϝερωπ ergo Ευρωπ factū, vt ex Terues Tereus, Europam produxit, ſic vocatam, à gentis præſtātia, qua ceteris mortalibus anteferēda eſſet. Ωπ enim hominū multitudinē notare, modò dixi. Quibus verò finibus Arimaſpi ab Hyperboreis diſtinguātur, Damaſtes Gentiū ſcriptor tradidit. Hic enim poſt Iſſedones, Arimaſpos; poſt Arimaſpos, Rhipęos mōtes; poſt hos, Hyperboreos collocauit. Longè igitur terrarū Rhipęi montes quęrēdi ab ea planitie vaſtiſsima, in qua ſomniātur. Neq; enim Tanais, neq; Rha, quos ex eis falsò deriuāt, fontes habēt vltra Arimaſpos. Quo ergo loco cōuenienter vetuſtiſsimorū traditioni erunt ponēdi? Illic certè, vbi ad Aquilonē homines centū octoginta gradibus à Fortunatis inſulis remotiùs abſunt, q̄ illi Scythæ, qui Gręcis proximi habitabāt. Accipiatur igitur circulus Meridianus per Peloponeſum & Walachiam tranſiens in longitudine quinquaginta circiter graduū. Is enim Scytharū illorum, qui Græcis viciniſsimi erant, vertices tranſit. Ab hoc ſupputentur Orientem verſus partes circuli centenæ octagenæ. In hac tum longitudine ad eas partes, quibus Polus circa quadraginta gradus eleuatur, quærendi montes Hyperborei. Hæc enim regio Scythis illis, à quibus Græci Geographiam ſuam didicerunt, ad vnguem eſt vltra Septentrionem ſita, quamuis recto itinere, ſecundum

illum Meridianum, quem dixi, eò peruenìri non posit. Illic igitur sunt Rhipæi montes, sic Græcis nominetenus cogniti, vt ipsi Hyperborei & Arimaspi. Quocirca nomina regionum incognitarum cognitis applicarunt, eo ferè modo, quo milites Alexandri Tanais nomen, quod fando legendoque in Græcia cognouerant, Iaxarto indiderunt, flumini immensis terrarum spaciis à Tanai remoto. Sunt igitur Rhipæi montes, sed longè gentium disiti à fontibus Tanais & Volgæ, qui non sunt vltra, sed multo citra Boream & Septentrionem. Verum item est, hos omnium in hac lata Europa, cuius fines hinc ad Panamanum vsque, hinc ad Boreas Tauri radices extendi, habitantium esse beatissimos. Terminantur autem Rhipæi montes circa terrā Floridam, de qua Hispani Gallos, anno proximè elapso, non citra miserabilem sanguinis effusionem expulerunt. Vidi hîc Antwerpiæ feminam vnà cū prole illinc abreptam: quæ, cùm putaret Christianos eundem, quem sui, carnis humanæ deuorandæ ritum habere, tam solicitè semper prolem suam, quæ quinque vel sex paulo plus minus annorum erat, custodiebat; vt ægerrimè ferret, si quis contingeret; metuens nimirum, ne ad epulandum raperetur. Erat autem stigmatis nigris in facie picta, vti gentis illius mos est, ex qua fuerat rapta. Circa hanc igitur plagam loca aspera sunt intra terram, longo tractu extensa, per quæ ad Hyperboreos illos de felicitate sua celeberrimos Arimaspis erat eundum. Esse verò illic & vlteriùs etiam loca aspera, & equis ferè inuia, licet colligere de iis, quæ Franciscus Vasquez passus est, dum à Culiacan ad regnum Ceuala proficisceretur; in quo itinere multi equi & quamplurimæ pecudes asperitate locorum perierunt, quamuis frequentissimè iter pedibus faciendū esset, nisi in continuo præcipitationis periculo quisquam versari voluisset. Iam ingens frigus, quod in Ceuala deprehendit, demonstrat terram altam esse; & quamuis montes non sint propinqui, intra montes tamen altissimos contineri. Castella vetus Hispaniæ, non aliam ferè de terræ situ frigoris sui habet causam, quàm quòd alta sit, & montibus cincta; quam eandem putamus in Ceuala valere. Ad hæc ergo loca vetustissimorum Rhipæi fuerunt, quamuis ad gradus certos eos definire non possim, rebus adhuc in illa orbis parte tenuiter & circa litora tantùm exploratis. Qua verò causa Rhipæi dicantur, faciliùs dicerem, si naturam montium illorum aliquis docuisset. Verùm quia antiquissimus quisque scribit, Arimaspos aurum hinc tulisse; & Ctesias addat, Indos etiam eadem causa illuc solere proficisci, videntur mihi ab itineris scopo nomen

men accepisse. Cùm enim longum esset iter & sumptuosum, necesse erat locum, quò proficiscebantur, illa tenere, quibus impensarum & diuturnæ equitationis fieret compensatio. Equitatus autem siue turmæ equitum dicuntur Ꝛit; vnde vsitatum vocabulum Ꝛhit-meester, id est, magister equitum. Ꝛhi verbum, idem est quod equito. Ꝑai nihil aliud est, quàm Reddo contentum, vel Satisfacio. Ꝛhipai ergo dicentur montes illi, qui equitandi molestiis satisfaciebant. Nec est verisimile, montibus ad Hyperboreos sitis, de Græco fonte nomẽ manasse. Quòd si vox tã longa & aspera fuisset, quàm ea, qua Scythæ Hyperboreos nominant; non dubiũ, quin illam, perinde atque hanc Hyperboreorum, Scythicam nomenclaturam reiecissent, Græca quapiã substituta. Nec moueat quempiã, Rhiphęos Latinis, nõ Rhipęos, dici. Græci enim vno consensu omnes ῥιπαίους, non ῥιφαίους, dicunt. Stephanus, Ριπαία, inquit, ὄρος ὑπερβορέων· Ρίπη ἀρκαδικὴ πόλις· id est, Rhipaia mons est Hyperboreorum; Rhipe vrbs Arcadica. Aspirationem autẽ addere secundæ syllabæ, commentum fuit Grammaticorum, quò discrimen aliquod inter montes Hyperboreos, & montes Rhipæos Arcadiæ cerneretur; quod Seruius in nonũ Æneidos annotauit. Nos illis in suis scholis, quod volent, permittemus, ea conditione tamen, ne in rerum cognitione nobis obstrepant. Quòd à verbo Græco Rhipæos montes nominari dicunt, id friuolũ est, & in primis vanum. Quasi verò quisquam ei rei nomen sit daturus, quam non nouit, nisi de alterius linguæ hominum narratione. Si quis tamen contendat, Græcis ab impetu ventorum, quam Rhipen vocant, dici, vti video hactenus placuisse, huic ego nolo obstinatiùs refragari; certus interim, Scythas nunquam nomen montibus suis à Græcis emendicasse. Deinde, cùm montes hi sint apud Hyperboreos, quos citra Boream nemo fingere potest, nisi quæ citrà sunt, vltrà esse dicat; perinde atque quisquam alba, nigra, & contrà, pronunciet; non potest fieri, vt ab eo flatu nomen ducant, vltra quem longè sunt remoti. Hyperboreis sanè, si Græcè loquerentur, Rhipæi hac ratione dici potuissent; à ventorum impetu, qui à Septentrione versus Antarcticum spirant. Nos ergo Scytharum vocem esse arbitramur, & ab illorum lingua etymon petendũ, quam Græci suam esse iudicarunt, ex falso situ montium, quos citra Septentrionem somniabant. Nos nisi Hyperboreorum, partim nomenclatura, partim aëris clementia, & terræ summa benignitate conuinceremur, Rhipæos montes in maxima illa peninsula, quæ Norwegiam, Suetiam, Scricfiniam & Laponiam continet, locare possemus: sed qui

con-

conuenit veritati, vltra hos montes in meditullio maris Saturnini, & congelati, beatiſsimos illos totius orbis noſtri mortales frui ſuauiſsimo cæli temperamento? Hæc enim veteris de Hyperboreis hiſtoriæ & nominis conſenſio, cogit nos Europæorum feliciſsimos hos longè vltra Arcton ponere, & inde Rhipæos montes proximos illis, eodem loco inueſtigare. Si plerique ſcriptores vetuſtiſsimorum ſententias ita contuliſſent, nunquam citra Boream Hyperboreos ſomniaſſent. Verùm eò ſunt excuſandi, quòd nec linguam Scythicam intelligerent, nec regionum earum, quæ vltra Septentrionem iacent, notitiam haberent. Non eſt igitur Theopompus in hac ſua narratione inutilis nobis fabulator, nec Silenus craſſarum aurium hominibus audiendus; ſed iis, qui acutas habent, & ſurſum arrectas, ad primam illam Cimmeriorum latitudinem intelligendam. Mihi profectò non paulo magis eius fabula arriſit, quàm illud Pindaricum melos, quo Hyperboreos ad fontes Iſtri videtur quæſiuiſſe, dum Herculem ab vmbroſis eius fontibus Oleaſtrum in Olympia tuliſſe canit, perſuaſo Hyperboreorum populo, Apollinis miniſtro vt id permitteret: vbi Scholiaſtes nimis ſupinè fontes Iſtri vmbroſos ea de cauſa dicit, quòd Olearum denſis ſiluis lumen excludatur, cùm ad Iſtri fontes nullæ vnquam Oleæ excreuerint, frigore id prohibente. Et ſi illic non creſcant hac de cauſa; quî, rogo, ſub ipſo Septentrionis cardine naſcentur? Sed quia Abaris Hyperboreus fuit, & totum orbem diſcendi cauſa circumiuit, ſi, quæ de illo feruntur, audiamus, non parum illuſtrabitur Cimmeriorum hæc extrema ſedes. Herodotus ſagittam circumtuliſſe dicit, & citra cibum totum orbem ambiiſſe, præterea, quod ſciam, nihil addens. Pauſanias prodidit quibuſdam placere, Abarim templum quoddam Soſpitæ Proſerpinæ in Peloponeſo condidiſſe: quod ſi ita eſt, neceſſe eſt fateri prædiuitem fuiſſe. Sunt qui tradant, peſtilentia per totum orbem graſſante, oraculum redditum fuiſſe, Athenienſes debere pro omnibus orare. Veniſſe igitur & aliarum gentium legatos, & ab Hyperboreis Abarim ad Athenienſes inducendos, quò communi omnium nomine numen precibus ſuis placarent. Id accidiſſe circa tertiam Olympiadem, vt eſt in Suidæ collectaneis, quo loco Hyperboreos Scythas vocat, & Abarim Scytham. Addunt hunc oracula conſcripſiſſe ea, quæ Scythica vocantur, & incantamenta, & Theogoniam, & nuptias Hebri fluminis; tum & Apollinis ad Hyperboreos aduentum. Huic Apollo ſagittam dedit, qua è Græcia reuectus ſit vſque ad Hyperboreos. Iamblichus in libro primo eorum, quos de Pythagoræ vita.

vita scripsit, ait Apollinis Hyperborei sacerdotem fuisse, & ad Pythagoram venisse discendi gratia. Fuisse autem edoctum citra silentium & ceteros scholæ Pythagoricę ritus, quò citiùs voti compos fieret. Cùm verò animaduerteret Pythagoram Apollini, cuius sacerdos erat, similem esse; dedisse ei sagittam, quam ab Apollinis templo portauerat, quæ vtilis futura esset ad difficillima quæque superanda. Hac enim inuectus inuia omnia transiuit, vt flumina, lacus, paludes, montes; & adiectis incantationibus pestem abigebat, & ventos domabat; adeò, vt quæ ciuitates petiuissent, iis in hac parte suppetias tulisse dicatur. Lacedæmoniorum igitur insalubrem & difficilem ad tolerandum aërem, ob Taygeti cacumen impendens, dicitur sic expiasse, vt pòst nunquam peste fuerit infectus. Idem Cnosi in Creta præstitisse fertur. Huic igitur Pythagoras Arithmomantiam, siue vaticinationem ex numeris tradidit, quam omni aruspicina certiorem purioremque arbitrabatur. Hæc de Abari Iamblichus; quibus & illud de aureo Pythagoræ femore adiecit, quod ostendit Abaridi; quò fidem faceret, se non similem modò, sed eundem cum Apolline esse, atque sub humana persona latêre voluisse, quo homines doceret, atque prauos mores castigaret; sic tamen, ne diuinitatis splendore attonitos redderet mortales. Quò verò, quæ diceret, magis crederentur, omnia sigillatim enumerasse, quæ in fano Apollinis Hyperborei continerentur. Quo verò tempore vel Abaris fuerit, vel Pythagoras, video non liquêre. Nam ex Suida modò docui, tertiæ Olympiadi aduentum Abaridis in Græciam adscribi. Eusebius ad Olympiadem quinquagesimam tertiam in Græciam venisse prodit. Pindarus tempore Crœsi Lydorum Regis: alij circa vicesimam primam Olympiadem, Harpocratione teste. Hippostratus Suidæ videtur præiuisse, tertia eum Olympiade ad Græcos venisse, dicens. Sed nihil nostra refert, qua ætate vixerit: satis est ostendisse, calidum illud discendi studium ad Pythagoræ vsque ætatem apud Cimmeriorum posteros viguisse; cùm Græci fateantur, Hyperboreos Scythas fuisse, & ab illis Abarim ad Pythagoram audiendum per immensa terrarum spatia venisse. Quæ de Pythagora scribuntur, sic in dubiis pono, vt verear Græcos ad gloriam Pythagoræ potiùs, quàm ad veritatem respexisse, dum Abarim eius discipulum faciunt. Incantamenta certè, & Theogoniam, & illa quæ Scythica vocantur oracula, minimè potest dici à Pythagora accepisse; nec est omnino quisquam, vt plurimum faueat honori Græcorum, qui dicat eum hæc à silentij magistro didicisse.

Credo equidem, maiores illos Cimmeriorum, non discendi modò, sed docendi etiam amore flagrasse: & ita hunc quoque Abarin, non vt disceret tantùm, sed quò doceret etiam sua, orbem peragrasse. Hoc primus post Cataclysmum fecit Noachus, deinde Ianus; qui ab eundo peregrinandoque nomen accepit: pòst Gomerus, & ceteri, qui deinceps sequuti sunt, Gentium parres. Hoc modo Poëtæ fabulantur, Triptolemum dona Cereris circumtulisse, & vbique terrarum docuisse, quî sementis esset facienda. In religione nostra scimus Apostolos totum per orbem perpetuum quasi discursum habuisse, non quò discerent, sed quò docerent. Simili quodam modo Abarin opinor, per varias nationes circumiuisse, quò sapientiam suam aliis communicaret. Insitũ enim hoc est, & penitus veræ solidæque sapientiæ innatum, perpetuo turgere ad propaginem suiipsius prunitu. Quanto enim res quæque præstantior est, tanto magis auet se dilatare. Quando enim omnia ad bonum, vt ad finem vltimum, feruntur; omnia quoque quàm simillima se bono ipsi reddere conantur, & in bonis ea laudem primam ferunt, quæ quàm plurimis bonitatis suæ diuitias communicant & impertiuntur. Quemadmodum itaque omnibus animantibus generandi summa cupiditas inest, ita sapientibus quoque accidit, vt semper sint ad scientiam aliis ingenerandam maximè procliues. Hinc orta est terminorum Ithyphallorum repræsentatio, membro arrecto hunc generationis amorem indicante. Hinc Satyris sicut aures ad discendum sunt acutæ, ita fascina dantur perpetua tentigine turgentia; quibus indicatur, tam promptos eos ad docendum esse, quàm fuerunt attenti ad discendum. Sit igitur & Abaris in horum numero, qui pari diligentia & didicerit, & quæ didicerat, aliis fuerit impartitus. Si ergo Abaris Theogoniam & vaticinia cecinerit, quæ in Græcia non acceperat, sed secum è patria attulerat; existimandum est, Cimmerios has disciplinas habuisse multo priùs quàm ipsos Græcos. Nec hoc ex Abari tantùm conuinci potest, sed ex Orpheo etiam Thracio, de quo in Francicis, & alibi latiùs loquemur. Quid verò sagitta sibi velit, cuius ope miracula tanta ediderit, non est fortasse facile ad explicandum. Scio equidem Magos virgula diuina multa peragere solere, & ferè nihil vel à Pallade, vel à Circe, vel à Mercurio citra virgam peractum fuisse, in iis, quæ humanam naturam egrediuntur. Abaris ergo sagitta, dici potest virgula quædam diuina, ad sagittæ formam facta. Sagitta enim maximè Scythæ conueniebat, & citra suspicionem incantationis poterat circumferri.

Nostri

Noſtri Pſeudomagi, vel potiùs incantatorum ſimij, virga colurna vtuntur, quam plurimis cęremoniis in menſa puro lino tecta, nominibus & exorciſmis quibuſdam ſolent conſecrare. Eiuſdem generis illa eſſe videtur, quam metallorum inquiſitores conſulere conſueuerunt. Moſis virgam taceo, quam admirandis ſuis operibus Dei iuſſu adhibebat. Sed an hoc modo de Abaris ſagitta ſit ſentiendum, an aliter, liberum ſit cuiuis iudicare. Si conſiſtamus intra ordinarios naturæ terminos, ſagittam licebit intelligere Solis radium, quem Abaris ab Apolline ſuſceperit, cuius vi ſumma quæuis & intelligebat facilè, & promptè perficiebat. Hoc maria, flumina, montes, & aliis inuia tranſibat, hoc aërem corrigebat, hoc omnia illa præſtabat, quæ ſtupenda in eo videbantur. Vis enim illa mentis noſtræ diuinior ad Apollinem refertur, qui eam nobis tanquam ſagittam immittere dicitur; partim propter radiorum cum ſagitta ſimilitudinẽ, partim ob facultatis huius celeritatem, qua omnes ſagittæ ſuperantur. Quòd ſi ita Phyſicôs interpretemur, nihil aliud ſagitta Phœbi ſignificabit, quàm diuinum quoddam ingenij acumen, quo Abaris ceteris præcellebat. Nec verò ingenij ſolùm aciem deſignabit, ſed omnes illas diſciplinas, quas huius beneficio percipimus. Dicitur igitur Pythagoræ ſagittam ſuam Abaris dediſſe, quia nimirum plurima ei ſapientiæ arcana myſteria tradidiſſet. Verum igitur eſt, & ſagittam ipſum donaſſe, & cum ſagitta ſua patriam repetiuiſſe; eò quòd eiuſmodi dona nihil auferant donanti. Hæc igitur de Abari Hyperboreo à priſcis decantata, clarum faciunt, Cimmeriis ſummam olim totius Philoſophiæ, quæ fabulis doctis tegebatur, cognitionem fuiſſe. & vtinam ad manus meas oracula eius Scythica perueniſſent; non dubito, quin ex iis plurimum arcanorum hauſiſſem. Fuerunt igitur, vt ad propoſitum reuertamur, Hyperborei quoque à Cimmeriis procreati; & quamuis vltra Boream habitarent, Europæ à vetuſtiſsimis attributi. Ab his igitur valde olim ſacra Apollinis Hyperborei ad Delum in ſtipula triticea per manus gentium variarum ſunt allata. Quo ſanè commento, ſiue potiùs ſymbolo dici credo, omnia Poëtarum figmenta, omnemque priſcam Apollinis ſupellectilẽ ex Hyperboreis ſiue vltimis Cimmeriorũ veniſſe. Adferebantur autem in ſtipula triticea; qua notari arbitror, fabulas eſſe ſtipulam, cuius monitu triticum intelligatur quidem, ſed in ea non apertè cernatur. Quis enim ex ſtipula non cogitet de tritico, quamuis triticum non videat? Sic in fabulis nõ cernitur prima facie, quod animum nutriat, ſed ſtipula & palea duntaxat, & ſi quid leuius iſtis.

Dum verò stipulæ euoluuntur, sacra intus, & triticum inuenitur, quo corpus validissimè nutritur. Eodẽ modo fabulæ explicatæ, maximam ostendunt sapientiam, solidũ nimirum pabulum animorum. Has igitur stipulas, quibus sacra continebantur, fabulas vocauerunt, quas à Cimmeriis se accepisse hoc symbolo cæremoniarum fatebantur. Eiusdem significationis est, Herculem Oleastrum ab Hyperboreis Græciæ importasse: quod alibi in Oleastro Trœzeniorum explicandum. Sed obiectum iri video, Abaridis nomen minimè Cimbricum videri; & inde colligi posse, Hyperboreos Cimbrico sermone vsos non fuisse. Optarem equidem, voces priscas incorruptas ad nos venisse; sed quando id frustra optamus, hanc Abaridis nomenclaturam, qualis qualis est, ad veram originem deducere nitamur. In Amazonicis docui, A articulum aliquando esse Flandris & Britannis pro E vsurpatum. Hunc autem aliter ferè, quàm Græci, ad orationem vocamus, cùm illi subiecto, nos prædicato eum præponamus: quod apud homines sermonis nostri peritos frustrà docerem, cùm nulla ferè oratio proferatur, in qua non liceat id videre. Sit igitur & in hac voce articulus; quod si admittimus, necessariò consequitur, nomen hoc minimè proprium viri cuiuspiam esse, sed commune multorum, siue, vt Grammatici loquuntur, appellatiuum. Bar quid signet, in Gigantomachia docui, dum Brabantiæ nomen interpretaret: quod hîc repetens, Bar duo significare dico: quorum alterum est Purum, cui nihil alterius rei est admixtum, qua notione in nominum classe recensetur; alterũ idem est quod Ostendo, & in lucem profero, & præterea Pario. Hinc fit, vt non vnam videantur rationem secuti, qui Abaridis nomen finxerunt. Syllaba autem vltima duplex w abiecit, eò quòd Græci eius litteræ tum sono, tum figura carerent. Esset ergo integritati suæ vox hæc restituta, si Abarwis diceretur, Wis sapientem significante. Quocirca Abaris is dicetur, qui puram sinceramque sapientiam habet, & nihil stultitiæ vanitatísue admixtum, & eam aliis monstrat, & è cerebro suo, velut ex vtero, parit. Vide, obsecro, quàm bene hæc vox in eum quadret, qui solidæ puræque sapientiæ se doctorem præbet, è cuius cerebro sapientia in lucem venit, non aliter, atque è Iouis capite Pallas est nata. Hoc est semen, quod ex vtero suo Abraham generauit, si Philonis allegoriæ fidem habeamus. Quiuis igitur sapientiæ magister hoc nomine vocabitur, si sinceram quidem sapientiam & habeat, & aliis tradat. Crediderim igitur multos Abaridas ex Hyperboreis & Cimmeriis venisse; atque inde factum, vt non

vnum

vnum tempus aliquid, quo Abaris venerit, sit assignatum. Quinis enim, qui ex ea regione ad docendam veritatem venit, Abaris vocabatur; non proprio & suo illo quidem nomine, sed omnibus communi, qui se sapientiæ præceptores profiterentur. Non mirum igitur, si Abaris Scythica edidit oracula, id est, veram Scythismi religionem, quæ de venturo humani generis redemptore plurima vaticinia contineret; de quibus, si Deus vitam det ac ocium, plura in Cumana Sibylla enucleabo. Nec mirum, pestilentis aëris remedium ab eiusmodi viro profectum esse, cùm in sincera sapientia totius medicinæ amplitudo contineatur. Tales item viri sagitta sua vniuersum orbem ambiunt, idque tanta celeritate, vt interim nullum corporis alimentum capiant. Quid enim celerius mente, Apollinis radiis illustrata, quæ ex imo inferorum barathro per terram, per mare, per aërem, per ignem, per cælorum orbes omnes, per omnes Angelorum choros, ad ipsum vnum omnium principium momento temporis, & dicto citius veluti sagitta euolat, vehementi Apollinis optimi perfectissimique sagittarij impulsu delata? Nec interim corporis alimenta submini strantur, eò quòd homo tum, cùm ita rapitur, à corporis mole sit separatus. Plures ergo fuêre in Scythia Abarides, tot nimirum, quot sinceræ puræque sapientiæ Doctores; quemadmodum in Ægypto quoque plurimi fuêre Thot; & in Thracia plurimi Orphei; & in Phrygia plurimi Midæ; & in Gallia plurimi Druides. Quicquid enim in Ægypto librorum edebatur, quibus sacrorum interpretatio contineretur, id Thot, siue Mercurius Trismegistus, composuisse dicebatur; nisi Iamblicho, Ægyptij cuiusdam Mercurij discipulo, de Mercurio scribenti, fides sit abroganda. Quamobrem, si de libris diuersis ætatibus editis, diuersos Mercurios colligamus, quàm plurimos inueniemus; nec constabit magis, quo tempore Mercurius, quàm qua ætate Abaris vixerit. Verùm cùm apud Getas Athanatizontas Thraciæ populum sapientiæ etiam fuerint præceptores; quid sibi vult ex Hyperboreis vsque sapientiæ magistros aduocari, quasi illic, non alibi, vera sapientia inueniretur? Video me ad altissimum sapientiæ apicem accersiri, dum hæc proponitur quæstio disputanda: quæ, quia historiæ antiquitatisque limites longè lateque excedit, eò esset reiicienda, vbi Apollinis numen de Cimbrica tum lingua, tum disciplina considerabo. Hîc tamen obiter, quantum Satyris sufficiat, indicetur. Sunt Hyperborei populi vltra Boream siti; sunt & Hyperborei alij symbolicôs intelligendi. Boreum mundi cardinem, Draco oc-

cupauit; atque inde à Septentrione omne malum venire dicitur. Deinde hic Polus infimum omnium locum tenet, in cælorum vniuerſitate, & brutalem hominis vitam per Vrſas ſuas ſignat. Ei igitur, qui veram puramque ſapientiam velit, nullo carnalium oblectationum melle inquinatã, cuius Vrſi ſunt auidiſsimi; neceſſe eſt, vt vltra Boream ad partem cæli ſuperiorem contendat; quò deſertis corporis oblectamentis, & maximi Draconis veneno, quo totum Septentrionis tractum infecit, euitato, ſola ſuperiora ſapiat, & in iis tamdiu adſcendat, dum diuina gratia ad Polum Antarcticum adſpiret, in quo crucis ſymbolum, ſtellarum decuſsi notatum, veram ſalutem commonſtrat: quæ quia haberi non poteſt, niſi pane viuo quis veſcatur, quam ſpica, granis viuis plena, ſignificat; bene factum eſt à rituum, ſymbolorum, oraculorumque magiſtris, quòd ſacra ſua ſtipulæ triticeæ inuoluerint, atque eam dixerint, ab Hyperboreis, vnà cum ſacris, petendam. Hæc ſatis ſit indicaſſe: quæ, ſi bene examinentur, & penitus excutiantur, facili via & ratione cauſam aperient, ob quam Hercules Oleaſtrum victoriæ coronam ex Hyperboreis ad Græcos attuliſſe dicatur; quare item Apollo à patre ſuo Ioue ad Hyperboreos ſit ablegatus, vbi crucem erat inuenturus; quò non eſt profectus citra lacrymas, quas pro filio, id eſt, pro quouis homine, irati Iouis fulmine icto, effudit, precioſiſsimas illas ſanè, & omni electro præferendas. Sed hæc copioſiùs in Cimbricæ religionis numinibus explicabo. Veni nunc ad vltimos Cimmeriorum terminos, ad ipſos, inquam, Hyperboreos, atque id quidẽ Apollinis ductu, cuius ſagitta è ſtipula triticum mihi excuſsit, è quo panis ille fit, cuius paſtu animus noſter roboratur, ad totius creationis mundi, & totius in eo ordinis & perfectionis æternæ numeros percipiendos. Hæc alimenta & ſincera ſolidaque animorum pabula, ſi Becceſelana vocemus, nihil aliud dicemus, quàm panes, quibus pueri nutriuntur, ad enumerandam æternam rerum conſonantiam, qua animus noſter, velut manu quadam Mercuriali, ad ipſum omnium creatorem ducitur; in cuius contemplatione perfecta, beatitudo perfecta, & omnibus numeris abſoluta, continetur. Non malè itaque hæc vetuſtiſsima priſcæ hiſtoriæ monumenta, quorum ope ad hanc intelligentiam ſumus euecti, Becceſelana nominamus; non hiſtrionico illa quidem more ad irriſionem accepta, ſed ex veris primæ linguæ originibus ad veram ſignificationem applicata. Tempus igitur nunc eſt, vt vela colligamus; ſubmittamusque antennas; quod vt fiat, Antwerpiam, vnde egreſsi ſumus, reuertamur, vt in eodem portu, è quo ſoluimus,

mus, ſuper ancoris quieſcamus. Quia verò Apollinis ductu & auſpiciis ex Eridano & è Venedis ad Hyperboreos venimus, idem iter in remeando teneamus. Docui Atuaticos Cimbrorum Teuthonumque prolem fuiſſe; atque hinc Cimbrorum nobiliſsimas aliquot colonias deſcripſi, vt tandem partiendo ad eos venirem, qui Atuaticum condiderunt. Vt ergo omnes ij, quos commemoraui, Cimmerij generis ſunt, quamuis aliis nominibus vocarentur; ita ad Comeri memoriam in poſteritate perpetuò conſeruandam, quædam pars, & ea quidem potiſsima, & maxima, & omnium celeberrima Cimmeriorum retinuit nomenclaturam. Ea cùm ad Pontum habitaret, Boſphorum Cimmerium, & Cherroneſum Cimbricam, & Cimmerium promontorium, de ſuo nomine nuncupauit. Horum illuſtriſsimæ res geſtæ partim in Amazonicis ſunt explicatæ, partim in Francicis, quæ in manibus habemus, exponentur. Nunc non aliud commonſtrandum, quàm Cimmerios coloniarum ductores perpetuò fuiſſe; ac ita factum eſſe, vt dum in Europam ex Aſia commigraſſent, illi Cimmeriis proximi ſemper adhærerent, qui inter colonos eſſent nobiliſsimi. E litoribus igitur Ponti, & à Mæotide progreſsi, ad Eridanum Venedorum tandem peruenere; ac inde rectum ſecundum mare iter tenuerunt, dum Oceano detinerentur. Hic alteram Cimbricam Cherroneſum de nomine ſuo vocarunt; quam quia Ptolemæus optimè inter veteres depinxit, eius ordinem ſequemur. Strabo enim fatetur, vltra Albim ſua ætate nihil cognitum fuiſſe, & quamuis priſci illi, Strabone longè antiquiores, Cimbros hîc agnouerint, quia tamen interiora terrarum non deſcripſerunt, Ptolemæo potiſſimùm credemus.

Hic igitur Cimbris proximos Saxonas collocauit, antiquiſſimam videlicet nobiliſſimamque Cimmeriorum coloniam: Teuthonarios verò & Teuthones his finitimos; poſt quos in eodem litore Sueuos collocauit. Teuthones tamen, quamuis longiùs remoti videantur, per inſulas tamen & ipſi & Teuthonarij ditione ſua per mare Cimbros proximè contingebant; cùm veriſimile ſit Rugiam, Hollandiam, Zelandiam, & alias item eius freti inſulas, à Cimbris & Teuthonis fuiſſe habitatas. Maior enim Teuthonum, quàm Saxonum, cum Cimbris intercedebat neceſſitudo, vt expeditiones ſimul antiquitus ſuſceptæ declarant. Nam Teuthones, vti antè docui, ſic dicti ſunt, quòd ab Aſcanio maximo Comeri filio deſcendiſſent, quaſi Thoutſey, id eſt, maximi natu, dicerentur, voce hactenus ab omnibus Germanis vſurpata, à qua Latini Teuthones vel Thuiſcones cor-

ruptè dixerunt, quamuis posterius hoc propiùs accedat ad Thoutſ-ſoney, id est, filios maximos natu, quo syncoptôs Thoutsey vocamus, quemadmodũ pro Sacſſoney, vel Saxſoney, Sacſſey vel Saxſey, efferimus, breuitate studiosè semper quæsita. Cimbri itaq; nec lingua, nec genere à Teuthonibus differebant; sed sola parentũ memoria in nominibus expressa, cũ Cimmeriorũ monitu Cimmeri semper in mentẽ veniret; Theutonũ verò nomenclatura primogeniũ ius nunquã sineret in obliuionẽ abire, cuius mentionẽ eò libentiùs audiebant, quòd non solus Ascanius maximus natu patri suo fuisset, sed quòd Cimmer etiam Ascanij pater primas genituræ inter Iani liberos tulisset, atq; ita primogenij & iuris & nominis duplex ratio exstaret. Quamobrem arctis vinculis Cimbrorũ & Teuthonũ amicitia erat sancita, cui proxima Saxsonum accedebat, vtpotè qui primas inter omnes colonos tenerent. Cimbri itaque paulatim, cùm alias in longinquas insulas colonias ex hac Cherroneso emitterent, tum ipsi secundum Oceani litus ad Rheni ostia terminos promouebant, in medio itinere coloniis etiam relictis, quarum aliæ alia nomina sortiebantur; vt in Francicis fortasse paulo latiùs explicabo. Fuit autem hæc ad Rheni vsque & Scaldis ostia valde olim facta limitum promotio, cùm ea quæ Ephorus & Clitarchus de Cimbrorum inundationibus produnt, nullo modo Cherroneso Cimbricæ conuenire possint; vbi omnia litora aduersus mare natura satis superque communiuit, nisi quis exiguum illum Dietmarsiæ angulum eo honore dignetur, vt omnem Cimmeriorum latitudinem dicatur tum temporis fuisse complexus; quod absurdius est, quàm vt à me sit refellendum. Non igitur vna continuata expeditione à Cimbrica Cherroneso Cimbri Teuthonesque ad Phrisiam, & Hollandiam, & Zelandiam, & Campestrem Brabantiam venerunt, vt inde in Galliam transirent, sed paulatim, perinde atque paulatim vicina sibi loca occupabant. Constiterunt autem non exiguo tempore in his regionibus, quas Ephorus & Clitarchus & alij, diluuiis frequentibus obnoxias esse, prodiderunt; sed tanto, vt eorum habitationis & periculorum fama ad Græcos etiam peruenirent. Sed quia in Niloscopio satis multa de inundationibus & bellis perpetuò cum mari citra inducias & fœdera gerendis, dixi; hîc non aliud addam, quàm ex illis certò constare, & cuiuis liquêre, totum hunc tractum, quem ij renent, qui aggeribus se contra mare munire coguntur, Cimbrorum fuisse illorum, quorum diluuia apud Græcos celebrantur, cùm nusquam alibi locorũ, quę Cimbri olim tenuerunt, hæc potuerint;

rint euenire. Malè itaque Strabo Cherroneſi Cimbris ea applicuit, quæ de inundationibus, & ob eas relicta patria vetuſtiores prodiderant, quandoquidem in illa tales tantæque maris irruptiones accidere non poſſent, vt ob eas patriæ ſedes cuiquam eſſent deſerendæ. Quæ igitur loca Phriſij, Hollandi, Campeſtres, Brabanti, & Zelandi, & Flandrorum pars habitant, ea quondam Cimbrorum fuerunt; è quibus aucta iam multitudine, vt anguſtiores ſedes, quàm ea ferret, habere viderentur, in Galliam cum Teuthonis irruperunt, in primo Thungrorum limine, è quo per ſiluas iter ad Galliæ interiora tenendum erat, Atuatico ea, quam principio dixi, ratione conſtituto. Cùm itaque iam portum teneam, è quo ad Cimmeriorum prima exordia longis ſpatiis perueni, atque inde per colonias non breuioribus deſcendi, tempus eſt, vt hoc diſcurſus orbe, per principij & finis connexionem, abſoluto tandem, nonnihil quieſcam, ſuadente id non tam mea defatigatione, quàm cùm propoſiti mei termino, tum numero librorum nouenario; qui cùm Megey Cimbricè dicatur, ipſa nominis ſui compoſitione docet, hucuſque ab vnitatis principio euagatum, ad ipſum vnitatis principium reuerti oportere, reciproco lectionis ordine id clariſſimis veſtigiis indicante: nec id citra ſummam rationem; propterea quòd vltra perfectiſsimum ternarij numerum ter, id eſt, perfectiſsimè in ſe ductum, non videatur progrediendum. Concluſi igitur totum hunc meum laborem tribus clariſſimis ciuitatibus, Venetiis, Gedano, Venedico, & Atuatico, quibus ſingulis tria ſumma bonorum genera perfectiſsimè hactenus à multis annis affulſerunt; quorum primum & ſupremum eſt, vltraque vires humanas poſitum, quòd, Dei gratia, Chriſtianam religionem colant, iam non ſtipula, quæ ſymbolum duntaxat eſt, & inuolucrum veritatis; ſed ipſo pane viuo ab Hyperboreis accepto. Alterum eſt, quòd Rempub. habeant ingeniis, eruditione, bonis inſtitutis & legibus optimè pulcerrimeque ornatam. Tertium externum eſt, non à fortuna illud quidem, vt imperiti ac impij & loquuntur & arbitrantur, profectum; ſed à ſingulari numinis ſupremi fauore & benignitate pendens, qua tantum diuitiarum ſingulæ poſſident, vt in Chriſtianorum orbe facilè primas teneant, ſiue copioſiſſimam commutationis rerum & mercatus varietatem, ſiue ciuium facultates, ſiue ædificiorum magnificentiam ſpectemus.

Ternis igitur tribus clariſsimarũ vrbium dotibus hoc opus meum coro-

coronandum putaui; in quibus, cùm totius orbis venuſtas conſiſtat, non incommodè cecidit, quòd rectus totius ſcriptionis meæ ordo, Venetica vltimo ſibi loco poſtularit; quorum nomen ab eodem fonte, è quo Venus, vt alibi dicam, deriuatum, commonefacit, ſic omnibus in rebus eſſe verſandum, vt ex iis aptè conuenienterque rectæ officiorum rationi compoſitis, pulcritudo quædam & venuſtas efflorescat.

FINIS LIBRI NONI.

INSIGNIVM CVM
RERVM, TVM NOMINVM
INDEX

INSIGNIVM CVM
RERVM, TVM NOMINVM
INDEX.

A

Abaris 349. & 1048
Abaris quando in Græciam venerit 1049. quare ſit peregrinatus 1050. etymon nominis 1052
Abaris cur fingatur totum orbem ſagitta ſua circumuectus citra cibũ corporis 1053
Abba 741
Abbatis nomen quantæ dignitatis 47
Abel in prima lingua quis vocandus 541
Abij Scythæ 1031
Ablauij de Herulorum nomine error 791
Aborigines 2
Abrachalu 425
Abrahami vterus 519
Aceſines 484 medius inter Indum & Gangem 485
Achilles Pentheſileæ mortuæ amore captus 917
Therſitem occidit ibid.
Achilles hiſpido pectore 956
Acichorius 625
Acmonium nemus 887
Aconi pilei 402
Ακρινώριτον 68
Aconitum 814 è tabo viperarum natum ibid.
Acromus lacus triſyllabicôs vocandus 946 nominis ratio ibidem
Actania Plinij quæ 712
Actio voluptatem non impedit, ſed creat 497
Adam qua terræ parte creatus 482
Adam quid in prima lingua ſignet 539
Adam quomodo eiectus è paradiſo 506
Adipſos 869
Admetus 1010. 1011
Admirabiles auditiones non eſſe Ariſtotelis
Adonidis lacrimoſa feſta 997 vnde originem habeant ibidem
Adonidis pater 853
Adriani ſtudium 600
Aeetes 936
Aegiale 989
Aegle ibidem
Aegypti nominis ratio 290
Aegyptij epulis indulgent Nilo exundante 259
Aegyptij hominum antiquiſſimi Ariſtoteli 235
Aegyptij Sacerdotes quid de Nilo ſentiant ibidem
Aegyptiorum Chronologia 432
Aegyptiorum de antiquitate opinio 435
Aegyptius amnis Nili nomine notatur 290
Aegyptus Nilo inuecta 234.235
Aegyptus vnde vocata 351
Αεγ Θiic 30
Aenaria 164
Aeneas an Troiam prodiderit 960
Aeorpata quid ſignificet 842
Aerarium Romanum vbi & quare 399
Aeſchyli caluitium & mors 405
Aeſculapius 1010
Aeſculapius fulmine ictus 995
Aeſtas ſecundum Heſiodum 413
Aeſtatis principium 427
Aeſtuaria 32
Aeſtyes 711 iidem cum Auſtris 712 apud hos ſolos electrum legi ibid. Taciti in his error. ibidem
Aetas hominis à tẽpore Dauid nihil immutata 210
Aetatis longæ ante diluuiũ & paulo poſt cauſa 208
Aetatis mundi vera computatio 427
Aetatum mundi enumeratio 436
Aeternitatis mundi abſurditas 3
Aether pater 261
Aethiopum ſemen 248
Agatharchidis opinio de Nili incremento 265
Agathias correctus 612
Agathij in Burgundionibus error 775
Agathyrſus Herculis filius 824
A. Gellius contra Tironem 274
Agnus contra Draconem quibus vſus remediis 537. 538
Agriculturæ laus 93.95
Agriculturæ ſuauitas & neceſsitas 888
Aiacis corpus 224
Alanæ inſulæ 758
Alani qui & vnde dicti 705
Alani in Hiſpania 784
Alani Mediam vaſtant 600
Alani montes nulli ſunt 717
Alani vbi habitarint, & quo deinde progreſsi 758
Alanorſi qui & vnde dicti 706
Alanorum latitudo 788 mercenaria militia ibid.
Alanos non eſſe Albanos 707
Alaricus Gotorum Rex 709
Alaricus quare Romam & Italiam occuparit 784 ſepultus ſub amne Barentio ibid. Gallia & Hiſpania ei data ibid.
Alba 636
Albani diuerſis locis ibidem
Albani qui & vnde dicti 707

Albanus lacus exundat 267
Albion 636
Albis 943
Albucus 871
Alcedonij dies 411
Aldenardum siue Aldenarum 58
Alθemans 149
Alector quis & vnde dictus 998
Alectryon vnde vocetur ibidem
Alectryon Martis satelles 703 *in gallinaceum mutatus* ibidem
Alectryomantia 704 *qualis* ibidem
Alexandri classis in India 515
Alexicacos 155
Alexandri contra Triballos expeditio 729 *Istri transitus* 729
Alexandri exercitus bacchatio 518
Alibe 934 *argenti diues* ibidem
Alimus quid & vnde dicatur 866
Allegoriarum Philo nimis studiosus 494
Allemana vrbs 16
Allemanni Germanicam linguam non intelligunt 17
Almanus vnde dictus 15
Aloïde 160.161
Alombergum 76
Alpeis vnde dicti 635
Alpium & altissimorum montium vtilitas 529
Alte-na 30
Althameri in Liuio error 17
Amah Amahot 167
Amaliticum mare vbi, & vnde dictum 688
Amanus 607
Amastris 933
Amastris Dionysii vxor 936
Amastrianorum numus 939
Amazones Gargarensibus misceri 815
Amazones per Bosphorum Cimmerium in Græciam transeunt 818
Amazones ad Lacedæmonios venisse 861
Amazones noui orbis 891
Amazones cur sinistram mamillam nudam habuerint 890 *cur dextram dicantur habuisse præcisam* 891
Amazones non esse Gotorum vxores contra Orosium 685
Amazones & Cimmerij vna militarunt 814
Amazones ad Sangarum castra metantur ibidem
Amazones in Libyæ 816
Amazones Sauromatarum vxores semper fuerunt 823
Amazones primæ equos conscenderunt 883
Amazones rei equestris primi inuentores 883 *Neptunides* 884
Amazones in Magna Græcia 884 *in Africa.* ibid. *in Atlantico orbe* 885
Amazones Martis & Harmoniæ filiæ 886
Amazones Syriæ 930
Amazones δίιπποι quare 931
Amazonia sacra 856
Amazonia sacra Theseis priora 856
Amazonibus quis belli finis 886
Amazonium 855
Amazonius Apollo 862
Amazonum vestitus 819 *mariti* 820 *à Græcis captæ* ibid. *Græcos occidunt in nauibus* ibid. *Scytharum regionem populantur* ibid. *connubia cum Sauromatis* 821.822. *habitatio* ibid. *lex in nubendo* ibidem
Amazonum nominis ratio 840
Amazonum mariti an claudi fuerint 892
Ambactus quid signet 35 *error in eo multorum* 35.36
Ambiani qui & vnde dicti 57
Ambiorix 18
Ambiorix vbi Atuaticos allocutus 55
Ambiorix Antvverpiæ seruatus 82
Ambiorigis etymon 27
Ambiuariti etymon 38
Ambiuariti 18.19
Ambiuariti qui & vnde dicti 34
Ambiuaritorum regio 39
Ambulatio militaris 81
Amicitia Scytharum quo nomine dicta, & quo loco habita 836
Amisius 943
Amman 35
Amo Hispanica vox vnde 38
Amoræus Rex Derbicum 677
Amorges Sacarum Rex 678
Amor diuinus ignis nomine significatus 908
ἀναχύσεις 32
Anakim 170
Analogia vocum 254
Analysi & Synthesi omnis methodus constat, contra Galenum 255
Analysis & Synthesis apud Homerum inuenta 256
Anandati Dæmonis potestas 611
Anandatus 607
Anaitis quæ 605
Anaitis 930
Anaxagoræ de Nili incremento sententia 268
Andreas Lauredanus miraculorum naturæ & antiquitatum studiosissimus 237
Andria an prius quàm Phiditia nominata 873
An & Ma *opposita* 859
Angeli 620
Angli Germani 105
Angli à Britanis deuictis religionem susceptam Belgis & Germanis communicant 104
Angli quo itinere merces Indicas aduehere conentur 683
Angli vbi habitarint 762
Anglica lingua multas voces retinet priscas, non ab Anglis

Anglis sed à Britanis inuectas 760
Anglorum nominis ratio & gentis origo 614
Anglorum in Britaniam irruptio 762
Angul Anglorum fabulosus conditor 756
Angrij siue Angriuarij non sunt Angli 616. 617
Angriuarij 618 *Romanos redimunt ibidem*
Animalium ossa in terra generari 242
Animi 687.1002
Anhelar 426
Anius Rex & sacerdos 146
Anna vox circularis 859 *etymon ibidem*
Anni distributio diebus collata 412
Anni dies in digitis Iani 385
Anni etymon 859
Anni Mosis non sunt trimestres aut semestres 209
Anni principium mutatum 384
Anni de Sagalbina error 635
Annum ante Romulum duodecim mensium fuisse 390
Annus Lunaris 210
Annus magnus quis 208
Ansibarij, & qui 618
Ansuarij 619
Antarcticus polus superior 286
Antei corpus 223
Antenor an Troiam prodiderit 959.960
Antenor Vlyssem & Menelaum hospitio excipit 956
Antenoris sepulcrum 985
Antianira 892
Antiope 817
Antiope 854
Antiperistasis 267
Antipodes 1021
Antonius Magnus Burgundiæ Bastardus 706
Antwerf comitatus 80
Antvverpia non Hantvverpia scribendum 25. 26
Antvverpiæ etymon 27
Antvverpiæ longitudo & latitudo 1
Antvverpiæ qualia olim suburbana 20
Antvverpianæ curiæ magnificentia 917
Antvverpiani cur Cameracenæ diœcesi subsint 22
Antvverpiani Marchionatus nobilitas 158
Anymus 1011
Aorpata Scythice Amazon
Aphractæ naues 64
Aphrodisiades 627
Apollinis oracula derisa 359
Apollinis lacrimæ 995
Apollinis sacra ad Hyperboreis 1019
Apollinis iter ad Hyperboreos 1010 *pulsus cælo ibidem*
Apollonij locus aliter quàm ab interprete explicatus 895
Apollonius carpitur 887
Apostrophia Venus 901
Appa quid 741
Apollo quid 661
Apollo Amazonius 862
Apollo quid Cimbricè significet 1009
Apollo Carneus 882
Apollo quis & vnde dictus 426
Apollo quare Nomius 916 *quare Epimelius & pœman ibidem Pythonem occidit ibidem*
Apollo ad Hyperboreos 1048
Aprilis vnde dicatur 430
Aphrodisæi de pluuiis Aethiopiæ falsa sententia 266
Aqua optima 526
Aquæ à Ioue venientes 260
Aquæ circa terram vndique meantes 239
Aquilo Triton 396
Aquilonis natura 395. 1036
Aquilus color 397 *Saturninus ibidem*
Ara ignoti Dei 118
Arabia Getarum desertum 718
Aræ vittatæ 146
Aramæi qui 530 *duplices* 531
Arar vnde vocatus 990
Arar ad etymon vocatum 529
Ararat montes 472
Ararat mons Taurus 529
Aratri cum iugo securis & phialæ cælitus delapsorum significatio 827
Aratrum è cælo 825
Araxes ponte inuectus 676
Araxes quare dictus 527 *descriptio ibidem*
Arbor scientiæ boni & mali vnde dicta 504
Arbores sub terra vnde 113
Arboris scientiæ boni & mali symbola discussa 500
Arca in quo monte quieuerit 472 *vbi error multorum reprehenditur, quare ad Parnassum dicatur quieuisse* 478
Arca quanto maior quàm Buteo & ceteri putarunt 205
Arca vbi compacta 481
Arca vbi facta 516
Arcadum antiquitas proselana 2
Arcæ figura à Buteone explicata 194
Arcæ symbolum Capricornus 409
Arcæ tectum quale 204
Archias 360
Archilochia edicta 357
Archilochi versus à Lacedæmonibus non admissi 359

Archilochi vita 358
Archilochum calcare 359
Archilochi patria *ibid.*
Archilochus 359
Archilochus ficticius 357
Archimedis liber de Hieronis naue 64
Arciers vnde dicti 831
Arduenna 21
Arduennæ etymon. 52
Arduennæ exordium *ibidem*
Arendonc 42
Ares vnde dicatur 114
Argentum ex carbonibus Leodiis 324
Argyrus mons quis & vnde dictus 290
Arietis Bacchum ad fontem deducentis fabula vnde orta 246
Arimanes 612
Arimaſpi qui & vnde dicti 1036
Arimi 164
Arion equus 662
Arioviſti vernaculus ſermo 17
Ariſtarchi Archilochica commentaria 362
Ariſtarchus quanti *ibidem*
Ariſtophanes doctiſſimus nebulo 812 *pecunia contra Socratem conductus* *ibidem*
Ariſtophanis locus explicatus 525
Ariſtoteles falſo veteres accuſat 257
Ariſtoteles Homerum male interpretatur 291
Ariſtotelis pullus equinus 873
Ariſtotelis de Aegypto ſententia 235 *eiuſdem de Ponto ſententia* 236 *eiuſdem de terræ mariſq; permutatione iudicium* 235
Ariſtotelis de permutatione terræ mariſq; mala collectio 250
Ariſtotelis calumnia 254
Ariſtotelis ambitio 256
Ariſtotelis peruerſa ſuſpicio 264
Ariſtotelis ſententia repulſa 302
Ariſtotelis contra Phiditia accuſatio reiecta 872
Arithmomantia 1049
Armamentarium ad Cattorum vicum 308
Arnobio liber falſo inſcriptus 376
Arnulphi perniciosum Chriſtianis conſilium 780
Arnuphis 153
Aroteres qui 832
Arpoxais 824 *Catiarorum pater & Traſpicorum* 825 *etymon.* *ibidem*
Arſaces Daa 641 *vnde dictus* 643
Arſinoe 1010
Artſelarum 21
Aſbania 90.91
Aſcanazim 15
Aſcanazim 458
Aſcanez etymon *ibidem*
Aſcanij 938
Aſcanius Aeneæ filius 463
Aſcanius lacus 462 *fluuius* *ibidem*
Aſcanius Dux 463
Aſcania opidum *ibid.* *error Euſtathij de Phrygia* *ibid.* *Strabonis error* *ibidem*
Aſcatanca 467
Aſcenez & Germani nominum affinitas 459
Aſcenez Man vocatus 460
Aſcenaz etymon Cimbricum 550
Aſciburgium 63.67 *vnde dictum* 69
Aſia Iapeti vxor 377
Aſiæ etymon 381
Aſimon Alacel Aſamech 416
Aſoph 683
Aſphodelus vnde dicatur 876 *vires* *ibidem*
Alinius dictus *ibidem*
Aſphodelus 870. *error in nominum appendice* *ibid.*
Aſpiratio pro Digamma 941
Aſpirationes in compoſitione Cimbrica tolluntur 24
Aſterij magnitudo 225
Aſtrachan 683
Aſtrachan regnum à Moſcouitis occupatum *ibid.*
Aſtrateæ 862 *etymon* *ibidem*
Aſtris quando poſita nomina 412.414
Aſtris quando nomina data 285
Aſtrologicæ prædictionis difficultas vnde 275
Aſtronomiæ primus doctor 418
Aſtronomiæ ignorantia quantum errorum pariat in hiſtoria 1016
Aſtrorum ſymbola ad quam mundi plagam accommodanda 439
Aſtyages 365
ἀσυτύργιον 63
Ataulphus Italiam liberam demittit 784
Ate vnde dicta 539
Athanæ quare pro Pallade ponatur 860
Athanaricus Rex Gotorum qua ratione dictus 710
Athanatizontas omnes Scythas vocandos 730
Athanizontes Getæ cur dicti 724 *vallæ in eo error* *ibidem*
Athenæ ſcientias dedere 861
Athenæ à Cimmeriis ante Theſeum conditæ 860
Athenarum nominis vera ratio 860
Athenienſes autochthones 2
Atlantis inſula 1030 *Atlantis* 303
Atlanticus Oceanus non poteſt nauigari Platoni & Ariſtot. 304
Atlanticum diluuium 370
Atlas 377 *Atrebates* 54
Atrebatum nominis ratio 96
Atta quid ſignet 740.741.742. *incomprehenſæ ſignificationis apud Græcos* *ibidem*
Attaſii 680
Atuaticorum opidum à Cæſare expugnatũ vbi 75
Atuaticorum meditullia 54
Atuatici vera ſcriptura 25
Atuaticorum ſedes 18
Atuaticorum origo *ibidem*
Atuaticorum regionis tractus 51
Atuatici longitudo & latitudo iuxta Ptolomæum 22.23

Atuatici etymon 24
Auari & Auarini & Varini Plinij iidem 775
Auchatarum origo 825 *ratio nominis ibidem*
Auentini de Vvendis error 781
Auentini in Vennonibus error 945
Auman turris 97
Aures longæ & arrectæ quid signent 1023
Aureum vellus 936
Aurum Tolosanum 625
Austrasia Francorum 713
Austrasia 157.761
Austrasia à Danis vastata 765
Austrauia Plinij quid signet 712 *alio nomine Glessaria ibidem*
Austrogoti 711.713
Austrogotorum nomen multo ante Theodorici ætatem fuisse 714
Austryc 157
αὐτόχθονες 2
Autolytus 930 *eius statua ibidem*

B

Babeley 551.572
Babylonia muris cincta 343
Babylonij astrologi 432
Babylonicæ structuræ non omnes homines interfuisse 533 *idem ex Sibylla ibid. idem ex Ezechiele* 534
Bacchanalia vbi & vnde originẽ sumpserint 518. 609
Bacchi & Ariadnes discubitus 172
Bacchus bis natus cur 523
Bacchi duplex consideratio ibid.
Bacchus Diadema primus inuenit 145
Bacchus vnde dictus 521
Bactrianæ latitudo 642
Bactrianæ nomen, natura, 468 *potentia ibid.*
Baleares 627
Balenarũ ossa in agro Lunenburgensi generata 242
Baltheus militaris Scytharum quare Phialam habuerit 831
Baltia vbi & vnde dicta 689
Balius cespes 321
Banda pro quauis societate confœderata 143
Banda pro signo 140 *pro turma equitum* 141
Bandæ siue fasciæ symbolum 143
Bandera pro signo 141
Bandophorus ibidem
Bannomanna insula 686
Bant *quid* 190 *vnde dictum* 143
Barba longa quid signet 1023
Barg *siue* Berg *vnde dictum* 23
Barg & Srab *Cimbrica vocabula oppositæ significationis* 694
Baris mons 472.478 *nomen Galaticum* 479
Barnagassæ regnum 278
Barnas 546
Barthana Noachi vxor 372.905
Basilia 689
Basridum 80
Bastarnæ Germani Gotos contra Romanos iuuerunt 720
Batauia vnde dicatur 967
Batea 844 *controuersia de ea ibid. nominis ratio* 445
Bauacum 54 *vnde* 86
Bauarorum origo nihil habet Hunnicum 780
Bauo fabulosus 86
Beatitudo in quo 1054
Bee *quid signet* 551
Becceselana quid significent 1054
Belgæ vnde dicti 56
Belgium vbi fuerit ibidem
Belgarum origo 19
Bellerophontes 974
Bellerophon 844
Belli finis 18
Bellouacum Belgarum excubiæ 56
Bellouesus 17
Bellum an pax potior 888
Bellum qui Germanice vocetur 12
Bellum contra arenas 317
Bellus mons 54
Benacus 948
Benaim 173
Benedictio & maledictio Noachi in filios 373
Benedictio à quo procedat ibidem
Bergey 84
Bergey op Zoom 24
Berghemum 21
Berghemi etymon 51
Bergi in Norvvegia Plinio, Græcis, & Melæ cogniti 693
Berosi fragmenta confutata 342.& 343
Berosi tres libri 346
Berosus Beli sacerdos quando vixerit ibidem
Beta quare figura V consonantis scribi cœperit 731
Betula 318
Betulæ bitumen ibidem
Betulæ crispæ fibræ ibidem
Betulæ & fagi cognatio 320
Betulæ radices 319
Betuleæ magistratuum virgæ 635
Bibla Demetrij Phalerei hortatu versa 470
Bieria 527
Billari sphæra 930
βήματα 488
Bini Ciceronis 991
Bipennes Amazonum quem vsum habuerint 891
Bithyni Thraces 930
Blaesueld 21
Bodincus 984
Bœrebistas Rex Gotorum 720
Bœrebistas & in nomine eius variatio etymon 731. *ibidem*
Boios sub Critasiro rege à Bœrebista *deletos* 720
Boiohemum 153

Boioauari siue Bauari 776 *contra Auentinum* 779
Bolgius 625
Bomum 21
Bona dea 389
Bona nomina 582
Bona verba 581
Bonifacius archiep. Maguntinus 104
Borach 581
Boreas quare Aethregenetes vocetur 1041
Boreus polus infimum mundi 1054 *Draconе & vrsis insignis* ibidem
Boggrauius quis & vnde dictus 158
Borussia 1002
Bosphorus Cimmerius 889
Brabantiæ etymon 141
Brabantiones in Francia 138
Brabonis & Cæsaris fabulosa cognatio 137
Brateſpantium 139
Brateſpantium Bellouacorum opidum cur ita vocatum 147
Brauus vnde dictus 140
Brea 49
Brenni etymon 630
Brennus 625
Brenta 970
Breſiliæ humiditas 121
Bria quid 735
Briareus 161
Briga quid Hiſpanis 735
Brigantium 943
Britania quid ſignificet 759
Britannica vnde dicta 310
Britani è Norvvegia venerunt 760
Britanorum antiquæ linguæ reliquiæ 760
Britanorum prima origo 759
Britanorum & Auſtrorum lingua eadem olim ibid.
Brugæ 85.86
Bruſcus 318
Brutus fabuloſus Britaniæ conditor 760
Bruxellæ 60
Bryges 959
Bubonis ſymbolum 789 *natura & ſolertia* ibidem
Budini vnde dicti 718
Buſo è medio lapide viuus exciſus 239
Buganæ montes 278
Bugloſſus lapis Antvverpiæ inuentus 240
Burg fluuius hodie Bug 772
Burgundiones Vandeli 708
Burgundionum fines 771 *Ptolemæi in his error* ibid. *nominis ratio contra aliorum opinionem* 772
Buteonis de animalibus in arca diſponendis ſcripta 184

C.

Cacodæmon quomodo Cimbris dicatur, & quàm ſignificanter 750
Cacus 910 *Cadere quid ſit* 514
Cadmus 853 *ad Illyricos* ibidem
Caen Veneliocaſſium 1004
Cæſar caluitium corona laurea celabat 405
Cæſaris locus correctus 55
Cæſaris locus caſtigatus 25
Cæſaris locus caſtigatus 1006
Cæſaris perfidia contra Tenchtheros & Vſipetes 40
Cæſar cur Gotis bellum inferre vellet 720
Cain & Iudæ comparatio 511
Cain quid in prima lingua notet 540
Caniculæ ortus 268
Canis natura regibus ſequendæ 632
Capella pro ſacello quare 156
Capedunum 735
Capha 303 *Cappadoces* 930
Capra in lupercalibus cur macte tur 390
Capricorni forma 408 *in Auguſti numo* ibid. *in frigidiſſimis Alpium verticibus degit. Arcæ ſymbolum.*
Capricorni maieſtas 287
Caput quomodo Cimbri vocent 745
Caput velare 905
Car 912 *eiuſdem conuerſio* ibidem
Carbo Leodius 71
Carbunculi fabuloſi 200
Carelomannus 91
Caris ſepulcrum 240
Carmenta cur Nicoſtrata vocetur 910
Carmenta Themis 901
Carmentæ etymon Cimbricum 908 *eius conuerſio* ibidem
Carmentæ fata canunt 901 *Porrima & Poſtuerta* ibidem
Carmentæ ſiue Themidis filiæ quare tempori applicentur 903
Cainorum caſus 168
Caius de origine vocabulorum reprehenſus 33
Calcei tympanoides 699
Calchantum 208
Calculorum vſus 852
Calendas Corax 360
Calefaciendi adiumenta tria 221
Caletes 1006
Calliſthenis ad Ariſtotelem de temporibus ſupputatio 434
Calidonius ſaltus 760
Calor animalis quare ceteris præſtantior 746
Calpe 627
Camaræ lemborum genus 718
Cambaules 625
Cambyſis exercitus vbi arenis obrutus 272
Campus Camper vnde 58
Cancer Lunæ domus cur 279.280
Cancri contra rabiem vis 281
Cancri ſaxei 241
Candace 272
Carminum nomē cur ad cantiones ſignificandas ſit applicatum

applicatum 911
Carmina quæ propriè vocanda *ibidem*
Carna Pallas 882
Carneus Deus 882 *cur ita dictus Apollo* *ibid.*
quare domesticus dictus *ibid.*
Caro quid allegoricôs 163
Caroli Magni progenies 158
Caroli mons 59 *Caryotæ* 382
Carolus Imp. vbi mortuus 489
Casius mons 244
Casan regnum à Moscouitis occupatum 683
Cassei quid 1006
Castor & Pollux cur tempestatibus præsint 976
Castoris & Pollucis fabula explicata 422
Castoris nomen Cimbricum 424
Cassubij 781
Catiari 825 *etymon* 826
Catonis contra Cæsarem sententia 41
Cattorum vicus 308
Caucasus descriptus 474 *vnde nominatus* 476
Caucasus vbi altissimus 816
Cauchi 313
Cecrops vox Thraciæ 930
Cedrorum circa Caucasum copia 515
Celtæ Germani 713
Celtarum responsum Alexandro factum 729
Celtogalatia 627
Cephalus 995 *Cepio* 625
Cenomanni 17
Centrones 84
Centrorum mundi & Solaris orbis coitio malè supputata 221.222
Cerberi caput produxit viperas & aconitum 818
Ceres 527
Ceres quid 662
Cerethius 625
Cereuisia 527
Ceria *ibidem*
Cermichiones 685
Chaldæorum Chronologia 432
Chaldaica oracula 906
Chamani 618
Chameses 378
Chamesene *ibidem*
Chami etymologia 549
Chami posteritas 373
Chamus Iupiter Hammon 407
Charudes 763
Chauci 618
Chemmis siue Chembes 262
Cherub cum flammante gladio quid 507
Cheruſci 618
Chi Romani in XI. *mutant* 37
Chœnix 214
Chærie 989
Chorasmani qui dicantur 682
Chorasmusini 681
Chorasmeni *ibidem*
Chorasmij 681 *Chria* 630
Christi natiuitas in cælo symbolicos picta 412
Christi natiuitas quî cum cælo quadret 422
Christus quando natus 427
Christus quo tempore assumpserit carnem 520
Chronus fluuius 1002
Chronologiæ & astronomiæ concordia 420
Chronologiæ scriptorum dissensio 432
Chuni & Hunni iidem 775 *prorsus deleti* 776
communis cum Auaris societas *ibidem*
Chunimundus Gepidarum Rex 774 *aliter Chorrasinus* *ibidem* *nominis vtriusque ratio* *ibidem*
Ciceronis castra in Neruiis 58
Ciceronis castra apud Eburones 79
Ciceronis locus castigatus 25
Ciceronis locus correctus 525
Ciceronis mensa 318
Cimbri 18. 19
Cimbri quando & quomodo in Phrisiã, Hollandiam, Zelandiam & Brabantiam venerint 1058
Cimbrica Cherronesus 19. & 889
Cimbricæ linguæ artificium mirabile 629
Cimbricæ linguæ ad poetarum fabulas intelligendas vtilitas 798
Cimbricæ voces plurimæ in Latino & Græco sermone cur inueniantur 883
Cimbricarum inundationum antiquitas 306
Cimbri & Teuthoni quando in Galliam venerint 20
Cimbri Troianis contra Græcos auxiliares 69
Cimbrorum & Teuthonum cognatio 1058
Cimbrorum vagum iter 944 *duplex ad Gallos profectio* *ibidem*
Cimmer quomodo è Gomer factum 375
Cimmerij aconitum comederunt 814
Cimmerij duplices 870
Cimmerij contra Phrygas 818
Cimmerij etymologia 367
Cimmerij & Amazones Ioniam inuadunt 918
Cimmerij herbarum esui assueti 818
Cimmerij Italiam ante Italos habitarunt 979
Cimmerij multo ante Priami iuuentam in Græcia regnarunt 845
Cimmerij potius quàm Gomerij 376
Cimmerij primi in Græcia legum latores 857
Cimmerij primi Italiam habitarunt 394
Cimmerij quando Ioniam inuaserint 810 *Sardes ceperint, Magnetes euerterint* *ibidem*
Cimmerij quare apud poetas malè audiunt 812
Cimmerij Scythica gens 810
Cimmerij turris Babylonicæ structuræ non interfuerunt 534
Cimmeriorum lingua prima *ibidem*
Cimmeriorum res gestæ quare Amazonibus adscribantur 838
Circassi 683
Ciri in Græcos dictum 92

Citrachan 683
Citrus Atlantica 318
Claudi cur ad Venerem potentiores 893 Aristotelis de ea re sententia ibid.
Cleanthis de mundi exustione opinio 216
Clementis Chronologia 432
Cleta 884
Clitarchi diligentia 66
Clitarchus 306
Clitemnestra quid 976
Clomar Rex Abroditarum 764
Clymene quæ 996
Cniua Gepidarum Dux 772
Cochlearia 311
Cochlearicus Danorum Rex 157
Cochlearicus rex Danorum 761 deletus à Theodoberto ibidem
Cæli filij 377
Cælia 527
Colchi 933
Cælum an nutriatur 216
Cælum an sit elementa exusturum ibidem
Cælum immobile cur ponendum 281
Cælum quomodo Cimbri vocent & eius appellationis admirabilia mysteria 745.746.747
Coloniæ sacræ quæ 570
Colpoxais 825 Parallatarum & Scolotarum pater ibid. etymon 826
Columba Anacreontis 594
Columbæ quare aureum ramum monstrare fingantur 591
Columbæ Veneri sacræ 590 earum amor ibidem
Comari 470
Comeri ætas 431
Comes { Proconsulis; Largitionum; Sacri patrimonij; Scholarum; Commerciorum; Orientis; Africæ 148
Cometes 421
Cometæ statua ibidem
Comites qui 148
Comites aggerum 159
Comites arcis 158.159
Comœdiæ origo 382
Complutēsia biblia mutarunt locū in Thargum 512
Conchilia in Alpibus summis inueniri 236
Conchiliorū in mœnibus Antverpianis copia 239
Conchiliorum in montibus causa ibidem
Conchis Megarensium lapis 240
Coniugium Dei & ecclesiæ 546
Connestablius quis & vnde dictus 147
Consiliarij apud reges Getarum quales 727
Conuentio per salem & mensam 359
Cophes 484
Coronis 1010
Corsendons 42
Cortracum 84
Cæruleus color 657 causa in oculis ibidem
Cæsius color 657 causa ibidem
Cotison 644
Crana 634
Crantor primus Platonis interpres 303
Crantzij error 755
Cratopus 369
Crepuscula cur longa aut breuia 283
Cretensium epulum 872
Crines in corde 956
Cristallini montes siue glaciales 951
Crœsus Græcos vectigales reddidit 810
Cromna Venetorum 933
Cromnæ etymon 937
Cronia sacra 396
Cronium mare 689.690.942
Cronus quis & cur dictus 418
Crux in cælo notata 416
Cruijsmay 835
Cresiæ de temporibus calculus 434
Ctesiæ Gnidij de Cyri morte fabulæ 677
Cubiti 4. hominem absoluunt 176
Cubitus Babylonicus siue Basilicus 174
Cubitus sex cubitorum Augustino 181
Cubitus viri quis 174
Cubus Veneri Vraniæ sacer 608
Cuma 816
Curetum portus 686
Cyaxares 365
Cyclopes occisi 1010
Cyclopes qui 165
Cyllarus 970
Cyme 885
Cyri caput sanguini immersum 677
Cyri contra Massagetas expeditio 676
Cyrus Babyloniam expugnat 345
Cyrus de potandi viribus se iactans 613
Cytorus vnde dicatur 939. à quo condita ibidem

D.

Daæ 465
Daæ Parij 642 Daæ Parni ibidem
Daarum equitatus 640
Daas cur Virgilius dixerit indomitos 644
Dabragastes 936
Dabragazas 791
Dacadamostæ error 283
Dacarum nominis ratio 638 quare Daæ dicti 639
Daci cur Saxonicè loquantur 648
Dacia Gepidia dicta 772
Dacorum, Getarum & Thracum idem sermo 719
Dacorum ad Istrum contra Romanos bella ad Gotos pertinere 723
Daix 639 Damæ 409
Dan fabulosus Daniæ conditor 756 Indigena apud Cranzium 758

Danaus quis 351
Dani Antvverpiæ vicina deprædantur 764
Dani quãdo & qua ratione Iutiam occuparint 763
Dani Galliam Parisios vsque depopulantur 764 *cum Frisiis confligunt ibid. Nannetum, Andegauum, Turones vastant ibid. Ciuili bello se mutuo conficiunt* 765 *Carolum Regem Francorum pecunia corrumpunt ibidem*
Dani & Normanni iidem ibidem
Dani quomodo è Dais facti 639 *conuitium in eos ibidem*
Dani quando Cimbricam Cherronesum occuparint 761
Danorum Marca ibidem
Danorum nomen vnde 702
Danorum prima in historiis mentio 761
Danswije vnde dicatur 1008
Danubius 943
Dæantius campus quis 887
Dare beatius quàm accipere 383
Dares Phrygius 961
Dardanus 463.1024
Darius contra Getas 717
Darius siti in Arabia Getarum laborauit 718
Dauciones qui 755
Daulis 849
Decebali etymologia 732
Decebali perfidia 723 *Victus mortem sibi conscisçit ibidem*
Decebali thesauri vbi defossi ibidem
Decem mensium opinio reiecta 428.429
Decenei nomen corruptum 731
Deceneus Gotus vates 720 *vineas iubet excindi & vino abstinere* 721
Decentia Themis 900 *eius descriptio ibidem quo differat à Venustate ibidem*
Decij mors 772
Decimus mensis cur à Saturno non nominetur 386
Decor quo Deus indutus est quis 908
Decoris virga ibidem
Degeneres Scythæ 706
Dei filius quis cuius dicendus 886
Deimachus de Indicis 354
Deiotarus 937
Delphini cur à Cyrenæis dedicati 246
Delta crebro Cimbri è vocibus tollunt 34.36
Demensum 214
Demouori 917
Denarius mundi corporei symbolum 384
Dentium vsus 866
Derbicum Regio 678
Descensus è prima philosophia ad naturalem, & ex hac ad Politicam qui fiat 903
Deucalion & Pyrrha sacrificant in Parnasso 904
Deucalion vnde dictus 371
Deucalioneæ libri 1011
Deucaleoneum diluuium 369
δεύομαι 371
Deus in igne habitat 613.908
Deus Sem quare dicatur 376
Diablindi 90
Diablinteres 89.90
Diadematis & fasciæ regalis inuentor Bacchus 145
Dice Themidis filia 898
Dialectices prima laus Homero tribuenda 256
Diana quid 662
Diana vnde dicatur 862
Dianæ templum 605
Dicopolæ 917
Dictys Cretensis 961
Dijegraucy qui 159
Dietmarsia 620
Digamma Aeolicum 941
Digamma quomodo Hispani mutent 941 *quare sic vocetur* 942
Diluuia an diuersa 369
Diœceseon diuersitas à Romanis inducta 22
Diomedes Martem vulnerat 105
Diomedes Palladium suffuratus ibidem
Diomedes qua ratione Deus factus 971
Diomedes quid significet 105
Diomedis templum 968 *quis Diomedes* 970
Diomedeæ insulæ ibid. verus Diomedes 971. 974
Diomedi cur equi consecrentur 972
Diomedi Homerico cur Pallas adsit 976
Dionæus Cæsar 419
Dionysii Siculi copiæ & naues 63
Dionysii equi 977
Dionysii Siculi potentia 1011
Dionysii Tyranni ridicula salutatio ad Apollinem 247
Dionysius apud Lacedæmonios cænans 867
Dionysius Indus 520
Diopetea simulacra 26
Diopeteas fluuios cur Homerus nominarit 299
διὸς πύργος
Dioscori qui 424 *etymon ibidem*
Dioscoridis appendix emendata 870
Dioscurias 933
Diosippe 989
Diuinarum potestatum nomina hominibus quomodo & cur applicata 516
Dixmuda 87
Dobasiæ hiems 278
Dodonæ templum & quercus fatidicæ 45
Dominica oratio in lingua Suedanica 738. *eadem in alia lingua, quam falsò Goticam quidam credunt*
Domitiani falsus de Germanis triumphus 722
Domitiani cœna sepulcralis apud Dionem ibidem
Domna vbi & vnde dicta 691
Domus magister qui Gallicè dicatur 152
Doraci philosophi histor. 339
Dorius tonus 940
Dorna 30

Dor-na limes Ambiuaritorum 49
Draco 600
Draco quare dicatur vetitum pomum monstrasse 500
Dromichætis Getarum Rex Lysimachum cepit & dimisit 727
Dromichætis etymon 733
Druentia 951
Druidum disciplina 978
Drusi fossa 308
Duacum 54
Duacum in finibus Neruiorum 87
Duacum qua ratione dicatur 86
Δυίσβουργ 67

E.

Ebeni loco quod lignum poni queat 29
Eburones Atuaticorum vectigales 19
Eburones vnde dicti 18
Eburones Thungros contra fœdera subiugant ibid.
Eburum opidum Gotinorum 714 *vnde dictum* ibidem
Ecclesia militans Capricorno comparata 415
Eclipsis à Thalete prædicta 365
Eclipsis Solis 1
Eden 497
Egeni ad publica officia non admittendi 872
ἐιρεσιώνη quid 389
Elector quis 998
Electri nomen vnde ibid. *pro metallo* ibidem
Electra ibidem
Electrum ad Eridanum reuera inueniri 994
Electrum ad Padum inueniri vnde creditum persuasumq; fuerit 993
Electrum bituminis genus 687
Electrum vbi fodiatur ibidem
Electrum à quibus colligatur 686 *vbi capiatur retibus* 687
Electrum populorum 1002
Elephanti Antvverpiæ conspecti mensura 180
Elephanti dentes quot ibidem
Elephanti pro muscidis dexteritas ibidem
Elephanti vnde & quando in Brabantiam venerint 179
Elephantus quantum biberit & ederit 180
Eligius 104 *Elæagnus* 29
Emathion 995
Emblemata 630
Emboliſmus quo septuaginta ab Hebræis discrepant
Embrica 67
Emphasis 903
Emporium maximum 934
Enarmonium cantus genus 1026
Enceladus 164
ἐν χειρῶν νόμῳ 162
Engadin 948
Enggroenlandia 767
Eningia 86
Enoch 547
Enos etymon & in hoc nomine error 542.543. 545
Enus 948
Enyalius communis 360
Epacta 210
Ephialtes morbus 152
Ephori diligentia 66
Ephorus 306
Epimenides 879 *de Curetibus & Corybantibus* ibidem
Epimenidem Curetem nominatum fuisse ibidem
Cibus ei à Nymphis monstratus ibidem
Epimenidion 879
Epimetheus 377
Epistrophus 935.936
Equi in sacris litteris significatio 972
Equi insigne 655 *nigri & albi discrimen spadix* ibidem
Equos qui primi ascenderint 883
Equus albus cur Diomedi offeratur 975
Equus cur Neptuno sacer 888 *symbolum* ibid.
Eratosthenis error 244
Erica vires 316
Erichthonius 1001
Eridani Græca etymologia 991
Eridani nomen examinatum 986 *an Eridanus sit bifidus circa fontem* ibid. *Eius occultatio* ibid. *quare à Virgilio dicatur per Elisios campos fluere* ibid. *eius descriptio* 988 *etymum* 989
Eridanus alio nomine Phaethon 989
Eridanus an Nilus 991
Eridanus dominum aquarum significat 990 *honor aquarum* ibidem
Eridanus antiquissimorum 992 *Vistula* 993
Eridanus in Græcia 991
Eridanus cœlestis ibidem
Erigenia 417.418
Erigones etymon & mysterium 417
Eriphyle 1010
Erycis corpus 223
Eryngion Glycyrrhi Zon 870
Etesiæ 268
Etymologiæ vtilitas 7
Eua cur sic dicta 540
Eucherius Stiliconis filius vna cum patre occisus 744
Euganei 949
Euila duplex 508
Eusebij locus castigatus 263
Eusebij locus deprauatissimus 362
Eusebij mendum insigne correctum 366 *alterum mendum* ibidem
Euander Carmẽta & Nicostrata nihil ad historiam faciunt 911
Euander cur Carmentæ siue Nicostratæ filius 910
Eunomia 898
Europæ apud vetustissimos magnitudo 1032

Europa vnde dicta 1045
εὐφημεῖν 581
Experientia vera qua 639

F.

Fabularum origo 1051
Fabularum Orphicarum corruptela vnde 975
Falerni color in ſuccino olim probatus 712
Faneſii qui & vnde 699
Faſces & ſecures 634
Faſces magiſtratuum è betula 319
Faſciæ ſymbolum 143
Fas quid 900
Faſciæ candidæ in capite ſymbolum & eius cauſa 144
Faſciarum in ſacris ſignificatio 145
Faſcini amuletum 595
Fauere linguis 581
Fatua dea 389
Fauna dea *ibidem*
Februæ etymon 387 *eadem cum terra* *ibid.*
Iani vxor *ibidem*
Februa Latinis multa 388
Februa Iuturna 386
Februario cur dies pares dati 392
Felena pro Helena 941
Femur Iouis quid 523
Feneſtra Arcæ 205
Feneti 941
Fibrenus gelidiſſimus 272
Ficulnus homo 494
Ficus Indica 486.487.488
Ficus Indica quare vetita 499
Ficus Indica in medio paradiſi 489 *primorum parentum ea occultatio* *ibid.* *è foliis perizomata.*
Ficus noſtra non eſt ficus de qua Moſes locutus eſt 492
Filij Dei filij hominum 544
Filij hominum & filij Dei 168
Filij Dei & filij hominum 508
Finingia 686
Flaminum in pileis apex quid ſignet 393
Flumina ad Aequinoctialem & vltra maxima 289
Fluminum incrementa vnde 267
Fœcunditas è flagellatione 390
Fœderum ineundorum in Scythia ratio 828
Forma ipſa Idothea vocata 255
Formarum dator 238
Formarum dea 254
Foſſa Bruxellana 178
Fracaſtorij confutatio 269
Fracaſtorij de pluuiis Aethiopiæ ſententia 266
Francia in tres partes diuiſa 764
Franci Anſibarij 619
Franci Anſuarij *ibidem*
Franci à Taſſandris & Atuaticis admiſti 92
Franci an à Troianis 338
Franci & Saxones piratæ 614
Franci linguæ ſuæ originem ineptè apud Græcos quærunt 339
Franci qua parte Galliam primùm inuaſerint 142
Franci vnde primum progreſſi 92
Franconia à Francis condita *ibidem*
Francorum vera & Germana lingua 93
Francorum vires quando & qua cauſa debilitatæ 764
Frenandi ſcientia in regibus iuſtitiæ 680
Frenum à Pallade datum 974
Friſbaf 28
Friſiæ pars Dano data 764
Friſlandia inſula 692
Friſlandiæ inſulæ magnitudo & lingua & locorum appellationes 768
Funcij error in filiorum Noachi ætate & deinde 440.
Fulmen Iouis vnde 507
Funiculi virga 908

G.

Gabriel 116
Gadilonetica 937
Gadilonetica velleribus abundat 939
Gaesbeca 54.
Gagates 71
Galactophagi 602. 1032
Galatæ 374.626
Galatæ cur à D. Paulo inſenſati vocentur 632
Galatarum fines 937
lingua *ibidem*
Galatarum ſermo 627
Galaticæ mulieris egregium factum 631
Galeni locus conſideratus 10
Galli gallinacei ſymbolum vere regium 703
eius interpretatio *ibidem*
Galli Thracibus immiſti expugnati à Gotis 720
Gallici muri quales 77
Gallicus equitatus qualis 151
Gallicus ſermo non fuit olim Græcus 627
Galli & Solis cognatio 703
Gallieni negligentia & contemptus prouinciarum 733
Gallogræcia 626
Gallorum antiqua lingua quæ 36
Gallorum certaminis ſpectaculum 705
Pergami, Buſciducis &c. eiuſdē apud Athenienſes origo *ibidem*
Gallorum origo 977
Gallum Baſiliſcus & Leo metuit 705
Gallus Aeſculapio cur à Socrate immolari iuſſus 704
Gallus quomodo Cimbris & vnde dicatur 703
Gallus Mercurio & Latonæ cur detur 704 *in cono Palladis* *ibidem*
Ganges 481
Ganges quando & quare increſcat 294

Gangites 71
Garda 160.949
Garyophyllorum collectio 288
Gebeleizis quis & vnde dictus, & in eo nomine mysteria 725
Gedanenses quantum debeant auctori horum librorum 994
Gedanum vnde dictum 708.1008
Geloni vnde dicti 718
Gelonus Herculis filius 824
Gelu maximum 884
Geni fratrum Venetorum nauigatio in Septentrione 692
Genium quis defraudet 881
Gentium ex Asia in Europam commigratio 466
Genzericus quid significet 785
Georgi 832
Gepidæ à Langobardis cæsi 774
Gepidæ Melanchleni 770 *Ptolemæi & Herodoti in iis diuersitas ibid. ratio nominis* 771
Gepidarum in Daciam commigratio 772
Gepidia 648
Gerardus quid significet 13
Gerbaldus 14
Gerbrechtus 13
Germaniæ diuisio 5
Germaniæ limes 4
Germaniæ occidentalis limes 157
Germanica lingua quæ 17
Germani apud Persas 465
Germani nomen vnde 6.7.8.9
Germani qua ad Indiam vsq; possent penetrare 683
Germanorum in pueris mos 10.11
Gerra vnde dicta sit 12
Gerstithius 472
Gertrudis quid 13
Geryon tricorpor cur 381
Gessoriaci 97
Getæ à Massagetis oriundi 684.685
Getæ & Goti ijdem 684
Getæ Darij tempore Mysiam partem tenuere 719
Getarum & Dacorum conuenientia & discrimen 719.720
Getarum solitudo 718
Getarum vxores an Amazones 890
Getas 90.91
Getas à Romanis vetustioribus Dacos nominari 720
Getas siue Gotos non è Scanzia ducendos cõtra Iornandem 685
Getiæ limites 719
Getica Iornandis & Dionis 684
Geutingi 710
Gibraia 169
Gigantes quare cadentes 168
Gigantes qui dicendi 161
Gigantes quare è terra & sanguine dicantur nati 162
Gigantes Saxonis Grammatici 757
Gigantis domus, ossa, pægmata, statuæ 138
Gigantis etymon Græcum 159
Gigantis nomen impropriè vsurpatum 170
Gigantis vera ratio 160
Gigantum fraterculus 377
Gigantum & Magorum bellum 757
Gigantum ossa 242
γηγενεῖς 2
Gilimer captus 786
Gladius iustitiæ signum 507
Glessaria 712
Glessum cur electrum vocetur 712
Glossopetræ 240
Glycyrrhizon 869 *duo genera ibidem*
Gobazes 936
Godefridus Danorum Rex 763
Godfredus Bullionius præputiũ Christi mittit Antverpiam 26
Godfredus S. Michaelis templum ornauit 124
Godfredus Antverpiæ Hierosolymitanam expeditionem exorditur 123
Godfredus Rex Hierosolymitanus 124
Goic 77
Goliath 172
Gomar quid signet 785
Gomeri nominis ratio 550
Gotalani 707
Gotalania 784
Gotelon siue Gotizon 80
Gotescon & Gotilon 644
Gothones 700
Gordyæi montes 472
Gorduni qui, & qua ratione vocati 88
Gorgonis sanguis 1010
Gothini 700
Goti qui & vnde dicti 684
Goti & Germani Romanos ingentibus cladibus affligunt 722
Goti Danubium consensu Valentis transeunt 710
Goti Romanos sub Domitiano cedunt 721
Goti sub Augusto Romano solo donati ibidem
Gotini qui 711
Goticam linguã non esse qua in Scandia vtũtur 738
Goticarum gentium enumeratio 709
Gotlandia 754 *error in ea Ptolemæi* 755
Gotorum sedes antiqua 710
Gotorum & Romanorum pugna cruentissima 722
Gotos Getas fuisse docetur 714
Gotos & Getas non esse diuersos contra Rhenanum 710
Gotscalcus quis 152
Gradus 488
Gradus militaris 80
Gradus plenus ibidem
Græca vocabula à Barbaris accepta 847
Græcia maxima parte sui olim à Cimmeriis habitata 847

Græcorum fabulæ 344
Græci & Romani immortalitatem animorum non credunt 730
Græci nudis capitibus 405
Græci pueri 904
Græcorum extra columnas Herculis nauigatio 65
Græcorum in mari potentia 63
Graiæ Alpes 949
Grauey *qui sint* 148.149
Gregorius Turonensis 761
Gripes qui 1036
Grobendone 42
Groenlandia 767
Grudij qui & vnde dicti 85
Gruitey 34
Gruitzelt *ibidem*
Gruthusa & Gruthusii 85
Guadalupa 246
Gubernatio diuersa diuersis prouinciis conuenit 680
Guerboum monasterium 48
Gundamundus 786
Guneus Arabs iustissimus 897
Gutæ sunt Goti 685
Guthones Guthani dicendi 713
Guthones Vandeli 708
Guttones, Guthones & Gotones eosdem esse, ibidem
Gymnesiæ 627

H.

Habitus qui noscantur 497
Hæreticorum cura 256.257
Hal vox Cimbrica 929
Hala 951
Hala ad Oenum 242
Halimus 866
Halyattes 365
Halys fluuius 929
Halizones qui 933
Hamburgum vnde dictum 660
Hammon Chamus 407
Ham *ibidem*
Hammonis cornu 245 *idem in Germania* 246
Hammonis fons cur dulcis 245
Hammonis fons Soli cur sacer *ibidem*
Hammonis templum 244
Hannibalis in Italiam iter 951
Harephaim 170
Harmonia 886
Harmonia Veneres dedicauit 901
Harmonia vnde nata 887 *quare Cadmo coniugata fingatur* *ibidem*
Harmostæ qui 886
Haroldus Danorum Rex 764 *Baptisatus* *ibid.*
Harondel in Sousexea 763
Hastarum Thesbi & Goliath comparatio 172
Hauericus 796
Hauila 482
Hecatæ ternarius placet 392
Hecatombæ quid significent 259
Hecla & eius ardores 697 *sulphur Heclæ* *ibid.* *ignis eius aquam exurens* *ibid.* *miracula & dæmonum fraudes* *ibid.* *vnde nomen habeat* *ibidem*
Hebræorum elementorum similitudo errorum causa 480
Hebræorum & Chaldæorum in mundi antiquitate consensus 434
Heista 80
Helena 975
Heliades quæ 989
Heliadum nomina explicata 997 *fletus* *ibid.*
Heliæ 989
Heliæ supputatio mundana 222
Hellas à Barbaris olim habitata 845
Heluetiorum montana pascua 469
Hemistetum 80
Heneti 930
Henetia Aminsus *ibidem*
Heneti è Leucosyria ad Troiam venere *ibid.* *equas alunt* 931
Henetides equæ *ibid.* *quando cognitæ* 932
Heneti Cimmerij 938
Heneti Veneti 940 *quare* 941
Heneti pro Amazonibus 933
Heneti Triballi 947
Henetus Rex 955
Heniochus quis apud Nonnum 1000
Henrici Regis Franciæ mors
Henricus Angliæ Rex 494
Henricus Kneuetus *ibidem*
Heorta opidum 735
Heraclæa Pontica nauibus potens 64.65
Hercules 459
Hercules contra Amazones 817
Hercules cur Oleastrum ab Hyperboreis dicatur attulisse 1054
Hercules Christus 528
Hercules custos 155
Hercules custos cum Musis *ibidem*
Hercules limitaneus 154
Hercules quid apud Euandrum faciat 910
Hercules Marcusanus 154
Hercules Musagetes 888
Hercules Noachus cur dictus 528 *etymon* *ibid.* *Sol* *ibidem*
Herculis lectus 172
Herculis Marcusani numisma correctum 156
Herculis stratagema 818
Herma quis 597
Hermæ cur quadrata saxa vocentur *ibidem*
Hermæa 272
Herman quis 649
Hermanricus Gotorum Rex vnde dictus 710
Hermansal quid significet 652
Hermopolis 649
Hermiones 460
Herodoti & Plutarchi argumẽta conuincunt Campestrem

peſtrem Brabantiam non eſſe à fluminibus inuectam 248.249
Herodoti locus caſtigatus & aliter quàm à Valla verſus 234
Herodoti de Aegypto inuecta ſententia 234.235
Herodotus hiſtoriæ parens 233
Herodotus quo tempore ſcripſerit 250
Heruli contra Perſas in opido Phaſi. 789 *origo ibid. vocis ratio ibidem*
Herulorum & Alanorum odium 796
Herulorum clades 792 *crudelitas & inconſtantia ibidem*
Herulorum ſedes & migrationes 795
Herulos Germanica lingua vſos eſſe 791 *vaga eorum vita* 795 *impuritas ibidem*
Herus Armenus 166
Heſiodi locus aliter quàm hactenus explicatus 875
Hiems Indiæ 294
Hiems inter Tropicos quæ vocetur 276
Hierobotanæ 589
Hieroglyphicæ notæ quàm olim legi deſierint 262
Hieroglyphicæ ſcripturæ abſurda lectio ibidem
Hieronis nauis ingens 64
Hieroſolyma condita 349
Hilleuiones 686
Hilleuiones Plinij qui & vnde nominati 698
Hildericus quis 786
Hippace 602
Hippemolgi ibidem
Hippocratis de parco victu ſententia 868
Hippocratis ſtatua pileata 405
Hippolyte 817.854
Hippolytæ ſepulcrum 845
Hippolyta Terei vxor ibidem
Hippolytus 1010
Hippopodes qui & vnde dicti 698
Hirtum pectus quid ſignet 956
Hirundines in Daulide non nidulantur 849
Hircaniæ nomen latius vſurpatum 647
Hiſpaniæ à Nabuchodonoſoro ſubactæ 344
Hiſpanorum mos in hortis irrigandis 895
Hiſtoriæ ſcriptores plurimi aſtronomiæ ignari 1016
Hiſtoriæ in ſaxis & rupibus ſcriptæ 756
Hobocum 51
Hoc age 403
Hodius 935
Hodvvakerus non Odoacer dicendus 795 *occiſus in conuiuio à Theodorico ibidem*
Hogardum 90
Holana Padi oſtium 988
Holoſphyraton 605
Homeri ætas à quibus quæſita 361
Homeri ætas incerta 811
Homeri ætate an fuerint litteræ Græcis 813
Homeri locus explicatus contra Euſtathium 167
Homeri locus illuſtratus 932
Homerus an Iliada & Odyſſeam ſcripſerit 813
Homerus Dialectices optimus præmonſtrator 256
Homerus in numo 939
Homerus numus Smyrnæus 940
Homerus primæ linguæ conſcius 553
Homines olim non maiores quàm nunc 207
Homines olim nec maiores nec robuſtiores fuiſſe 217
Hominis quadrati commenſus 167
Homœoſis 903
Hominum origo abſurda 3
Honor aperto capite cur fiat 403
Honſcota 87
Horæ æſtiuæ quantæ 81
Horæ quinque æſtiuæ ad iter militare deſtinabantur 80
Hornuſdatis 612
Hortus voluptatis 495
Hoſpitiorum magiſtri quare Marſcalci dicantur 152
Hoſtiæ vittatæ 146
Huilles vnde dicti carbones 74
Huiones 73
Huium arx & opidum ibidem
Huij puteus ibidem
Humbaldi hiſtoria 39
Humoldis inſignis error ab aliis acceptus 783
Humricus 786
Hungari non à Iugris ſed ab Ongoris ſiue Hungoriis 777 *vbi habitarint* 778 *quomodo graſſari cœperint. non ſunt à rege nominati Auares ibidem*
Hungari Pannoniam occupant 780
Hunnauari 776
Hunni & Auari an idem 775
Hunni mercede contra Hunnos militarunt 777
Huſigardus 936
Hyades 274.520
Hyarotis 484
Hycſos 349
Hydaſpes 484
Hydrochous Deucalion 386
Hyes quis & cur 520
Hylli ingentia oſſa 225
Hypaſis 484
Hyperborei quamdiu tuti fuerint 809
Hyperborei qui 1012 *& deinceps.*
Hyperborei ſymbolicôs qui ſint 1053

I.

Iambici carminis inuentor 359
Iamblichus venenum ſumit ob metum 704
Ianalis virga 634
Iani numus cur nauem habeat 379
Iani quare anni partes inſculptas habeant 859
Ianua vnde dicta & qui aperiri conſueta 381
Ianuarij etymon 385
Ianuas exterius protudi ſolere 381
Ianus cur ianuis præſit 382 *cur claues gerat, cur baculum habeat. Chaos. diſciplinarum doctor*

doctor ibidem Auſpex 383
Ianus cur bifrons 378
Ianus vnde dictus 380
Ianus quadrifrons 377
Iapeti poſteritas 373
Iapeti filij apud Græcos 377
Iapeto promiſſa quando impleta 374
Iapetus Cæli filius 376
Iapetus Ianus 378
Ianiculum ibidem
Iapetus Promethei filius, non contra 516
Iaphet etymon 550
Iaxartes vnde dictus 469 *Tanais falſo creditus ibidem*
Iccium promontorium 97
Iccius portus ibidem
Ichnæa vox 896
Ichnæa Themis ibid. ratio nominis 897
Idololatria è myſteriis malè intellectis 103
Idololatriæ occaſio 975
ὕδωρ quare aquam ſignet 863
Idothea cur ſic dicta contra Heraclidem 254
Idothea Protheum patrem ſuum prodidit 250
Ignibus mortuos cruciari 166
Ignis ex Aſphaltite 324
Ignis flos 908
Ignis ſyndeſmios ibidem
Ignis fomes diuerſus 323
Ignis ideas diſcernens quis 907 *quod nomine cum quaternario conueniat ibidem*
Ignis ſubterraneus mirabilis 72
Ignium è terra pabulum 322
Iliſſus 991
Imparis & paris conſideratio 593
Imperia diuinitus dari 611
Inarime 164
Incendium ſub terra 322
Indicæ merces quæ ad nos commodius veherentur 647
Indigenæ 2 *Indus* 484
Ingeuones 460
Ingeuones cur dicti 708
Inuus quis & vnde 392
Inſulæ fluitantes 313
Inundationis portentum 306
Ioannes Baptiſta angelus 422
Ioannis etymon 423
Iornandis fabuloſa genealogia 731
Iornandis in Gepidis error 773
Ioua Elohim 544
Ioui cur imbres adſcribantur 260
Iouialis aqua ibidem
Iouis femur 522 *quid ſit* 523
Iouis ſtella Phaethon
ἵππος 662
Irene 898
Iris 261
Irlandos non eſſe Herulos 795
Iſauri 790
Iſchiæ varia nomina 164
Iſſedones 1031
Iſſedonis nomen quid ſignet 1035
Iſlandia vnde dicta 697
Inſula Iſſedonum ibid. Thule. ibid. copia graminis ibidem
Iſſora Diana cur dicatur 864
Iſtæuones 460 *Iſula* 308
Itali vetuſtam Latinorũ linguam corruperunt 115
Iter in campos Sennaar 473
Iter militare apud Herodotum 81.82
Iter per ſiluas qui muniatur 21
Ithaca 68
Ithyphalli termini quid ſignificent 1050
Iudæi in Babyloniam ducti 343
Iudæorum ex Aegypto migratio 349
Iudæorum ritus 27
Iugri vbi habitent 777
Iulianus apoſtata 107.108
Iunius vnde nominetur 430.431
Iuno 261 *Iuno quæ* 111
Iuno quid 661
Iuno quibus pluuiis præſit 528 *cur Herculi inimica ibidem*
Iupiter imbribus præſidet 526
Iupiter mas & femina
Iupiter quid ſignet 661
Iupiter quis 111
Iurare ſuper femore manu collocata 523
Ius in manibus 162
Ius nigrum 871
Iuſtitia verbi incarnati vera Themis 909. 910
Iuſiurandum quàm non ſit violandum 858 *vinculum humanæ ſocietatis ibidem*
Iutæ Saxonibus annumerati 763
Iutia pro Gutia 707
Iuturna 381

K.

κάνε pro templo vnde formetur 912
κεν-τρον 84
κεστευ 76
κεστευγατ ibidem
κιβδουρ 30
Κοπλαβίζειν 786
Κυριακον non eſſe pro templo apud Germanos in vſu contra Nannium.

L.

Labdacus Thebarum Rex 847
Labdacus filius Phœnicis 853 *aliter Polydori. ibid. cui in tutelam datus ibidem*
Labieni caſtra 58
Lacedæmon vnde dicta 881
Lacon vnde dicatur 874
Laius 848
Λαοὶ 371
Lampas inextinguibilis 223

Lampſacus 847
Lamech etymon 541
Lana februa 388
Landas 91
Lanæ poſtibus in nuptiis affixæ 389
Lanei compedes 146
Lanei deorum pedes cur 401
Laneum vinculum Saturni 393
Langobardi 620
Langobardi Cimbrica lingua vſi 774
Langobardi Herulis vectigales 791
Lanſtrecht *quis* 835
Lapides à Deucalione proiecti quid ſignificent 905
Lappones non eſſe Cimbrici generis
Larnacis figura 205
Λάϛιον 956
Latini olim Cimbrico ſermone vſi 32
Latini vetuſtiſsimi Cimbricè locuti 115
Latitudo Iapeto promiſſa qui capienda 376
Latium vnde dictum 378
Laurus 588
Lazij de Gotis error 714
Lazij de Herulis varij errores 796
Lazi 933
Lecti tricliniorum 172
Lectus Og *ibidem*
Lecus 954
Leda quid 976
Legati vittati 146
Legationis deſcriptio 146
Legia torrens & opidum 74
Leh Hef 86
Lentulus de Getis triumphat 721
Leodes 61
Leodium vnde dicatur 60
Leonis & vulpeculæ apologus 359
Leontophoros nauis mille ſexcentos remiges habens 64
Leponti 949
Leuaci vbi & vnde dicti
Leucas à Laërte expugnata 68
Liber apud Lacedæmonios in honore 882
Liber Pater Lacedæmoni cultus 882
Liber pater vnde & qua lingua dictus 518 *etymon* 519
Libera Venus cur 519
Licentiati qui 401
Lignorum inopia 468
Limites qui Cimbri vocent & quare 150
Lineæ veſtis vis 72
Lingua Cimmeriorum prima 534
Linguæ optimæ quæ 538
Linguæ qua cauſa corrumpantur 737
Linguæ peregrinæ reliquiæ quid in regionibus ſignent 847
Linters 90
Lira 50
Liris cataracta. 272
Littera duplicata in compoſitione fit ſimplex 914
Lipoxais 824 *Auchatarum pater* 825 *etymon* *ibidem*
Lobienſe monaſterium 59
Locerea 1011
Lo quid ſignet
Lomnorius 625 *ratio nominis* 630
Lomberg 75.76
Longobardorum origo 768 *contra Diaconum* 769. *vbi ibid. eorum migratio Iſtrum verſus* *ibidem*
Lotaringia 157
Louanium 84.1005
Louanium vnde dictum 43
Lubar 554
Lucanus an poëta 837
Lucullus 930
Ludouicus contra Danos 764
Lugdunum vnde dictum 317
Luna aquarum 279.285
Luna quî Cimbris & cur vocetur 552
Luna linguarum confuſionem diuerſitatemq; ſignat
Lunæ in ſymbolis ſignificatio 502
Lunæ metallum 290
Lunæ quare Cancer domus 279.280
Lunæ vires 287
Lunatæ peltæ cur Amazonibus 890
Luperci cur dicti 390
Lupercorum flagellatio cur inſtituta 389
Lupi ſymbolum 390
Lupia 943
Lutarius 625 *etymologia* 631
Lycambes 358
Lycæus Pan quare 390
Lycaon 356
Lydius tonus 940
Lygur 356
Lyncurium vbi inueniatur 687
Lyra Melis qualis 940
Lyſimachi vulnus diademate Alexandri obligatum 144

M.

Machlinia 80
Macritius Cous 930
Magellanus 1030
Magi apud Cappadoces 930
Magi Pyrethoi 607
Magi vnde didicerint Chriſtum natum eſſe 421
Magia quid 599 *vnde profecta* *ibidem*
Magorum officium 418
Magiſtratus indocti & iniqui, Gigantes vocati 897
Magiſtratuum genius 611
Magnete in mari curſum dirigere Cimbri docuerunt 1044
Magneſia expugnatur à Cimbris
Magneſia mala 811
Magnitudo corporum monſtroſa 223
Maier quis, & in eo error 147

Maij etymon 430
Malache 874 *vnde dicatur* 875 *vires* *ibidem*
Manuum lex 162
Manethon Aegyptius 347
Maniaci vnde 287
Manna Calabrorum quid, & vnde manet 318
Mannus 460
Manni filij *ibidem*
Manus Antverpiensium insignia quid velint 25
Manus signum potestatis 144
Mantuani equi 977
Mar 151.152
Maragnon 892 *eius ortus & longitudo* *ibid.*
Marc 150
Marc *pro signo* 155
Marca Anconitana Tarinsana 150
Marca Germanica 153
Marcæ Scaldianæ antiquitas 154
Marchionatus quid? 148
Marc-ûs 154
Marcgrauety 148
Marcgrauius quem Marchionem vocant quis 153
Marcomannicum bellum 153
Marcomannorum sedes antiquæ *ibidem*
Margiana vnde dicta 467
Margianæ felicitas 517 *etymon* *ibidem*
Margites Homeri 359
Mariandeni 930
Mariæburgum 58
Marmaum silua 53
Mars citra patrem natus 111
Mars cur in Thracia 847
Mars ex Harmonia Amazonas generat 886
Mars non dicitur à maribus 111
Mars quid 662
Mars vnde dictus 110
Marscalci nomen ad sanctos transit 152
Marscalcus quis 151
Marsyas 1026
Martellus quis & quare nominatus 110
Martellus regibus imperare quàm Rex esse maluit 148
Martinus Rossemius 58
Martis domicilium 112
Martis templum conuersum in templum S. Michaëlis 115
Martis templum extra arcem 110
Martius vnde dicatur 429
Mas 673 *vocabulum Ichnæum* *ibid.* *sententia eidem inclusa* 674
Massagetæ inhospitalitatis accusati 675 *regio eorum* *ibidem*
Massagetæ qui & quare dicantur 673
Massilienses trilingues 627
Mat quid signet 835
Materia cur prima vocetur 255
Materia prima in compositione, vltima in resolutione 255
Materia prima mater 254
Materiæ præparatio 238
Matthæas Rex Gotoum 727
Mathusalem etymon 548
Matthæus vnde dictus 734
Mauors 111
Medicamenta æquè ferri atque olim 208
Medicorum impudens ignorantia *ibidem*
Medicorum non eruditio, sed fortuna quæritur *ibid.*
Mediolanum vnde dictum 430
Medium per vestigia quæsitum 906
Medoacus vnde dicatur 982
Medoacus 967
Medualli 951
Megæra ad Ruffinum 71
Megasthenis auctoritas quanti 354
Mel & Lew *contrariæ significationis* 746
Mel ex Erica 315
Mel è Ladano & Cistho improbum 315
Melanchlænarum ridicula etymologia 717
Melanchlæni Gepidæ vnde dicti 771 *mutati nominis causa* *ibid.* *sedes* *ibidem*
Meler lacus 698
Meles 940 *eius lyra* *ibidem*
Memnon 995
Memphis Homero cognita 263
Mempiscus pagus 89
Menalippe 817
Menapij 18
Menapij vbi Cæsaris tempore habitarint 89
Menapij post Cæsaris discessum migrarunt *ibidem*
Menapiorum sedes 39
Menelai ad Pharum mora 250
Menœtius 377
Menelaus quid significet 258
Menses duodecim aris duodecim signati 385
Menses duo vltimi quare Iano & Februæ dedicati 386
Mensium exordium 384
Mercatura quibus dissuadeas 92.93
Mercsheim 50
Mercurij etymon 597
Mercurij libri 1053
Mercurij pileus qualis 402
Mercurius 649
Mercurius aërius 153
Mercurius Chemicus 208
Mercurius quid 662
Merope 989
Meropes 1035 *etymon* 1040
Meropes qui 553
Meros vnde dicatur 522
Mesembria vnde dicta 735 *controuersia de conditore* 736
Mesraim 526
Mæsorum lingua è Romano, Getico, & Græco sermone mixta.

Messalæ Coruini libellus qualis 980
Messicana hiems 289
Metasthenes de Iudiciis vnde natus 355
Metasthenes reiectus 352
Metrodori Scepsii auctoritas in Padi nomine illustrata 983.984
Michael quid signet 115
Michael archistrategus 116
Michael archangelus de corpore Mosis cum Satana disputat ibidem
Midæ aures cur longæ tributæ 1022
Midæ multi 1053
Midas Gordij filius quando vixerit 811 *se occidit sanguine taurino* ibidem
Midas quis 1026 *quòd Bacchum hospitio acceperit* 1027 *etymon* ibidem
Milliarium Romanorum & Brabantinorum collatio 81
Milliaria Brabantica communia 1
Milyas 478
Minare 586
Minerua & Pallas Cimbrica vocabula 115
Minos quare tyrannus à poetis dictus 812
Mithra 606
Mitylene 816.885
Mnaseæ falso adscriptæ 364
Mnaseas Salpa dictus 363
Mœnus 943
Moles 27
Moles iacere 28
Moli quid Orphicis significet 880
Moli Homer. allegoricum 870
Molluscus 318
Monachum 952
Monocerotis cornu 1036
Montes Lunæ cur dicti 290
Mons sale constans 242
Montium altissimorum vtilitas 496
Montium nomen pro portu cur Cimbri ponant 694
Morauia, Morauania 779
Morini 21
Morinorum sedes 84
Morinarusa vbi & vnde dicatur 688
Mors vnde dicatur 111
Mortarij nomen vnde ibidem
Mosa 39.57
Mosis historia in cælo scripta 428
Mosis historiæ & cæli consensus 427
Mosis libri qui legendi 512
Moses quæ simul à Deo facta sunt, ordine exponit 496
Mosouia 1002
Motus stellarum fixarum alius alio tempore 216
Mularum procreatio 932
Mulieres in Lupercalibus flagellabantur 390
Mundi ætas qui ex astris cognoscenda 420
Mundi regnorumq; antiquitas ex Hebræis & Chaldæis 434 *ex Aegyptiis* 435
Mundus Typicus 907
Musæ tres 940
Musagetes 155
Mutunus 26
Mygdon 814
Myrina 885
Myrina ad Orum Isidis filium 816
Myrinna 844
Myris Aegypti Rex quando mortuus 234
Myrsilus Lesbius fictitius 357
Mysi 464

N.

Nabolassarus 343
Nabuchodonosorus ibidem
Nabuchodonosorus Hispaniam & Libyam subegit 344
Nadunedus deiectus regno 345
Nannetes 1003
Nannius notatus 313
Naphal 168
Natalis Christi & Augusti comparatio 415
Nauigatio quo loco habita 95
Nauium fragmenta in templis 246
Naupactica 1010
Nehor 202
Nembrod 169
Nembrod quid signet 549
Nepenthes vnde 263
Nephelim 514
Nephelim qui 168
Neptunides 884
Neptuno Cyclopica & Gigantæa vita tribuitur 889
Neptunus Cyanochætes 657
Neptunus quid 662
Nericos 68
Nerigos & Plinij in eo inconsiderantia 686
Nerigos vnde dicatur 690
Neritos 68
Nerua 689
Neruij 18.&19
Neruij etymologia 95
Neruiorum clientes 84
Neruiorum in rure colendo industria 95.96
Neruiorum instituta 93
Neruiorum sepimenta 96
Neta fluuius 53
Neuport 84
Neustria 157
Neustria vox corrupta 713
Newwerp 28
Nicolai Damasceni locus correctus 478
Nicomedes 625
Nigris & Nili fontes an iidem 296
Nili etymon 290
Nili inundantis noua quædam ratio reiecta 300
Nili litteris annus numeratur 290

Nili ſtatua in Vaticano quid ſignet 250
Nilus quando diopetes 261
Nina 816.885
Ninus 1011 *eius exercitus* *ibidem*
Nitri vis in lixiuio 245
Nitrum è lacu agri Toletani 243
Nitrum in Aegypto *ibidem*
Noachi etymon 549
Noachi filij 372
Noachus à Chamo maleficiatus 407
Noachus Chriſti typus 412
Noachus Deucalion 371
Noachus Gigas putatus 200
Noachus quare Cronus vocetur 418
Noachus Sacæorum auctor
Nobilitatis origo 830.835 *quis nobilis* *ibid.*
Noctes Atticæ correctæ 910
Nod 511
Naid *ibidem*
Nomades 574.601
Nomadica vita 574
Nomadum nomen quibus commune 832
Nomæi *ibidem*
Nomen à Cimbrico deriuatur vocabulo Nam quod eſt ichnæum 748
Nomina à fine rebus imponenda 8
Nomina diuina & humana 553
Nomina diuinitus data 375
Nomina eadem in diuerſis linguis diuerſa habent etyma 539
Nomina mali ominis vitanda 139
Nominum Cimbricorum conuerſio 636
Nomina vrbium à vatibus ſiue Sibyllis datæ 861
Nomina Dei diuerſa quid velint 528
Nominum diuinorum communio quomodo ad homines deſcendat 974
Non putabam vbi locum non habeat 891
Nonni de Phaëtonte ſententia 1000. 1001
Norbertus monaſticæ vitæ ad Sanctum Michaelem primus auctor 126
Noroſi montes 706
Norumbega regio vnde nominetur 768
Noſce teipſum conſideratum 599
Nouenarius numerus quàm artificiosè Cimbricè vocetur 1057
Noueſium 67
Nuiodunum 735
Numerus par feminis, impar maribus dandus 392
Numerus par inferis falſo à Macrobio datus *ibid.*
Nymphæ fontanæ cur Iouis filiæ
Nyſa vbi 518
Nyſæ etymon 521
Nyſæ nomen multis commune 529
Nyſæorum ſepulcra 515
Nyſigene 1023

O.

Oba flumen è lacu Cataio 777
Obtricenſe opidum 82
Oceanus fons Paradiſi 481
Oceanus quid 497.498
Ochus & in eo error veterum 683
Ochus 641
Octauiani Auguſti color aquilus 397
Oculorum medicamentum è betula 319
Oculus in Oſiridis ſceptro 165
Odacer 709 *occiſus à Theodorio* *ibidem*
Odeſſos 736 *interpretatio Apollodori excuſata* *ibidem*
Odoacri mors & etymon 795
Oedipus 848
Oenotrij 356
Oenotrus *ibidem*
Og Rex Baſan 171
Ogenus quis & quare 372
Ogyges 369
Ogygis etymon 372
Ogygium diluuium 369
Olaus Magnus Gotus 701
Oleaſter ab Hyperboreis 1019
Olea equo prælata 888
Olea Mineruæ donum 888 *pacis ſignum* *ibidem*
Olenus 28
Olympiodori error correctus 786
Olympus muſicus 1026
Omphale 172
Omina 582
Onagri 932
Onogori Hunni 776
Ongori *ibidem* *vbi habitarint* *ibidem*
Oones qui & vnde dicti 698
Opica 570 *etymon* *ibidem*
Ops 381
Oracula nominibus conſignata 539
Orcomoſion vnde dicatur 857
Oreades cur Iouis filiæ
Ordeonius 59
Ordinatio ſapientiæ propria 106
Ordingy 59
ὄρυγα 177
Orientem cur in orando ſpectemus 507
Orientis totius lingua Græca 627
Origenis de cubito per Buteonem explicatio 190 191.192.
Origenis vera expoſitio 196.197.198.199
Origiagontis 632
Orionis vel Oeti corpus 223
Orithya 817
Orni manna aeriæ mannæ præſtantior 318
Oromanſaci qui & cur ita dicti 97.98
Oroſij error 889
Orphei plures 1053
Orpheus 662
Orpheus Græcorum præceptor 114
Orpheus Gotica ſiue Cimbrica lingua vſus 724

Orphica philosophia & poësis à Thracibus ad Græcos venit 726
Orphica omnia è lingua Cimbrica hausta 797
Orpheus Spartæ templum condidit 881
Orphica Theologia corrupta 975
Orsiloche Diana quare 864
Osiris 526
Ossa elephanti pro ossibus Gigantis ostendi 179
Osterica non Osterictа in Plinio legendum 712
Oster lo 42
Ossa duorum elephantorum inter fodiendum à Bruxellanis inuenta 179
Otreus 814
Ouidij locus aliter quàm à Raphaele & Micyllo explicatus, & ipse Ouidius notatus 847
vnde error 849
Ouidius notatus 853
Oues Campestris Brabantiæ 315
Ouis symbolum 390
Oxus 469 *etymon ibidem*
Oxyathres 936

P.

Padoa 988
Padus Theophrasti 982
Padus vnde dicatur ibidem
Padus viam piceæ materiæ signat 983 *quare Bodincus vocetur* 984
Palingenesia 3
Palladis & Neptuni certamen 888
Palladium 102
Pallas 102 *eius potestas ibidem*
Pallas Carna 882
Pallas Chalcidica ibidem
Pallas Chalcioeca ibidem
Pallas Epipyrgite 102
Pallas frenum dat Bellerophonti 974
Pallas Laossoos ibidem
Pallas Polia ibidem
Pallas Poliucha 102
Pallas quare VValburgis Cimbris dicatur ibidem
Pallas sphingem in Galeæ crista cur ferret 145
Pallas Sotera ibidem
Pallium Græcorum 402
Palma Iudæam notat 383
Palmi 24 *hominis mensura* 177. 178
Paludes Mæoticæ quàm latè pateant 791
Pan cur Lycæus 390
Pandema Venus 901
Pandiones duo 853
Panis è piscibus 1019
Panis duplex 550
Panis sustentans in æternum 416
Pantheon 117
Papa 742 *origo* 743 *quis sic vocandus ibidem ad naturæ imitationem in prima lingua factum* 744
Papæus Iupiter apud Scythas vocatus 744
Paphlagoniæ latitudo 930
Paradisus ab oriente plantatus quomodo 496 *tota terra ibidem*
Paradisus pensilis 343
Paradisus vbi 481 *etymon ibid. quantus fuerit. fons eius Oceanus ibidem*
Parallatæ 825 *ratio nominis* 826 *quare nomen regum ibidem*
Parcæ 901
Pardalis exuuium ante fores Antenoris quid signarit 960 963
Paroceanitæ 460
Parnassus 478 *vnde dictus ibidem*
Paropanisus Arcam detinuit 473 *vnde dictus* 477
Paropanisus amnis 688
Parsimoniæ vtilitas 867
Parthenius 930
Paruus procreat aliquando magnum 207
Passus 489
Pastores reges 349
Patauinæ militiæ numerus & claritas 982
Patauij nominis ratio ibidem
Patauij antiquitas 981
Patauium 966 *vnde dictum* 967
Pater, filius, & Spiritus per omnia means, à priscis philosophis & poetis cognitus 109
Pauli Diaconi turpis error in Longobardis 769
Phrygij sermonis in Græcia reliquiæ 847
Pausanias notatus 626
Pausaniæ locus emendatus 151
Pecunia dicta quòd pecudes facias 859
Pelasgi vnde dicti 357
Peleg siue Phaleg 434
Peltæ Amazonicæ forma 502
Pelusiæ paludes 244
πεμπάζω 895
Peninæ Alpes 950
Pentheſilea 817. 917
Pentheus 853
Peplum Palladis 165
Peregrinationis scopus & vtilitas 121. 122. 123
Peristereon 589 *in ratione nominis error multorum* 590
Persæ foris carebant 93
Persarum potatio 613
Persarum sacra 606 *iis nec templa nec statuas fuisse ibidem Mythra. ibidem*
Persephone Sotera 881
Pertunda 26
Pes Romanus 215
Petasus 400
Petre 989
Peuce à Bastarnis possessa 718
Phaethon 356
Phaethontis fabula 992
Phaethontis fabula latius explicata 995 *Celtarum de ea opinio ab Apollonio recitata ibidem*

Phaethon-

Phaetontis fabulæ naturalis explicatio 996
citra aspirationem in tertia syllaba melius scribi. *ibidem*
Phaethon Veneris nocturnus æditimus 999
Phaethontis sorores ad primam philosophiam applicatæ *ibidem*
Phaethontis pater quis 995
Phalli cur Libero dentur 520
Pharaemanes quis, & quid signet 681
Pharazes 936
Pharemondus quis 681 *quid signet* *ibidem*
Phari etymon 291
Phari portus 5
Pharus quare nunc continens 292
Phiala in balteis Scytharum 824
Phiala quid allegoricôs notet 827 *etymon ibid.* *quare Baccho detur* *ibidem* *quare Herculi* 828 *phiala Hiarchæ ibid.* *Phialæ vsus in fœderibus ibidem in sacris ibid. in Balteo quid velit* 831
Phiditia Lacedæmoniorum 867
Philippolis 59
Philippus contra Gotos 727 *dolus eius contra eosdem* 728 *victoria ibid.* *Cæsus à Triballis* *ibidem*
Philomela cur in lusciniam 850
Philonis breuiarium reiectum 432
Philosophia ad Dei cognitionem plurimum conducit 108.109
Philosophia apud vulgus contemnitur 638
Philosophos hæreticorum patriarchas esse in quos quadret 110
Philosophus quis verè dicendus 106
Philtrodotes 592 *Virgilij artificium* *ibidem*
Phison 481.507
Phlegyas 1010
Phœbe 989
Phocæ quid signent 256
Phocæi 627
Phœnices 304
Phœnix Cadmi frater 853
Phoroneus 367
Phrudis 97
Phrygia minor & maior 463
primi incolæ 464.465
Phryges vnde philosophiam acceperint 1024
Phrygij Aegyptiis antiquiores 250
Phrygius tonus 940
Phrygum antiquissima lingua Teutonica 463
Phrygum & Thracum eadem lingua 959
Phrygum lingua prima 552.553
Phryxus 939
Pighius 898
Pileationis actus 402
Pileus libertatis signum cur 400 *quid differat à petaso* *ibid.* *eius forma* *ibid.* *quid virga in pileo pontificis* 401 *Acani* 4
Pinea virga 389
Pipinus 91
Pipinus Crassus 768
Pipinus Martelli pater Frisios vicit 105
Pipinus Paruus primus post Merouingos Francorum Rex 148
Pireni quid 974
Pisciculi & ranunculi qui fiant in aëre 238
Pitana 816
Pithecusa 164
Pittheus 901
Placidia Ataulphi vxor 784
Platonis de Atlantide historia 303
Pleumosii qui, & cur ita nominati 87
Plinij de astris opinio 215
Plinij locus correctus 775
Plinij locus emendatus 708
Plinij locus correctus 781
Plinij locus correctus 606
Plinij locus corruptus 313
Plinij locus explicatus 310
Plutarchi de Aegypto sententia 236
Plutarchus de Aegypto reprehensus 242
Pluto 662
Pluuia quæ optima 526
Pluuiæ æstiuæ in India 295
Pluuiarum causæ 265.266
Pluuiarum causæ è stellis fixis & Luna 275
Politiæ primum fundamentum 610
Poeta quo differat ab Historiographo 837
Poetæ materiam primam agnouerunt 256
Poetas non esse offendendos 812
Pollux pugil cur dicatur 973
Pollux quid signet 424 *Abrachalus* 425
Polybi & Alcandræ ficticia nomina 263
Polybi sententia 868
Polybius Alpes ascendit cognoscendi studio 951
Polydamna regina 258
Pomi vetiti examinatio 499
Pompeius ob crus fascia candida obligatum insimulatus 144
Pomponij error aut mendum 66
Pomponij Melæ locus integritati restitutus 692
Pontes longi 30
Popæ verbenis vincti 588
Populi lacrima 998 *vis & nomen* *ibidem*
Pori regnum 484
Porrima 901
Porphyrij sententia perperam intellecta 297
Portæ siue Pylæ siue Clusæ 953
Porus deus 607
Posidonius correctus 944
Posidonij error 306
Postel 48
Postuerta 901
Potatio quare generosa habeatur 527

Potationis vſus & abuſus 609.610.
Potus ante diluuium 524
Præcepti primi ratio 499
Pregula fluuius 686
Præcopenſes 683
Presbyteri 149
Priamus aduerſus Amazones 817
Priapi inuocatio 26
Priapus 101
Priene 816
Princeps ſi ſit Pharemondus ſiue Pharaemanus ſubditos habebit Choraſmanos 682
Principum Dæmon quis & quid faciat 611
Procne cur in hirundinem 849
Procopij de Thule error 793 *Aſtronomiæ ignorantia* 794
Proditio quàm exſecranda 964
Prodromi venti 268
Progne Pandionis filia 846 *Fabula de hac* ibid.
Proiecta 27
Promethei fabula vnde 515
Prometheus 377
Prometheus Themidis vel Terræ filius 896
Prometheus quando Noachus 528
Prometheus prouidentia diuina 516
Prometheus Deucalion cur & quando ibidem
Prorſa 901
Prorſum quid 910
Proſelani cur dicti 552
Proſerpina 526
Proſerpina ſoſpita 1048
Protei explanatio per Heraclidem Ponticum 252
Protei explicatio 257
Proteus Guneus vocatus 897
Proteus quare deus marinus 256
Proteus qui capiatur 258
Proteus quo tempore in Aegypto regnarit 262
Pruſſi Venedæ 1002
Prynea 885
Pſammitichi experimentum de gentium antiquitate 250
Pſeudoberoſus 342.343.344.345.346.
Pſeudocato 355
Pſeudofabius 356
Pſeudoſempronius 357
Ptolomæi Ceraunij contra Antigonum expeditio 64
Ptolomæi de Lunæ humectatione ridicula ratio 280
Ptolomæi de ſtellarum viribus reiecta ſententia 280
Ptolomæi in Burgundionibus error 775
Ptolomæi locus correctus 613.772
Ptolomæi Philopatoris nauis 64
Ptolomæus Ceraunius 625
Ptolomæus motum abſidis Solis ignorauit 209.
Ptolomæus quas commoditates habuerit ad Geographiam 600
Publicolæ ianua 381
Purum vnde habeant Latini 863
Puteorum ſalſedo quid arguat 248
Pylemenis Venetorum ducis robur 956
Πῦρ à Cimbris ad Græcos tranſiit 863
Pyramides è ſalſugine corrumpi 247
Pyramidum ſtolida interpretatio 262
Pyramus 303
Pyrene 627
Pyreum 607
Pyrethoi 607
Pyrethæa ibidem
Pyrrhæ nomen vnde 372
Pyrrha 370
Pyrrhichus 861 *eius puteus* ibidem *etymon* 863
Pytane 885
Pythagoræ duo 385
Pythagoras idem cum Apolline 1049
Pytheæ diligentia 66

Q.

Quaternarius & Senarius quî conueniant in mundo & microcoſmo 177
Quaternarius Themidi ſacer quare 907 *Quaternarij & ignis nomen Cimbris idem.*

R.

Ramus februus 389
Rauenna à quibus condita 965 *nominis expoſitio* ibidem
Rauennæ antiquitas 981 *Reges paſtores* 165
Reges ratione, non violentia regere debent 144. 145
Regia poteſtas ratione definienda 161
Regum munus in diſpenſandis vnicuique officijs 826
Regum nomine quis dignus iudicio Scytharum 827 *Reges vnde deligendi* 829
Religionis etymon indicatum 101
Remorum ordines qui computandi 64.65
Rephaim 171
Reſpub. quæ beata 881
Retæ 31.32
Retationis neceſſitas 34
Retare flumina 33
Rex Romanis prædictus 419
Rha 683
Rhabarbarum cur in Indiæ maritimis corrumpatur 294
Rhamuſij hiſtoria 265
Rhamſes Rex 262
Rhemorum narratio de Belgarum origine 19
Rhegini 458
Rheni oſtia 308
Rheningi 462
Rheti 943
Rheti vnde dicti 953
Rhipe 1047
Rhiphatæi 938
Rhipæi montes vbi 1045 *etymon* 1047
Rhipſaſpis 891

Rhodani

Rhodani etymon 990
Rhodanus 943
Rienſe territorium 30
Ripela 21
Ripela fluuij nomen vnde 53
Rituales libri exuſti 384
Romæ falſus natalis 357
Rodulphi etymon 791 *eius interitus* 792
Romani Græcis Barbariores 693
Romæ nomen à quibus inditum 979
Romani nudis capitibus 403 *qui ſe velarent ibid.*
Romanorum turpis cædes ob conſilium Heruli contemptum 790
Romanorum clades à Gotis ſub Tiberio 721
Romanorum duces aliquando Germani 791
Romanorum in Græographia negligentia 66
Romanorum perfidia 619
Romanorum prima nobilitas non eſt Aeneæ tribuenda 979
Romphæa flammans quid 506
Romuli fictum nomen à Roma 385
Roſalanos non eſſe Ruſſos 707
Roſemunda 774 *nominis ratio ibidem*
Ruach 397
Rubeas promontorium vbi & vnde dictum 689
Rugiæ etymon 794
Ruiter 34
Ruyſbroeck 53

S.

Sabaia 525 *è quali frumento fiat* 526
Sabaiarius 525
Sabaſius 92
Sabazius 525 *quare Iouis & Proſerpinæ filius* 526
Sabini Italiæ indigenæ 111
Sabinus 406
Sabus *ibidem*
Sabis 54
Sabis non influit in Moſam ad extremas Arduennæ partes 79
Sabotæ 825 *quare ſic reges dicti* 826
Sac Cimbricum vocabulum *Saca* 572
Sacæ Perſis ſuccurrunt 677
Sacæ qui, & cur ita dicantur 597
Sacæorum & Anaitidis explicatio 609
Sacarauli 637
Sacarbantia 649
Sacarum prima ſedes 601
Sacaſſena 613
Sacaſena 603
Sacci vocabulum cur commune multis linguis 578
Sacerdotum narratio de Nili inundatione confutatur 249
Sacorſa 637
Sacorſi 706
Sacra occultanda quare 596
Sacrificari cooperto capite, & cur 403
Sacrificium Noachi 904
Sacſſones quaratione dicti 613
Sagæ etymon 574. 580. 581
Saga quare pro incantatore vſurpetur 585
quare pro ſacrorum præfecto 585
Sagæ 572
Sagalbina 633
Sagartij 574
Sagaris 573
Sagaris quid 828
Sagitta Apollinis 1048 *quid ſignificet* 1051
Sagittariorum collegia quàm ſint antiqua & nobilia 830 *leges eorum & modeſtia ibidem*
Principum cuſtodia 831
Sagmina 586
Sagmina quo differant à verbenis 595
Sal Peluſiacus 243
Sal vnde dicatur 650
Salarium 651
Salem euerti cur inauſpicatum 652
Salis fons mirabilis 243
Salis modius 651
Salis ſymbolum & in ſacris vſus 650 *Salis pactum ibid. in baptiſandis quid ſignet ibid.*
Salla 879 *edulis* 880
Epimenidia *ibidem*
Salſedinis puteorum in Aegypto cauſa 243
Salſuginis & conchularum ad Hammonis cauſæ 244 245
Sam 673. 674
Samnitæ 1003
Samobrina quæ, & cur ita vocata 57
Samothrace 816 *Magnæ matri ſacra ibid.*
San 674
Sanctæ Gertrudis Berg 24
Sanctus 637
Santbouen 50
Sangarius flumen maioris Phrygiæ 818
Sanguinalis 31
Sanguinariæ 31. 32
Sanguis quid notet allegoricôs 163
Sangus 637
Sarcinium 84
Sardes à Cimmerijs occupantur
Sarmatæ & Germani, qua ratione ijdem queant nominari 783
Sarmatæ & Germani quomodo à Latinis diſtincti 782
Sarmatiæ fines & diuiſio 833
Sarapidis oraculum correctum in Suida 696
Sarra fluuius 295
Saturnalia cur decimo menſe 393
Saturnus vinctus *ibidem*
Saturnaliorum cerei quid ſignent 403. 404
Saturni ſiue Noachi cum Planeta ſui nominis conſenſus 408
Saturni domus Capricornus 408
Saturni ædes quare ærarium habeat 399
Saturni etymon 378

Saturni falx 406
Saturni honos in decimo menſe 387
Saturni magnus annus à Noacho ſuperatus 407
Saturni teſticuli præfecti ibidem
Saturno ſacrum fieri capite non cooperto 399. 400
Saturnus agri colendi magiſter 405
Saturnus arcanis diuinitatis præeſt 408
Saturnus cæli terræq; filius cur 377
Saturnus in Italia 378
Saturnus Noachus vnde 372
Satyrorum arrecta membra quid ſignificent 1050
Sauromatæ Cimmerij 823
Sauromatæ γυναικοκρατούμενοι 833
Sauromatæ ſolœciſant in ſua lingua 822
Sauromatarum appellationis ratio 835
Sauromatarum nomen nobilius quàm Scytharum 836
Sauromatides vnde dictæ
Saxones ad Ambiuaritorum fines deducti 773
Saxones maritimi 614
Saxonicæ inſulæ 613
Saxonis Grammatici hiſtoria fabuloſa 708
Saxonis Grammatici hiſtoria qualis 756
Saxonum inſignia 655
Saxonum ſedes 623
Scala Teutonicè idem quod Latinè patera 774
Scaldis oſtium 4 *profunditas* 5
Scaldis etymon 4
Scaldis in Moſam 79
Scaligeri de Nilo ſententia reiecta 293
Scamander 300
Scandia & Scandinauia veterum 685.686
Scandia Ptolemæi Gotlandia inſula 685
Scandiam Ptolemæi maximam non eſſe Scandinauiam demonſtratur 754 *error plurimorum* 755
Scandinauia & Scandia vnde dicantur 689
Sceinda 50
Scelotyrbe 310
Schudi error 946.948
Sciri qui ſint 795
Sclaueni falſo à Theophylacto Gotis annumerati 684
Scrufini 698
Scultetus quis 35
Scythæ bono iure ſe Herculis veri filios nominant 831
Scythæ pars Gotorum 716.717
Scythæ qui dicti 554
Scythæ vnde dicti 830
Scytharum nomen ad Sarmatas & Germanos tranſit 832
Scytharum nomen quibus detur 716
Scytharum regni antiquitas 431
Scythes fictitius Herculis filius 824
Scythia parua 717
Scythice fieri quid dicatur 830
Scythica herba 869 *allegorice* ibidem & 870
Scythica oracula 1048
Scythica Nympha in viperam deſinens 824
Scythiſmus 431-554
Securis cuius rei ſymbolum 827
Sedar olam 432
Sem quis & vnde dictus 549
Semele & eius etymon 524
Semi poſteritas 373
Semiramidis geſta fabuloſa 344
Semnones 620 *eorum ſedes* ibidem
Senarius coniugio proprius 282
Senarius nuptiis ſacer 437 *eius perfectio* ibid. *trinitatis ſymbolum* ibidem
Senarius Veneri ſacer 592 *cauſa* ibidem
Senecæ luxus 318
Senectæ mundanæ ſtolida collectio à Melanchthone & aliis facta 222
Senectus matura 149
Senes pueri & bis pueri 149
Septem caſtra 640
Septuaginta interpretes quare ab Hebræo textu in mundi antiquitate diſcedant 435
Seres non Ceres 914
Sermonis quanta reuerentia 596
Serpentes ſaxei 241
Seruorum & famulorum dæmon quis & quid facias 612
Seruorum nomina 640
Seſamum quare dicatur 937
Seſoſtris 934
Seſoſtris quare foſſam ab Erythræo mari in Nilum non duxerit 235
Seth quis & vnde dicatur 541
Sethoſis Aegyptus 351
Seuenbergen 24
Sextus dies cur Veneri ſacer 437 *Senarij ſymbolum* ibidem
Sibyllæ carmina 418 *& deinde.*
Siculi tyranni Gigantes 164
Siget expugnatum 648
Sileni & Midæ colloquium 1019
Sileni qui 1023 *cur Nyſigenæ* ibidem
Silenus cur à Paſtoribus fingatur adductus 1024 *etymon* ibidem
Siniſtrum mundi latus 949
Sinneſcalcus quis & vnde dictus 152
Sinope à quibus condita 930 *nominis ratio* ibidem
Smyrna 885
Smyrnæorum numus Homerus 940
Societas æquabilis in rebus aduerſis quanti ſit & quomodo Cimbrice vocetur 836
Socratis dictum 867
Sogdiani 468
Sogdij montes ibidem

Sol quòd manè per nebulas non maior quàm in meridie ab ipso visu deprehendatur 218
Sol cur Hercules 528
Soldurij qui 651
Solenes in saxis 241
Solis absis terræ quàm olim propinquior 217
Solis metallum 290
Soliſtima tripudia gallinaceorum propria 704
Soma 57
Son & Mos *oppoſita Cimbris* 840
Sonia ſilua 53
Sonium nemus 21
Sona ſiue Sunt quid ſignificet 766
Sorabi 783
Sorbonis lacus 244
Sotera pharmacum 102
Soteres qui 976
Souſexia 763
Sparethra Sacarum regina potentißima 678
Spargapiſis etymon & elegans ſententia hoc nomine indicata 679
Spargapiſes victus 677 *ſe occidit* ibidem
Spartæ etymon 865.866
Spartana antiquitas 882
Spartanica herba 866
Spartanica & Phiditia eadem feſta 872 *non bene ab Ariſtotele expenſa* ibidem
Spercheus 299
Spica virginis quî Chaldæis vocetur ſpica 416 *quare* ibidem
Spina alba 634
Spuo vnde dictum 1036
Sphinges cur in templorum veſtibulis 145 *cur facies habeant virgineas & reliquum corpus leoninum* ibidem
Sphinges cur vittatæ ibidem
Sphinx in Palladis galea 145
Stabuta 4
Starchateri & Hateri fabulæ 762
Statuæ apud Perſas erectæ quando 346
Stcenbergey 24
Stephani error 936
Stephani de vrbibus compendium mutilum 947
Stercutius 406
Sthenis ſtatuarius 930
Stibium 208
Stiliconis perfidia 784
Stipula triticea quid ſignificet 1051
Stomacace 310
Stomenes Meſſenius 956
Strabo deceptus 306
Strabonis error 283
Strabonis locus caſtigatus 939
Strabonis locus correct. 691 *Interpretis error* ibidem
Strabonis locus correctus 646
Strabonis locus caſtigatus 604
Strabonis locus correctus 272
Strabonis in Pythea reprehendendo error 692
Strabonis locus explicatus & interpres notatus 699
Stratonis de templo Hammonis ſententia 244
Strenæ 382
Strygum amuletum 634
Strymon doctrinam Græciæ inuexit 857 *Muſæ maritus* ibidem
Strymon quare dicatur vnam Muſarum duxiſſe 887
Suculæ 274
Sudinorum portus 686
Sueones Taciti 699
Sueones potius Suedani dicendi 702
Sueui in Hiſpania 784
Sueuorum mores 617
Sueuorum nominis ratio 622
Sueuorum potentia & mores 616.617
Suiardus Danorum Rex
Suidæ locus reſtitutus 696
Summum bonorum 599
Summum bonorum in primæ cauſæ contemplatione conſiſtit 106
Superſtitionis fons 975
Supplices quare vittati 186
Sus alba quid, & vnde ſignificet apud Virgilium 980
Sus ſignum hiemis 274
Svvartus Rex 791
Svvatza 951
Symbolorum primum 504
Syntereſis ibidem
Syriæ nomen & latitudo 930
Syrmi etymon 734
Syrmus 728 *ad Peucen confugit* 729

T.

Tabuda 4
Taciti de Anſibariis error 619
Taciti locus emendatus 721
Taciti locus correctus 68
Taciti locus malè lectus 796
Taciti locus explicatus 9
Taciti locus emendatus 73
Tædarum ſub terra copia 321
Taeny Mate 898
Taigeti cacumen Lacedæmoni impendet 1049
Tany Mat ibidem
Tanais duplex 647
Tanais Mæotis & Pontus Ariſtoteli exſiccabuntur 236
Tandemus ſiue Tauclinus hæreticus 126
Tantali fons 828
Targitaus Iouis filius 824
Targitai filij ibid. *etymon* 825
Tarina Sacarum regina 679
Tartara Pindari 166
Taruana vnde dicta 98
Taſſander lo 41
Taſſandri ſiue Taxandri qui & vnde dicti 48

Tata 741
Tatianus Philosophus 346
Tau Cimbris sæpe omittitur 34.36
Tauriſci deleti 720
Taurus mons qua lingua, & cur ita dictus 529
Tectorum forma vnde ſumenda 204
Tectoſaces 706
Tectoſages 623
Tectoſagi 625
Templi nomen Cimbricum quanto artificio compoſitum 913.914.
Templum S. Michaelis antiqua Antuuerpiæ paſtorum ſedes 118
Templum Priapi & Mineruæ intra arcem 110
Temporis perennitas quibus partibus conſtet 859
Temporum & hiſtoriarum ex homonymia confuſio 845
Teium 947
Tem met ibidem
Tenchteri 39
Tereum quare poëtæ è Thracia potius quàm è Megaride ſuppetias Pandioni tuliſſe dicant 847
Tereus cur in Vpupam 850 Terei etymon ibid. cur filium dicatur comediſſe 851. Tereo diuini honores in Græcia ibid. cur calculus illi ſacrum fieret 852. Poëtarum confutatio ibid.
Tereus trecentis annis ante Troianum excidium in Græcia regnauit 845
Tereus quare Martis filius 847
Tereus vbi regnarit 847
Termodontis etymon 893 olim Araxes dictus 896
Terra an conſeneſcat 217.218.219
Terra tota paradiſus 496
Terræ filij 377
Terræ mariſq; ſecundum Ariſtotelem permutatio 235
Terræ oſſa 225
Terræ porca ſacrificari 979 cauſa ibid.
Terræ quæ ignis fomes eſt diſcrimen 323
Terra ſymbolicôs quid ſignet 162.163
Terrigenæ 2
Teſticulorum in homine præſtantia 528
Tetractys Pythagorica quæ 902
Tetragonus quis 902
τέλις 360
Tetus fluuius 1003
Teuthoni 18
Teuthonici nominis ratio 1054
Teuthrane 862 etymon 864
Teutonarij 623
Teutones Thoutſey vocati 622
Teutonica & Cimbrica eadem lingua 460
Thales quando 365
Thaleſtria an Alexandro commiſta 815
Thaletas Lyricus 366
Thaletis de Nili incremento ſententia 268
Thebæ 263
Thebarum reges 853
Themidis filiæ 898
Themidis oraculum Deucalioni & Pyrrhæ redditum explicatur 905
Themidis oraculum antiquiſsimum hominum animis impreſſum 906
Themidum ara 901
Themis 377
Themis ad Chriſtianam religionem applicata 909
Themis ad Ichnas compreſſa 896 quando, & à quibus comprimatur ibidem. Gigantum veſtigia ſequitur 897
Themis deus vocatus 899
Themis & Venus Vrania ſeparari nequeunt 901
Themis mater Horarum 901
Themis nectar & Ambroſiam porrigit 908 cur Carmenta vocetur
Themidis oraculum quod & quale 899 Apollinis oraculo præferendum ibidem
Themis Phyſicôs, Metaphyſicôs, & Ethicôs conſiderata 903
Themis vnde dicta 896 quare terra ibidem error Græcorum ibidem
Themiſcyra vnde dicatur 896
Themiſcyræ etymon 915
Themiſtocles ſanguine Tauri poto mortuus 811
Thenæ 91
Theodoberti victoria inſignis apud Antuuerpiam 761
Theophanes cum Pompeio militauit 812
Theophraſti locus de ficu Indica examinatus 488 qui fuerit corruptus
Theophraſtus Paracelſus vaniſsimus 212
θεωρος 247
Thermodon 855
Therſites quî occiſus 917
Theſeus ficticius heros 860
Theſeia ſacra 856
Theſeis 860
Theſeus contra Amazones 817
Thila 43.80
Thonis rex 258
Thot plures 1053
Thraces 1032
Thraces lingua Gotica, quæ eadẽ eſt cum Cimbrica, vſos eſſe 724
Thraciæ amplitudo 797 lingua 797
Thracias lapis 71
Thracum lingua eadem cum Brabantica 161
Thule 66
Thule 690 parallelus eius ſupremus 692 terræ habitabilis finis ibidem
Thule à Cimbris habitata 695 quid nomen ſignificet ibidem ploratus ad eam ibidem infernus ad Thulen ibidem
Thules pro Scandia deſcriptio 793
Thulis Rex 696 mors eius ibidem
Thungerlo 41

Thungerloi monasterij descriptio 45
Thungri eneruati 17
Thungri vnde dicti 9
Thygrammanes 938
Tiberij dedecus à Gotis 720
Tibris incrementum 295
Tiliæ descriptio 492.493 flos ibidem
Timauus vnde dicatur 968 ortus & exitus ibid.
Ledæus 970
Timothei de cœna Platonis sententia 867
Tironis de suculis sententia non vera 274
Titanes 165
Tithonus 995
Tityus 165
Togorma 938
Tolistobogi 625 etymon 628
Tomyris 676 eiusdem ad Cyrum legatio 676
alia legatio 677
Tomyris quid significet 680
Tonal mons 950
Toni Musices 940
Tornacum 100
Torrida Zona an sit 506
Toxandrum oppidum 618
Tragomontani 772
Traiani in Dacos expeditio 722
Traiani pons 646 columna ibidem bellum
contra Dacos ibidem
Traianus vestem suam in lacinias discissam, militibus dat ad vulnera obliganda 722
Traiecti origo 82
Traiectum superius & inferius 83
Transsiluania 640
Transsiluaniæ pars quare Teutonicè adhuc loquatur 773
Trasamundus siue Torismundus 786
Traspies 825 etymon 826
Treres 810
Trerum etymon 813
Treuerorum lingua 627
Trias per omnia descendens ac adscendens 903
Triballi Goti 727
Triballi Philippũ vulnerãt, & spolia ei adimunt 728
Triballi vnde dicti 734
Tridentum vnde dictum 950
Trimarcisia quid, & quare sic dicta 151
Trinitas mens à Chaldæis vocata 907
Triptolemus 1050
Tripus verus 916
Trithemij compendium ex Hunibaldo 339
Triton cur Nilus vocetur 291
Triton lacus è quo Pallas 394
Tritones super Saturni templo quid signent 394
contra Macrobium ibidem
Tritones ventorum indices 260
Tritonis examinatio 398 Tritonis etymon ibid.
ad ventos indicandos in turri positus ibidem
cur templo Saturni impositi ibidem
Triuia dea cur 381
Trocmi 625 etymon 628 mirabilis conuersio
vocis ibidem
Troia Venetiæ pagus 978
Troia in Aegypto 264
Troia vnde dicta 979 quare sus Troia vocetur ibidem
Troiam Cimmerij condiderunt 938 Troiana
lingua Cimbrica ibidem
Troicus mons 263
Trulla quid 786 Trua ibidem
Trulos Gotos dictos à Vandelis fuisse 786
Trygonium 592
Tsoar quid in fabrica arcæ signet 200.201
Tuinum 59
Tuiscon Gomer 460 quare sic dictus ibid.
Tumbesia planicies maritima ad Peru 289
Turcos nõ esse Massagetas contra Theophanẽ 685
Turnhout 22
Turni cadauer 223
Tursilingi 196
Turtures 590 cui consecrentur 591
Turunti fluminis ostium ad Rigam Duinæ nunc vocati 758
Tyaræ materia 607
Tydeo immortalitas cur negata 971
Tyndareus 1010
Typhoeus 164
Typhoeus in Arimis 164 idem in Inarime ibidem
Typhon Gigas cur? 167
Typosis 903
Typosis Dei in homine creando 905
Tyranni etymon 16[illegible]
Tyranni Gigantes 16[illegible]
Tyranni omnium hominum sceleratissimi 167
Tyrannos in imo barathro inferni puniri 166
Tyrannus ex diametro cum Rege pugnat 167
Tyras Nester 718
Tyrrheni 304
Tyrrheni Pelargi 357
Tyrigetæ qui 718
Tzetzis inepta in Proclum inuectiua 877 error
in Asphodelo & Scilla

V.

Vadiani error 942
Vahalis 308
Vallum Latinorum vox à Cimbrica 732 eius
etymon ibidem
Vandalosia 784
Vandali non sunt dicti à Vandalo fluuio 783
Vandeli ab alijs Germani, ab alijs Sarmatæ vocati 783
Vandeli & VVendi, siue VVindi, diuersi populi 781
diuersus eorum sermo ibidem
Vandeli Galliæ & Hispaniæ maxima parte à Gotis
depulsi 784 cæsi à Belisario ibidem
Vandeli non Vindeli apud Plinium 781
Vandeli Plinij vbi 775

Vandeli qui 708
Vandeli vnde dicti 782.783 *vbi habitarint* 784
Vandelorum limites 784 *migratio in Pannoniam ibidem incursus in Galliam ibidem*
Vandelorum loca 709
Vandelorum præconium 785
Vandelorum propria nomina Germanica 785
Vandelos validos mendicantes à Cimbris vocari ibidem
Varuca 55.60
Varuca vnde dicta 70
VValburgis 161
VValia Britanniæ 616
VVarthusa 689
VVastaldus 339
VVauria silua 80
Vbij 617
Veldone 42
Velsic 56
Vellocasses 1006
Ven quid significet 43
Ven quid 1007
Venedi Austrorum pars 713
Venedi quare Germani Tacito 782
Venedicus sinus 1002
Veneli 1003 *etymon* 1004
Veneliocassium 1003 *etymon* 1005
Veneris cælestis statua 901 *eius cum Themide conuenientia ibid. Vrania, Apostrophia, Pandema ibidem*
Veneris dies sextus 437 *mysterium eius ibid.*
Veneris nomen vnde 1009
Venetia de natura loci ante Antenoris aduentum dicta 955
Veneti qui ad Troiam militarunt secundi Venetiæ incolæ ibidem
Venetiæ antiquitas 981
Veneti equorum alendorum olim studiosissimi 977
Veneti in Gallia 945
Veneti mare sibi desponsant 1009
Veneti nominis etymon 945
Venetorum & Amazonum cognatio 933
Venetorum & Venedorum discrimen 1007
Venetorum gemina origo 977
Venetorum in Gallia descriptio 1003
Venetorum res naualis 64
Venetus lacus 942
Venetus quis dicatur 1003
Venetus sinus duplex 994
Venlo 1007
Venlo *etymon* 44
Venno 943
Vennonetes 944
Venus cælestis 607 *statua eius quadrata* 608
Venus Olympia 881
Venus quid 662
Verbena amuletum timoris 595
Verbenacæ 589
Verbenæ & Sagminum collatio 595
Verbenæ quæ & vnde dictæ 586
Verbenæ pingues 588
Verbenarius 586
Verbis nulla efficacia 582
Verbum quàm diuina voce à Cimbris nominetur 597
Veritas à regibus raro auditur 682
Veritas maximè decet reges & exercituum duces 681
Veromandui 54
Verpus 26
Vesta quid 662
Vestæ nomen apud Persas 607
Vetera castra 67
Vetulonia 634
VV. qui Latinisantes vertant 160
VVendi non sunt Vandeli contra Iornandem 781
VVendi qua occasione Vandeli crediti 783
VVendorum incursus qua initium ceperit 761
Werp *siue* Werf *qui fiat* 29
Weruenhout *salicis genus* 28.29
West-capel 15
VVestcapelum 23
Westerlo 42
Westrijc 157
Vicus vnde dicatur 1008
Vindelici 943
Vindelici ab Amazonibus genus ducunt 954
Vindelici qui & vnde dicti ibidem
Vindonissa ibidem
Vini in sacris vsus 609
Vini triplex dos 522
Vinum intro refrigerari 243
Vinum vnde dictum 522
Viperæ è capite Cerberi natæ 818
Vireium 58
Virga alba Cranæ data 634
Virga colurna 72
Virga Magorum 1050
Virgilij carmen explicatum 10
Virgilij carmina ad Orphicam disciplinam explicata 980
Virgilij locus admirabilis in Eridano 988 *alius* 990
Virgilij in Pharmaceutria cum Theocrito collatio 593 *artificium maximum à Grammaticis non intellectum ibidem*
Virgilius vnde sua sumpserit 981
Virginis signum, nomen & mysteria 417.418.419
Virtutis definitio 162
Vistula priscorum Eridanus 993
Visionis monasterium 278
Visurgis 943
Vitis colendæ ratio vbi inuenta 517

Vitisator

Vitiſator 406
Vitodurum 955
Vitta mollis 146
Vittæ legatorum ibidem
Vittæ in ſacris ad quid 145
Vittæ ſupplicum ad quid 146
Vittæ virgineæ ibidem
Vittatus ſacerdos ibidem
VVien vox ichnæa 748
VVilbrordus 104
VVillibaldus ibidem
VVilrycum 21
VViltbroecum ibidem
VViltBrocck 53
VViltricum 51
VVindi 623
VVinibaldus 104
VVinithi ſiue VVinuli 783
VViſumar à Geberico Gotorum rege cæſus 784
nominis ratio 785
VVitikindus 763
VVitmerus Gotorum Rex vnde dictus 710
VVitricus Gotorum Rex vnde nominatus ibidem
Ulimuti factum 791 *ratio nominis* ibidem
Ulilagi Heruli ſententia 790 *nominis ratio* ibidem
Ulyſſes ad inferos 71
Ulyßis ara 66
Ulyſſes Oceanum non nauigauit 62
Ulyßis nomen qua de cauſa locis ad Oceanum datum 65
Ulyßipo 66
Unelli apud Cæſarem corrupte leguntur 1007
Uni quanto res propinquior, tanto diuinior 256
Unum Parmenidis 254
Unum Pythagoricum 254 *reſpondet materiæ primæ* 245
Vocabula diuiniſsima 527
Vocabula ea genuina in quibus vera ratio formationis inuenitur 745
Vocabula primo primis conueniunt 254
Vocabula quædam Cimbricæ contrario ordine lecta contrarium ſignant 42.23.57.86
Voces quaſdam contrario ordine lectas ſignificare contrarium 529
Vocum aliæ diuinæ, aliæ humanæ 967
Volcæ 623
Ur Chaldæorum 512
Urania Venus 607
Urania Venus apud Thebanos quibus præſideat 901
Urſæ quid ſignent 1054
Urſi ſymbolum 652
Uſigardus quis 791
Uſipetes 39
Utilo primus ſub Francis Marchio Antvverpianus 158
Utilonis coniugium & Marchionatus 761
Vulcanus 662
Urna 87
VVygant 160

X.

Xanthi Lydi opinio de mari 244
Xanthij Daæ cur dicti 642
Xanthum 70
Xanthus 300
Xenophontis homonyma 365
Xerandiliæ caſtaneæ 489

Z.

Zaccarum 484
Zachariæ locus explicatus 908
Zagreus 92
Zamolxis non fuit Pythagoræ diſcipulus 724
quis & cur ita dictus 725 *nomen ipſius Dei* ibidem *Chriſtus* ibidem
Zates 936
Zauolhenſes 683
Zoroaſter 166
Zoroaſter 1011 *etymon* ibidem
Zvvendebaldus deuictus 778 *filij occiſi* 780
Zybœa 625
ζυγὸν ὑπερβαίνειν
Zythum 526 *etymon* ibidem

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

In *præfatione ad Regem*, 3. *pag. folij B. lin.* 17. tui. *pag.* 1. *fol.* C. comparaueram: *colon, non periodus notanda. In præfatione ad Senatum Antuerp. pag.* 7. *C. lin.* 8. Daui, *non* Dani, *quod vitium etiam alibi corrigatur.* 4. 25. noſtrati, *lin.* 27. aduerſarios. 11. 1. tacito, *non* Tacito. 25. 5. ſinant. 28. 21. *pro* noſtrate *legatur* noſtrati, *qui error è manu currente & obſcura litteræ pictura ortus in eadem voce, toties erit corrigendus, quoties ea vel ſimilis in ablatiuo caſu occurret.* 29. 33. fiſtucatas ſublicas. 33. 32. fierent. 35. 13. quem. 37. 11. ipſorum. 42. 16. Ærarij. 46. 22. Caſſinas. 47. 12. in eo *delendum.* 71. 18. Rhenus. 92. 16. Zagrei. 103. 19. illis. 106. ordinatione. 113. 38. *comma quod ponitur poſt* olim, *præponatur.* 121. 1. cupiã. 31. Atq; inter hos, inquit, eos, quos, *&c.* 130. 3. poſſint. 132. 28. vulgus enim et plebei. 165. 37. *diſtinctio quæ eſt poſt* Palladis, *ponatur poſt* deſtinato. 166. 22. incluſi. *vel* littora ſalem veluti muri quidam includentia, *quod apertius eſt.* 173. 21. menſionem. 178. 31. cubum. 216. 19. *deleatur alterum* id. 218. 8. fere *ſuperfluum.* 225. 22. ſibi *ſuperfluum.* 270. 27. Verticale punctum. 271. 19. ὄμβρων. 272. 23. ſoliti. 273. 13. ſentiant. 281. 12. nonæ. 296. 3. *poſt* colligitur *adde* nec. 297. 32. Adamus. 322. 4. Lonenſes. 348. 23. *pro* ſed *lege* quam, *poſt parentheſim.* 349. 1. *leg.* ab antiqua. 360. 4. Calondas Corax, *& iterum lin.* 13. Calondas. 363. 6. Archilochia. 400. 20. ſic 408. 22. *dele* à 427. 10. *addatur* notæ, *poſt* Hieroglyphicæ. 453. 21. ſis, *non* his 492. 7. *poſt* præſtiterit, *diſtinctio reponenda, non poſt* tuus 452. 4. grauiſſimus 515. 20. deuehendũ 524. 37. *poſt* eſſe *addatur* id 527. *corrigatur numerus, & in fine paginæ legatur* Arar in Gallia à fluxus tarditate, ſicut Rhodanus à celeritate nominatur. 537. 20. *poſt* afflauerat *addatur* dicens, 569. 10. *pro* ante *legatur* poſt 578. 4. quod. *& lin.* 20. Cauſoide 583. 27. aëreo 584. 19. *pro* eſt, eſſe 618. 12. intentante. 619. 12. *legatur* Prius enim nomen eſt 622. 5. contraxiſſe 633. 13. *colon ponatur ante* quamuis, 635. 3. inuentionem. 636. 5. *pro* ſit, ſitu. *In eadem pag.* Bergomum, *non* Bergonium *legendum.* 666. 16. inueniamus. 667. *poſt vocem* delectus *interſeratur,* ad quod idoneus eſt ſolus, *& ſiat diſtinctio poſt* is, 671. 14. ſentibus. 678. 29. ſunt 687. *lin. vlt.* Animi 712. 26. Actauia 735. 25. *legendum*, quòd libera ſit in foro indicendo ad modum vrbis maioris muris cinctæ. 739. 16. Freſtilſe. 748. 28. innouari 751. 33. Oſca 764. 13. ſuæ regni parti 785. 11. *poſt* præconium *ponatur* addam 786. 13. *poſt* iuramento *addatur* plurimi 790. 1. *poſt* dum *addatur* ad 893. 25. priſci. 792. 6. *pro* quos *lege* et eos 794. 33. *poſt* equeſtremque *addatur* vim 848. 36. Oedipodis 900. 27. illecti 916. 20. *deleatur prius,* vt 932. 5. cognationem 943. 24. *corrigantur diſtinctiones.* 971. 8. *poſt* Palladem *addatur* orat. 974. 8. Pirenen 979. 5. reducerent 1000. 1. *pro* ſeri *legatur* prius. 1001. 14. reſeruat. 1004. 21. *poſt* attingentes *addatur* diſcrimen eſt. 1011. 3. multas *lin.* 4. ab eo. 1014. 37. *deleatur* debere. 1016. 32. Sicilia 1018. 32. ponit. *lin.* 35. norant *pro* nouiſſent 1050. 12. ſolidæ.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est Regio priuilegio, ne quis alius præter Christophorum Plantinum Typographum, *Librum de antiquitatibus Antuerpianis siue originibus, auctore Joanne Goropio Becano*, imprimat, vel alibi impressum vendat. hinc intra decennium, sub pœna confiscationis librorum, vt latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ 1567. 17. Decembris.

In consilio priuato.

Sign.

De Langhe.

Ancienne contamination fongique
Défaussiérage XII. 2025 ✝

ULg - C.I.C.B.
709309144
LIBER

XX . 105 . 1. -



Reliure
Bookbinding

Dos
Spine



Gouttière
Fore-edge





Tranche de tête
Head



Tranche de queue
Tail

LIÈGE université
Library

XX
10 f. = 1.

GOROPII BECANI OPERA





